BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
22 0
M2
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

THEOLOGIÆ
UNIVERSALIS
TOMUS SECUNDUS
COMPLECTENS TRACTATUS

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DE

DEO Uno & Trino, de Angelis & Homine, Incarnatione, & Gratia CHRISTI.

Digitized by Google

Digitized by Google

THEOLOGIA
UNIVERSALIS
AD
Mentem & methodum celeberrimorum noſtræ ætatis Theologorum ac S. Scripturæ Interpretum concinnata, & in quatuor Tomos diſtributa
A
Religioſis Monaſterii D. ETTONIS,
vulgò ETTENHEIM-MÜNSTER dicti, Ord. S. Benedicti, in Brisgoja

Curante & Dirigente

P. GALLO CARTIER,
Bruntrutano Rauraco, ejusdem Monaſterii Profeſſo Capitulari & Subpriore, nec non SS. Theologiæ Profeſſore, ac S. Congregationis INDICIS Conſultore.

TOMUS II.

TRACTATUS I. De DEO Uno & Trino.
TRACTATUS II. De Angelis & Homine, ſeu de DEO Creatore.
TRACTATUS III. De Incarnatione Verbi.
Appendix. De cultu & invocatione Sanctorum, nec non de veneratione Reliquiarum & Imaginum Sanctorum.
TRACTATUS IV. De Gratia Chriſti.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
Sumptibus IGNATII ADAMI & FRANCISCI ANTONII VEITH, Bibliopolarum.
ANNO MDCCLVII.
CUM LICENTIA SUPERIORUM.

Digitized by Google

THEOLOGIÆ UNIVERSALIS

TOMUS II.

COMPLECTENS TRACTATUS

DE

DEO Uno & Trino, de Angelis & Homine, Incarnatione, & Gratia Chriſti.

PRÆLOQUIUM.

SAtis feliciter, ut arbitramur, expenſis præcedenti, & primô Theologiæ noſtræ Tomô locis Theologicis, atque ſic poſitô velut fundamentô, quo omnia, quæ in ipſa Theologia ſuperſtruuntur, niti oportet, id eſt, unde omnia, quæ ad ſtabiliendas quaslibet, quæ in Theologia

Digitized by Google

INDEX

Titulorum Tractatûs primi, Tomi ſecundi Theologiæ Univerſalis, de DEO Uno & Trino.

Præloquium. - - - - - *Numero* 2.

PARS I. *De DEO Uno.* - - - - - 3.

Caput I. De Exiſtentia DEI ejusque natura ſeu eſſentia. - 4.

Caput II. De Divinis Attributis generatim & in communi conſideratis. - - - - 25.

Caput III. De Attributis Divinis abſolutis ſingillatim. - 42.

§. I. *De Simplicitate DEI.* - - - 43.
§. II. *De Infinitate DEI.* - - - 54.
§. III. *De Immenſitate DEI.* - - 58.
§. IV. *De Immutabilitate DEI.* - - 64.
§. V. *De Æternitate DEI.* - - - 70.
§. VI. *De Bonitate DEI.* - - - - 75.
§. VII. *De Juſtitia DEI.* - - - - 76.
§. VIII. *De Miſericordia DEI.* - - - 78.
§. IX. *De Omnipotentia DEI.* - - - 80.

Digitized by Google

Caput IV. De Viſione DEI. . . . 83.

§. I. *An DEUS videri poſſit oculis corporeis.* . . 84.
§. II. *An DEUS intuitivè videri poſſit ab intellectu creato & comprehendi.* . . . . 88.
§. III. *Utrum Juſti plenè purgati, ſeu quibus nihil luendum ſupereſt, ſtatim à morte, & ante ultimum & generale Judicium intuitiva Dei viſione donentur.* 100.
§. IV. *Utrum animæ Sanctorum, quibus aliquid ſupereſt expiandum, ad tempus in Purgatorio detineantur, atque Fidelium precibus ac ſuffragiis juventur, & ſubleventur.* . . . 109.
§. V. *Utrum omnes Beati æqualiter Deum videant.* . 127.
§. VI. *De cæteris Quæſtionibus, quæ circa intuitivam Dei viſionem in Scholis proponi & expendi ſolent.* . 134.

Caput V. De Scientia DEI. . . . 142.

§. I. *An ſit in Deo Scientia propriè dicta.* . . 144.
§. II. *De Objecto Scientiæ Dei.* . . 145.
§. III. *De Medio, in quo Deus omnia cognoſcit.* . 174.
§. IV. *An Scientia Dei ſit cauſa rerum.* . . 182.
§. V. *De varia Scientiæ Dei diviſione.* . . 187.

Caput VI. De Voluntate DEI. . . . 190.

§. I. *De Objecto Divinæ Voluntatis.* . . . 191.
§. II. *An Deus ſe ipſum, & alia à ſe diſtincta velit, & diligat, & quomodò.* . . . 193.
§. III. *An Dei Voluntas ſit libera, & quæ ſit ejus libertatis explicandæ ratio.* . . 196.
§. IV. *An multiplex in Deo ſit diſtinguenda Voluntas.* . 203.
§. V. *An Dei Voluntas ſemper impleatur.* . . 204.
§. VI. *Utrum Voluntas Dei ſit cauſa rerum.* . . 209
§. VII. *An ſit in Deo vera, ſincera, formalis ac beneplaciti Voluntas ſalvandi omnes; & an Chriſtus pro omnibus mortuus fuerit.* . . . 211.
§. VIII. *De affectibus Divinæ Voluntatis, amore, odio, deſiderio, ira, & pœnitentia.* . . . 239.

Caput

Caput VII. De Providentia DEI. - - - 244.

Caput VIII. De Prædeſtinatione. - - - 254.

§. I. *De eſſentia ſeu nomine & definitione prædeſtinationis.* 255.
§. II. *De exiſtentia prædeſtinationis.* - - 259.
§. III. *De cauſis prædeſtinationis.* - - - 263.
§. IV. *De effectibus & proprietatibus prædeſtinationis.* - 276.

Caput IX. De Reprobatione. - - - 289.

§. I. *De nomine, definitione, exiſtentia & diviſione reprobationis.* 290.
§. II. *De cauſis reprobationis.* - - - 294.
§. III. *De effectibus reprobationis.* - - 300.

PARS II. *De DEO Trino, ſeu de auguſtiſſimo SS. Trinitatis myſterio.* - - - - 301.

Caput I. De exiſtentia SS. Trinitatis. - - - 302.

§. I. *De Trinitate perſonarum in divinis.* - - 303.
§. II. *De Unitate naturæ ſeu eſſentia in Trinitate.* - - 323.
§. III. *Utrum myſterium SS. Trinitatis cognoſci poſſit ſola naturali ratione duce.* - - - 368.

Caput II. De Proceſſionibus Divinis. - - 376.

§. I. *De exiſtentia & numero proceſſionum divinarum.* - 377.
§. II. *De divinarum proceſſionum proprietatibus.* - - 385.
§. III. *De principiis divinarum proceſſionum.* - - 386.
§. IV. *De diſcrimine proceſſionis Filii à proceſſione Spiritûs ſancti: ſeu quare proceſſio Filii ſit & dicatur generatio, non autem proceſsio Spiritûs ſancti.* - - 388.

Caput III. De Relationibus Divinis. - - 392.

§. I. *An, & quid ſint in Deo Relationes. Quot numero. An veræ perfectiones.* - - - 393.

§. II. *An & quomodo Relationes divinæ tùm ab eſſentia tùm à ſe invicem diſtinguantur.* - - 407.

§. III.

§. III. *Quodnam ſit relationum in Deo officium, quæ partes? An & quomodò divinas perſonas conſtituant, & à ſe invicem diſtinguant?* - - - 415.

Caput IV. De Perſonis in communi. - - 418.

§. I. *An ſint in Deo admittendæ tres ſubſiſtentiæ relativæ & una abſoluta tribus perſonis divinis.* - - 419.

§. II. *An ſint ac dici poſſint in Deo tres exiſtentiæ relativæ, & una abſoluta.* - - - 428.

§. III. *An per quamdam appropriationem inter abſoluta Dei attributa quædam ſint perſonis propria.* - - 432.

§. IV. *De Divinarum Perſonarum notionibus, miſſione, ac circuminſeſſione.* - - - 433.

Caput V. De Divinis Perſonis in particulari. - - 436.

§. I. *De perſona Patris.* - - - 437.

§. II. *De perſona Filii.* - - - 440.

§. III. *De perſona Spiritûs ſancti.* - - - 442.

TOMI SECUN-

Digitized by Google

TOMI SECUNDI
TRACTATUS
PRIMUS
DE
DEO UNO ET TRINO.

Digitized by Google

Digitized by Google

TOMI SECUNDI
THEOLOGIÆ UNIVERSALIS
TRACTATUS PRIMUS
DE
DEO Uno, & Trino.

Præloquium.

DEI nomine, quemadmodum jam in Metaphyſica noſtra part. 2. c. 1. §. adnotavimus, omnes intelligunt ſubſtantiam ſeu Ens aliquod perfectiſſimum, à quovis alio independens, cæterorum omnium cauſam & originem, Eumque unum & trinum eſſe Chriſtiana fides nos docet. Unde hunc quem modò de illo inſtituimus, Tractatum in binas partes diſtribuimus, in quarum prima de Deo tanquam uno agemus, in ſecunda autem illius Trinitatem, quantùm ſcilicet humana patitur tenuitas, explicabimus.

PARS PRIMA.
De DEO Uno.

1 PArtem hanc primam pro varietate quæſtionum in ea tractandarum in plura Capita, hæcque in plures paragraphos diſtinguimus, ac primò de ipſius exiſtentia, natura ſeu eſſentia, & unitate nobis agendum; poſteà ipſius attributa generatim, & ſigillatim explicabimus.

CAPUT PRIMUM. 4
De exiſtentia Dei ejusque natura ſeu eſſentia.

PRofectò Dei exiſtentia, utpotè in Scriptura ſacra adeò conſtans, atque tam

pro-

profundè hominum cordibus naturæ ipſius manibus impreſſa aliis argumentis demonſtrari non indigeret, niſi olim inventi fuiſſent, & adhuc inveniantur veſani quidam homines, qui debilibus quibusdam innixi argutiolis, vel potiùs inanibus ratiunculis, eandem, non obſtantibus tam validis argumentis, impugnare non ſine magna temeritate audent; ut qui innatam ſibi ipſis & ingenitam Dei notionem, ſeu ideam è mentibus ſuis eliminare irrito conatu adlaborent.

Enimverò eſſe in nobis innatam & ingenitam Dei notionem ſeu ideam, cujus veritas objectiva (*a*) auditis terminis à mente ſana, & attenta percipitur, jam in Metaphyſica noſtra part. 2. c. 1. §. 1. demonſtravimus. Atque etiam ipſæ ſacræ litteræ declarant. Ut Pſal. 4. v. 7. *Signatum eſt*, inquit Regius Pſaltes, *ſuper nos lumen vultûs tui Domine. Hoc lumen*, ait S. Auguſt. in hunc locum n. 8. *eſt totum hominis & verum bonum, quod non oculis ſed mente concipitur. Signatum autem dicit in nobis, tanquam denarius ſignatur Regis imagine: homo enim factus eſt ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, quam peccando corrupit.* Joan. 1. v. 9. Chriſtus dicitur *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ex quo perſpicuum fit, ait S. Hieronymus ad c. 1. ad Galat. *naturâ omnibus Dei ineſſe notitiam, nec quemquam ſine Chriſto naſci, & non habere ſemina in ſe ſapientiæ & juſtitiæ, reliquarumque virtutum.*

Conſonant SS. Patres tum Græci tum Latini.

Ex Græcis. S. Juſtinus Apol. 2. *Dei appellatio*, inquit, *nomen non eſt, ſed rei inenarrabilis naturæ hominum inſita opinio.* S. Clemens Alexandrinus, in Protreptico, ſeu admonitione ad Gentes, ait, *omnibus ſimpliciter hominibus inſtillatum eſſe quemdam divinum influxum: qua de cauſa vel invitos eos fateri unum eſſe Deum, ab interitu alienum, & ingenitum.* Euſebius lib. 2. Præpar. Evang. c. 9. *Eximium illud*, inquit, *ac ſalutare inprimis, quod Dei nomen eſſentiamque ſignificat, ipſius naturæ ductu impreſſiſque animo per ſe ſe notionibus, vel divinitùs potiùs aſpiratis nemo non intelligit. Hoc enim omnes populi communi quodam rationis ſenſu percepêre, cum id omni animo, ratione, & intelligentiâ prædito, idem hujus univerſitatis artifex naturalibus quibusdam cogitationibus inſeverit.*

Ex Latinis. Tertullianus Apologetici c. 17. *Hac eſt*, inquit, *ſumma delicti nolentium recognoſcere, quem ignorare non poſſunt.* Et lib. 1. cont. Marcion. c. 10. *Ante anima, quàm prophetia*, inquit, *anima enim à primordio conſcientia Dei dos eſt.* S. Cyprianus, Tract. de vanitate Idolorum. *Vulgus*, inquit, *in multis Deum naturaliter confitetur, cùm mens & anima ſui auctoris & principis admonetur. Dici frequenter audimus: O Deus! &, Deus videt; &, Deo commendo; &, Deus mihi reddet; &, quod vult Deus; &, ſi Deus dederit.* Unde exclamat Tertullianus loc. cit. *O teſtimonium animæ naturaliter Chriſtianæ!* Arnobius, l. 1. cont. Gent. *Quiſquamne eſt hominum*, ait, *cui non ſit ingenitum, non affixum, imò ipſi penè in genitalibus matris non impreſſum, non inſitum, eſſe Regem ac Dominum cunctorum, quæcumque ſunt, moderatorem?* S. Auguſtinus, Tract. 106. in Joan. *Hæc eſt*, inquit, *vis veræ divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti, non omninò ac penitùs poſſit abſcondi.* Et in Pſal. 74. n. 9. *Deus ubique ſecretus eſt, ubique publicus; quem nulli licet, ut eſt, cognoſcere, & quem nemo permittitur ignorare.*

Denique

(*a*) Veritas objectiva ea dicitur, quæ ſe tenet ex parte objecti, quod menti ſeſe offert, & exhibet, ut quando cogito *Deum*, *Deus* eſt cogitationis meæ objectum.

Denique S. Joan. Damaſcenus, ut multos alios ſileamus, lib. 1. Orthodoxæ fidei, ſic loquitur: *Non nos tamen in omnigena prorsùs ignorantia verſari paſſus eſt Deus. Nemo quippe mortalium eſt, cui non hoc ab eo naturaliter inſitum ſit, ut Deum eſſe cognoſcat.*

His omnibus & aliis tum S. Scripturæ, tum SS. Patrum teſtimoniis manifeſtum eſt, fieri non poſſe, ut quis invincibiliter Deum ignoret, adeoque innatam ſibi & ingenitam non habeat illius notionem & ideam. Quæ hîc objiciuntur diſſolvimus & diluimus jam in Metaphyſica, loc. cit. & infra etiam reſutabimus.

Hoc ita ſuppoſitô & approbatô manifeſtum ſit, neminem ſetiò unquam dubitare potuiſſe aut poſſe, ſi aliàs ipſi ſana mens & judicium, quin Deus exiſtat, utpote cujus idea & notio omnium mentibus ſit inſita.

5 Illius porrò exiſtentiam invictis argumentis demonſtramus 1mo. ex S. Scriptura: Job. 12. v. 7. 8. & 9. *Interroga jumenta, & docebunt te; & volatilia cœli, indicabunt tibi. Loquere terræ, & reſpondebit tibi: & narrabunt piſces maris. Quis ignorat, quòd omnia hæc manus Domini fecerit?* Pſ. 18. v. 2. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* Et Pſal. 99. v. 3. omnes creaturæ clamant, *Scitote, quoniam ipſe eſt Deus: ipſe fecit nos, & non ipſi nos.* Denique Rom. 1. v. 20. *Inviſibilia ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas, ita ut ſint inexcuſabiles; quia cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt.*

2do. Ex communi SS. Patrum ſententia, quorum teſtimonia aliqua prætermiſſis innumeris aliis, ſupra protulimus, quæ non magis innatam eſſe nobis omnibus Dei notionem probant, quàm illius exiſtentiam; unde ſtultus & inſipiens dicitur, qui Deum negat, ait S. Anſelmus Proſlogii c. 3. & S. Auguſtinus Tract. 106. in Joan. n. 4. *Hæc eſt*, inquit, *vis veræ divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti, non omninò ac penitùs poſſit abſcondi.*

Prob. 3tio. Argumentis tum Metaphyſicis, tum Phyſicis, tum denique moralibus jam in Metaphyſica noſtra recenſitis loc. ſæpè cit. Quæ vide.

Hæc tamen omnia argumenta Dei exiſtentiam nonniſi à poſteriori, ut ajunt, ſeu ab effectu ad cauſam evincunt, non verò à priori, ſeu à cauſa ad effectum: enimvèrò Deus nullam habet ſuæ exiſtentiæ cauſam, ſed neceſſitate ſuæ naturæ exiſtit; ita ut ne cogitatione quidem exiſtentia ejus ab ejus natura ſeparari poſſit. *Ego ſum qui ſum*, ait Deus ad Moyſem Exod. c. 3. v. 14. *Qui eſt, miſit me ad vos.* Hanc Entis neceſſitatem, plenitudinem, ac perfectionem ſignificabat apud Hebræos auguſtiſſimum nomen *Jehova.* Unde creaturæ, Dei comparatione nihil eſſe dicuntur, Pſal. 38. v. 6. *Subſtantia mea tanquam nihilum ante te.*

(*b*) Quod Dei naturam, ſeu eſſentiam ſpectat, non expectanda eſt à nobis perfecta aliqua illius delineatio. Illa enim eſt ineffabilis, & ſupra omnem ſenſum, & rationem, *Deus enim eſt*, inquit S. Ambroſius, vel quicunque alius lib. de fide Orthod. *qui cùm dicitur, non poteſt dici, cùm æſtimatur non poteſt æſtimari; cùm definitur, ipſâ ſuâ definitione creſcit .... quem totum omnia neſciunt, & metuendo ſciunt.* Unde ſtultitia fuit in Aëtio ejusque Diſcipulo Eunomio planè ſingularis, affirmare, ſibi tam perfectè cognitam eſſe Dei naturam, quàm vel ipſi Deo cognita eſt. 6

Triplici porrò viâ Deus à nobis in hac vita cognoſci poteſt, 1mo viâ negationis, quâ

(*b*) Vid. inf. Exercit. Theologic. Exercit. 2. n. 17. & ſeq.

Digitized by Google

quâ longè faciliùs dicitur, quid non ſit Deus, quàm quid ſit, ait S. Auguſtin. (c) 2do. Viâ affirmationis, cùm detractis omnibus imperfectionibus, perfectiones illi attribuimus. 3tio. Denique viâ excellentiæ Deum concipimus, cùm omnes perfectiones creatas, non ſolùm detractis imperfectionibus creatis, ſed etiam nobiliori ac excellentiori modô in ipſo contineri affirmamus.

7 Præſens quæſtio merum eſt Scholæ exercitium, ac in eo unicè verſatur, quænam ſcilicet nobis de Deo cogitantibus prima occurrat perfectio, quæ ſecundùm noſtrum concipiendi modum naturam ipſius conſtituere intelligatur; ſeu quis ſit gradus conſtitutivus, vel differentia eſſentialis & ſpecifica divinæ naturæ. Tres ad hoc exiguntur conditiones: 1mo. Ut gradus ille ſpecificus ſeu conſtitutivus ſit quid primum in ipſa re, nec ab alio derivatum. 2do. Ut ſit proprium rei, quam conſtituit, & ab alia qualibet diſtinguit. 3tio. Ut ſit fons & radix aliarum proprietatum ſeu perfectionum, quæ in illa reperiuntur.

8 Hìc in varias ſententias pro more ſuo abeunt Scholaſtici. (d) Volunt aliqui gradum illum conſtitutivum vel differentiam eſſentialem Dei eſſe actualem cumulum ſeu congeriem omnium perfectionum. Alii dicunt, eſſe infinitatem radicalem, ſeu exigentiam omnium perfectionum. Alii eam intellectionem radicalem vel actualem eſſe tuentur. Alii denique illam poſitam eſſe volunt in omnimoda, ut ajunt, *aſeitate* (e), ſeu in perfecta independentia, ita ut Deus ſit Deus præciſè, quòd ſit Ens à ſe, & independens à quolibet alio & tanquam à cauſa, & tanquam à principio, & tanquam à radice ſeu fundamento.

9 Porrò animus nobis non eſt in hujusmodi Scholæ exercitio, & luſu multùm detineri; utiliora quippe nos vocant, quàm ut hiſce Scholæ tricis immoremur, pace ergo noſtra quisque eam ex recenſitis opinionibus, quam maluerit, amplecti poterit; ne tamen omninò ſilentes abire videamur, mens noſtra eſt, quòd Independentia ſeu aſeitas omnimoda videatur eſſe proprius divinæ eſſentiæ character, ac gradus conſtitutivus ſeu ſpecificus. (f)

Prob. 1mo. Ex S. Scriptura: *Ego ſum qui ſum*, ait Deus ipſe ad Moyſem (g), *ſic dices filiis Iſraël*, *Qui eſt*, *miſit me ad vos.* Quo ſignificare voluit Deus, ſe ſolum eſſe, qui eſt, adeoque ab omni alio independens, adeoque à ſe duntaxat eſſe.

Prob. 2do. Ex SS. Patribus, qui hunc S. Scripturæ textum eadem ratione exponunt. *Admiratus ſum*, inquit S. Hilarius lib. 1. de Trinit. ad citata verba Exodi *Ego ſum, qui ſum &c. planè tam abſolutam de Deo ſignificationem, quâ naturæ divinæ incompreherſibilem cognitionem aptiſſimô ad intelligentiam humanam ſermone loqueretur. Non enim aliud proprium magis Deo, quàm eſſe intelligitur; quia ipſum quod eſt, neque deſinentis eſt aliquando, neque cœpti.* Et in Pſal. 2. *Ipſe eſt*, ait, *qui quod eſt, non aliunde eſt: in ſe ſe eſt, ſecum eſt, ad ſe eſt, ſuus ſibi eſt, & ipſe ſibi omnia eſt.* Mittimus SS. Hieronymum, Ambroſium, Auguſtinum, Joannem Damaſcenum, &c.

Prob. 3tio. Ratione. Gradus ille eſt in Deo ſpecificus, ſeu conſtitutivus, & ab alio quolibet diſtinctivus, qui eſt primus, proprius, ac cæterarum Dei perfectionum radix, fons, & origo. Atqui talis eſt independentia ſeu Aſeitas omnimoda. Ergo &c.

Prob. min. 1mo. Independentia, ſeu Aſeitas perfecta, eſt prima perfectio, quæ nobis de Deo cogitantibus occurrit. Nomine quippe Dei, concipimus ens neceſſarium, quo nihil melius. Atqui Independentia,

(c) In Pſal. 85. n. 12. (d) Nos in noſtra Metaphyſica differentiam eſſentialem naturæ divinæ in ſumma perfectione collocandam eſſe diximus, ubi Eſſentiam Dei in ſenſu metaphyſico latiori, & prout omnia Dei attributa complectitur, ſumpſimus. Hic autem quæſtio eſt de Eſſentia Dei in ſenſu ſtrictiori ſumpta. (e) Id eſt, quod Deus ſit *Ens à ſe* &c. (f) Aſeitas eſt ſumma perfectio, utpote ex qua omnes aliæ inferuntur. (g) Exod. c. 3, v. 14.

dentia, ſeu Aſeitas, & neceſſitas idem omninò ſunt. Ergo Independentia eſt prima Dei perfectio, quæ Deum, noſtrô concipiendi modô, in ſuo eſſe conſtituit. 2do. Aſeitas omnimoda eſſentiæ divinæ eſt omninò propria: quia nec creaturis competit, quæ ſunt ab alio tanquam à cauſa; nec divinis attributis, quæ ſunt ab eſſentia tanquam à radice; nec denique divinis perſonis, quæ ſunt ab alio tanquam ab origine & principio. 3tio. Denique, cæterarum omnium Dei perfectionum radix eſt, & origo. *Si bonum, ſi magnum, ſi beatum, ſi ſapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo inſtauratur quod eſt, Eſt; Nempe hoc eſt ei eſſe, quod hæc omnia eſſe, ſi & centum talia addas, non receſſiſti ab eſſe. Si ea dixeris, nihil addidiſti: ſi non dixeris, nihil minuiſti.* Sunt verba S. Bernardi. (*b*)

10 Commendabilior noſtrô judiciô eſt quæſtio de Dei Unitate, quæ, cùm de illius exiſtentia & eſſentia eſſe videatur hîc quoque locum ſibi vindicat.

Unitatem Dei impugnarunt Gentiles, à quibus Deorum pluritas invecta eſt: unde priores Religionis Chriſtianæ Apologiſtæ contra eos agentes, non tam aggreſſi ſunt Atheiſmum quàm Politheiſmum, ut videre eſt in Antenagora, Juſtino, Minutio Felice, & Tertulliano. Triginta Deorum millia fuiſſe apud Gentiles memorat Heſiodus, de quibus feſtivè dicebat Tertullianus: (*i*) *Novi ſunt, ac veteres, barbari, Græci, Romani, peregrini, captivi, adoptivi, communes, maſculi, fœminæ, ruſtici, urbani, nautici, militares.* De Romanis tametſi ſapientioribus dicebat S. Leo: *Cùm pene omnibus dominarentur Gentibus, nonne omnium ſerviebant erroribus; & magnam arbitrabantur aſſumpſiſſe Religionem, quia nullam reſpuebant falſitatem?* Conſtabat apud cordatos Gentiles, Deos illos, quos colebant, meros homines fuiſſe, quibus, ut putabant, ob quædam eorum in genus humanum derivata beneficia, jura & honores uni Deo debitos aſſerebant: undè lepidè irridendo Tertullianus dicebat, *Apud vos de humano arbitratu divinitas penſitatur: niſi homini Deus placuerit, Deus non erit; homo jam Deo propitius eſſe debebit.*

Verùm non modò Gentiles Unitatem 11
Dei impugnârunt, ſed multi ex veteribus Hæreticis, ut Cerdoniani à Cerdone ſic dicti, qui duo principia ſibi adverſantia admittebant, nempè Deum legis, & Prophetarum, quem juſtum ac ſeverum, non bonum eſſe dicebant; & Deum Patrem Chriſti, quem aſſerebant eſſe bonum ac benignum. Marcionitæ à Marcione ita appellati, qui tres fingebant Deos; unum inviſibilem, rerum inviſibilium; alterum verò viſibilem, mundi hujus aſpectabilis parentem; tertium diabolum inter utrumque medium, præterea Deum veteris Teſtamenti opponebant Deo novi Teſtamenti. Apelles Marcionis Diſcipulus, quocum duos admittebat Deos, unum bonum, & alterum malum, ſed à bono productum, ideoque unicum principium, in quo à ſuo Magiſtro diſſidebat. Valentiniani à Valentino dicti, qui triginta Deos, ſive Æonas ſomniabant. Manichæi à Manete propagati, qui duo rerum omnium univerſalia principia, ſeu duos volebant eſſe Deos: unum bonum, boni; alterum malum, mali auctorem. Tritheitæ, qui tres perſonas SS. Trinitatis docebant eſſe tres Deos, tum perſonalitate, tum naturâ diſtinctos.

CONCLUSIO. 12

Deus unicus eſt. Prob. 1mo. Ex S. Scriptura. Deuteron. 6. v. 4. *Audi Iſrael, Dominus Deus noſter Dominus unus eſt.* Ib. c. 32. v. 39. *Videte, quòd ego ſim ſolus, &*

(*b*) Lib. 5. de conſid. c. 6. (*i*) Apologet. c. 10.

& non ſit alius Deus præter me. Pſ. 85. *Tu es Deus ſolus.* 1. Cor. 8. v. 4. *Scimus*, ait Apoſtolus, *quia nihil eſt idolum in mundo, & quòd nullus eſt Deus, niſi unus.* Et v. 5. *Etſi ſunt, qui dicantur Dii, ſive in cœlo, ſive in terra .... nobis tamen unus eſt Deus. Primum omnium mandatum eſt*, ait S. Marcus c. 12. v. 29. *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus unus eſt.*

Prob. 2do. Ex Symbolis Nicæno & Conſtantinopolitano, quorum primus articulus eſt, *Credo in unum Deum.* Item ex Concilio Lateranenſi IV. c. *Firmiter &c.*

Deus ſi unus non eſt, inquit Tertullianus (*k*), *non eſt: quia digniùs credimus non eſſe, quodcunque non ita fuerit, ut eſſe debebit.*

Prob. 3tio. Ratione. 1mo. Natura, cui ſingularitas omninò eſt eſſentialis, non poteſt numerò multiplicari. Atqui ſingularitas eſſentialis eſt naturæ divinæ, ſicut & ipſa exiſtentia, cùm Deus ex dictis ſit ens neceſſarium; exiſtentia autem rei eſt ſingularis. Ergo &c.

2do. Deus eſt ens perfectiſſimum, ens ſummum, quo nihil melius. Atqui tale ens eſt unicum, nec parem habere poteſt; ſummum quippe non eſt, cui aliquid adæquatur. Quòd ſi duo ſumma forent, ac perfectiſſima, neutrum ſummum eſſet, ac perfectiſſimum; quia neutrum altero majus foret. Ergo &c.

3tio. Si duo eſſent Dii æquales, utroque melius aliquid poſſet cogitari, ille ſcilicet Deus, qui parem, & æqualem non haberet. Ergo hi duo Dii verè non eſſent Dii, quia aliquid ipſis melius & perfectius cogitari poſſet.

4to. Unus ſufficit Deus creando & regendo huic univerſo. Ergo unicus eſt. Vel enim unus ſufficit, vel non. Si prius, inutilis fuit, & etiamnum eſt alter Deus, ſine quo mundus creari potuit & regi. *Quid enim*, ait Lactantius (*l*), *multis opus eſt ad mundi regimen ſuſtinendum; niſi fortè arbitremur, ſi plures ſint, minùs habere ſingulos nervorum atque virium.* Si verò unus non ſufficiat, ſed alterius indigeat auxiliô, eo ipſo perfectiſſimus non eſt, nec conſequenter verus Deus.

Cætera argumenta, quæ hanc in rem adduci poſſunt tacemus; enimverò vel ex his abundè liquet, quàm verum ſit illud S. Athanaſii dictum (*m*): *Multiplicitas Deorum, nullitas Deorum.* (*n*)

Quærunt hìc etiam Scholaſtici, an iſta propoſitio, *Deus eſt*, ſit per ſe nota quoad nos. Nam apud ipſos dupliciter propoſitio aliqua per ſe nota ſumi poteſt, alia enim eſt propoſitio per ſe nota quoad ſe ipſam tantùm, alia quoad nos etiam. Prior eſt ea, cujus prædicatum eſt de natura ſeu eſſentia ſubjecti, qualis eſt iſta, *Homo eſt mente & corpore præditus*; item iſta, *Deus exiſtit.* Propoſitio autem nota per ſe quoad nos, ea dicitur, cujus veritas auditis & intellectis terminis ſtatim per ſe ſe innoteſcit abſque alio medio ſeu diſcurſu & ratiocinio. Unde patet poſſe dari propoſitionem aliquam, quæ quamvis per ſe nota ſit quoad ſe, tamen quoad nos ignota eſſe poſſit, quia illius prædicati ſeu attributi cum ſubjecto connexio à nobis ignoratur. 13

Hæc quæſtio ad illam omninò referri videtur, quam breviter initiò ſtatim hujus capitis expoſuimus, atque oſtendimus, eſſe in nobis omnibus innatam & ingenitam Dei ideam ſeu notionem, unde & meritò dicimus, hanc propoſitionem, *Deus eſt*, per ſe notam etiam eſſe quoad nos.

Prob. Quia illa propoſitio nota eſt per ſe quoad nos, cui additis, & intellectis terminis ſtatim ſine ullo medio mens acquieſcit, quam nullus negat, aut negare ſeriò poteſt, cujus veritas animis noſtris à natura

(*k*) Lib. 1. cont. Marcion. c. 3. (*l*) Lib. 1. Inſtitut. c. 3. (*m*) Orat. cont Idola. (*n*) Vide etiam ea, quæ hac de re in Metaphyſica noſtra part. 2. c. 1. §. 3. diſſeruimus. Vid. inf. Exercit. Theolog. Exercit. 5. n. 1. & ſeq.

Digitized by Google

ra ipſa nobis indita eſt, ac ingenita Atqui talis eſt iſta propoſitio, *Deus eſt;* Nam quid Dei nomine intelligimus? ens ſcilicet perfectiſſimum, quo nihil melius eſt, ac cogitari poteſt. Atqui fieri non poteſt, niſi ex craſſa contradictione, ut animô apprehendatur ens perfectiſſimum, quin ſtatim exiſtens concipiatur; aliàs perfectiſſimum eſſe intelligeretur, & non perfectiſſimum; perfectiſſimum quidem ex hypotheſi ac in mente; non re ipsa perfectiſſimum, ſi re vera non exiſteret; eo ipſo enim careret exiſtentiâ, quæ perfectio eſt, imò omnium perfectionum prima, ac quaſi fundamentum; & aliquid eo perfectius cogitari poſſet, ens ſcilicet non tantùm in mente, & apprehenſione, ſed re ipsa exiſtens. Hæc ratio eſt S. Anſelmi in Proſſogio ſeu Alloquio c. 2.

14 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. contra aſſertum noſtrum de innata notione Dei, ut &, quòd hæc propoſitio, *Deus eſt*, nota per ſe ſit quoad nos. Idea à natura impreſſa ſingulis hominibus eſt communis. Atqui ſinguli homines non habent in ſe à natura ipſa impreſſam ſupremi Numinis ideam ac notionem, nec proinde ipſis nota eſt per ſe hæc propoſitio, *Deus eſt;* multi enim ſunt Athei, qui Deum eſſe ignorant, ac protervè pernegant. Ergo &c.

Prob. min. 1mo. Ex S. Scriptura. Pſal. 13. v. 1. *Dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus.* Item Sapientiæ 13. v. 1. *Vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei, & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui eſt, neque operibus attendentes, agnoverunt, quis eſſet artifex.* Denique Apoſtolus, Epheſ. c. 2. v. 2. *Eratis*, inquit, *illo in tempore* (nempe infidelitatis) *ſine Chriſto ... & ſine Deo in hoc mundo.*

Prob. 2do. eadem min. teſtimoniis Scriptorum, qui fatentur, nonnullos Atheos fuiſſe. Talem fuiſſe Diagoram aſſerit S. Auguſtinus lib. 3. contra litteras Petiliani c. 21. n. 25. & Tract. 106. in Joan. *Exceptis paucis*, inquit, *in quibus nimiùm natura depravata eſt, univerſum genus humanum Deum fatetur.* Lactantius, lib 1. divinarum Inſtitut. inter Atheos recenſet, Democritum, Epicurum, Protagoram, & Diagoram, ut & Tullius Cicero, lib. 1. de Natura Deorum, addens Melium, & Theodorum Cyrenaicum; Teſtantur quoque noſtri ævi Miſſionarii, quosdam Americæ Barbaros in ſilvis degentes, nullum Deum cognoſcere, aut colere, imò ne quidem nomen Dei noſſe &c. Ergo &c.

Reſp. ad objectionem, neg. min. Ad illius prob. Diſt. Multi ſunt Athei practicè, conc. ſpeculativè, iterum diſt. indirectè ac interpretativè, conc. directè, ac expreſsè neg.

Atheus practicè eſt ille, qui ſic perditè vivit, ac ſi nullus eſſet Deus ſupremus criminum ultor ac vindex, de quo Pſalmiſta ait: *Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus.* In corde, ob depravatam nempe ſceleribus conſcientiam: unde ſequitur eodem Pſal. 13. v. 2. *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis. Hoc eſt*, ait Auguſtinus in Pſal. 13. *ipſæ ſunt affectiones, quæ corrumpunt animam, & ſic excæcant, ut poſſit etiam dicere imprudens in corde ſuo, non eſt Deus.* Benè multos hujuſce generis Atheos proh dolor! exiſtere non diffitemur.

Atheus ſpeculativè is eſt, qui utens ratione, mente ſana, & attenta, intùs & animô perſuaſum habet, nullum exiſtere Deum. Tales dari Atheos directè & expreſsè omninò negamus, benè autem indirectè tantùm & interpretativè; cujusmodi ſunt, qui Deo ea tribuunt, aut denegant, quæ ipſi nec tribui poſſunt, nec denegari; qui Deum quidem agnoſcunt, ſed falſum, non verum, qui idola colunt, & cultum ſupremum, & ſoli vero Deo debitum in creaturam transferunt. Hi dicuntur ab Apoſtolo *eſſe ſine Deo in hoc mundo, quia Deum* (verum) *ignorant.* Dicuntur à

Digitized by Google

Salomone (*o*), ***non habere ſcientiam Dei nec intelligere eum***, *qui eſt;* cùm exiſtimant (*p*) *Deum, aut ignem eſſe, aut ſpiritum, aut citatum aërem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut Solem & Lunam.* Uno verbo Deum ignorant, aut negare cenſentur, quotquot eum, qui ſolus verus eſt Deus, non agnoſcunt, nec colunt: quamquam vel in hac ipſa idololatria veſtigium quoddam, ac ſenſus quidam eſt Divinitatis, qui obliterari penitùs non poteſt, tametſi diſtortus, & ut ait S. Auguſtinus lib. de Bapt. c. 4. *multis falſitatibus permixtus ac confuſus.* Quo ſenſu Athenienſibus dicebat S. Paulus: (*q*) *Præteriens, & videns ſimulacra veſtra, inveni & aram in qua ſcriptum erat,* Ignoto Deo. *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis.*

Ex his habetur reſponſio ad teſtimonia S. Scripturæ, & Scriptorum, quæ in contrarium adducuntur, nempe nullos dari Atheos niſi practicè, ſeu ſpeculativè, ſed indirectè & interpretativè duntaxat tales. Neque etiam ulli Barbari Deum ignorare poſſunt, quidquid Miſſionarii noſtri referant. Enimverò impoſſibile eſt, ut vel ad Cœli, Terræ, Solis, Aſtrorum, & aliarum creaturarum aſpectum, aut ſenſum, ſtatim non ſubeat illorum animos cogitatio de aliquo ſapientiſſimo ac potentiſſimo artifice, Domino ac Rectore rerum illarum omnium, ut qui illius ideam à natura cordibus ſuis impreſſam habeant.

15 Ob. 2do. Exponi liquidò non poteſt, qualis ſit illa naturalis Dei notio ſeu idea; ſitne in mente hominis per modum habitûs infuſi, vel per modum actûs, ſitne abſtractiva, vel intuitiva.

Reſp. Ideam illam, neque in habitu înfuſo, neque in actuali cognitione poſitam eſſe; ſed in ipſo lumine naturali, ſeu facultate, quâ ex ſola terminorum apprehenſione intelligimus, Deum eſſe eo ipſo modo, quo ſtatim ac ſine prævio diſcurſu concipimus *impoſſibile eſſe idem ſimul eſſe & non eſſe; alteri non faciendum, quod tibi fieri non vis.* Fatemur ideam illam intuitivam non eſſe, ſed abſtractivam duntaxat, prout intuitivæ opponitur. Abſtractivam etenim cognitionem vocamus, non eam tantùm, quâ unum in alio, vel per aliud cognoſcimus; ſed eam etiam, quæ vel obſcura quodammodo eſt, ac cognitioni intuitivæ opponitur, vel quæ ſolam attingit rei exiſtentiam, non verò naturam, & eſſentiam, qualis indita eſt nobis notio, & idea exiſtentiæ Dei, non autem ejus eſſentiæ adequatè ſumptæ. Nec abſurdum eſt, ſi dicamus illam exiſtentiæ Dei innatam ideam mediam eſſe inter abſtractivam, & intuitivam, eamque naturalem appellari, eo ferè modo, quo S. Thomas p. 1. q. 56. a. 3. in Corpore, & in Reſponſione ad 3. docet cognitionem, qua Angeli naturaliter Deum cognoſcunt, mediam eſſe inter abſtractivam, & intuitivam, ac ſimilem eſſe *cognitioni, quâ videtur res per ſpeciem ab ea acceptam.*

Cætera, quæ hîc objiciuntur ſoluta invenies in noſtra Metaphyſica. cap. 1. §. 1. quam conſule.

Ob. 3tio. contra aſſertum de exiſtentia Dei. Objectum fidei demonſtrari non poteſt, cùm obſcurum ſit ac inevidens: atqui exiſtentia Dei eſt objectum fidei. *Accedentem enim ad Deum credere oportet, quia eſt,* ait Apoſtolus Heb. 11. v. 6. Atque, ut ait S. Gregorius Magnus, *Fides amittit meritum, ubi ratio præbet experimentum.* 16

Reſp. Diſt. maj. Quatenus objectum fidei à Deo revelatum, conc. quatenus eſt objectum demonſtrationis Theologicæ, neg. Poteſt unum & idem objectum ſub vario reſpectu ac motivo attingi, & conſiderari; undè naſcitur ſcientiarum diſtinctio. Idem corpus naturale v. g. alio modo conſideratur à Phyſica, & alio à Medicina: ab iſta, ut ſanabile; ab illa ut naturale. Dei ergo exiſtentia creditur ex motivo fidei, ſeu propter

(*o*) Sap. 13. v. 1. (*p*) Ibid. v. 2. (*q*) Act. 17. v. 23.

Digitized by Google

propter auctoritatem Dei revelantis, & evidenter cognoſcitur ex creaturis per neceſſariam connexionem, quæ perſpicitur inter creaturas exiſtentes & earum conditorem; idem enim objectum poteſt & à fide divina apprehendi, & à ſenſibus externis. Non alius eſt ſenſus verborum S. Gregorii: Ubi rei revelatæ creditur propter experimentum ſenſuum, vel rationis, fides meritum amittit; ſed utrumque conciliari poteſt, ut nempe idem ſit objectum fidei, & demonſtrationis Theologicæ, ſub diverſo, ut diximus, motivo.

17 Ob. 4to. Eſſentia Dei demonſtrari non poteſt. Atqui exiſtentia eſt eſſentia Dei, à qua ne quidem per mentem ſejungi poteſt. Ergo &c.

Reſp. Diſt. maj. Eſſentia Dei quantum ad quæſtionem quæ & qualis ſit, conc. quantùm ad quæſtionem quòd ſit, ſeu exiſtat. neg.

18 Ob. 5to. Medium demonſtrationis debet eſſe neceſſarium: atqui creaturæ non ſunt neceſſariæ. Ergo &c.

Reſp. Diſt. maj. Neceſſarium neceſſitate connexionis & habitudinis, qualis eſt inter effectum & cauſam, objectum & potentiam, conc. neceſſitate exiſtentiæ, neg. Inter creaturas, & Creatorem eſt neceſſitas illa connexionis & habitudinis, quâ fit, ut, viſis creaturis, cognoſcamus certò ac neceſſariò eſſe primam cauſam ac ſupremam intelligentiam, à qua illæ productæ fuerint. *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos.*

19 Ob. 6to. Omnis demonſtratio fit ex prioribus, ut docent Dialectici. Atqui creaturæ non ſunt Deo priores; imò potiùs Deus prior eſt, utpotè cauſa creaturæ.

Reſp. Diſt. maj. Demonſtratio fit ex prioribus cognitione, id eſt, ex iis, quorum cognitio præcedit, conc. Ex prioribus exiſtentiâ, neg. In demonſtranda Dei exiſtentia, neceſſe eſt, priùs cognoſci creaturas tanquam effectus, quàm Deum ipſum tanquam creaturarum effectricem cauſam.

At inquies, correlata ſunt ſimul naturâ & cognitione. Atqui Deus & creatura ſunt correlata. Ergo ſimul cognoſcuntur, nec cognitio creaturæ prior eſſe poteſt cognitione Creatoris.

Reſp. Diſt. min. Deus & creatura ſunt correlata, creatura formaliter ſumpta ſub ratione præciſa & formali creaturæ, conc. materialiter ſumpta in ſe prout ex primo aſpectu eam cognoſcimus, neg. Cùm ex creaturis Deum eſſe demonſtramus, creaturas, ut in ſe ſunt, primo aſpectu conſideramus, & intelligimus eas à ſe ipſis non habere, ut ſint; nihil enim ſui ipſius cauſa eſt. Neceſſe igitur eſt, eas ab alio eſſe creatas, undè rectè inferimus exiſtere creatorem, qui verus & unus Deus eſt.

Ob. 7mo. contra aſſertum noſtrum de gradu conſtitutivo eſſentiæ divinæ. Gradus conſtitutivus divinæ eſſentiæ debet eſſe quid reale & poſitivum. Atqui aſeitas ſeu independentia aliquid negativum ſonat, non poſitivum. 20

Reſp. Diſt. min. Ratione termini ſeu nominis, conc. Ratione rei ſignificatæ, neg. Res enim hoc nomine ſignificata eſt entis neceſſitas, plenitudo, perfectio, quæ ſunt quid reale, & poſitivum.

Ob. 8vo. Gradus ſpecificus divinæ eſſentiæ vero Deo competere debet. Atqui aſeitas omnimoda, quæ principium excludit, etiam originis, non competit Filio & Spiritui ſancto, qui tamen ſunt unus, & verus Deus cum Patre; Filius enim eſt à Patre, Spiritus ſanctus à Patre & Filio. 21

Reſp. Diſt. min. Aſeitas omnimoda non competit Filio, & Spiritui ſancto, ratione perſonalitatis, conc. Ratione naturæ, ſeu eſſentiæ divinæ, quæ eſt in Filio, & Spiritu ſancto, neg. min.

At, inquies, Natura divina, quæ eſt in Filio, & Spiritu ſancto, eſt à Patre. Ergo.

Reſp. Diſt. ant. Per communicationem, conc. Per productionem, neg. Eſſentia nec producit, nec producitur, quia inter producentem ac rem productam intercedit diſtinctio realis: At nulla hujusmodi occur-

Digitized by Google

occurrit inter perſonas divinas, & naturam, ſeu eſſentiam divinam.

22 Ob. 9no. contra aſſertum noſtrum de Unitate Dei. Multi in Scripturis appellantur Dii Pſ. 81. v. 6. *Ego dixi Dii eſtis.* Et v. 1. *Deus in Synag ga Deorum.* Exod. 7. v. 1. *Dixit Dominus ad Moyſen, Ego conſtitui te Deum Pharaonis &c.* Ergo.

Reſp. Diſt. ant. Multi in Scripturis appellantur Dii impropriè, & nomine tenùs, propter auctoritatem ac ſingularem aliquam prærogativam ipſis à Deo conceſſam conc. *Sunt*, ait Apoſtolus 1. Cor. 8. v. 5. *qui dicuntur Dii, ſive in cœlo ſive in terra .... nobis tamen unus eſt Deus*; propriè & ratione naturæ, neg. Judices vocantur Dii propter auctoritatem vitæ & necis, quam Deo auctore in homines exercent, ipſimet veri aliunde ac mortales homines. *Dii eſtis* ℣. *filii Excelſi*, ait David, *vos autem*, addit, *ſicut homines moriemini, & ſicut unus de principibus cadetis.* Pariter Prophetæ Dii aliquando appellantur propter futurorum notitiam: juſti, ſeu Sancti propter inhabitantem in ipſis Spiritum ſanctum, qui eos efficit divinæ conſortes naturæ. Moyſes Deus Pharaonis conſtituitur, propter ſpecialem poteſtatem ac virtutem, quam in illum exercuit, tot in conſpectu ejus editis prodigiis. Angelus etiam aliquando in veteri Teſtamento Deus appellatur, quòd nempe nomine ac auctoritate Dei loqueretur, ejuſque perſonam ſuſtineret.

23 Ob. 10mo. Sunt in Deo tres perſonæ realiter diſtinctæ. Ergo & tres Dii: unaquæque enim perſona Deus eſt. Ergo cum ſint tres perſonæ, ſunt etiam tres Dii.

Reſp. Neg. conſ. ad probat. diſt. ant. unaquæque perſona Deus eſt unus, & indiſtinctus, in natura ſcilicet, quæ una numerô eſt in tribus perſonis, conc. Deus eſt diſtinctus ac naturâ diviſus ab aliis perſonis, neg.

Inſt. Ubi ſunt tres diſtinctæ perſonæ, ibi ſunt tres numerô diſtinctæ naturæ. Nam perſona ex communi, & trita definitione eſt *naturæ rationalis individua ſubſtantia*. Ergo ubi ſunt tres perſonæ, tres quoque ſunt naturæ rationalis individuæ ſubſtantiæ.

Reſp. neg. ant. Ad probat. dicimus, nomine ſubſtantiæ, in adducta definitione perſonæ, ſubſiſtentiam, ſeu modum, quo ſubſtantia terminatur, directè ſignificari, indirectè verò ipſam naturam. Nam perſona dicitur naturæ rationalis *individua ſubſtantia*, individua autem, ſeu ſingularis redditur per ſubſiſtentiam; ergo nomine *ſubſtantiæ* in definitione perſonæ, ipſa intelligitur ſubſiſtentia. Cùm ergo tres in Deo ſint ſubſiſtentiæ ſeu perſonalitates, & una eſſentia; idcircò ſunt tres divinæ perſonæ, & unus Deus.

Inſt. 2do. Etſi quælibet perſona divina ſit infinitè perfecta, ſunt tamen numerô plures. Quidni pariter plures Dii eſſe poſſunt, tametſi natura divina ſit infinitè perfecta. Reſp. Diſparem eſſe rationem; quia nomen perſonæ in divinis non importat perfectionem ſimpliciter ſimplicem & infinitam in omni genere, niſi per identitatem realem cum eſſentia divina, ſed importat tantùm reſpectum ſeu relationem ad aliam perſonam, aut productam, aut producentem: è contrà verò natura divina omnem in ſuo conceptu perfectionem involvit; nulla ergo perſonalitas divina ſecundùm ſe conſiderata eſt infinitè perfecta ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid, & in ſuo duntaxat genere. Paternitas v. g. eſt infinitè perfecta in genere paternitatis, filiatio in genere filiationis, item ſpiratio paſſiva in genere ſpirationis paſſivæ; neque una eſt, aut dici poteſt alterâ nobilior & perfectior, ſed omnes in ſuo genere ſunt æqualiter perfectæ.

24 Ob. 11mo. Duo ſunt admittenda univerſalia rerum principia, unum bonum, à quo bona; alterum verò malum à quo mala primam ducant originem. Ergo etiam duo Dii. Prob. ant. A Deo ſummè bono non poteſt prodire malum. Ergo præter Deum bonum debet eſſe alius malus, qui

ſit

Digitized by Google

ſit malorum omnium principium; nam hic mundus plurimis malis abundat.

Reſp. neg. ant. ad prob. neg. conſ. Quantùm ad res phyſicas ſeu naturales ab uno & eodem principio, ab una & eadem cauſa, ſi non ſecunda, ſaltem prima, & univerſali, varii & oppoſiti poſſunt eſſe effectus, quos Deus ad manifeſtandas potentiæ ſuæ divitias inexhauſtas, ad mundi ornatum producit, inter quos nullus eſt profectò in ſe abſolutè malus in ordine naturali. *Vidit enim Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona* Geneſ. 1. v. 31. Si ergo quædam animalia, ſi quædam venena ſint noxia quibusdam, aliis quandoque non nocent, imò ſunt remedia.

Quantùm verò ſpectat malum morale, ſeu peccatum, certum eſt in Deum auctorem refundi non poſſe. *Deus*, ait S. Jacobus c. 1. v. 13. *intentator malorum eſt.* Illud quidem non operatur, ſed permittit, 1mo quia eſt cauſa generalis, & proviſor univerſalis. 2do quia ex malo bona etiam novit eruere, imprimis ex permiſſione peccati, Filii ſui Incarnationem, quæ omnium bonorum præſtantiſſimum eſt. 3tio quia & univerſales quasdam leges ſtatuit, quas infringere, & immutare non tenetur. 4to quia hominem creavit liberum, & dimiſit in manu conſilii ſui; ante ipſum appoſuit ignem & aquam, id eſt, bonum & malum, ut, quod vellet, eligeret, oblatâ ipſi gratiâ ad bonum proſequendum, & fugiendum malum neceſſaria; atque etiam propoſitô æternæ felicitatis præmio ſi benè, æternô verô ſuppliciô, ſi malè ageret. Quid autem ſapientius, quid æquius, & ad laudem ſupremi Proviſoris opportunius? Culpa igitur hominis eſt, ſi miſerè pereat; beneficium verò Creatoris, ac Redemptoris, ſi æternùm vivat.

CAPUT II. 25

De Divinis Attributis generatim, & in communi conſideratis.

(r) ATtributorum nomine Theologi intelligunt formas abſolutas, quæ ſecundùm proprium ſuum eſſe exiſtunt in Deo, & ab ejus natura tanquam proprietates emanant. Attributum divinum itaque ab ipſis definiri ſolet *perfectio ſimpliciter ſimplex, abſolutè ac neceſſariò de Deo prædicabilis per modum formæ adjacentis.*

Dicitur 1mo *perfectio*: quæ vox tenet locum generis, quod omnibus attributis commune eſt. 2do. *ſimpliciter ſimplex*, id eſt, quæ nullam omninò imperfectionem in ſuo conceptu involvit, ac de Deo formaliter prædicatur, ut ſimplicitas, immenſitas, &c. 3tio *abſolutè prædicabilis* ut diſtinguatur à divinis perſonis, ſeu relationibus in divinis, quæ ſunt formæ relativæ duntaxat, atque eſſentiæ, ut eſt abſoluta, non adjacent, ſed purè ſunt perſonales, quibus perſonæ conſtituuntur. 4to *neceſſariò prædicabilis*; ut excludantur omnes liberi ad creaturas reſpectus, ſeu relationes Dei ad creaturas, quæ certè non ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices, quas habere meliùs ſit, quàm non habere: neque enim Deo quidquam melius eſt eſſe creatorem, quàm non eſſe. Dicitur denique, *per modum formæ adjacentis*; id eſt, proprietatis, quæ ab eſſentia divina dimanare concipitur.

Nihil tamen obeſt, quin communiter 26
Theologi divinas perſonalitates etiam divinorum attributorum, ſed relativorum duntaxat nomine inſigniant; imò quidquid de Deo verè affirmari poteſt, id attributum ejus dicunt.

(r) Vid. inf. Exercit. Theolog. Exercit. 3. n. 42. & ſeq.

De iis univerſim quæritur, an & quomodo tum ab eſſentia divina, tum à ſe invicem diſtinguantur? id eſt an & quomodò attributa divina ſive abſoluta, ſive relativa ab eſſentia divina, abſoluta verò duntaxat à ſe invicem diſtinguantur? nam qua ratione relativa, ſeu perſonalitates inter ſe differant, parte 2da exponemus. (*s*)

27 (*t*) Diſtinctio autem generatim dicitur, *negatio identitatis:* undè ea diſtinguuntur, quæ non ſunt idem. Duplex univerſim aſſignatur; una *realis*, quæ nemine cogitante exiſtit; altera verò *rationis*, quæ per mentem duntaxat excogitatur inter res aliquas intercedere, quæ re vera, & nemine cogitante, ſeu, ut Schola loquitur, à parte rei idem ſunt.

Diſtinctio realis triplex vulgò refertur: nempè realis major, realis minor, ſeu modalis, & realis formalis, ſeu Scotiſtica. (*u*)

Diſtinctio realis major inter ea occurrit, quæ vel à ſe invicem ſeparantur, ut Petrus & Paulus; vel ſeparari poſſunt, ut corpus & anima, ſubjectum & accidens; vel relativè opponuntur, ut pater & filius.

Diſtinctio realis minor ſeu modalis, eſt inter ea, quorum unum poteſt eſſe ſine alio, ſed non vice verſa: ita e. g. inflexiò digiti non poteſt eſſe ſine digito, ſed digitus poteſt eſſe ſine inflexione.

Diſtinctio realis formalis ſeu Scotiſtica, eſt inter ea, quæ tametſi unam & eandem habeant exiſtentiam, diſtinctas nihilominùs habent ex natura ſua rationes, ſeu objectivas formalitates: quales ſunt v. g. in mente humana Intellectus & Voluntas; in Deo juſtitia & miſericordia.

Diſtinctio rationis ea dicitur, quæ fit per mentem, ac duplex eſt: una rationis, ut vocant, ratiocinantis; altera rationis ratiocinatæ. Diſtinctio rationis ratiocinantis fit per mentem ſine ullo in re fundamento, talis eſt diſtinctio in Petrum ſumptum ut eſt ſubjectum, & eundem Petrum, ut eſt prædicatum propoſitionis iſtius, *Petrus eſt Petrus;* nam horum conceptuum diverſitas non habet fundamentum in ipſo Petro, cujus idem omninò eſt ex parte ſui conceptus, ſed ſolùm in mente, quæ illum modò tanquam ſubjectum, modò tanquam prædicatum propoſitionis conſiderat.

Diſtincto rationis ratiocinatæ fit etiam per mentem, ſed cùm aliquo in re fundamento, atque extra intellectum ſeu mentem poſito. Talis videtur eſſe diſtinctio Intellectus & Voluntatis in mente humana, quorum quippè ſunt diverſi conceptus, diverſumque fundamentum, nempe utriusque diverſæ operationes, intellectio ſcilicet, & volitio.

Hæc autem diſtinctio, quæ, quatenus eſt in mente, rationis ratiocinatæ appellatur, cùm in ipſa re ſpectatur, *virtualis* nominatur: res enim, quæ per ſe una eſt & ſimplex, pluribus diſtinctis æquivalet, nobisque diſtinguendi rationem ac fundamentum ſubminiſtrat, propter varios ejus effectus, ac ſummam naturæ ipſius præſtantiam, & excellentiam. Sic mens humana pluribus virtutibus ſeu facultatibus æquivalet, intellectui ſcilicet, & voluntati; nam intelligit, & vult, diverſique ſunt illius effectus ſeu operationes, dum intelligit, & dum vult.

Eadem rationis ratiocinatæ diſtinctio ſumi poteſt vel adæquatè vel inadæquatè: ſi

(*s*) Relationes divinas inter ſe opponi ac diſtingui nemo Catholicus negat. (*t*) Vide etiam ea, quæ de Diſtinctione diſſeruimus in Metaphyſica noſtra part. 1. cap. 2. (*u*) A Dunz Scoto S. Franciſci Alumno ſic dicta, quòd primus illam in Scholas invexerit. Eam non multùm a virtuali diſtinctione differre diximus in Metaphyſica noſtra loc. cit.

ſi ſumatur adæquatè, realis eſt ſimul & mentalis, realis quidem ſecundùm fundamentum, mentalis verò ſecundùm actum; unde ea, quæ diſtinguuntur ratione ratiocinata, diſtinguuntur fundamentaliter ante operationem intellectûs; actu verò per ſolam intellectus ſeu mentis operationem. Si verò inadæquatè ſumatur, eſt vel realis tantùm, vel mentalis tantùm. Efficit quidem, ut etiam ex parte objecti unum ab alio præſcindatur, ſeu ſine eo concipiatur; ſic virtus productiva caloris concipitur in ſole ſine virtute productiva lucis; ſed tamen non efficit, ut unum excludat aliud, ſicut genus excludit differentiam, & viciſſim differentia genus: hinc concluditur, quòd ea, quæ inter ſe ratione ratiocinata diſtinguuntur, ſe ſe invicem includant implicitè & confusè, quamvis explicitè & diſtinctè ſe ſe non includant.

28 Gualterus ſeu Walterus quidam olim docuit (*x*), attributa divina inter ſe & ab Eſſentia diſtingui realiter.

Gregorius Palamas Schismaticus Græcus primùm Monachus, tùm Epiſcopus Theſſalonicenſis, Andronico Juniore imperante, diſtinctionem realem admiſit inter eſſentiam Dei & ejus operationes ſive internas & immanentes, quibus divinæ perſonæ producuntur, ſive externas, quibus Deus extra ſe creando, conſervando, &c. operatur: contendebat nihilominùs operationes illas non eſſe quid creatum, ſed aliquid medium inter Deum & creaturam, quod ipſis creaturis in earum productione communicatur. Errorem hunc amplexi ſunt Græci Schismatici in Synodo Conſtantinopolitana, quam ipſi nonam Oecumenicam appellant, atque Barlaamo Monacho, ejusque diſcipulo Acindymo, anathema dixerunt, quòd contrarium docuiſſent.

De Gilberti Porretani Epiſcopi Pictavienſis Sæculô 12mô errore circa diſtinctionem divinorum attributorum controverſia eſt inter Theologos. Alii cenſent, eum docuiſſe diſtinctionem realem non ſolùm inter eſſentiam & perſonalitates divinas, ſed etiam inter attributa & eſſentiam. Alii verò contendunt eum realiter tantùm diſtinxiſſe eſſentiam divinam à perſonalitatibus. Utut ſit ejus errores Sæculô 12mô damnati ſunt, primùm in Concilio Pariſienſi (*y*), deinde in Concilio Remenſi (*z*), Præſide Eugenio III. & cui præter Cardinales interſuêre plurimi Epiſcopi & Abbates, ipſeque S. Bernardus Abbas Clarevallenſis acerrimus Gilberti adverſarius. Concilii definitioni acquievit Gilbertus, quare cum ejus perſona benigniùs actum eſt. 29

At contra Eunomius, cæterique Ariani omnem diſtinctionem etiam mentalem ſeu rationis inter eſſentiam divinam illiusque proprietates ſeu attributa ſive abſoluta ſive relativa negabant, tuebanturque omnia divina nomina idem, & eodem planè modo ſignificare, divinam ſcilicet naturam. Unde contendebant, eſſentiam divinam, juſtitiam, miſericordiam, &c. non differre inter ſe niſi ſecundùm nomen. Contra hos omnes proinde ponitur 30

Concluſio I. 31

Inter attributa divina tùm abſoluta tùm relativa ad eſſentiam comparata, & abſoluta invicem, nulla omninò eſt realis, ſeu entitativa, ſeu modalis diſtinctio.

Prob. 1mo. Ex S. Scriptura. Quia inter illa nulla diſtinctio realis actualis, ſive entitativa, ſive modalis intercedit, quæ de ſe invicem in abſtracto prædicantur. Atqui eſſentia divina & attributa

(*x*) Aug. Niphus 12. Metaph. diſput. 13. c. 3. (*y*) An. 1147. (*z*) 1148.

de ſe invicem in abſtracto prædicantur. Joan. 14. v. 6. Chriſtus de ſe ipſo ait : *Ego ſum via , veritas , & vita.* Prov. 8. v. 12. *Ego ſapientia habito in conſilio.* 1. Corinth. 1. v. 24. *Prædicamus Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam.* In quibus locis Deus non tantum vivens , ſapiens , & verus in concreto dicitur ; ſed vita , ſapientia , & veritas in abſtracto.

Prob. 2do. Ex Conciliis Lateranenſi IV. generali (*a*) cap. 1. & 2. definiente , eſſentiam , ſeu ſubſtantiam & naturam divinam eſſe omninò ſimplicem. Atqui talis certè non eſſet , ſi attributa divina tum abſoluta , tum relativa ab eſſentia divina, & abſoluta inter ſe diſtinguerentur realiter, nam componerentur ex multis realiter diſtinctis. Ergo &c.

Ex Concilio Remenſi (*b*) in Symbolo contra errores Gilberti Art. 1. ubi dicitur : *Credimus , & confitemur ſimplicem naturam divinitatis eſſe Deum ; nec aliquo ſenſu Catholico poſſe negari , quòd divinitas ſit Deus, & Deus divinitas.* Et Eugenius III. Concilii Præſes , prohibet , ne aliqua ratio Theologica inter naturam , & perſonam dividat. Ergo &c.

Prob. 3tio. Ex SS. Patribus. Pro omnibus ſit S. Auguſtinus , qui lib. 5. de Trinitate , cap. 5. ait : *Bonitas , atque juſtitia , nunquid inter ſe in natura Dei ſicut in ejus operibus diſtant , tanquam duæ diverſæ ſint qualitates Dei , una bonitas , alia juſtitia ? non utique : ſed quæ ejus juſtitia ipſa bonitas , & quæ bonitas ipſa beatitudo.* Et cap. 6. *Sua eſt ipſe ſapientia ; quia non eſt aliud ſapientia ejus , aliud eſſentia , cui hoc eſt eſſe quod ſapientem eſſe.* Quibus verbis manifeſtè excludit omnem diſtinctionem realem actualem inter attributa. Ibid. num. 11. ait : *Non aliud eſt Deum eſſe , aliud perſonam eſſe , ſed omninò idem &c.* Ergo ex mente S. Doctoris iſtius attributa relativa neque ab eſſentia realiter diſtinguuntur.

Prob. 4tò. Ex hoc Axiomate Theologico. *In divinis omnia ſunt unum , ubi non obviat relationis oppoſitio.* Atqui attributa divina ſive abſoluta ſive relativa cum eſſentia divina non habent relationis oppoſitionem , nec attributa abſoluta inter ſe , quippe quæ in Deo reperiri nequit niſi inter ea , quorum unum realiter ab alio procedit. Ergo &c.

Prob. 5to duplici ratione Theologica : 1mo. Deus ſimpliciſſimus eſt, & quidem maximâ , quæ poteſt excogitari , ſimplicitate ; Ergo realem actualem & modalem excludit à ſe diſtinctionem , ex qua compoſitio quædam Deo accederet. Nam compoſitio eſt diſtinctorum unio. *Tam non eſt ſimplex* , arguebat S. Bernardus Gilbertum impugnans (*c*) , *quod vel uni fuerit obnoxium formæ , quàm nec virgo , vel uni cognita viro.* 2do. Eſſentia ſeu natura divina eſt perfectiſſima , ita ut nihil eâ perfectius excogitari poſſit. Ergo ſe ipsâ , ſeu per ſuam entitatem eſt omnis perfectio ſimpliciter ſimplex : nam melius ac perfectius eſt per ſe ipſum ſolum eſſe omnem perfectionem , quàm indigere perfici per aliquid à ſe realiter diſtinctum. Hinc S. Bernardus ait (*d*) : *verò judiciô natura ſimplex multiplici antefertur.* Ergo entitas naturæ divinæ eſt entitas cujuslibet perfectionis. Ergo perfectiones divinæ ſive abſolutæ ſive relativæ ab eſſentia divina, abſolutæ verò minimè realiter inter ſe diſtinguuntur.

CONCLUSIO II. 32

Inter attributa divina tùm abſoluta , tùm relativa ad eſſentiam comparata , & abſoluta ad ſe invicem datur diſtinctio ſaltem rationis. Concluſio omninò conſtat.

(*a*) An. 1215. (*b*) An. 1148. (*c*) Lib. 5. de Conſid. c. 7. (*d*) Loc. cit.

Digitized by Google

ſtat. Nam Eunomii opinio ei oppoſita à Patribus, & ab Eccleſia ſemper rejecta eſt ac damnata.

Prob. 1mo. Quia Scriptura, Patres, & Concilia loquuntur de attributis, & eſſentia Dei tanquam de multis. Ergo ſunt multa in aliquo ſenſu: non in ſenſu reali ſeu ſecundùm entitatem, ut probatum eſt: ergo in ſenſu formali ſeu præciſivo, ſive ſecundùm noſtrum concipiendi modum duntaxat. Nam ubi eſt multitudo, ibi eſt ejusdem rationis diſtinctio. Prob. ant. Joan. cap. 16. *Omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt*, inquit Chriſtus. Rom. cap. 1. *Inviſibilia ipſius per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus & divinitas.*

S. Baſilius lib. 1. contra Eunomium. *Quî enim ridiculum non eſt*, inquit, *ſi quis creandi virtutem, ipſam eſſe dicat eſſentiam, aut providentiam rurſus eſſentiam.*

Concilium Florentinum, in definitione, *Omnia quæ patris ſunt*, ait, *pater ipſe unigenito filio ſuo gignendo dedit, præter eſſe Patrem.*

Prob. 2do. Ratione. Quia illa diſtinguuntur ratione ſaltem, quæ habent diverſos conceptus. Atqui attributa, & eſſentia divina, & attributa abſoluta diverſos habent inter ſe conceptus. Ergo ratione ſaltem diſtinguuntur. Prob. min. inductione. Nam eſſentia divina ſtrictè ſumpta eſt deitas conſiderata præcisè ut eſt ens à ſe, ſive ut habens pleniſſimam ſufficientiam, & neceſſitatem abſolutam ad exiſtendum independenter ab ulla cauſa: juſtitia eſt deitas ſpectata præcisè ut principium punitionum debitarum: miſericordia eſt deitas ſpectata præcisè ut principium miſerationum: intellectus divinus eſt deitas conſiderata præcisè ut eſt facultas intelligendi: voluntas divina eſt deitas concepta præcisè ut eſt facultas volendi, &c. Sed hi conceptus ſunt inter ſe diverſi: nam cum deitate repræſentant diverſa attributa ſeu connotata, ſive repræſentant entitatem divinam relatè ad diverſa connotata, nempe ad diverſos effectus, quos præſtare poteſt, vel ad diverſa entia, quibus æquivalet & ſupereminet.

CONCLUSIO III. 33

Diſtinctio rationis, qua attributa ab Eſſentia divina, & attributa abſoluta inter ſe diſtinguuntur eſt ſaltem rationis ratiocinatæ. Conſtat. Nam 1mo ſacra Scriptura, Patres & Concilia loquuntur de illis tanquam de multis, ut probatum eſt. Atqui ea non dicuntur multa ſimpliciter, quæ talia non ſunt cum fundamento in re, ſeu ex ratione ratiocinata. Item aliquid affirmant de uno attributo, quod negant de alio; nihil autem rectè affirmatur aut negatur ſine fundamento.

2do. Quia eſſentia & attributa divina tum abſoluta tum relativa ſunt ipſa entitas divina in omni genere infinitè perfecta, quæ proindè licèt in ſe ſimpliciſſima æquivalet imò ſupereminet innumeris entibus & perfectionibus realiter inter ſe diſtinctis in ordine ad innumeros effectus præſtandos; quæ æquivalentia eſt ſanè menti ſufficiens fundamentum, illam diverſis & inadæquatis conceptibus repræſentandi.

Diximus attributa divina tum ab eſſentia, tum, ſi abſoluta ſint, inter ſe diſtingui *ſaltem ratione ratiocinata* propter Scotiſtas, qui, poſt Magiſtrum ſuum Scotum, volunt, ea diſtingui formaliter ex natura rei. Cùm enim ea duntaxat toto Theologiæ noſtræ decurſu propugnare nobis propoſuerimus, quæ circa quæſtiones in eadem occurrentes Eccleſia definire viſa eſt, nec inveniamus eam quidquam decreviſſe circà Controverſiam illam inter Catholicos Theologos de diſtinctione attributorum divinorum tùm ab eſſentia divina tùm inter ſe agitatam, utrùm ſcilicet eſſentia & attributa divina tùm abſoluta, tùm relativa, & 34

abſoluta inter ſe diſtinguantur vel formaliter ex natura rei, ut volunt Scotiſtæ; vel ratione ratiocinata, ut docent alii: Hinc nec nos circa eam quidquam decernimus cuique relinquentes libertatem, eam, quam maluerit, ſeligendi opinionem. Sufficit nobis oſtendiſſe aliquam hîc intercedere diſtinctionem, eamque rationis duntaxat ratiocinatæ ſaltem.

35 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. Contra 1mam Concluſionem. Attributa divina ſunt multa etiam independenter ab intellectu ſeu mente. Ergo diſtinguuntur inter ſe realiter.

Reſp. diſt. ant. Sunt multa virtualiter conc. Realiter, & entitativè, neg. ant. Attributa divina etiam independenter à mentis conceptu ſunt multa virtualiter, & æquivalenter, quia ſunt entitas divina, quæ licèt in ſe ſimpliciſſima, æquivalet multis realiter diſtinctis in ordine ad diverſos effectus præſtandos, & agendum inadæquatè, atque ad terminandos diverſos conceptus: nam poteſt plures effectus producere perinde ac ſi eſſet multa entia realiter diſtincta, & propter ſuam illam æquivalentiam præbet intellectui noſtro fundamentum eam diverſis, & inadæquatis conceptibus repræſentandi. At divina attributa non ſunt multa realiter, & entitativè: nam ſunt una eademque entitas divina ſimpliciſſima, quæ relatè ad diverſa quæ præſtare poteſt, & relatè ad diverſos conceptus, quibus inadæquatè repræſentatur, multis ac variis nominibus appellatur.

36 Ob. 2do. Juſtitia divina non eſt miſericordia, nec intellectus divinus eſt voluntas Dei. Ergo &c.

Reſp. diſt. ant. In ſenſu formali & præciſivo (*e*), conc. In ſenſu reali, neg. ant. Res ſumpta in ſenſu formali & præciſivo eſt res ſpectata prout repræſentatur inadæquatè à mente noſtra relatè ad diverſa connotata, nempe relatè ad diverſos effectus, quos producere poteſt, vel ad diverſa entia, quibus æquivalet. Res ſumpta in ſenſu reali eſt res ſpectata duntaxat ſecundùm ſuam entitatem, ſeu prout eſt in ſe abſolutè & independenter à conceptibus noſtris ac connotatis ſeu attributis. Eſſentia autem divina & attributa non ſunt idem in ſenſu formali (*f*): nam multis & inadæquatis conceptibus repræſentantur in ordine ad diverſa, quæ producere poteſt, vel quibus æquivalet eadem entitas divina. At hæc omnia ſunt idem realiter ac ſecundùm entitatem, quia ſunt una eademque entitas divina ſimpliciſſima. Nam eſſentia divina ſtrictè ſumpta eſt entitas divina ſpectata ſecundùm noſtrum primum Dei conceptum, ex quo alii conceptus inferuntur: omnipotentia divina eſt entitas divina ſpectata quatenùs poteſt facere id omne, quod non repugnat: juſtitia eſt entitas divina ſpectata præciſè ut eſt principium punitionum: miſericordia eſt eadem entitas divina, quatenus eſt principium miſerationum: ſapientia eſt entitas divina quatenus cognoſcens omnia, &c. Unde eſſentia & attributa dicunt eandem entitatem ſimplicem, & diverſos conceptus & connotata diverſa: Ideoque non diſtinguuntur niſi penes conceptus, & connotata, ſed cum fundamento in re.

Ob. 3tio. Illa diſtinguuntur realiter, 37
quibus conveniunt prædicata contradictoria. Sed attributis divinis inter ſe & eſſentiæ conveniunt prædicata contradictoria: Ergo illa inter ſe diſtinguuntur realiter.

Reſp. neg. min. Nam prædicata verè contradictoria ſunt ea, quæ in eodem ſenſu, & ſub eodem reſpectu negantur & affirman-

(*e*) Id eſt, virtuali. (*f*) Id eſt, virtuali.

Digitized by Google

affirmantur de eodem. At nihil affirmari & negari poteſt in eodem ſenſu, & ſub eodem reſpectu, ſeu ſub eadem conſideratione de divina entitate & ejus attributis. Nec unum attributum verè negatur de alio ſub eodem reſpectu & independenter à conceptibus rem eandem inadæquatè repræſentantibus. Sic cùm dicitur: intellectus generat, voluntas non generat, hæc non ſunt prædicata verè contradictoria; quia idem de eodem affirmatur ſub uno reſpectu, & negatur ſub alio; ſenſus enim eſt, entitas divina, quæ æquivalet duabus entitatibus realiter diſtinctis, quarum una eſſet facultas intelligendi tantùm, & altera facultas volendi tantùm, generat præcisè quatenus eſt facultas intelligendi, non quatenus eſt facultas volendi, in quo nulla eſt contradictio: nam contradictio eſt affirmatio, & negatio ejuſdem de eodem ſecundùm idem.

Inſt. Deus intuitivè & abſque omni præciſione ſe comprehendens, videt ſe generare per intellectum, non per voluntatem. Ergo diſtinguuntur realiter.

Reſp. Diſt. ant. Deus videt ſe generare per intellectum non ut realiter diſtinctum à voluntate divina, conc. ut realiter diſtinctum, neg. ant. Deus videt ſuum intellectum, & ſuam voluntatem eſſe eamdem entitatem; ſed videt, ſe generare per intellectum ut virtualiter diſtinctum à voluntate divina. Nam ſe ipſum intuitivè comprehendens videt omnem ſuæ entitatis æquivalentiam abſque ulla præciſione, & ſic videt intellectum ſuum ut diſtinctum virtualiter à ſua voluntate, quatenus videt, ſuam entitatem æquivalere, imò præſtare pluribus entitatibus, quarum una eſt vis intelligendi tantùm, & altera vis volendi tantùm, & poſſe aliquid, ut eſt vis intelligendi, quod non poteſt, ut eſt vis volendi: ac viciſſim poſſe aliquid, ut eſt vis volendi, quod nòn poteſt, ut eſt præcisè vis intelligendi. Simul tamen ſemper Deus videt eamdem eſſe intellectûs & voluntatis entitatem, ſed virtualiter multiplicem.

38 Ob. 4to. Si attributa divina non diſtinguantur realiter inter ſe, & ab eſſentia divina, eadem entitas divina punit, & miſeretur, vult & intelligit. Falſum conſeq. Ergo &c.

Reſp. neg. min. Semota omni præciſione, ſeu conceptu inadæquato noſtri intellectus, eadem planè entitas in Deo punit, & miſeretur, intelligit & vult, cùm natura divina ſit entitas ſimpliciſſima. Unde falſum eſt, quòd filius non generetur per illam entitatem, quæ eſt realiter voluntas.

39 Ob. 5to contra Concluſionem 2dam. Concilium Remenſe ſub Eugenio III. contra Gilbertum Porretanum ait: *In Theologia inter eſſentiam & perſonam ratio non diſtinguat.* Ergo nec attributa diſtinguuntur inter ſe ratione.

Reſp. neg. conſ. Nam his verbis ſolum damnatur realis inter eſſentiam & perſonam diſtinctio, quam admittebat Gilbertus Porretanus. Is enim, teſte Othone Friſingenſi, in relatione Concilii Remenſis, & S. Bernardô, docebat, duplicem eſſe rationem, unam Mathematicam, & alteram Theologicam; rationem Mathematicam eam eſſe, quæ per mentem diſtinguit ea, quæ non ſunt in re diſtincta; Theologicâ verò eam eſſe, quæ non diſtinguit niſi ea, quæ ſunt in re diſtincta; eſſentiam autem & perſonam in divinis diſtingui ſecundùm rationem Theologicam, hoc eſt, realiter. Hanc diſtinctionem realem Concilium Remenſe rejicit ipſis verbis, quæ adhibebat Gilbertus Porretanus.

40 Ob. 6to. Si attributa divina diſtinguerentur ratione, conciperentur ut multa: ideoque malè, & falsò conciperentur. Ergo &c.

Reſp. Diſt. ant. conciperentur ut multa virtualiter, conc. ut multa realiter, neg.

Digitized by Google

neg. ant. Attributa divina non poſſunt quidem concipi eſſe multa realiter, ſeu eſſe aggregatum ex multis realiter diſtinctis, cùm ſint in ſe unum quid realiter ſimpliciſſimum, nempè ipſa entitas divina. At poſſunt multis & inadæquatis conceptibus repræſentari ſecundùm multas æquivalentias ipſius divinæ entitatis, ſive ratione diverſorum connotatorum, propter eminentiam entitatis divinæ virtualiter multiplicis & æquivalentis innumeris entitatibus in ordine ad diverſa præſtanda, & conceptus terminandos.

41 Ob. 7mo. Entitas divina, utpotè ſimpliciſſima, ſemper tota cognoſcitur. Ergo non poteſt repræſentari inadæquatè, nec proinde diſtingui ratione.

Reſp. neg. conſ. Quamvis entitas divina, utpotè ſimpliciſſima ac indiviſibilis, ſemper tota cognoſcatur, non tamen ſemper cognoſcitur totaliter, id eſt, omni, quo poteſt cognoſci, modô, & relatè ad omnia connotata, quibuscum repræſentari poteſt, nempè relatè ad omnes effectus, quos producere poteſt, & ad omnes entitates ac perfectiones realiter diſtinctas, quibus æquivalet, ac ſupereminet. Unde entitas divina ſimpliciſſima, ſed virtualiter multiplex, poteſt cognoſci ut æquivalens uni entitati, nec tamen cognoſci ut æquivalens alteri entitati diſtinctæ, & diverſæ: ideoque cognoſci poteſt diverſis & inadæquatis ſeu præſcindentibus conceptibus. Præſcindere enim eſt rem inadæquatè concipere, id eſt, rem quidem totam repræſentari, ſed non omni, quo poteſt, modô repræſentari, nec ſecundùm omnes ſuas æquivalentias. Undè præciſio eſt inadæquatus conceptus rei alicujus, id eſt, conceptus, quo res quidem tota repræſentatur, ſed non omni modô, quo poteſt repræſentari, nec ſecundùm omnes ſuas æquivalentias, ſive connotata. Res autem non repræſentatur omni modô, quo repræſentari poteſt, quando non repræſentatur cum omnibus effectibus, quos producere poteſt, & entitatibus realiter diſtinctis, quibus æquivalet.

CAPUT III. 42

De Attributis Divinis abſolutis ſingillatim.

Attributa divina generatim dividuntur in negativa, & poſitiva ſeu affirmativa. Attributa negativa vocantur ea, quæ à Deo removent imperfectiones, ut *infinitas*, *immutabilitas*. Inter hæc attributa verò alia expresſè & vi termini negativa ſunt, ut mox dicta *infinitas* & *immutabilitas*; alia verò non ita expresſè, quæ terminis poſitivis ſeu affirmativis enuntiantur quidem, attamen in ſuo conceptu negationem involvunt, ſine qua concipi à nobis non poſſunt, qualis eſt, v. g. *ſimplicitas*, id eſt, cujuscumque compoſitionis negatio. Attributa affirmativa dicuntur ea, quæ per viam affirmationis, ſeu terminis affirmativis de Deo prædicantur, v.g. *bonitas, juſtitia &c.*

Diviſionem hanc in decurſu hujus partis ſequemur, ac primùm de negativis, tum de affirmativis Dei attributis ſingulis Paragraphis diſſeremus. (*g*)

§. I.

De ſimplicitate Dei. 43

Inter negativa Dei attributa primum haud dubiè locum obtinet divina ſimplicitas, undè & de ea primò agimus.

(*h*) Sim-

(*g*) Poſſunt circa Attributa divina etiam legi ea, quæ de iis in Metaphyſica noſtra part. 2. cap. 1. §. 3. & ſeq. diſſeruimus.

Digitized by Google

(*h*) Simplicitas compoſitionem excludit, ſicut unitas multitudinem. Compoſitio eſt *diſtinctorum unio:* ut igitur diſtinctio, alia eſt realis, & alia rationis ſeu virtualis; ita & compoſitio. Alia quippe eſt realis ſeu phyſica, quæ fit vel ex materia & forma, corpore & anima, vel partibus quantitativis aut integrantibus; vel ex ſubjecto & accidente ſeu modo. Alia eſt metaphyſica ſeu rationis, quæ fit ex actu & potentia, eſſentia & exiſtentia, natura & perſonalitate. Alia denique logica, ex genere & differentia. Compoſitio ſive Metaphyſica, ſive Logica, rationis ſeu virtualis duntaxat nuncupatur.

44 Simplicitatem Dei oppugnavêre. 1mo. Pagani ac Idololatræ omnes, qui res corporeas pro diis habebant, & colebant. 2do. Ex Philoſophis ii, qui putabant, Deus vel univerſam eſſe ſubſtantiam ſeu materiam, ex qua res quælibet conſtat, vel univerſalem mundi animam: quod figmentum ævô noſtrô renovavit impius Spinoſa ex Judæo Amſtelodamenſi Atheus (*i*) Docuit ille, plures in rerum natura eſſe non poſſe ejuſdem naturæ ſeu attributi ſubſtantias; ſed unam duntaxat eſſe univerſalem, quæ Deus eſt, cui extenſio, cogitatio, cæteraque divina attributa velut affectiones, ſeu modificationes conveniunt. 3tio. Ex Judæis, Saducæi, qui omnem Spiritum excludebant. 4to. Ex Chriſtianis nonnulli craſſiores, Antropomorphitæ dicti (*k*), quòd Deo ſpeciem humanam, corpus & membra affingerent. Hunc errorem S. Auguſtinus (*l*) attribuit etiam Audianis ſic dictis ab Audio viro pio, at non ſatis acuto. (*m*) In eundem errorem abiiſſe & Tertullianum, & Melitonem Sardenſem, & S. Epiphanium nonnulli opinantur, ſed prorsùs immeritò. S. Thomas refert (*n*), Davidem quemdam *de Dinando* docuiſſe, Deum eſſe materiam primam.

Abbas Joachim inſulsè omninò ſcripſit, tres perſonas divinas Deum unum eſſe, quomodò tres homines dicuntur unus homo propter naturam communem, ſed differentiis ſingularibus realiter diſtinctam, unde realis compoſitio quaſi ſpontè naſcitur. Error hic proſcriptus fuit in Concilio Lateranenſi IV. Cap. *Firmiter.*

Vorſtius Calviniſta negat pariter, Deum ſimplicem eſſe, ac omnis compoſitionis expertem: 1mò quia ſunt in Deo tres perſonæ realiter; at cum tali diſtinctione ſtare non poteſt ſimplicitas; 2dò quia ſunt in Deo multa accidentia, libera ſcilicet Dei decreta; ergo datur in Deo aliqua compoſitio ex ſubjecto & accidente. Sic ille ratiocinatur. Adversùs eos ſit

CONCLUSIO I. 45

Deus ſimplex eſt Spiritus omnis prorsùs realis & phyſicæ compoſitionis expers; ſive ex materia & forma, anima & corpore; ſive ex partibus quantitativis aut integrantibus; ſive ex ſubjecto & accidente.

Prob. 1mo ex S. Scriptura qua docemur 1mo. Deum eſſe Spiritum: *Spiritus eſt Deus*, ait Chriſtus Joan. 4. v. 24. *& eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare.* Luc. 24. v. 39. *Spiritus carnem & oſſa non habet.* Ergo Deus, qui Spiritus eſt, nec carnem habet, nec oſſa, nec corpus, aut membra, ſeu partes quantitativas aut integrantes. Docemur 2do Deo ea tribui, quæ non in corpus & materiam, ſed in ſolum Spiritum cadere poſſunt. Nam 1mo locô includi

(*h*) Vid. inf. Exercit. IV. n. 74. (*i*) Poſt medium præteriti Seculi. (*k*) Circa an. Chr. 400. (*l*) *Lib. de Hæreſ. hæreſ.* 50. (*m*) Circa an. Chr. 427. (*n*) *Lib.* 1. *cont. Gent.* c. 17.

includi ac coarctari non poteſt, ſicut corpus, Jerem. 23. v. 24. *Cœlum & terram impleo.* 3. Reg. c. 8. v. 27. *Si cœlum & cœli cœlorum te capere non poſſunt, quantò magis domus hæc, quam ædificavi?* 2do mutationi obnoxius non eſt, ſicut corpora, *Ego Dominus, & non mutor.* Malach. 3. v. 6. 3tio immortalis eſt ac inviſibilis, 1. ad Tim. 1. v. 17. *Regi ſæculorum immortali & inviſibili.* 4to nullis lineamentis nullave imagine poteſt delineari, Iſai. 40. v. 18. *Cui ergo ſimilem feciſtis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?* Item Act. 17. v. 29. *Non debemus exiſtimare*, ait S. Paulus, *ſculpturæ artis, & cogitationis hominis divinum eſſe ſimile.* Ergo &c.

Prob. 2do. Ex Concilio Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. annô 1215. cap. 1. ubi definit tres perſonas divinas eſſe *unam eſſentiam, ſubſtantiam, ſeu naturam ſimplicem omninò.*

Prob. 3tio. Ex SS. Patribus. *Prob miſera incredulitas, quæ Deo denegat proprietates ſuas, ſimplicitatem & poteſtatem!* exclamat Tertullianus.

Ex corporum imperfectionibus S. Gregorius Nazianzenus Orat. 34. concludit, Deum ex corpore vel ulla materia compoſitum non eſſe. *Compoſitio*, inquit, *pugnæ initium eſt; pugna autem diſſidii; diſſidium ſolutionis; ſolutio porro nullo modo in Deum ac primam illam naturam cadit. Quocirca nullum diſſidium admittendum eſt, ne ſolutio conſequatur; nec pugna, ne diſſidium oriatur; nec compoſitio, ne pugna exiſtat: ac proinde nec corpus quidem eſt, ne aliquid compoſitum quidem eum eſſe neceſſe ſit.*

Cogitatio turpiter vana eſt, ait S. Auguſtinus (o), *quæ opinatur, Deum membrorum corporalium lineamentis circumſcribi atque finiri.* Item (p), *Quæ habet* (Deus) *hæc & eſt, & ea omnia unus eſt.* Et S. Bernardus (q), *Non eſt compoſitus Deus*, inquit, *merum ſimplex eſt.* Ergo &c. &c.

Prob. 4to. Rationibus Patrum. S. Gregorius Nazianzenus Orat. 4. & 30. ſic argumentatur: 1mo. Deus eſt infinitus, ergo non eſt corpus, quippe nullum corpus poteſt eſſe infinitum; nam infinitum caret figurâ, cum ſit interminatum, corpus autem neceſſariò habet aliquam figuram.

2do. (r) Quod eſt immenſum, non poteſt eſſe corpus; ſi enim daretur aliquod corpus immenſum, repleret omnia loca, ac proinde nullum aliud corpus, præter illud immenſum, eſſe poſſet in orbe. Atqui, ut inferiùs probabitur Deus eſt immenſus. Ergo &c.

3tio. Deus eſt æternus tùm à parte ante, tum à parte poſt, ſeu caret initio & fine. Sed id falſum eſſet, ſi conſtaret ex materia & forma; haberet enim partes quantitativas: omne verò quantum habet initium, & poteſt habere finem, nimirùm poteſt diſſolvi in partes, ex quibus conſtat, proinde obnoxium eſt corruptioni & fini.

4to. Deus eſt ens perfectiſſimum, quo nihil melius eſt, aut cogitari poteſt. Ergo non eſt ens compoſitum: enimverò longe perfectius eſt omnes perfectiones habere in ſe in una ſimplici entitate, quàm in pluribus diſtinctis, atque ens ſimplex, quod aliorùm omnium perfectiones eminenter continet, majus eſt ac præſtantius compoſitô, prout ratiocinatur S. Auguſtinus.

Prætereà omnis compoſitio Phyſica imperfectionem involvit. 1mo. In compoſito ex materia & forma, materia eſt formâ imper-

(o) *Lib. 12. de Trinit. cap. 7.* (p) *Lib. 11. de Civit. cap. 10.* (q) Lib. 5. de Confid. c. 7. (r) *S. Aug. lib. 9. confeſſ. cap. 7.*

imperfectior, à quâ perficitur: ſed in Deo nihil eſt alio perfectius. Materia indifferens eſt, & quaſi potentia paſſiva ad plures formas: atqui nihil tale in Deo cogitari poteſt, qui totus eſt actus, totus ſpiritus. In omni compoſito ex materia & forma, materia poteſt dividi à forma & ſeparari: at Deus indiviſibilis eſt & impaſſibilis.

2do. In compoſito ex corpore & anima corpus certis limitibus eſt circumſcriptum, nec poteſt eſſe infinitum & immenſum, prout jam animadvertimus. (s) Atqui &c. Ergo &c. Corpus moveri poteſt, vel motu locali tranſeundo ab uno loco ad alium, vel motu alterationis recipiendo novum aliquod accidens, quo minuatur vel augeatur. At iſtud cadere in Deum non poteſt. Denique corpus ſuas in partes dividi ac ſeparari poteſt. Atqui non ita Deus, qui totus eſt quod eſt.

3tio. Compoſitum ex partibus, ſive quantitativis, ſive integralibus, in eo maximè deficit ac eſt imperfectum, quòd pars una dividi ac ſeparari poſſit ab altera; quòd quælibet ſit ens incompletum alterationi & mutationi obnoxium. Atqui hæc Deo repugnant.

4to. In compoſito ex ſubjecto & accidente, ſubjectum ſe habet per modum potentiæ ad actum, reſpectu accidentis, quod recipit. At in Deo, qui totus eſt in actu puriſſimo, nulla eſt potentia paſſiva. Deinde *accidens*, ait S. Aug. lib. 5. de Trinit. cap. 9. *non ſolet dici, niſi quod aliqua mutatione ejus rei, cui accidit, amitti poteſt: nihil itaque accidens in Deo, quia nihil mutabile aut amiſſibile.* Denique in ente perfectiſſimo, qualis eſt Deus, nullum fingi poteſt accidens ſuperadditum, quo perficiatur, multòminùs quo reddatur imperfectius. Ita S. Aug. lib. 15. de Trinit. c. 8.

CONCLUSIO II. 46

Nulla eſt in Deo admittenda compoſitio ſive Metaphyſica ex actu & potentia, eſſentia & exiſtentia, natura & perſonalitate; ſive Logica ex genere & differentia.

1mo. Nulla eſt compoſitio ex actu & potentia, quia Deus eſt actus puriſſimus, nihilque in ipſo concipi poteſt, quod rationem habeat potentiæ paſſivæ, cui aliquit adveniat, à quo perficiatur: ſiquidem ex ſe ſe perfectiſſimus eſt, quo nihil perfectius & melius cogitari poteſt.

2do. Nulla quoque in Deo fingi poteſt compoſitio ex eſſentia & exiſtentia: quia compoſitio fit ex diſtinctis. Atqui eſſentia & exiſtentia in Deo ne quidem virtualiter ac per mentem diſtinguuntur, cùm impoſſibile ſit cogitare Deum, & non cogitare exiſtentem. *Ego ſum qui ſum*, id eſt, *qui exiſto.*

3tio. Unde etiam nulla pariter admittenda eſt compoſitio ex natura & perſonalitate; quia in Deo non diſtinguitur perſonalitas à natura, ſicut diſtinguitur in homine.

4to. Denique, nulla eſt in Deo compoſitio Logica ex genere ac differentia. Prob. 1mo auctoritate Patrum. S. Clemens Alexandrinus lib. 5. Strom. *Quemadmodum*, inquit, *dici potuerit, quod neque eſt genus, neque differentia, neque ſpecies, neque individuum, neque numerus?*

S. Cyrillus Alexandrinus, Dial. 2. de Trinit. *A recta*, inquit, *ratione longè alieniſſimum eſt, genus de Deo nominare; cùm nulla res ſit cum ipſo, aut ante ipſum.*

Id ipſum aſſerebat Evagrius Monachus apud Socratem lib. 3. Hiſt. c. 7.

Boëtius lib. de Trinit. & Unit. Dei poſtquam decem Logicæ prædicamenta

 recen-

(s) Arg. 1mò & 2dò.

recenſuit, ait, Deum in iis locum non habere: *Subſtantia*, inquit, *in illo verè non eſt ſubſtantia, ſed ultra ſubſtantiam.*

S. Auguſtinus in libris Confeſſionum veniam à Deo petit, quòd eum olim in prædicamento ſubſtantiæ collocaſſet.

Prob. 2do Ratione Theologica. 1mo. Quia in tali compoſito unum ſe habet per modum actus perficientis, nempe differentia; alterum per modum potentiæ, quæ perficitur, nempe genus. Atqui in Deo, ente perfectiſſimo, nihil eſt per modum potentiæ; ſed totum quod eſt, puriſſimus eſt actus.

2do. Quod conſtat ex genere & differentia, ſpecies eſt. Atqui in Deo nulla fingi poteſt ſpecies, quia ſpecies dicit ordinem ad plura individua numerô diſtincta; repugnat autem plures eſſe Deos numerô diſtinctos.

3tio. Denique, ea ſemper circa res divinas Theologica ſententia eſt præponenda, quæ & de Deo ſentit digniùs, & ad modum loquendi SS. Patrum propiùs accedit. Atqui talis eſt ſententia noſtra, ut ex adductis SS. Patrum textibus liquet. Ergo &c.

47 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo contra 1mam Concluſionem. Homo factus eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei, Geneſ. 1. v. 26. Atqui exemplar debet repræſentari in ſua imagine, ac proinde debet ei eſſe ſimile: Ergo cùm Dei imago, homo ſcilicet, ſit corporea, neceſſe eſt Deum eſſe corporeum.

Reſp. Diſt. ant. Homo factus eſt ad imaginem &c. quoad animam ſeu mentem, conc. ant. quoad corpus neg. ant. Anima ſeu mens in homine quantum ad hoc ſimilis eſt Deo, quòd verum intelligat, & bonum amet, inquit S. Auguſtin. lib. 1. de Doct. Chriſt. Dei imaginem in homine eſſe, ait S. Chryſoſtomus (*t*), ratione dominii, quæ in cæteras creaturas à Deo donatus eſt. Unde poſt hæc verba Geneſ. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, ſtatim addidit Deus, *ut præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli.*

Ob. 2do. Scriptura paſſim humana membra, brachia, aures, oculos, pedes &c. humanosque affectus iræ, furoris, pœnitentiæ &c. Deo tribuit. Ergo &c. 48

Reſp. Diſt. ant. (*u*) Senſu figurato & metaphorico, ut nempe noſtro intelligendi, & loquendi modo ſe accommodet, conc. Senſu vero & proprio, neg. ant. Metaphoricus ergo & figuratus eſt, non verò proprius ille, qui nobis objicitur Scripturæ loquendi modus, quo nempe illæ virtutes & operationes Deo tribuuntur, quas homo per varia ſui corporis membra exercere ſolet; unde quia oculis videmus, virtutem, per quam Deus videt, Scriptura oculos vocat, & ſic de cæteris. Pariter cùm eadem Scriptura humanos affectus iræ, furoris, pœnitentiæ Deo tribuit, intelligendum id eſt ratione effectûs, non affectûs: quia ſcilicet idem facit Deus erga creaturam, cui ſubinfenſus eſt, quod agere ſolent homines, quos operis alicujus pœnitet; illud nempe, quantùm in ipſis eſt, retractando ac deſtruendo, qui tamen ulla animi perturbatione aut commotione afficiatur. Ex omnibus igitur humanis affectibus, qui Deo affingi videntur, removere ſemper oportet omnem maculam, & imperfectionem, quæ humanis affectibus re vera neceſſariò adhæreſcit. Legendus eſt hac de re S. Auguſtinus lib de Geneſ. cont. Manich. cap. 17. lib. cont. Epiſt. fundam. c. 23.

Ob. 3tio.

(*t*) *Hom.* 9. *in Geneſ.* (*u*) Vide dicta in noſtra Philoſophia morali ſeu Ethica c. 5. §. 5.

49 Ob. 3tio. Eſt in Deo unitas eſſentiæ, & trinitas perſonarum, quæ realiter à ſe invicem diſtinguuntur. Ergo eſt compoſitio.

Reſp. neg. conſ. Nam ad veram compoſitionem neceſſaria eſt diſtinctio, & unio (*x*): porro divinæ perſonæ, ea parte, quà in natura ſeu eſſentia uniuntur, non diſtinguuntur; ea verò parte, qua diſtinguuntur (perſonaliter ſcilicet) non uniuntur, ſed relativè ſibi mutuò opponuntur: quomodò igitur aliquam efficere poſſent compoſitionem?

50 Ob. 4to. Aliqua videtur eſſe in Deo compoſitio ex ſubjecto & accidente; quia multa Deo accedunt de novo, ut eſſe Creatorem, Dominum, Judicem, &c. Ergo &c.

Reſp. diſt. ant. Multa de novo Deo accidunt, denominativè, extrinſecè, & objectivè per ordinem ad creaturas, conc. Subjectivè, intrinſecè, & per ordinem ad divinam virtutem, potentiam & voluntatem, neg. ant. Itaque denominationes iſtæ, Domini, Judicis, Creatoris, &c. ſpectantur vel extrinſecè, & objectivè, & per ordinem ad creaturas, quas denotant, & hoc ſenſu non ſunt Deo æternæ, ſed ipſi adveniunt, quando ſcilicet objectum creatum, ad quod referuntur, exiſtit. Ita Deus ab æterno Domini, Creatoris, Judicis titulum ac denominationem non habuit; quia nulla fuit ab æterno creatura, in quam Domini ac Judicis jura & poteſtatem exercuerit. Si verò denominationes illæ attendantur ſubjectivè, intrinſecè, & per ordinem ad divinam potentiam, virtutem, & voluntatem, Deo non adveniunt, cui ſunt eſſentiales: voluntas quippe divina, cùm nova facit, non mutatur, prout ait S. Auguſtinus (*y*), poſt Tertullianum, contra Hermogen. c. 3.

Inſt. In Deo ſunt Decreta libera, & quidem benè multa: multa autem eſſe non poſſunt ratione divinæ ſubſtantiæ, quæ una eſt, & ſimpliciſſima; ergo multa ſunt ratione accidentium, quæ divinæ ſubſtantiæ adveniunt.

Reſp. ut ad object. Sunt in Deo decreta libera terminativè, & objectivè, non verò ſubjectivè, & ratione eſſentiæ. Sed de hoc inferiùs.

Ob. 5to. Tertullianus docuiſſe videtur lib. adv. Praxeam cap. 7. Deum verum habere corpus. 51

Reſp. S. Auguſtinus eum ab hoc errore purgat, lib. de Hæreſ. cap. 86. Sed Tertullianum non curamus, qui & in aliis erraſſe perhibetur, atque hæreticus, & hæreticorum Dux mortuus eſt.

Ob. 6to contra Concluſionem 2dam. Admittitur in Deo diſtinctio virtualis & rationis. Ergo & compoſitio. 52

Reſp. neg. conſ. & paritatem. Diſparitas eſt, quòd diſtinctio virtualis & rationis ſummam Dei perfectionem, cujus una & ſimplex entitas multis diſtinctis æquivalet, hinc arguat; unde tenuitatem mentis noſtræ, quæ unico conceptu omnia, quæ Dei ſunt, attingere non poteſt: compoſitio verò ſemper aliquam includat imperfectionem, nempe potentiam, quæ compleri, ac perfici poteſt.

Ob. 7mo. Eſſentia Dei per mentem cum fundamento in re diſtinguitur ab attributis. Ergo etiam ſic debet ab exiſtentia diſtingui; non enim videtur eſſe potior ratio de uno, quàm de altero. 53

Reſp. conc. ant. neg. conſ. Ratio diſparitatis eſt, quòd eſſentia licèt ſit idem actu cum attributis, virtualiter tamen ab iis diſtinguatur, proindeque fundamentum præbeat menti, ut ab ea concipiatur ſine attributis: at verò eſſentia

 non

(*x*) Compoſitio enim eſt *diſtinctorum unio.* (*y*) *Lib.* 12. *de Civit. c.* 14.

non diſtinguitur virtualiter ab exiſtentia: eam nimirum in ſuo intrinſeco ac eſſentiali conceptu complectitur, ita ut ſi non concipiatur ens actu exiſtens, eſſentia divina minimè concipiatur.

§. II.

54 *De Infinitate Dei.*

Infinitas vi nominis eſt carentia termini & finis. Negativum aliquid ſonat; attamen ſummam, eamque poſitivam arguit in Deo perfectionem.

Quæſtio hìc præcipuè eſt de infinitate eſſentiæ divinæ in omni genere perfectionis; id eſt, utrum eſſentia divina omnes perfectiones in eminentiſſimo gradu contineat. Sit

55 CONCLUSIO.

Deus eſt in omni perfectione infinitus, & illimitatus.

Prob. 1mo. Ex Scriptura, Pſal. 144. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non eſt finis.* Ubi magnitudo in ſenſu proprio & Eccleſiæ ſignificat omnimodam perfectionem. Et Pſalm. 146. *Magnus Dominus noſter, & magna virtus ejus, & ſapientia ejus non eſt numerus.* Ergo Dei ſapientia eſt infinita, ergo & quælibet alia perfectio, cùm eadem ſit omnium perfectionum ratio.

Prob. 2do. Ex Patribus. Pro omnibus ſint S. Hilarius, & S. Damaſcenus. Prior in Pſalm. 44. *Virtus ejus*, inquit, *opinione non clauditur, locis non continetur, nominibus non enuntiatur, temporibus non ſubditur. Arctus ad id ſenſus noſter eſt, ingenium hebes eſt, ſermo mutus eſt. Finem magnificentiæ ipſius neſcit, & aliquam emetiendi ſe opinionem immenſa magnitudo ejus non patitur.*

S. Damaſcenus verò lib. 1. Orthod. fidei cap. 12. hæc de Deo eloquitur: *Univerſum id quod eſt, tanquam immenſum quoddam & infinitum eſſentiæ pelagus ſuo complexu continet.*

Prob. 3tio Ratione. Quia Deus eſt ens perfectiſſimum, quo nihil melius eſt, ac cogitari poteſt. Atqui ſi infinitus non eſſet, cogitari poſſet aliquid meliùs ipſo, & perfectius, nempe infinitum; Ergo &c.

Adde, quòd nulla cauſa excogitari poſſit, per quam ad certam perfectionis ſpeciem vel gradum poſſit limitari: vel enim à ſemetipſo limitaretur, quod abſurdum eſt, vel à creatura, quod æquè repugnat; cùm quidquid creatura perfectionis habet, ab ipſo Deo ſit derivatum.

Dices 1mo. Aggregatum ex Deo & creaturis eſt aliquid ſolo Deo perfectius. Ergo. 56

Reſp. neg. ant. Quia, ut dictum, quidquid perfectionis reperitur in creaturis, totum eſt à Deo, qui perfectionis cujuſcunque auctor eſt & parens. (z) Ad ſummum inde inferri poſſet, aggregatum ex Deo & creaturis quid eſſe perfectius, quoad numerum & multitudinem, non verò quoad perfectionem.

Dices 2do. Si Deus eſt infinitè perfectus, excludit omnem à creatura perfectionem: quemadmodum ſi daretur corpus infinitum, excluderet omnia alia corpora. Ergo. 57

Reſp. neg. ant. Exemplum corporis infiniti hìc non habet locum; quia hujuſmodi corpus ex infinitate non haberet, ut alia corpora excluderet, ſed ex impenetra-

(z) S. Auguſt. lib. 6. de Trinit. cap. 8. egregiè oſtendit, aggregatum ex Deo & creaturis nihil eſſe ſolo Deo perfectiùs.

penetrabilitate, qua fit, ut plura corpora in eodem loco ſimul eſſe non poſſint.

§. III.

58 ### *De Immenſitate Dei.*

Immenſitas vi termini, eſt illimitata Dei rebus omnibus præſentia. Definiri, ſeu deſcribi poteſt, virtualis ſubſtantiæ divinæ diffuſio, per quam res omnes pervadit ac penetrat, iisque per ſe ſe ac intimè adeſt tota absque ulla limitatione ac termino, ſeu per quam apta eſt exiſtere ſimul in omnibus locis ac ſpatiis poſſibilibus in infinitum, & in infinitis re ipſa exiſteret, ſi re ipſa infinita extarent loca.

(*a*) Hîc ſolùm quæſtio eſt de præſentia Dei per eſſentiam, an videlicet rebus omnibus adſit ſecundùm ſuam ſubſtantiam & entitatem. (*b*) Sit ergo

59 ### Conclusio.

Deus immenſus eſt, rebusque omnibus intimè præſens eſt per ſuam eſſentiam.

Prob. 1mo. Ex Scriptura. Deut. 4. v. 39. *Scito ergo hodie*, ait Moyſes, *& cogita in corde tuo, quòd Dominus ipſe ſit Deus in cælo ſurſum, & in terra deorsùm, & non ſit alius.* Jerem. c. 23. v. 24. *Si occultabitur vir in abſconditis, & ego non videbo eum, dicit Dominus? nunquid non cælum & terram ego impleo?* Baruch. 3. v. 35. *Magnus eſt, & non habet finem, excelſus & immenſus.* Job. 11. v. 8. *Excelſior cælô eſt . . . . profundior infernô . . . . longior terra menſura ejus, & latior mari.* Pſalm. 138. v. 7. *Quò ibo à ſpiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? ſi aſcendero in cælum, tu illic es; ſi deſcendero in infernum, ades.* Denique Act. 17. v. 28. *In ipſo vivimus, & movemur, & ſumus.*

Prob. 2do. Ex Patribus. S. Cyprianus lib. de vanitate Idolorum ait, *totum mundum eſſe Dei templum, & Deum ubique eſſe diffuſum.*

S. Ambroſius lib. de Fide cap. 16. *Deus*, inquit, *complens omnia, nusquam ipſe confuſus; penetrans omnia, nusquam ipſe penetrandus; ubique totus, eodemque tempore vel in cælo, vel in terris, vel in noviſſimo maris præſens.*

S. denique Auguſtinus, ut alios innumeros ſileamus Epiſt. 187. aliàs 57. ad Dardanum *ſubſtantialiter*, inquit, *Deus ubique diffuſus eſt.* Et lib. 7. de Civit. cap. 30. *Unus Deus*, ait, *ubique totus, nullis incluſus locis . . . . implens Cælum & Terram præſente potentia, non abſente natura.*

In iſtis porro tum Scripturæ tum SS. Patrum Teſtimoniis mentio potiſſimùm fit diffuſæ per res omnes ſubſtantiæ divinæ, non tantùm virtutis & operationis, ut ajunt Sociniani.

Prob. 3tio. Rationibus Theologicis ex ſumma Dei perfectione ac ſimplicitate deductis.

1mo. Deus eſt ſummè perfectus. Ergo ubique diffuſus: aliàs cogitari poſſet ens eo perfectius, & ipſe loco aliquo contineri dici poſſet, adeoque eſſe limitatus.

2do. Vel

(*a*) Vorſtius Calviniſta cum Socinianis negat Deum in rebus per eſſentiam ſuam eſſe. (*b*) De præſentia Dei rebus omnibus per potentiam & operationem, ac per ſcientiam & cognitionem loquemur alibi, ubi de ſcientia & omnipotentia Dei agemus. Speciali etiam quadam ratione Deus eſt in aliquibus rebus: v. g. in humanitate Chriſti, per unionem hypoſtaticam; in Sanctis per cognitionem & amorem, ſuique apertam viſionem; in Eccleſia per aſſiſtentiam & protectionem ſingularem; in cælo, per gloriam & majeſtatem; in inferno per juſtitiam vindicem. Verùm de hujusmodi Dei præſentia nec eſt hic quæſtio.

2do. Vel Deus eſt ubique, vel nullibi. Si enim Deus alicubi eſt, ut ajunt Sociniani, vel liberè eſt ac per voluntatem, vel neceſſariò & per naturam. Non liberè, quia ſic ab illo loco poſſet diſcedere, ad aliumque tranſire, illo finiri & circumſcribi; quæ omnia directè adverſantur divinæ infinitati ac ſimplicitati: Ergo eſt alicubi neceſſariò & per naturam; ergo ubique, cùm ſit ſubſtantia ſimplex & infinita, atque vel tota, vel nullatenus in loco eſſe debeat.

3tio. Deus ubique operatur; quia in omni re attingit id, quod ipſi magis intimum eſt, intimior intimô noſtrô. Atqui non operatur per operationem ab eſſentia ſua divulſam & diſtinctam, id enim repugnat ſummæ ejus ſimplicitati. Ergo per operationem ab ejus natura & eſſentia indiſtinctam; ac conſequenter Deus, qui in rebus omnibus operatur, in iis quoque intimè præſens adeſt per naturam & ſubſtantiam.

60 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. Deus ab æterno eſt immenſus. Atqui ab æterno non eſt in loco. Ergo non eſt in loco per immenſitatem.

Reſp. Diſt. min. ab æterno non eſt in loco defectu loci, qui nullus ab æterno fuit, conc. defectu virtualis diffuſionis ſubſtantiæ, qua Deus poteſt & exigit rebus omnibus ineſſe, quando illæ ſunt. neg. min. Immenſitas Dei eſt virtualis duntaxat, ut ſupra diximus, ſubſtantiæ ipſius diffuſio, per quam diffuſionem apta eſt exiſtere ſimul in omnibus locis poſſibilibus in infinitum, atque in hujuſmodi locis ac ſpatiis re ipſa exiſteret, ſi re ipſa extarent &c.

Deus ergo in omnibus locis actu extantibus, ſeu in ipſo mundo eſt in ſe & in rebus creatis: ante mundum creatum verò erat in ſe ipſo tantùm, prout nunc etiam eſt extra mundum, ſeu in ſpatiis, ut vocant imaginariis, id eſt, non quidem per præſentiam localem, ſeu tanquam in quodam loco reali, nam ante mundi creationem nullus erat talis locus, quemadmodùm & extra mundum nullus eſt, cum nulla ſit creatura extra mundum, ſed per infinitam ſuæ entitatis diffuſionem.

Ob. 2do. Deus in Cœlo reſidere dicitur, *Cœlum ſedes mea*, Iſai. 66. v. 1. Ergo non eſt ubique. 61

Reſp. diſt. ant. Speciali quadam ratione, conc. per excluſionem præſentiæ aliis in rebus, neg. ant. *Cœlum & terram impleo*, ait Deus Jerem. 23. v. 24. In Cœlo autem ſedem habere dicitur ſpeciali quadam ratione; quòd nempe potentiæ ſuæ ac munificentiæ divitias magnificentiùs ibi explicet, per apertam & manifeſtam gloriæ ſuæ manifeſtationem.

Ob. 3tio. Qui ubique eſt, motûs localis eſt incapax, nec poteſt ab uno loco tranſire ad alium. Atqui tamen Scriptura declarat Deum aſcendere, deſcendere, accedere, recedere. Geneſ. 11. v. 5. Deut. 23. v. 14. Et in Symbolo de Filio Dei dicitur: *Deſcendit de Cœlo, & incarnatus eſt.* Ergo. &c. 62

Reſp. Diſt. min. Deus dicitur deſcendere, aſcendere &c. ſenſu improprio & metaphorico, conc. ſenſu proprio & litterali, neg. Scriptura, ut ſupra §. 1. in Reſp. ad object. 2dam num. 48. animadvertimus, de Deo, humanô plerumque modô loquitur, ut ſe ſe captui noſtro accommodet. Deſcendere, & ad nos accedere dicitur Deus, quando propitius largitur beneficia; recedere verò, quando illa à nobis juſtè retrahit. (*c*) Verbum autem divinum deſcendiſſe dicitur è cœlo, non quidem motu locali cœlum

(*c*) Vide S. Auguſt. Serm. 17. de tempore.

Digitized by Google

cœlum deſerendo; ſed aſſumendo hypoſtaticè humanitatem noſtram, quæ certè unio quidam eſt divinitatis deſcenſus, id eſt, demiſſio, humiliatio. *Semetipſum exinanivit formam ſervi accipiens*, Philipp. 2.

63 Ob. 4to. Dedecet Deum eſſe rebus fœdiſſimis præſentem. Ergo &c.

Reſp. Neg. ant. Nam hoc magis Deum non dedecet, quàm illum dedecet, res illas producere & conſervare; hæcque dedecentia eſt merum imaginationis figmentum, & ſolùm reſpectu noſtri, quos res illæ malè afficiunt.

§. IV.

64 *De Immutabilitate Dei.*

Immutabilitas Dei ex vi nominis negativum aliquid ſonat, attamen poſitivam, eamque ſummam in Deo perfectionem arguit, per quam idem ſemper eſt, & in eodem ſtatu immobiliter ſemper permanet; omninò incapax, qui perfectionem aliquam aut acquirat, vel perdat. Sit

65 CONCLUSIO.

Deus omninò eſt immutabilis. Prob. 1mo. Ex S. Scriptura. Num. 23. v. 19. *Non eſt Deus quaſi homo, ut mentiatur; nec ut filius hominis, ut mutetur.* Malachiæ 3. v. 6. *Ego Dominus, & non mutor.* Pſal. 101. v. 28. *Sicut opertorium mutabis eos* (cœlos) *& mutabuntur. Tu autem idem ipſe es.* Sapient. 7. v. 27. *In ſe permanens omnia innovat.* Denique Jacobi 1. v. 7. *Apud quem non eſt transmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.* Quæ Scripturæ verba ſunt generalia, & generaliter accipienda.

Prob. 2do. Ex Concilii Nicæni Symbolo ubi contra Arianos dicitur: *Eos autem, qui dicunt .... vel creatum, vel mutabilem, vel convertibilem Filium Dei, anathematizat Catholica & Apoſtolica Eccleſia.* Quod hîc de Filio Dei, quem verum Deum contra Arianos tuebantur Concilii Patres, dicitur, à fortiori de Deo intelligi debet.

Ex Concilio Lateranenſi IV. c. 1. Ubi definit, *Deum eſſe incommutabilem.* Quæ omnia juxta proprietatem & vim vocum excludunt à Deo omnem mutabilitatem propriè dictam, ſcilicet intrinſecam.

Prob. 3tio. Ex SS. Patribus, qui paſſim idem docent; pro omnibus unum ſufficiat laudaſſe S. Auguſtinum Tract. in 1. Ep. S. Joannis, ubi, *Mutari neſcit*, inquit, *quia perfectum eſt; nec deficit, quia æternum eſt.* Lib. Confeſſ. c. 4. *Opera mutas, non mutas conſilium.* Et lib. 12. de Civit. c. 14. *Fecit hominem in tempore, non novo ſed immutabili æternoque conſilio.*

Prob. 4to. Ratione, 1mo. Quia ens ſimplex, abſolutè neceſſarium, & in omni genere perfectionis illimitatum, & quo nihil meliùs excogitari poteſt, eſt omninò immutabile, ut per ſe patet; omnis quippe mutatio involvit imperfectionem. Atqui talis eſt Deus, ut conſtat ex dictis. Ergo eſt immutabilis.

2do. Si Deus eſſet mutabilis, tunc vel quoad eſſentiam & exiſtentiam; vel quoad locum; vel quoad accidentia; vel quoad cognitionem; vel denique quoad decretum ſeu propoſitum voluntatis. Atqui nullo ex his modis Deus mutari poteſt, Ergo &c.

Prob. min. 1mo. Quoad eſſentiam mutari non poteſt, hæc enim eſt ſpiritualis & ſimpliciſſima, quæ nulli alterationi, nulli mutationi ſubjacere poteſt. Neque proinde quoad exiſtentiam, tum quia eſt ipſamet Dei eſſentia (*d*) tum quia Deus eſt

(*d*) *Ego ſum qui ſum*, Exod. 3. v. 14.

Digitized by Google

eſt immortalis, æternus, & neceſſariò ſemper exiſtens. (*e*)

2do. Mutari non poteſt quoad locum, quia ubique eſt & omnia implet; nec quoad tempus, quia æternus. *Deut.* 32. *v.* 40.

3tio. Neque quoad accidentia; quia nullum in eo eſſe poteſt, quia omnia modò excellentiori in ſe continet, cui nihil novi accidere, aut aliquid deperire poteſt.

4to. Neque quoad cognitionem, cujus oculis omnia nuda & aperta ſunt, Heb. 4. v. 13.

5to. Denique, non quoad decreta voluntatis, quæ æterna ſunt, Iſai. 46. v. 10. (*f*) Prov. 19. v. 21. (*g*) & 1. Reg. 15. v. 29. (*h*) Ergo &c.

Ex his intelligi facile poteſt, immutabilitatem Dei ex variis ejus attributis ſeu perfectionibus dimanare. Ex æternitate habet, ut nec incipere poſſit, nec deſinere quoad exiſtentiam; ex immenſitate, ut ſit ubique, nec locum mutare poſſit; ex ſimplicitate, ut omne ab illo accidens excludatur; ex certitudine ſcientiæ, ut falli non poſſit; ex ſumma in decernendo ſapientia, ut decreta non mutet, quæ ſapientiſſimè ſanxit.

66 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. Deus ex non operante factus eſt operans, ex non creante creans, ex non homine homo, & quidem intrinſecè, per unionem hypoſtaticam cum humanitate; ergo mutatus eſt Deus.

Reſp. Diſt. ant. Deus ex non operante factus eſt operans, & non creante creans in tempore, operatione tranſeunte & externa, terminatâ ad creaturas, conc. Operatione nova immanente & intrinſeca, ſeu intra Deum, neg. ant. Duplex in Deo diſtinguitur operatio: una immanens & intra Deum ipſum, quæ ab ejus natura non diſtinguitur, neceſſaria, & Deo ipſi coæterna: alia verò tranſiens & extra Deum, quæ ad creaturas in tempore liberè terminatur; quia quidquid eſt extrà Deum, liberum eſt; ſolus Deus eſt ens per ſe neceſſarium. Nulla autem in Deo eſſe poteſt nova operatio immanens, ſeu intrinſeca; quod enim voluit, aut noluit, ab æterno voluit, aut noluit. Cùm autem hæc operatio immanens divinæ voluntatis ad creaturas tendit, ac terminatur, ratione termini tranſiens & externa dicitur; ex qua nulla in Deum ipſum, ſed in ſolam creaturam, quæ à non eſſe tranſit ad eſſe, cadit mutatio. Ita S. Auguſt. Lib. 5. de Trinit. c. 16.

Pariter diſtinguenda eſt iſta propoſitio, Deus ex non homine factus eſt intrinſecè ac ſubſtantialiter homo in Incarnatione per aſſumptionem humanitatis in unitatem perſonæ Verbi, ſiſtendando, perficiendo, ac ſupplendo propriam humanitatis ſubſiſtentiam ſeu perſonalitatem, conc. Factus eſt homo, vel per converſionem divinitatis in humanitatem, vel per acquiſitionem novæ alicujus perfectionis, neg. Itaque mutata eſt humanitas per Incarnationem Verbi, & quidem in melius: quot enim beneficia inde redundârunt! At divinitas nihil novi acquiſivit, cùm omnem humanitatis perfectionem eminenter in ſe contineat: nihil quoque amiſit, ac perdidit, quamvis humanitatis velô obſcurata: quod SS. Eccleſiæ Patres illuſtrant comparatione Solis, cujus ſplendor interpoſita nube interdum obſcuratur, ſed non omninò extinguitur.

Ob. 2do: Deus alternis vicibus eum- 67
dem hominem modò diligit ut juſtum, modò

(*e*) *Tu autem idem ipſe es*, Pſal. 101. v. 28. *Qui ſolus habet immortalitatem*, 1. ad Timoth 6. v. 16. (*f*) *Conſilium meum ſtabit, & voluntas mea fiet.* (*g*) *Multæ cogitationes in corde viri, voluntas autem Domini permanebit.* (*h*) *Triumphator in Iſrael non parcet, & pœnitudine non flectetur: neque enim homo eſt, ut agat pœnitentiam.*

Digitized by Google

modò ut peccatorem odiô habet; hodie ipſi propitius eſt ac favet, cras inimicus factus ac ſubinfenſus ipſi iraſcitur, ac pœnas infligit. Atqui hæc arguunt veram mutationem. Ergo &c.

Reſp. Diſt. min. Ratione diverſorum effectuum, quos Deus extra ſe circa eundem hominem producit, conc. Ratione affectuum, qui ſucceſſivè in Deo ſint, neg. min. Affectus enim illi æterni ſunt in Deo, effectus verò temporanei: unde mutatio in effectus illos ac creaturam cadit, non in Deum. Ita S. Aug. lib. 22. de civit. c. 2.

68 Ob. 3tio. Qui conſilium ſuum mutat, & retractat, quod antea voluit; qui pœnitentiâ, dolore, irâ, odiô, amore, & aliis hujusmodi affectibus movetur, ille mutationi obnoxius eſt. Atqui Deus conſilium ſuum mutavit, quando mundum diluviô extinxit, quem creando conſervare decreverat: mutavit, quando Ezechiæ mortem propinquam denuntiavit, Iſai. 38. v. 1. & Ninivitis futuram intra quadraginta dies urbis ſubverſionem, Jonæ 3. v. 4. Neque tamen tunc temporis mortuus eſt Ezechias, aut Ninive poſt quadraginta dies ſubverſa. Unde S. Auguſtinus ait: *Deus novit mutare ſententiam, ſi tu noveris mutare delictum.* Ergo &c.

Reſp. Neg. min. 1mo. Jam ſupra §. 1mo. in Reſp. ad Ob. 2dam. n. 48. & §. 3. in Reſp. ad Ob. 3tiam num. 62. oſtendimus, dolorem, iram, odium & pœnitentiam in Deo affectivè non eſſe, ſed effectivè duntaxat. Vide ibi.

2do. Deus conſilium non mutat, quod æternum eſt; & quod in tempore exequitur, ſemper illud voluit: hominem & creare voluit, & delere, non novô, ſed æternô conſiliô. Ezechiæ mortem propinquam, & Ninivitis urbis ſubverſionem denuntiavit, non abſolutè, ſed conditionatè: ſi nempe, vel curſus cauſarum ſecundarum, quæ mortem Ezechiæ exigebant, non immutaretur, vel Ninivitæ pœnitentiam non agerent. Porrò mutatus fuit cauſarum ſecundarum curſus, & Ninivitæ in cilicio & cinere pœnitentiam egerunt; ergo mutatio in creatura duntaxat contigit, non in Deo, qui ab æterno voluit, & decrevit, ut nec moreretur tunc temporis Ezechias, nec Ninive ſubverteretur.

Deus à S. Auguſtino dicitur mutare ſententiam, cùm homo mutaverit delictum, ratione effectûs; quia eodem modo ſe gerit, ac ſi ſententiam mutaret: non autem intrinſecè & affectivè, quia una & eadem divinæ voluntatis entitas, pro diverſa ad res creatas terminatione, vel amor dicitur, vel odium, vel ira, &c. Hæc omnia egregiè exponit S. Auguſtinus lib. 12. de civit. c. 17. quem vide.

Ob. 4to. Qui poteſt aliquid de novo velle, poteſt de novo fieri intrinſecè & immanenter operans. Atqui Deus poteſt aliquid de novo velle, quàm quod ab æterno voluit, v. g. creationem mundi, potuit noluiſſe; quia ſcilicet æquè jam liber eſt, ac fuit ab æterno. Ergo &c. 69

Reſp. Neg. min. Non equidem ex defectu libertatis eſt, quòd Deus non poſſit aliquid de novo velle; ſed quia perfectiſſimus, qui ab æterno voluit, quidquid voluit: quia conſtans, firmus in propoſito: quia nulla ipſi nova ratio ſublucere poteſt, cur aliquid de novo velit; omnia quippe ab æterno novit. Non ita eſt de homine: propoſitum ſæpiſſimè mutat, emendat, corrigit; quia levis eſt, inconſtans, mobilis, infirmus; quia non omnia ſtatim proſpicit, ac novit.

Urg. Qui carere poteſt aliquo intrinſeco, mutari poteſt intrinſecè. Atqui Deus aliquo intrinſeco carere poteſt, nempe actu libero, quo mundum v. g. creare voluit. Actus quippe ille liber eſt, ac Deo intrinſecus: liber; quia non neceſſarius, ac potuit Deus non velle creare mundum: intrinſecus; quia libertas eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, Deo interna & eſſentialis, reſpectivè ad creaturas. Ergo &c.

Reſp. tranſ. maj. Diſt. min. Deus carere poteſt aliquo intrinſeco terminativo, conc. entitativo, neg. min. Actus liber divinæ voluntatis eſt ipſamet Dei ſubſtantia, non quidem quatenus terminatur ad voluntatem divinam, ſed quatenus refertur, ac terminatur ad creaturas: quidquid enim terminatur intra Deum, neceſſarium eſt; quidquid verò extra ipſum terminatur, eſt liberum. Actus ergo Dei liber ſupra neceſſarium addit duntaxat reſpectum ſeu terminationem ad creaturas. Quia verò actus liber Deo internus eſt, cùm libertas ipſi interna ſit, & aliunde actus liber, quatenus liber, poſſit eſſe vel non eſſe, ut conciliemus, quomodò aliquid in Deo liberum & internum poſſit eſſe vel non eſſe, diſtinguimus in illa terminatione duplicem reſpectum: unum ex parte Dei, & ſub ea ratione intrinſecus eſt, ordinem tamen dicens & habitudinem ad extrinſecum, nempe ad creaturas; alterum ex parte creaturæ, & ſub illa ratione purè extrinſecus eſt. Hac via exponimus, quomodò eâdem ſemper immotâ remanente Dei ſubſtantiâ & entitate, actus liber Dei ſit ipſi internus, & tamen poſſit eſſe, & non eſſe: non quidem ratione entitatis divinæ, quæ omninò in ſe neceſſaria eſt; nec etiam ratione ſolius puræ terminationis externæ, libertas enim Deo interna per aliquid purè externum conſtitui non poteſt; ſed ratione terminationis ſeu ordinis intrinſeci ad extrinſecum, ſeu creaturam.

§. V.

70 ### (i) *De Æternitate Dei.*

Æternitas à Boëtio lib. 5. Conſolat. Philoſ. Proſâ 6. definitur, *Interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio.* Vel Æternitas eſt *duratio interminabilis, indiviſibilis, & independens.* Dicitur *interminabilis*, quia nec principium, nec finem habet; *indiviſibilis*, quia non eſt ſucceſſiva ſed tota ſimul. Uno verbo, æternitas eſt inſtans ſemper præſens, nunquam deficiens. Lege S. Auguſtinum Serm. 2. in Pſal. 101.

CONCLUSIO. 71

Deus eſt æternus, & quidem ſolus, cujus æternitas tota ſimul eſt.

Prob. Concluſio 1mo. Ex Scriptura. Geneſ. 21. v. 33. de Abraham dicitur: *Invocavit ibi nomen Domini Dei æterni.* Deut. 32. v. 40. *Vivo ego in æternum.* Pſal. 89. v. 2. *A Sæculo & usque in Sæculum tu es Deus.* Pſal. 9. v. 8. *Dominus in æternum permanet.* Pſal. 101. v. 28. *Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Exod. 15. v. 18. *Dominus regnabit in æternum, & ultra.* Denique lib. 2. Machab. c. 1. v. 24. *Domine Deus omnium creator, terribilis, & fortis, juſtus & miſericors, qui ſolus es bonus Rex, ſolus præſtans, ſolus juſtus, & omnipotens, & æternus.*

Prob. 2do. Ex SS. Patribus idem paſſim docentibus, pro omnibus ſit S. Auguſtinus, in Pſal. 101. & lib. 11. Confeſſ. c. 19. ubi ſic Deum alloquitur: *Tu idem ipſe es, & anni tui non deficiunt. Anni tui nec eunt, nec veniunt .... Anni tui omnes ſimul ſtant, quoniam ſtant; nec euntes à venientibus excluduntur, quia non tranſeunt ..... Anni tui dies unus; & dies tuus non quotidie, ſed hodie, quia hodiernus tuus non cedit craſtino, neque enim ſuccedit heſterno: hodiernus tuus, æternitas.* Et lib. 12. Confeſſ. c. 15. *Deus noſter*, inquit, *æternus eſt.* (k)

Prob. 3tio. Ex Conciliis, Nicæno in fine Symboli, ubi anathematizantur, qui

---

(i) Vid. inf. Exercit. Theol. Exercit. 6. n. 105. (k) Lege etiam Tertullianum lib. cont. Hermogen. c. 4.

qui negant Verbi æternitatem: *Eos autem qui dicunt, erat aliquando, quando non erat .... anathematizat Catholica & Apoſtolica Eccleſia.* Lateranenſi IV. c. 1. *Firmiter credimus*, inquiunt Patres, *& ſimpliciter confitemur, quòd unus ſolus eſt verus Deus, æternus &c.* Item ex Symbolo Athanaſii, ubi dicitur, *æternus Pater &c. &c.*

Prob. 4to. Ratione. 1mo. Æternitas propriè dicta eſt perfectio ſimpliciter ſimplex: Ergo ineſt Deo enti in omni genere perfectionis infinitè perfecto. 2do. Illud eſt æternum, quod abſoluta neceſſitate caret initiô & fine, ut patet ex notione æternitatis. Atqui Deus abſoluta neceſſitate caret principiô & fine: nam neceſſariò & eſſentialiter ſemper exiſtit, cùm ſit ens à ſe, hoc eſt, ens habens pleniſſimam ſufficientiam & abſolutam neceſſitatem ad exiſtendum independenter ab omni cauſa producente & conſervante. Ergo Deus eſt æternus. 3tio. Deus eſt prorsùs immutabilis, ut probavimus. Ergo nec potuit tranſire à non eſſe ad eſſe, nec poteſt tranſire ab eſſe ad non eſſe, nam talis tranſitus eſt maxima mutatio. Ita argumentatur S. Aug. lib. de natura boni contra Manichæos.

72 Ex dictis intelliges 1mo. In Deo non eſſe præteritum & futurum, ſed unicum nunc ſemper exiſtens; quia quidquid eſt in Deo æternum eſt, ac proinde totum ſimul præſens. 2do. Eum per ſuam æternitatem absque ulla ſui mutatione determinari formaliter ad coexiſtendum omni tempori creato, & creabili. 3tio. Æternitatem propriè dictam ſoli Deo convenire poſſe. Nam ſolus Deus poteſt habere durationem totam ſimul, abſolutè neceſſariam, independentem ab alio, & indefectibilem, nullique mutationi obnoxiam: unde id diſcriminis inter æternitatem & ævum, quòd ævum quidem ſit menſura rei, quæ in ſuo eſſe non mutatur, & corruptioni non ſubjacet, qualis eſt, v. g. Angelus, ſed tamen ſecundùm locum, vel electionem ſeu voluntatem mutari poſſit.

Dices 1mo. Danielis 7. v. 9. Deus 73
appellatur *antiquus dierum.* Apocal. 1. v. 4. dicitur, *Qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt.* Iſaiæ 44. v. 6. *Ego primus & noviſſimus.* Qui loquendi modus quamdam in æternitate Dei ſucceſſionem denotare videtur. Aliquæ etiam Dei actiones vel præteritæ, ut creatio, vel futuræ, ut punitio malorum, &c. deſignantur. Ergo.

Reſp. Neg. ant. His loquendi modis Scriptura captui noſtro, qui de æternitate nonniſi per ordinem ad tempus cogitare & loqui poſſumus, ſe ſe accommodat; quomodò tribuit Deo membra, & affectus humanos, non quòd in Deo propriè ſint, ſed tùm quia per ea faciliùs poſſumus Deum apprehendere ac concipere; tùm quia idem erga nos operatur Deus, ac ſi haberet membra, & humanis affectibus moveretur. Quapropter dicitur *antiquus dierum*, non quòd ſeniô confectus, ſed quòd diebus ipſis, & omni tempore ſit prior, & antiquior: dicitur *erat, eſt, & erit*; quia indiviſè, & modô ſimpliciſſimô illas omnes temporis differentias in ſe continet: dicitur *primus & noviſſimus*, quia ſemper eſt. Denique præteritæ, vel futuræ dicuntur nonnullæ Dei actiones; non quidem ratione principii earum effectivi, quod æternum eſt; ſed ratione termini, ſeu effectûs in tempore producti, vel producendi.

Dices 2do. Si æternitas coexiſtit omnibus temporum differentiis ſeu partibus, 74
ſequitur 1mo. Omnes partes temporis, id eſt, præteritum, præſens, & futurum, ſimul inter ſe coexiſtere reſpectu æternitatis. 2do. Deum efficere poſſe, ut præteritum non ſit verè præteritum, & futurum non verè futurum, quia utrumque in æternitate præſens eſt. Atqui hæc ſunt abſurda. Ergo &c.

Reſp. neg. ſeq. maj. 1mo. enim tota æternitas non coexiſtit omnibus temporis partibus ſimul ſumptis & exiſtentibus, ſed tantùm ſingulis diviſim ac diſtributivè ſumptis,

ptis, ſibique mutuò ſuccedentibus: v. g. hodie tota æternitas coexiſtit hodierno diei; cras tota æternitas coexiſtet craſtino diei, & ſic deinceps. Cùm enim coexiſtentia ſimultanea exiſtentiam importet, fieri non poteſt, ut quod nondum eſt in ſe, alteri coexiſtat.

Hinc etiam patet reſponſio ad 2dum. Præteritum Deo quidem maximè præſens eſt, cui tota coexiſtit æternitas; ſicut tota futuro, quando erit, coexiſtet: ſed nec præteritum jam eſt in ſe, nec quod futurum eſt, jam exiſtit. Illam porrò æternitatis Dei rebus omnibus coexiſtentiam vix animô concipere poſſumus, adeò ſumus corporeis, & ex ſenſibus hauſtis imaginibus aſſueti, & ex illis ad intelligendum pendemus.

§. VI.

75 *De Bonitate Dei.*

Bonum intelligitur id quod eſt perfectum in ſuo genere. Sit

CONCLUSIO.

Deus eſt ſummè bonus tùm bonitate abſoluta, tùm morali, tùm relativa, tùm per eſſentiam.

Prob. Concluſio 1mo. Ex Scriptura, Lucæ 18. v. 19. ait ipſe Chriſtus, *Nemo bonus niſi ſolus Deus.* Creaturæ enim bonæ haud ſunt niſi per participationem, quia omnem ſuam bonitatem non à ſe ipſis habent, ſed à Deo accipiunt.

Prob. 2do. Ex SS. Patribus, pro omnibus ſit S. Auguſtinus qui in Pſal. 134. *Bonus eſt Dominus*, inquit, *ſed bonus, non ut ſunt bona, quæ fecit ... ille bonô ſuô bonus eſt, non aliundè participatô bonô. Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, qui non eguit à quo fieret bonus; ſed eguerunt illo cætera, ut fierent bona. Vultis audire, quàm ſingulariter ille bonus ſit? Dominus interrogatus dixit: nemo bonus niſi unus Deus.*

Prob. 3tio. Ratione. 1mo. de bonitate Dei abſoluta: Bonum abſolutè idem eſt ac perfectum in ſe; Atqui Deus eſt ſummè perfectus in ſe, tùm quia eſt ens, quô nihil melius ac perfectius cogitari poteſt; tùm quia, ut ex alibi dictis conſtat, omnes in ſe continet perfectiones vel formaliter, vel virtualiter, & eminenter. Ergo eſt abſolutè ſummè bonus. 2do. Eſt ſummè bonus bonitate morali. Bonum moraliter idem eſt, quod ſanctum. Sed Deus eſt ſummè ac infinitè ſanctus, ergo & bonus bonitate morali. Prob. min. Deus habet tùm infinitam impeccabilitatem, ſeu repugnantiam cum omni culpa vel leviſſima; tùm indefectibilitatem ſeu repugnantiam cum omni actione & omiſſione aliquo modo vituperabili; tùm virtutes omnes in intenſione infinitas; tùm infinitam laudabilitatem in omnibus actibus ſuis, quatenus quidquid vult, aut non vult, id vult, aut non vult propter bonitatem divinam infinitè amatam. Nam ſi Deus hæc omnia non haberet, non eſſet ens, quo nihil melius cogitari poteſt; poſſet enim cogitari ens aliquod, quod hæc omnia haberet. Ergo. 3tio. Deus eſt ſummè bonus bonitate relativa. Bonum relativè idem eſt, ac conveniens & appetibile. Atqui Deus eſt ſummè conveniens & appetibilis, cùm ſit ſummum bonum, origo & principium omnium aliorum bonorum, & in omni genere perfectionis infinitus ac illimitatus. Ergo Deus eſt ſummè bonus relativè. 4to. Denique, eſt bonus per eſſentiam omni bonitate quâ bonus eſt; quia per ſe, & independenter ab alio bonus eſt omni bonitate, quâ bonus eſt; tùm quia eſt ens à ſe & prorſus independens ab alio; tùm quia eſt bonus meliori & perfectiori modò, qui cogitari poſſit; hoc enim utrumque continetur in idea entis, quo nihil melius cogitari poteſt.

§. VII.

Digitized by Google

§. VII.

76 ### *De Juſtitia Dei.*

Juſtitia eſt virtus, quæ unicuique reddit, quod ſuum eſt. Duplex diſtinguitur, diſtributiva nempe, & commutativa. Per iſtam unum pro alio commutatur, ſeu datur, & accipitur, & conſiſtit in æqualitate rei ad rem: per illam verò diſtribuitur, quòd unicuique debitum eſt, præmium bonis, malis ſupplicium. Unde duplex juſtitiæ diſtributivæ pars eſt, ſeu munus & officium; bonis ſcilicet præmium, & malis pœnam diſtribuere. Sit

77 ### CONCLUSIO.

Eſt in Deo formaliter juſtitia diſtributiva, in præmium bonorum, & vindictam malorum. Juſtitia verò commutativa non eſt in Deo ſenſu ſtricto & proprio, ſed latiori duntaxat.

Prob. 1ma pars Concluſionis. Pſal. 84. v. 14. *Juſtitia ante eum ambulabit, & ponet in via greſſus ſuos.* Matth. 16. v. 28. *Tunc reddet unicuique ſecundùm opera ejus.* Et c. 25. v. 46. *Ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam.* Heb. 6. v. 10. *Non injuſtus Deus eſt, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius.* Theſſal. 1. v. 6. *Juſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant.*

Prob. 2da. pars. Quia juſtitia commutativa ſtricto ac proprio ſenſu conſiſtit in æqualitate dati & accepti. Atqui nihil habemus ex nobis ipſis, quod Deo conferre poſſimus. *Quis prior dedit illi?* ait Apoſtolus Rom. 11. v. 35. *& retribuetur ei?* Et re ipſa quidquid boni in nobis eſt, ab ipſo Deo boni totius fonte & auctore profluit. Latiori tamen ſenſu admitti poteſt in Deo juſtitia commutativa; quatenus ſcilicet opera noſtra bona ex gratia elicita proportionem quamdam & æqualitatem habent cum gloria, quâ nos beaturus eſt.

§. VIII.

De Miſericordia Dei. 78

Miſericordia ſumi poteſt dupliciter; 1mo. Pro affectu compaſſionis & triſtitiæ, qui in nobis excitatur ex aliena miſeria; 2do. Simpliciter ac nudè pro voluntate ſubveniendi alienæ miſeriæ. Priori ſenſu miſericordia non eſt in Deo formaliter & affectivè, ſed effectivè duntaxat: poſteriori autem ſenſu eſt in Deo formaliter. *Triſtari de miſeria alterius,* ait S. Thomas (*l*), *non competit Deo; ſed repellere miſeriam alterius, hoc maximè ei competit.* Sit ergo

CONCLUSIO. 79

Miſericordia, quæ eſt voluntas ſubveniendi alienæ miſeriæ, eſt formaliter in Deo.

Prob. Quia benignitatem, clementiam, ac miſericordiam Dei imprimis laudat nobis Scriptura ac commendat. Exod. 34. v. 6. *Dominator Domine Deus miſericors & clemens, patiens & multæ miſerationis ac verax, qui cuſtodis miſericordiam in millia: qui aufers iniquitatem & ſcelera atque peccata.* Pſal. 144. v. 8. *Miſerator & miſericors Dominus, patiens & multùm miſericors .... Miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus.*

§. IX.

De Omnipotentia Dei. 80

Per omnipotentiam divinam intelligimus virtutem infinitam, quæ poteſt facere quidquid non repugnat. Sit

CON-

(*l*) *Hic q.* 21. *Art.* 3.

Digitized by Google

CONCLUSIO.

Deus eſt omnipotens. Prob. 1mo. Ex Scriptura. Geneſ. c. 17. v. 1. *Ego Deus omnipotens.* Et Matth. c. 19. v. 26. *Apud Deum omnia poſſibilia ſunt.*

Prob. 2do. Ex Symbolis Apoſtolico & Nicæno, in quibus profitemur nos credere *in Deum Patrem Omnipotentem.* Item ex Concilio Lateranenſi IV. c. 1. ſup. cit.

Prob. 3tio. Ex SS. Patribus, pro omnibus ſit S. Auguſtinus, qui ſerm. 213. aliàs de tempore 119. *Omnipotens eſt Deus,* inquit, *ad facienda majora & minora... Magnus in magnis, nec parvus in minimis. Poſtremò omnipotens ad facienda omnia, quæ facere voluerit.*

81 Dices 1mo. Deus non poteſt plura facere, quàm re ipſa facit. Ergo non eſt omnipotens.

Reſp. Neg. ant. ſi ſermo ſit de potentia Dei abſoluta. Deus equidem non poteſt potentiâ ordinariâ plura vel alia facere, quàm facit. Quia potentia ordinaria eſt potentia conjuncta, & quaſi alligata decreto divino efficaci, à quo applicatur, & determinatur ad productionem rerum creatarum. Deus autem, cùm ſit immutabilis, non poteſt decretum mutare, vel aliud, quod ab æterno non habuerit efformare, & ſine imperio, ſeu applicatione ſuæ voluntatis nihil re ipſa fieri poteſt. At Deus poteſt potentiâ abſolutâ facere alia & plura in infinitum, quàm quæ facit; nam potentia abſoluta eſt potentia ſecundùm ſe præcisè conſiderata, ideoque ſoluta ab omni decreto, quô alligetur, ſeu determinetur ad certarum rerum productionem. Potentia autem divina ſic ſpectata eſt infinita tùm intenſivè, tùm extenſivè: ſive eſt ipſa omnipotentia ſpectata præcisè ſecundùm ſe, ideoque quatenus poteſt id omne, quod non implicat contradictionem. Quare Deus habet potentiam faciendi alia plura, quàm quæ facta ſunt, & fient, & quidem plura & plura atque perfectiora in infinitum: nam cogitari poteſt ens hac potentia præditum.

Dices 2do. Deus non poteſt peccare, Ergo non eſt omnipotens. 82

Reſp. neg. conſ. Imò verò quia eſt omnipotens, ideo non poteſt peccare; nam, ut ait S. Thomas (*m*), peccare eſt deficere à perfecta ratione: unde poſſe peccare eſt poſſe deficere in agendo, quod omnipotentiæ repugnat.

CAPUT IV. 83

De Viſione Dei.

Deum eſſe inviſibilem Scripturæ docent: *Regi ſæculorum immortali & inviſibili ſoli Deo honor & gloria,* inquit S. Paulus 1. ad Timoth. 1. v. 17. Item c. 6. v. 16. *Lucem habitat inacceſſibilem; quem nullus hominum vidit.* Verùm quia eadem Scriptura alibi teſtatur, Deum eſſe viſibilem; *Cùm apparuerit,* inquit S. Joannes Ep. 1. c. 3. v. 2. *ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Et 1. Cor. 13. v. 12. *Videmus nunc,* ait S. Paulus, *per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Manifeſtum eſt, Deum alia ratione eſſe inviſibilem, alia verò viſibilem. Quod diſtinctis §phis explicamus.

§. I.

(*m*) 1. p. q. 25. a. 3. ad 2.

§. I.

84 ### *An Deus videri poſſit oculis corporeis.*

Hæretici quidam (*n*) Antropomorphitæ dicti circa an. Chr. 400. Deo ſpeciem humanam tribuebant, unde ſequebatur, eum oculis corporeis videri poſſe; & quamvis concors SS. Patrum, imò ipſius Eccleſiæ ſententia fuerit, Deum per oculos corporis, quod jam geſtamus, craſſum nempe & materiale, videri haud poſſe, tamen ætate S. Auguſtini controverſia fuiſſe videtur, num non poſt generalem corporum reſurrectionem oculi noſtri ita defæcati ac ſpirituales reddi poſſint, ut *immutata*, inquit S. Auguſt. (*o*) *corporum qualitate*, Deum in ſe ipſo immediatè conſpecturi ſint. Sit ergo

85 ### CONCLUSIO.

Deus oculis corporeis nec viſus eſt unquam, nec videri poteſt.

Prob. 1mo. Ex ſacra Scriptura. 1. ad Timoth. 1. v. 17. *Deus immortalis, & inviſibilis* dicitur; & cap. 6. v. 16. *Quem nullus hominum vidit, nec videre poteſt.* Porro de viſione per mentem intelligi Apoſtolum non poſſe, oſtendunt hæc S. Joannis verba: *Scimus, quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Ergo intelligenda ſunt de viſione per oculos corporis. Denique 1. Corinth. 2. v. 9. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.*

Prob. 2do ex S. Auguſt. Epiſt. 92. ad Italicam viduam. *Deus*; inquit, *lux eſt purgatarum mentium, non iſtorum corporis oculorum. . . . . Hoc autem oculus videre corporis neque nunc poteſt, neque tunc poterit.* Et Epiſt. 147. ex S. Ambroſio hæc refert: *Nec corporalibus Deus oculis quæritur, nec circumſcribitur viſu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu.*

Prob. 3tio Ratione. Facultas organica, eaque vitalis, ferri non poteſt in objectum ſibi non proportionatum. Atqui viſio per oculos corporis pertinet ad facultatem organicam vitalem: Deus verò non eſt objectum proportionatum huic facultati; ſubſtantia quippe ſpiritalis non eſt objectum proportionatum facultati corporeæ: quod enim videtur oculis corporeis, videtur per medium corporeum ac ſpecies corporeas, ſpiritus autem ſic videri non poteſt. Ergo.

Confirmatur. Deus magis diſtat ab objecto cujuscunque facultatis corporeæ, quàm objectum unius facultatis diſtet ab objecto alterius, v. g. coloratum à ſonoro. Atqui tamen una facultas non poteſt attingere objectum alterius facultatis, v. g. oculus ſonos, nec auditus colores, aliàs confunderentur iſtæ facultates. Ergo multò minùs poteſt facultas corporea Deum attingere.

Solvuntur Objectiones. 86

Ob. 1mo. Ipſamet Scriptura teſtatur, multos ex veteribus Patriarchis Deum vidiſſe oculis procul dubio corporis. Geneſ. 32. v. 30. Jacob ait, *Vidi Deum facie ad faciem.* Exod. 33. v. 11. *Loquebatur autem Dominus ad Moyſen facie ad faciem.* Iſai. 6. v. 1. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium.* Denique Job. 42. v. 5. *Auditu auris audivi te, nec autem oculus meus videt te.* Et cap. 19. v. 26. *Rurſùm circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt.*

(*n*) Nomen compoſitum ex vocibus græcis ανθρωπος homo, & μορφη forma ſeu ſpecies.
(*o*) *Epiſt.* 147. *cap.* 20.

ſunt. Denique Luc. 3. v. 6. *Videbit omnis caro ſalutare Dei.* Ergo.

Reſp. Neg. ant. Ad 1. textum Geneſ. dicimus: Jacob vidiſſe Deum in perſona miniſtri ſui nempe Angeli; prout interpretatur Oſee Propheta c. 12. v. 3. & 4. qui dicit, Jacob luctatum fuiſſe cum Angelo. Ad 2. Exod. Moyſes, teſte S. Stephano Act. 7. v. 38. locutus eſt cum Angelo Dei vices gerente. Ad 3. Iſai. Viſus eſt ab Iſaia Deus ſedens ſuper ſolium vel in raptu & extaſi, vel in ſomnio per quasdam ſpecies ſenſibiles, prout interpretatur S. Auguſt. Epiſt. 147. Niſi volueris, quod abſurdum foret, Deum ad modum corporis extenſum eſſe & ſedere. Ad 4. Ex Job. dicimus, illum non loqui de viſione ſubſtantiæ divinæ, ſed de effectibus providentiæ Dei, quaſi diceret: O Deus! audiveram multa de tua providentia circa homines; nunc, quæ audivi, experimentô propriô diſco, & quaſi ad oculum video. Ad 5. ex eodem, dicimus ſenſum illius hunc eſſe, in hac carne reſurgam, & his oculis videbo Chriſtum Salvatorem meum, non quidem ſecundùm divinitatem, ſed ſecundùm humanitatem, quando apparebit in die Judicii judicaturus vivos & mortuos. Vel reſumpto proprio corpore Deum videbit, non quidem per carnem, ſed per mentem. Ita S. Auguſtinus. (*p*) Denique iſtud Luc. 3. *Videbit omnis caro ſalutare Dei*, S. Auguſt. Serm. 277. interpretatur de Chriſto incarnato, omnium Salvatore ac Redemptore. (*q*)

87 Ob. 2do. Ignis corporeus agere poteſt in rem ſpiritualem; torquet enim dæmones, & animas damnatorum in inferno: pariter aqua baptiſmalis gratiam ſpiritualem producit in anima baptiſati: item anima rationalis, licèt non extenſa, ſed ſpiritualis, unitur cum corpore extenſo ac materiali, & illud videt ac intuetur. Ergo etiam poteſt oculus corporeus eò elevari à Deo, ut Deum ipſum videat.

Reſp. Neg. conſ. diſparitas eſt, quia viſio eſt actio vitalis, quæ fluit à principio interno & vitali, & circa objectum potentiæ vitalis: ignis autem ad animas torquendas, & aqua baptiſmalis ad ſanctificandam animam confert, ut merum Dei inſtrumentum, qui re qualibet, tanquam inſtrumentô ad quodlibet non vitale uti poteſt; ſicut uſus eſt lutô ad viſum cœco nato reſtituendum. Unde in ejusmodi effectibus producendis nulla requiritur proportio inter inſtrumentum quô Deus utitur, & effectum; qualis tamen proportio neceſſaria eſt inter potentiam vitalem, quæ vitaliter agit, & objectum proportionatum.

Ad exemplum animæ rationalis, dicimus, eam cum corpore materiali tanquam ejus formam uniri; atque cùm nulli organo ex ſe ſe alligata ſit, eſſe quodammodò potentiam univerſalem, quæ circa quodcunque objectum cognoſcibile verſari poteſt: quamquam qua ratione id fiat, & corpori materiali conjungatur, explicari vix imò ne vix quidem à nobis poſſit. Vide quæ de ea diſſeruimus in Metaphyſica noſtra part. 2. cap. 3. Non ita porro eſt de potentia particulari v. g. oculo, quæ potentia ad certum objectum eſt determinata, & à certa organi diſpoſitione pendet, ut in actum erumpat.

§. II.

(*p*) *Lib. 22. de Civit. cap. 29.* (*q*) Vel juxta communem Scripturæ loquendi modum per vocem *caro* intelligitur *homo*. Senſus ergo eſt: *Videbit omnis homo ſalutare Dei*, oculis mentis nempe non corporis.

§. II.

88 *An Deus intuitivè videri poſſit ab intellectu creato & comprehendi.*

Duplex diſtinguitur Dei cognitio, abſtractiva ſcilicet, & intuitiva. Cognitio Dei abſtractiva, eſt ea, qua Deus per creaturas tanquam per medium ſeu motivum videtur, eſtque nonniſi impropriè viſio, quia viſio propriè eſt intuitio rei præſentis. Intuitiva eſt ea, per quam cognoſcitur Deus clarè in ſe ipſo, & ut eſt in ſe.

Armeni & recentiores Græci apud Armacanum (r), negant Deum etiam à beatis poſſe videri in ſe, & intuitivè, ſed tantùm in quadam ejus ſimilitudine, vel luce ab eo derivata. In oppoſitum errorem inciderunt Beguardi & Beguinæ docentes Deum etiam naturaliter ab intellectu humano videri poſſe, & animam non indigere lumine gloriæ ſeu auxiliô ſupernaturali ipſam elevante ad videndum Deum, & eo beatè fruendum. (s) Iis præiverat Eunomius cum ſuis, docens non ſolùm Deum clare videri, ſed etiam comprehendi naturaliter poſſe ab intellectu creato. (t) Contra eos ponitur

89 CONCLUSIO I.

Deus non poteſt intuitivè videri ab intellectu creato per ſolas naturæ vires: benè autem adjutô, elevatô, & corroboratô aliquo ſupernaturali auxiliô Dei, quod lumen gloriæ ſeu uberior Dei concurſus nuncupatur à Theologis.

Prob. 1ma pars Concluſionis, imò jam adductis Scripturæ teſtimoniis, quibus Deus inviſibilis dicitur: *Quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt.* 1. ad Timoth. 1. v. 16. Ubi Apoſtolus negat duntaxat, Deum videri poſſe naturaliter; nam 1. Corinth 13. Beatis tribuit in cœlo viſionem Dei intuitivam; & S. Joannes Epiſt. 1. c. 3. v. 2. affirmat, ei, cùm apparuerit, ſimiles nos futuros, *quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Ergo impoſſibilem duntaxat probant, vel per oculos corporis, vel per ſolas intellectûs creati vires.

Accedunt & alia teſtimonia, quæ gratiæ Dei beneficio adſcribunt intuitivam Dei viſionem: (u) *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Rom. 6. v. 23. *Gratia Dei vita æterna.* Joan. 17. v. 3. *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti JEſum Chriſtum.* Porro, ſi media, per quæ ad claram Dei viſionem, tanquam ad finem, pervenitur, ſunt ex gratia, non ex natura; ipſe quoque finis per gratiam, non per ſolam naturam comparari poteſt.

Prob. 2do. Ex SS. Patribus, pro omnibus ſit S. Epiphanius, qui Hæreſ. 70. num. 7. duo hæc ſimul conjungit, & Deum videri non poſſe per naturam, & videri poſſe per gratiam. *Deum quidem*, inquit, *videri præſertim ab humana natura non poſſe fatemur . . . . ſed inde tamen inviſibilis Deus, pro ſua humanitate ac potentia, imbecillam aciem ita virtute ſua corroborare dignatur, ut quod videri alioqui non poſſit, aſpiciat.* Item Ex definitione Concilii Vienneſis, quâ inter cæteros errores Beguardorum & Beguinarum hic numerô quintus damnatur: *Quòd qualibet intellectualis natura in ſe ipſa naturaliter eſt beata: quodque anima non indiget lumine gloriæ ipſam elevante ad Deum videndum, & eô beatè fruendum.*

Prob. 3tio Ratione. Potentia naturalis viribus ſuis permiſſa non poteſt elicere operationem ſupernaturalem: aliàs vel hæc potentia defineret eſſe naturalis, vel ipſius

(r) *Lib. 15. quæſtionum.* (s) Clementina quæ incipit: *Ad noſtrum*, de hæreticis. (t) Theodoret. lib. 4. Hæretic. fabul. (u) *Pſal.* 83. v. 12.

ipſius actio non eſſet ſupernaturalis. Ergo &c.

Præterea Dei viſio intuitiva longè ſuperat vires omnes & exigentiam naturæ: nam perfectior eſt, quàm actus v. g. fidei, ſpei & charitatis divinæ, qui, fide docente, naturæ noſtræ vires ſuperant. Ergo &c.

Prob. 2da pars Concluſionis, 1mo. Ex S. Scriptura. Matth. 5. v. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Joan. 14. v. 21. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo; & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum.* 1. Joan. 3. v. 2. *Cùm apparuerit, ſimiles ei erimus; quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* 1. Corinth. 13. v. 12. *Videmus nunc per ſpeculum in ægnimate, tunc autem facie ad faciem.* Denique conceditur re vera Sanctis in cœlo degentibus intuitiva & beatifica Dei viſio, ut ex profeſſo inferiùs demonſtraturi ſumus, ac manifeſtè patet ex Matth. 18. v. 10. *Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei*, inquit ibi Chriſtus ipſe. Ergo &c. &c.

Prob. 2do. Ex perpetua Eccleſiæ traditione, quam confirmavit Eugenius IV. in Decreto ſeu inſtructione Armenorum, ubi pronuntiat, *purgatas animas in cœlum mox recipi, & intueri clarè ipſum Deum trinum & unum ſicuti eſt.* Et Patres Francofordienſis Concilii in Epiſt ad Hiſpanos Præſules jam anteà dixerant: *Prædicamus Chriſtum verum Deum & vivum, ut ad ejus beatiſſimam viſionem pervenire mereamur, in qua eſt æterna beatitudo.*

Prob. 3tio. Ex Patribus. S. Joannes Chryſoſtomus in Parænesi 1. ad Theodorum lapſum cap. 7. exponens iſta verba S. Petri, Matth. 7. *Bonum eſt nos hîc eſſe*, ait: *Quid dicitur, quando ipſa rerum veritas aderit, quando apertis regiis ædibus, ipſum Regem conſpicere licebit; non ultra in ænigmate, neque per ſpeculum, ſed facie ad faciem; non ultra per fidem, ſed per ſpeciem?* Et in Oratione de S. Philogonio, *Hîc quidem*, inquit, *nemo Deum vidit; illic autem qui adſunt, perpetuò vident, quàtenus illum videre licet, non ſolùm præſentem, verùm etiam ſuæ gloriæ ſplendore condecorantem univerſum cœtum.*

Theodoretus Comment. in Epiſt ad Epheſ. *Nunc*, inquit, *bonorum, quæ ſpectantur, magnitudo eſt quidem omninò ignota fidelibus: fideles autem vident tanquam in ſpeculo & in ænigmate. Per fidem enim ambulant, non per ſpeciem: tunc autem videbunt facie ad faciem.*

S. Auguſtinus Epiſt. 112. cap. 5. *Scimus*, inquit, *poſſe Deum videri, quoniam ſcriptum eſt: beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Omittimus SS. Baſilium, Gregorios, Epiphanium, &c.

Prob. 4to Ratione. 1mo. Quia homini poſſibilis debet eſſe beatitudo, ad quam factus eſt. Atqui hominis beatitudo in viſione Dei eſt collocata. Ergo &c. 2do. Mens poteſt ſaltem per gratiam ſeu auxilium ſupernaturale id intelligere, quod intelligibile eſt; hoc enim eſt intra fines objecti ipſius. Atqui Deus, ut in ſe eſt, intelligi poteſt. Ergo poteſt ea ratione ab hominibus conſpici. 3tio. Illud meritò cenſetur poſſibile, quod nulla ratione demonſtrari poteſt impoſſibile. Atqui talis eſt viſio Dei intuitiva, ut patebit ex ſolutione objectionum. Ergo &c.

Quæri hîc etiam ſolet; an Deus non modò intuitivè, ſed etiam comprehenſivè, id eſt, non ſolùm ſecundùm ejus eſſentiam & omnes ejus perfectiones, ſed etiam ſecundùm omnes gradus perfectionũ virtuales inter ſe virtualiter diſtinctos, & omnia, ad quæ ejus potentia ac virtus poteſt ſe extendere, videri poſſit. Comprehenſio enim ſtrictè & propriè eſt adæquata, totalis, & perfecta rei cognitio, non tantùm ratione objecti, quod totum apprehenditur, ſed etiam ratione modi, quô apprehendi ſeu cognoſci poteſt, & exigit.

Quarto

Quartò Eccleſiæ Sæculô ex Arianis Eunomiani à capite ſuo Eunomio, & Anomæi ab errore, quo Filium Patri diſſimilem docebant, ita dicti, audaciùs jactitabant, ſe naturaliter Deum planè cognoſcere, & comprehendere. Sit

90 CONCLUSIO II.

Deus comprehendi nullatenus poteſt ab intellectu creato.

Prob. 1mo. Ex Scripturis. Jerem. 32. v. 19. *Magnus conſiliò, & incomprehenſibilis cogitatu.* Rom. 1. *Quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!* 1. Tim. 6. v. 16. *Lucem habitat inacceſſibilem.* Non quidem per excluſionem cognitionis ſimpliciter intuitivæ, ſed comprehenſivæ.

Prob. 2do. Ex communi SS. Patrum doctrina, S. Irenæi, lib. 4. c. 20. Cyrilli Hieroſolymitani, Catech. 6. Epiphanii, Hæreſ. 70. num. 7. Joannis Damaſceni, lib. 1. Orthod. Fidei, cap. 1. Ambroſii, in Lucam. Auguſtini, Epiſt. 112. & 147. item Serm. 117. aliàs 38. de verbis Domini ſimpliciter dicentium, *Deum eſſe incomprehenſibilem.*

Accedit auctoritas Concilii Lateranenſis IV. ſub Innocentio III. cap. 1. *Firmiter credimus*, ajunt Concilii Patres, *quòd unus ſolus ſit Deus, æternus, immenſus, incomprehenſibilis.*

Prob. 3tio. Ratione. Ad cognitionem Dei comprehenſivam requiritur non tantùm, ut Deus videatur totus, nec quidquam eum, qui illum videt, lateat, ſed etiam ut videatur totaliter, hoc eſt, tam perfectè ac videri poteſt ac exigit, ita ut, ſicut Deus in ſe infinitus eſt, ita videatur ut infinitus, & modô infinitô. Atqui Deus hacce ratione à ſe ipſo ſolo concipi poteſt. Ergo &c. Prob. min. Si hac ratione Deus à creatura cognoſci ac videri poſſet, tunc infinitum adæquari poſſet à finito, atque hoc ipsô desineret eſſe infinitum. Ergo, &c.

Confirmatur exemplô hominis, qui è ſubliniori ſpecula mare aut cœlum per anguſtum foramen intuetur: is quidem mare videt & cœlum, ſed non totum, nec quantum ad omnem maris ac cœli extenſionem; ſic, à pari, mens creata finita, non poteſt modô infinitô Deum cognoſcere, neque etiam Deus totaliter & adæquatè à creatura cognoſci: licèt enim beati in cœlo videant apertè ac intuitivè quæ Deo eſſentialia ſunt, ac neceſſaria, non tamen ea vident tam perfectè, ac videri poſſunt & exigunt. Inſuper non vident omnia libera Dei decreta, & omnes reſpectus Dei ad creaturas, modoſque omnes infinitos, quibus ad eas ferri, & terminari poteſt.

Solvuntur Objectiones. 91

Ob. 1mo contra 1mam partem Concluſionis 1mæ. Vel Deus continetur intrà limites objecti ſpecifici intellectûs noſtri, vel extrà: Si primum, tunc naturaliter; Si ſecundum, tunc ne quidem per gratiam, ac lumen gloriæ videri poteſt ab intellectu creato. Ergo &c.

Reſp. Diſt. ant. Deus generatim continetur intra limites objecti generalis intellectûs creati; eſt quippe intelligibilis, necnon intellectus eſt potentia intellectiva, quæ remotè ac inchoatè vim habet videndi Deum, conc. Continetur intra limites objecti connaturalis & portionati, neg. ant. Intellectiva hominis potentia ſeu facultas ſine beneficio gratiæ ac luminis gloriæ proxima & completa non eſt ad videndum Deum, quia finita eſt, Deus autem, qui eſt objectum ipſius, infinitus.

Ob. 2do. Objectum, quod finitô duntaxat modô attingi poteſt ab intellectu creato, ipſi connaturale, ac proportionatum dici poteſt. Atqui Deus finitô modô attingi poteſt ab intellectu creato. Ergo, &c. 92

Digitized by Google

Reſp. neg. ant. Nam actus fidei, ſpei, & charitatis finitò modô eliciuntur; nec tamen fieri poſſunt ſine auxilio ſupernaturalis gratiæ. Ratio eſt, quia diſproportio inter objectum & potentiam ſeu facultatem non tam attendi debet ex parte modi tendendi in objectum, quàm ex parte diſtantiæ, quæ eſt inter objectum ſupernaturale, & facultatem purè naturalem, quæ tanta eſt in re præſenti, ut intellectus, niſi ſuperiori auxiliô roboretur, nuſquam poſſit Deum, ut eſt in ſe, intuitivè videre.

93 Ob. 3tio contra 2dam partem Concluſionis 1mæ. Scriptura & Patres dicunt, Deum eſſe inviſibilem, & videri non poſſe ab homine. Ergo &c.

Reſp. Scriptura & Patres ſolùm intelligunt, Deum videri non poſſe vel oculô corporeô, vel ſolis naturæ viribus, vel comprehenſivè, vel in hac vita ſaltem de lege ordinaria. At non negant, imò aſſerunt, Deum in cœlo videri intuitivè à beatis ope luminis gloriæ, quamvis non comprehenſivè. Porro lumen gloriæ eſt auxilium ſupernaturale, ſeu habitus intellectualis ſupernaturalis, quô intellectus elevatur, corroboratur, & intrinſecè completur ad intuitivam Dei viſionem.

94 Ob. 4to. Nulla eſt proportio inter Deum ſeu divinam eſſentiam, & intellectum creatum; neque potentia finita tendere poteſt in objectum infinitum. Atqui Deus clarè videndus eſt objectum infinitum, intellectus autem eſt potentia finita. Ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Nulla eſt proportio inter Deum ſeu divinam eſſentiam, & intellectum creatum, quoad entitatem, conc. quoad habitudinem, potentiæ ſcilicet ſeu facultatis ad ſuum objectum, ſubdiſting. completa, conc. incompleta & inchoata, neg. Pariter diſt. Potentia finita tendere non poteſt modô infinitô & comprehenſô in objectum infinitum, conc. modô finitô, neg. aliàs ne quidem circa Deum abſtractivè videndum ferri poſſet intellectus, quia Deus in ſe eſt ſemper infinitus.

Ob. 5to contra 2dam Concluſionem. 95
Si ad cognitionem Dei comprehenſivam neceſſe foret, eam ex parte ſubjecti fieri modô infinitô, Angelus v. g. ne quidem muſcam aut atomum comprehendere poſſet; quia hæc nobiliori modô ac infinitô à Deo cognoſci ſemper poſſunt, quàm à quocunque intellectu creato. Ergo, &c.

Reſp. neg. ſeq. Quia licèt atomus vel muſca poſſit à Deo cognoſci modô infinitô, & re vera cognoſcatur, non tamen id exigit atomi vel muſcæ natura, utpotè finita; è contra id poſtulat & exigit Dei eſſentia, utpotè infinita.

Ob. 6to. Ex S. Auguſtino Epiſt. 147. 96
cap. 8. *Totum comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem.* Atqui Deus ita videtur in cœlis; ſimpliciſſimus quippe eſt, ac totus videtur ſicuti eſt, 1. Joan. 3. v. 2. Ergo, &c.

Reſp. Diſt. maj. Si modô infinitô fiat viſio, ſeu cognitio, conc. Si modô duntaxat finitô, prout fit intellectûs creati viſio, & cognitio, neg. maj. Vel iterum diſt. Ut nihil ejus lateat videntem, tam quoad Dei ſubſtantiam, quàm modos omnes externos, quibus ad creaturas ferri ac terminari poteſt, conc. quoad ſubſtantiam duntaxat Dei, neg. Reſponſio patet ex ſupra dictis.

Urg. Deus eſt ſimpliciſſimus, & videtur *ſicuti eſt.* Ergo totus videtur ut infinitus.

Reſp. Diſt. conſ. videtur totus, ſed non totaliter, quia non videtur ut habens infinitos ad creaturas reſpectus, conc. videtur totaliter, neg. conſ. Non enim videtur modô infinitô, ſicut videri poteſt, & exigit. Verba hæc *Videbimus eum, ſicuti eſt*, non adſtruunt viſionem comprehenſivam, ſed intuitivam dun-

taxat,

Digitized by Google

taxat, excluſa nimirum ex cœlo viſione obſcura & abſtractiva.

97 Ob. 7mo. Ex Apoſtolo 1. Corinth. 13. v. 12: *Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum*, nempe à Deo. Atqui cognitus eſt à Deo cognitione perfecta, & comprehenſiva. Ergo, &c.

Reſp. particulam *ſicut* eo loci perfectam æqualitatem non arguere, ſicut & quando jubemur *eſſe perfecti, ſicut Pater noſter, qui in cœlis eſt*; ſed hoc unum vult Apoſtolus, futurum ſcilicet aliquando, ut Deum clarè ac intuitivè cognoſcat, non per ſpeculum duntaxat & in ænigmate, ut fit in hac vita: quamvis nunquam continget, nec contingere poſſit, ut tam perfectè Deum cognoſcat, quàm à Deo ipſe cognoſcitur.

98 Ob. 8vo. 1. Cor. 9. dicitur: *Sic currite, ut comprehendatis.* Et Philipp. 3. *Sequor autem, ſi quo modo comprehendam.*

Reſp. Diſt. Comprehenſione impropriè dicta, nempe pro rei aſſecutione, conc. proprie dicta ſeu perfecta & adæquata Dei cognitione. neg.

99 Ob. 9no. Tota divinitas uniri potuit in Chriſto unione perſonali & hypoſtatica cum natura humana. Ergo pariter tota poterit uniri cum intellectu unione intellectiva perfectiſſima.

Reſp. Diſt. ant. Tota divinitas uniri potuit in Chriſto unione perſonali ſecundùm modum & finitam capacitatem humanitatis, conc. ſecundùm omnem & infinitum modum, neg ant. Similiter divina eſſentia in ratione objecti uniri poteſt cum intellectu creato, ſed modô proportionatô finitæ ejus capacitati; non verò modô infinitô & comprehenſivô.

§. III.

Utrum Juſti plenè purgati, ſeu quibus nihil luendum ſupereſt, ſtatim à morte, & ante ultimum ac generale Judicium intuitiva Dei viſione donentur. 100

Jam primô Eccleſiæ Sæculô Cerinthiani, à Cerintho ſic dicti, mille annos poſt reſurrectionem in terreno Chriſti regno ſecundùm carnales ventris & libidinis voluptates, futuros homines fabulabantur. (*x*) Unde *Chiliaſtæ*, hoc eſt, Millenarii ſunt appellati. Ita S. Auguſt. *lib. de Hæreſ. n.* 8. & ant. ipſum Dionyſ. Alexand. apud Euſeb. *lib.* 3. *Hiſt. c.* 28.

Fuit aliud Millenariorum genus non ita craſſum, turpe ac impurum, auctore ac duce Papia Hierapolitano in Aſia Epiſcopo, qui Sæculô Eccleſiæ ſecundô vixit, virô, ut ait Euſebius (*y*), mediocri admodùm ingeniô. Admittebat ille in eo mille annorum regno corporeas voluptates, non quidem illicitas & impuras, ſed licitas & inculpatas. Papiæ famâ & pietate plures commoti, in eundem errorem perducti ſunt, *Hominis vetuſtate ſententiam ſuam tuentes*, ait idem Euſebius.

In Papiæ errorem abiiſſe videntur plures Patres, Irenæus (*z*), Tertullianus contra Marcionem (*a*), Lactantius. (*b*) Imò, usque ad tempora Concilii Florentini, Græcos aliquos occupaſſe videtur; atque etiam poſt hujus Concilii definitionem eandem opinionem tueri videntur Armeni, & Græci Schiſmatici, & apertè ſatis Calvinus eam adoptat lib. 4. Inſtit. c. 20.

Hi omnes ergo docuerunt, neminem Dei viſione fruiturum, niſi poſt diem genera-

(*x*) Vid. Tom. 1. Tract. 1. de S. Script. part. 2. Sect. 2. cap. 4. de Apocalypſi. (*y*) *Lib.* 3. *Hiſt. cap.* 39. (*z*) *Lib.* 5. *cap.* 31. (*a*) *Lib.* 4. (*b*) Horum Patrum ſententia in eo diverſa fuiſſe videtur ab opinione Papiæ, quòd in iſto mille annorum regno, corporeis, etiam licitis, voluptatibus ultrò rejectis, ſolas ſpirituales animi delicias admitterent duntaxat.

generalis Judicii; in quam ſententiam ante Concilium Florentinum propendiſſe, ſi non abiiſſe videtur Joannes Papa XXII. (*e*) Contra quos omnes ponitur

101 CONCLUSIO.

Animæ Juſtorum, quibus nihil luendum ſupereſt, ſtatim ac corpore ſolutæ ſunt, & antè ultimum ac generale Judicium, fruuntur intuitiva Dei viſione.

Prob. 1mo. Ex Scripturis triplici argumentô. 1mum ex iis locis, quibus declaratur poſt reſurrectionem nullum ampliùs futurum corporeis voluptatibus locum, ſicut fingebant Cerinthus, & Papias. Matth. 22. v 30. *In reſurrectione neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei.* Et cap. 25. v. 34. poſt enarratam Antichriſti perſecutionem, ſtatim ultimum deſcribitur Judicium, ac bonis præmium, malis verò æternum decernitur ſupplicium. *Venite, benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis à conſtitutione mundi regnum.... Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.*

Secundum argumentum petitur ex iis locis quibus conſtat, ſtatim à morte nos intuitiva Dei viſione donari, ſi eâ digni fuerimus. 2. Cor. 5. v. 1. *Scimus, quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quòd ædificationem ex Deo habeamus, domum non manufactam, æternam in cœlo.* Et v. 4. *In hoc Sæculo ingemiſcimus gravati, eo quòd nolumus expoliari, ſed ſuperveſtiri.... Scientes, quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino: (per fidem ambulamus, non per ſpeciem) audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum.* Ex Apoſtolo igitur, idcircò habemus voluntatem peregrinandi à corpore, ut præſentes ſimus ad Dominum, & ut jam non per fidem ambulemus, ſed per ſpeciem; id eſt ut ſoluti à corpore noſtro humano, ſtatim beatitudine cœleſti, id eſt, intuitiva Dei viſione, fruamur. Certè ſi nemo videret Deum niſi poſt reſurrectionem, non diceret Apoſtolus *ſe optare peregrinari à corpore, ut non peregrinaretur à Domino:* nam poſt mortem ſimul ab utroque peregrinaretur. Item non diceret ad Philipp. c. 1. v. 23. *ſe cupere diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*, ſi ſtatim poſt diſſolutionem corporis ſui cum Chriſto eſſe non poſſet, & ejus intuitiva viſione frui.

Tertium argumentum. Scriptura declarat ante ultimum ac generale Judicium, ſtatim à morte aliquod eſſe particulare, in quo uniuſcujusque ſors pro conditione operum rata eſt ac definita vel ad gloriam in cœlo, vel ad ſupplicium in inferno. Eccleſiaſtici 11. v. 28. generatim Sapiens pronuntiat: *Facile eſt coram Deo in die obitûs retribuere unicuique ſecundùm vias ſuas.* Pſal. 126. v. 3. *Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini.* Denique Heb. 9. v. 27. *Statutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium.*

Confirmatur exemplô boni latronis, cui Chriſtus dixit: *Hodie mecum eris in paradiſo*, Luc. 23. v. 42. Et divitis epulonis, de quo ibidem c. 16. dicitur, *mortuus eſt, ac infernô ſepultus, ubi flammâ cruciatur*, v. 24. quo manifeſtum fit, animas Juſtorum, quibus nihil luendum ſupereſt, ſtatim poſt mortem frui intuitiva Dei viſione, peccatorum verò animas pœnam damni in inferno pati.

Prob. 2do. Ex Traditione utriusque Eccleſiæ, Græcæ ac Latinæ. Ex Græcis. S. Ignatius, Ep. ad Romanos dicit ſe per martyrium proficiſci de mundo ad Deum, & ſe audire vocem ſibi interiùs dicentem, *veni ad Patrem. Obſecro vos*, inquit ulteriùs, *ne intempeſtivâ benevolentiâ erga me ſitis: ſinite me ferarum eſcam fieri, per*

(*e*) Eccleſiæ rebus præfuit Sæculô 14tô ab an. Chr. 1316. usque ad an. 1334.

Digitized by Google

per quas licet Deum adipiſci... ſinite me purū lumen haurire; cùm illic fuero, homo Dei ero.

S. Polycarpus, Ep. ad Philipp. de S. Paulo cæteriſque Apoſtolis hæc ſcribit, (*d*) *Pro certo habentes, quòd hi omnes non fruſtrà cucurrerunt; ſed in fide ac juſtitia ingreſſi, ad locum ſibi à Deo debitum pervenerunt, quandoquidem & paſſionum ejus participes extiterant.*

Favet etiam teſtimonium Eccleſiæ Smyrnenſis in Ep. quam de martyrio S. Polycarpi ad Eccleſias univerſas ſcripſit, apud Euſeb. lib. 4. Hiſt. c. 15.

S. Juſtinus Dial. cum Triphone & S. Irenæus lib. 5. c. 35. quamvis Millenariorum fabulæ patrocinarentur, nihilominus fatentur plures Catholicos hujus dogmatis, quod *puram piamque Chriſtianorum ſententiam* nuncupat S. Juſtinus, aſſertores fuiſſe.

Noſtram quoque & Eccleſiæ ſententiam tuiti ſunt SS. Patres, Clemens Alexandrinus, l. 5. Strom. Origenes, Prolog. in Cant. S. Baſilius Hom. in 40. Martyres. S. Chryſoſtomus, Hom. de S. Philogono, & in Pſal. 41. S. Epiphanius, Hæreſ. 77. S. Gregorius Nazianz. Orat. de S. Baſilio in fine, Deum ſic alloquitur, *Nos poſteaquàm ex hac vita migraverimus, illic tabernaculis tuis excipias, ut ſimul viventes, & ſanctam ac beatam Trinitatem, cujus nunc exiguam ſpeciem & imaginem accepimus, puriùs perfectiùsque conſpicientes, deſideriis noſtris finem ſtatuamus.*

Ex Latinis. S. Cyprianus, Tract. de exhortatione martyrii ad Fortunatum eleganter fidem Eccleſiæ hîc exponit: *Baptiſma* (ſanguinis) ait, in præfat. *nos de malo recedentes ſtatim Deo copulat.* Et in fine libri hujus ſeu Tractatus, *Quanta eſt dignitas*, inquit, *& quanta eſt ſecuritas exire hinc lætum? .... claudere in momento oculos, quibus homines videbantur & mundus, aperire eoſdem ſtatim, ut Deus videatur & Chriſtus.*

S. Ambroſius, Ep. 15. aliàs 59. n. 4. *Acolius*, inquit, *ſuperiorum incola, poſſeſſor civitatis æternæ illius Hieruſalem, quæ in cælo eſt, videt illic urbis ejus menſuram, purum aurum, lapidem pretioſum, lumen ſine ſole perpetuum, & hæc omnia jam dudum quidem ſibi comperta, ſed nunc facie ad faciem.* Et lib. 10. in Lucam tractans de lapſu S. Petri, *Unde*, inquit, *te evocem, Petre, ut doceas me, quid flens cogitaveris? Unde, inquam, te evocem? de cælo, ubi jam choro inſertus es Angelorum.*

S. Hieronymus Vigilantium errori Millenariorum adhærentem ex profeſſo confutat, librô adversùs ipſum editô. Et in Pſal. 67. de Chriſto ait: *Cælorum excelſa conſcendens, eos, qui in captivitate diaboli tenebantur, abſolvit, ac poſt ſe tanquam captivos deductos æternæ vitæ reſtituit.*

S. Auguſtinus lib. 9. Confeſſ. c. 3. n. 6. de Nebridio amico ſuo ſic loquitur. *Et nunc ille vivit in ſinu Abraham. Quidquid illud eſt, quod illo ſignificatur ſinu; ibi Nebridius meus vivit.* Et paulò poſt, converſa ad Deum oratione, *Jam*, inquit, *non ponit aurem ad os meum, ſed ſpiritualem os ad fontem tuum, & bibit, quantum poteſt ſapientiam pro aviditate ſua, ſine fine felix.*

S. Gregorius Magnus lib. 35. Moral. c. 8. *Ante reſurrectionem*, inquit, *Sancti ſingulas ſtolas accipiunt, quia ſola animarum beatitudine perfruuntur. In fine autem mundi binas habituri ſunt; quia cum mentis beatitudine etiam carnis beati gloriam poſſidebunt.* (*e*)

(*d*) Apud Euſeb lib. 3. Hiſt. c. 36 (*e*) Duplex diſtinguitur Sanctorum beatitudo; una perfecta & adæquata, quæ animæ ſimul & corporis felicitatem complectitur, quâ primùm reſumptis poſt generalem reſurrectionem corporibus donabuntur, quæ & extenſive ſaltem, ex unione ſcilicet animæ cum ſuo corpore, tunc augebitur. Lege etiam S. Bernardum, Serm. 3. in feſto omnium Sanctorum, n. 1 Imperfecta altera & inadæquata, quæ animæ duntaxat beatitudinem reſpicit, quâ ipſa, ſtatim ac à corpore ſoluta fuerit, donabitur.

Prob. 3tio. Ex Conciliis his Patribus poſterioribus, quæ conſtantem hanc Eccleſiæ Traditionem confirmârunt. Lugdunenſe II. annô 1247. in Profeſſione fidei, *Credimus .... illorum animas, qui, poſt ſacrum Baptiſma ſuſceptum, nullam omninò peccati maculam incurrerunt: illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis manentes corporibus, vel eiſdem exutæ, ſunt purgatæ, mox in cælum recipi.*

Florentinum annô 1439. in Decreto ſeu definitione fidei, cui Græci pariter ac Latini ſubſcripsêre, mox laudata Concilii Lugdunenſis verba repetit, quibus majoris claritatis gratiâ hæc adjungunt Patres: *Et intueri clarè ipſum Deum trinum & unum, ſicuti eſt, pro meritorum tamen diverſitate, alium aliô perfectiùs.*

Tridentinum Seſſ. 25. de invocatione Sanctorum docet, *Sanctos una cum Chriſto regnantes, orationes ſuas pro hominibus Deo offerre .... illos verò qui negant Sanctos æterna felicitate in cælo fruentes invocandos eſſe ... impiè ſentire.*

Hanc eſſe fidem ſuam, uſu ipſo ac quotidianâ praxi Eccleſia declarat in ſuis publicis orationibus, ubi teſtatur, Sanctorum animas in cœlo jam aperto Dei conſpectu potiri. *Legem autem credendi ſtatuit lex ſupplicandi*, inquit Cœleſtinus Papa in Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ.

Prob. 4to. multiplici ratione. 1ma petitur ex ſtatu ſanctorum Angelorum, qui ſtatim à finali perſeverantia, in cœlis æterna felicitate donati ſunt, de quibus dicitur Matth. 18. v. 10. *Angeli eorum* (parvulorum) *ſemper vident faciem Patris mei.* Atqui certa eſt SS. Patrum doctrina, animabus Sanctorum eandem cum Angelis felicitatem & gloriam eſſe concedendam. Ergo &c.

2da. ex ſtatu impiorum, qui ſtatim à morte æternis ſuppliciis addicuntur, prout ſuprà num. 101. adnotavimus. (*f*) Atqui Deus pronior eſt ad rependendam mercedem, quàm ad pœnam infligendam.

3tia. repetitur ex Fidelium ſenſu ac praxi, qui Sanctos plenè purgatos vocant beatos, eorumque apud Deum opem & patrocinium implorant.

Solvuntur Objectiones. 102

Ob. 1mo. Matth. c. 25. Electi in extremo tantùm judicio audient hæc Chriſti verba: *Venite Benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione Mundi* Ergo.

Reſp. neg. conſ. Adducta Chriſti verba intelliguntur de beatitudine completa etiam integraliter, quæ tum animæ, tum corporis gloriam complectitur. (*g*) Vel hæc verba ſignificant ſolùm publicam declarationem & confirmationem ſententiæ ſtatim poſt mortem latæ.

Ob. 2do. Matth. c. 20. in parabola 103
operariorum, denarius diurnus, quô ſignificatur merces bonis operibus rependenda, non perſolvitur niſi ſub veſperam, quâ deſignatur mundi finis. Ergo &c.

Reſp. Per veſperam deſignatur cujusque privati dies ultima. Vel ſi per veſperam velis intelligi finem mundi, tunc denarius diurnus ſignificabit mercedem completam integraliter, quæ in animæ ſimul & corporis gloria ac beatitudine conſiſtit. Adde, quòd in parabolis non ſemper attendi debeant omnes circumſtantiæ, cùm ſæpè quædam poſitæ ſint ad ornatum duntaxat, & ut narratio veriſimilis ac humanæ conſuetudini accommodata reddatur; ſed attendi debeat ſcopus ad quem proferuntur.

Ob.

(*f*) Ex hiſtoria divitis Epulonis, qui fatetur ſe cruciari in flamma, Luc. 10. (*g*) Vide notam *ſup. num.* 101. quæ incipit; *Duplex diſtinguitur &c.*

Digitized by Google

104 Ob. 3tio. Apocalyp. c. 6. v. 9. & 10. S. Joannes ait, *ſe vidiſſe ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei ... Et clamabant voce magna dicentes, usquequò, Domine, non judicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de iis, qui habitant in terra?* Quibus v. 11. dicitur, *ut requieſcant adhuc tempus modicum, donec compleantur conſervi eorum, & fratres eorum, qui interficiendi ſunt ſicut illi.* Ex quibus verbis ſic arguitur: Animæ quæ ſunt ſub altari, & expectant, donec impleatur numerus fratrum, hoc eſt, Electorum omnium, nondum fruuntur viſione Dei clara & intuitiva. Atqui tales animas ſe vidiſſe teſtatur S. Joannes loc. cit. Ergo, &c.

Reſp. neg. maj. Altare quippe illud, de quo S. Joannes, non eſt locus quidam ſubterraneus, ſed cœlum ipſum, in quo quieſcunt, ac Deô plenè fruuntur animæ Sanctorum, de quibus cit. c. 6. v. 11. dicitur, *Data ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ.* Et c. 7. v. 9. S. Joannes dicit, *ſe eosdem Sanctos vidiſſe ſtantes ante thronum & in conſpectu agni, amictos ſtolis albis, & palmas in manibus habentes.* Et c. 20. v. 4. *Vidi*, ait, *Sedes, & ſederunt ſuper eas, & judicium datum eſt illis.* Quibus verbis apertè ſignificatur, animabus illis jam tum conceſſam fuiſſe æternam ex Dei viſione felicitatem. Clamor ergo ille, ac vindicta ſanguinis, quam poſtulant, nihil aliud eſt, quàm tum ardens deſiderium, quô animæ illæ tenentur corpora ſua reſumendi, ad completam nempe beatitudinem; tum zelus & ſtudium declarandæ divinæ juſtitiæ: completa enim, & ex omni parte perfecta non erit Sanctorum felicitas, niſi reſumptis poſt generalem carnis reſurrectionem corporibus, prout ſupra memoravimus; (b) hæc autem felicitatis pars, ſeu complementum differtur usque ad ultimum Judicii diem, donec numerus fratrum compleatur.

Ob. 4to. Ibid. c. 20. v. 2. dicitur 105
Angelus *ligaſſe diabolum per annos mille, ut non ſeducat amplius gentes, donec conſumentur mille anni.* Item: *Qui non adoraverunt beſtiam .... vixerunt, & regnaverunt cum Chriſto mille annis.* Additur: *Hæc eſt reſurrectio prima .... In his ſecunda mors non habet poteſtatem; ſed erunt Sacerdotes Dei & Chriſti, & regnabunt cum illo mille annis.* Quibus declarari videtur duplicem futuram reſurrectionem, primam juſtorum, qui regnabunt cum Chriſto mille annis; ſecundam impiorum, quæ poſt illud tempus futura eſt. Ergo, &c.

Reſp. conc. textus, & neg. illatum. Ad 1mum dicimus cum S. Auguſtino lib. 20. de Civ. c. 7. Illis mille annis ſignificari totum tempus, quod à primo Chriſti adventu usque ad Antichriſti adventum fluet. Quo tempore diabolus ligatus dicitur, quia liberâ nocendi juſtis, ac præſertim Prædeſtinatis facultate caret, quæ tamen amplior concedetur tempore Antichriſti.

Ad 2dum dicimus, Mille prioribus annis deſignari totum tempus, quod à primo Chriſti adventu usque ad extremum judicii diem futurum eſt. Quo tempore Sancti ſecundùm animam cum Chriſto regnabunt in cœlis per gloriam eſſentialem. Per primam autem reſurrectionem intelligitur beatitudo animæ à corpore ſeparatæ ante Judicium generale futura. Mille verò poſteriores anni deſignant æternitatem futuram poſt ultimum generalis Judicii diem; nam poſt diem illum Prædeſtinati completa, & integra beatitudine, animæ ſcilicet & corporis gloriâ, in æternum fruentur. Porrò æternitas in Scriptura interdum diuturnô temporis ſpatiô deſignatur,

(b) Num. 101. in nota, quæ incipit; *Duplex diſtinguitur &c.*

Digitized by Google

gnatur, quemadmodum diuturnum tempus per æternitatem ſignificatur. Vide etiam ea, quæ Tom. 1. Tract. 1. de Sacra Scriptura, part. 2. Sect. 2. c. 4. de Apocalypſi diſſeruimus.

106 Ob. 5to. Ex S. Paulo, Heb. 11. v. 13. Sancti veteris Teſtamenti non niſi poſt generalem carnis reſurrectionem Deum intuitivè viſuri ſunt. *Juxta fidem*, inquit, *defuncti ſunt omnes iſti non acceptis repromiſſionibus.* Et v. 16. *Nunc autem meliorem appetunt patriam, id eſt, cæleſtem.* Ergo, &c.

Reſp. neg. ant. Sancti veteris Teſtamenti repromiſſiones factas de æterna per viſionem Dei felicitate ante Chriſtum adepti quidem non fuerunt, quia nemini nini cœlum patuit, niſi poſt deſcenſum Chriſti ad inferos, *unde captivam duxit captivitatem.* Cùm verò Apoſtolus ait, eos *nunc* meliorem appetere patriam, particula *nunc* non denotat ipſum tempus, quô Apoſtolus loquebatur, ſed locum tenet adverſativæ, *ſed*, *atqui*; & ſenſus eſt, animas illas ante Chriſti aſcenſum in cœlum, repromiſſiones ſibi factas adeptas non fuiſſe, *ſed* eas expectaſſe, quas poſt adventum Chriſti liberatoris obtinuerunt.

107 Ob. 6to. Eccleſia in ſuis Liturgiis generatim ac ſine ullo diſcrimine orat pro omnibus defunctis, ut Deus illis locum quietis ac refrigerii concedere dignetur; orat pro Apoſtolis, pro Martyribus, quin etiam pro beata Virgine, quibus tamen nihil luendum ac purgandum ſupereſſe certum eſt; orat etiam diu longè poſt mortem Fidelium, ut Deus eorum animas liberet *de morte æterna*, *in die illa tremenda*, *quando cæli movendi ſunt & terra*; orat ut eas liberet *de pœnis inferni*, *& de profundo lacu, de ore leonis*, *ne abſorbeat eas tartarus*, *ne cadant in obſcurum*, *&c.* Ergo ſupponit, Apoſtolos, Martyres, beatam Virginem ipſam nondum divina frui viſione; ergo ſupponit in privato Judicio nondum definitam eſſe fidelium ſortem, ac pro illis Deum eſſe exorandum, ut eas à pœnis inferni liberet.

Reſp. 1mo. diſt. ant. Eccleſia generatim, & ſine ullo diſcrimine orat pro omnibus fidelibus defunctis, ita ut orationes illæ per accommodam diſtributionem ad varium ſcopum & finem tendant ac referantur, conc. Ita ut ad unum & eundem ſcopum ac finem referantur, neg. ant. Cùm in orationibus Liturgicis mentio fit Apoſtolorum, Martyrum, B. Virginis; orationes illæ non eo fine ad Deum diriguntur, ut pro illis Sanctis, quorum tàm perſpecta & probata eſt felicitas, rogetur æterna beatitudo, ſed ut ſuos ipſis triumphos gratulemur; ut in honore & cultu creſcant apud homines; ut eorum opem ac gratiam apud Deum imploremus, ac ipſi pro conceſſis beneficiis immortales gratias referamus. Pro iis verò, quibus aliquid in Purgatorio luendum ſupereſt, orationes proficiunt, ac utiles ſunt, ut à pœnis vel totam liberationem, vel earum ſaltem mitigationem aliquam ac levamen obtineant. Ita S. Auguſtinus (*i*) & S. Epiphanius. (*k*)

Reſp. 2do. preces, quas Eccleſia longè poſt obitum fidelium ad Deum fundit, referri ad diem ipſam mortis. Eccleſia ſcilicet rem præteritam velut futuram ex deſiderii ſui ardore conſiderat, atque Religionis myſteria, tametſi jam diu adimpleta, feſtiva recordatione ſic exprimit ac celebrat, quaſi jam tùm adimplerentur, aut forent adimplenda. Ita tempore Adventûs poſtulat, ut citò veniat Chriſtus. *Rorate*, inquit, *cæli deſuper, & nubes pluant juſtum: aperiatur terra, & germinet*

(*i*) In Enchirid. ad Laurentium c. 110. (*k*) Epiph. hæreſ. 75. n. 7.

net Salvatorem. Et tempore Paſchali ait, *Hodie Chriſtus ſurrexit.* Et ita de cæteris: non quòd ignoret, jam diu adveniſſe Chriſtum, illum mortuum, & à mortuis ſuſcitatum; ſed quòd celebrando memoriam temporis illius, quô natus, mortuus, & à mortuis ſuſcitatus eſt, nativitatem, mortem & reſurrectionem ipſius ſpectet, quaſi jam tùm primùm implerentur. Ita S. Auguſtinus. (*l*) Hoc ipſo ſenſu exponi debent preces, quas Eccleſia pro defunctis, etiam diu poſt eorum obitum, fundit ad Deum, ut eos liberet à pœnis inferni; eas ſcilicet ad diem mortis referendo.

108 Ob. 7timo. Benè multi ex veteribus Eccleſiæ Scriptoribus, ut Juſtinus, Irenæus, Tertullianus, Nepos, Theophilus Antiochenus, Lactantius &c. Papiæ, aliorumque Millenariorum ſententiæ adhæſerunt. Alii verò, ut Hilarius, in Pſalm. 138. Chryſoſtomus, Hom. 39. in 1. Epiſt. ad Corinth. S. Ambroſius, lib. de bono mortis c. 10. Imò etiam S. Bernardus Sæculi 12mi Scriptor, ſerm. 3. de omnibus Sanctis, docent, animas juſtorum ſine labe ex hac vita decedentium æterna Dei viſione ante corporum reſurrectionem, & extremum Judicii diem non fruituras. Quam ſententiam ipſe Joannes Papa XXII. Sæculô 14tô amplexus eſt. Sanctus denique Auguſtinus circa hanc quæſtionem dubius fuit, nam lib. 1. Retract. c. 14. ait, *De ſanctis hominibus jam defunctis, utrum ipſi ſaltem dicendi ſint jam in illa poſſeſſione conſiſtere, meritò quæritur.* Ergo etiam poſt tot ſanctos & veteres Eccleſiæ Doctores & Patres etiam nunc meritò ſententia, quam ipſi protulerunt, propugnari poterit, aut ſaltem contraria in dubium adduci.

Reſp. tranſ. ant. neg. conſ. Eccleſiæ fides non ex aliquorum duntaxat Catholicorum ſententia judicanda & æſtimanda eſt, longè pluribus ex altera parte reclamantibus: porrò multò plures, etiam ſecundô & ſubſequentibus Eccleſiæ Sæculis, Millenariorum errori repugnaſſe, atque noſtram de immediata poſt mortem Dei viſione ſententiam propugnaſſe ex dictis conſtat; nec diſſimulârunt Juſtinus & Irenæus, multos inter fideles Chriſtianos ſibi ea in re adverſatos fuiſſe. Vigebat igitur etiam tunc temporis in Eccleſia Dei doctrinæ veritas adversùs errorem, tametſi nondum plenè fuiſſet eliquata & definita: undè multi abſque culpa & hæreſeos vitio errare potuerunt; error enim ex ignorantia & humana infirmitate naſcitur, hæreſis verò ex animi pertinacia, quæ veritati definitæ pervicaciùs reluctatur. Hanc regulam tradit etiam S. Auguſtinus, Ep. 43. aliàs 162. c. 1. n. 1. At poſtquam Eccleſia in Conciliis Lugdunenſi II. Florentino, & Tridentino ſupra citatis definivit, animas Sanctorum, quibus nihil luendum ſupereſt, ſtatim ac corporibus ſolutæ ſunt, frui viſione Dei intuitiva, nemini citra hæreſis notam contrarium aſſerere vel tueri licet.

Porrò non multùm hîc nobis laborandum eſſe arbitramur, ut ea, quæ mox adducti Patres paulò involutè aut durè circa hanc quæſtionem elocuti ſunt, cum Catholico dogmate conciliemus. Quamvis cenſeamus, hanc illorum mentem eſſe ac ſententiam, completam nempe ex omni parte, perfectamque non fore felicitatem hominis, niſi poſt reſurrectionem, ob illud, quô anima tenetur, naturale deſiderium reſumendi corporis ſui, & ſimul cum ipſo fruendi plena laborum mercede; prout exponit ipſemet S. Bernardus Serm. 2. & 3. in feſto omnium Sanctorum.

l) Ep. 98. aliàs 23. ad Bonifacium Epiſcop.

Digitized by Google

S. Hilarius cùm in Pſ. 138. ait: *Humana iſta lex neceſſitatis, ut ſepultis corporibus, ad inferos animæ deſcendant*, videtur fuiſſe locutus de animabus Juſtorum ante Chriſti in cœlos aſcenſionem; quamquàm alii putent ex eo, quòd ipſius verba generalia ſint, illum in errore Irenæi verſatum fuiſſe.

S. Chryſoſtomus verò, quando Hom. 39. in 1mam ad Corinth. dicit, *animum, licet ſit immortalis, ſine carne ipſa admirandis illis* (cœleſtibus) *bonis non fruiturum*, ſolùm vult, non ſolam animam fruituram bonis alterius vitæ: idque dicit, ut probet corporum reſurrectionem. Et verò ipſemet Hom. 3. in Epiſt. ad Philippenſ. aſſerit, *juſtos eſſe in cœlis cum Rege ſuo facie ad faciem*.

Certè S. Ambroſium noſtram apertè tueri ſententiam adductis ex eo locis ſupra pag. 97. demonſtravimus. Quando ergo lib. de bono mortis c. 10. ait, *diem Judicii fore diem coronæ*, loquitur de retributione mercedis completæ non ſolùm eſſentialiter, ſed etiam integraliter, quæ animæ & corpori publicè coram omnibus danda eſt; illa enim propriè dicitur corona, quæ victoribus publicè & cum celebritate datur.

Profectò S. Auguſtinus, quamvis lib. 20. de Civ. c. 7. non diſſimulet ſe aliquando verſatum fuiſſe in opinione Millenariorum, proindè de ea meritò quæri aſſeruerit; at tandem depoſita hac ſententia, ſtatim à morte juſtis concedendam eſſe intuitivam Dei viſionem conſtanter docuit, prout ſupra num. 101. ex ipſo demonſtravimus.

Quidquid alibi dicat S. Bernardus, tamen ſerm. 19. de variis hæc de Beatis eloquitur: *Hoc jam tertiò hauriunt aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, & nudis, ut ita dicam, oculis divinitatis intuentur eſſentiam, nulla corporeorum phantaſmatum imaginatione decepti.* Et Epiſt. ad fratres de Hybernia S. Malachiam ſic alloquitur: *Abſit, ut tua nunc, ô anima ſancta, minus efficax æſtimetur oratio, quando præſenti vividiùs eſt ſupplicare majeſtati, nec jam in fide ambulas, ſed in ſpecie regnas .... ad fontem ipſum charitatis æternæ procumbis, pleno hauriens ore, cujus & ipſa priùs ſtillicidia ſitiebas.*

Quando ergo ſerm. 3. de omnibus Sanctis, ait: *Advertiſtis tres eſſe ſanctarum ſtatus animarum: primum videlicet in corpore corruptibili, ſecundum ſine corpore, tertium in beatitudine conſummata. Primum denique in tabernaculis, ſecundum in atriis, tertium in domo Dei .... In illam beatiſſimam domum nec ſine nobis intrabunt, nec ſine corporibus ſuis, nec Sancti ſine plebe, nec Spiritus ſine carne.* Et ſerm. 4. Altare, ſub quo Joannes vidit animas interfectorum, exponit de Chriſti humanitate, quam nunc vident Martyres, poſt diem judicii viſuri divinitatem ipſam: ſolùm vult, animas ſeparatas à corpore minùs perfectè ſeu intensè Deum videre, quàm cùm illi poſt reſurrectionem unitæ fuerint: nempe putavit, animas, propter ſuum naturale recipiendi corporis deſiderium, non tam eſſe expeditas ad Dei viſionem, quàm ubi poſt reſurrectionem deſiderium illud expletum fuerit. *Licèt non plenam*, inquit cit. ſerm. 3. ſeu potiùs repetit, nam idem dixerat ſerm. 2. *habent tamen lætitiam multam in corde ſuo animæ Sanctorum. Ipſarum enim ſine corpore compleri lætitia, perfici gloria, conſummari beatitudo non poteſt .... ut necdum tota eorum affectio liberè pergat in Deum, ſed contrahatur quodammodò, & rugam faciat, cùm inclinatur deſiderio corporis.*

Quod denique Joannem Papam XXII. attinet, fatemur eum in contrariam ſententiam multùm propendiſſe;

Digitized by Google

diſſe;(*m*) attamen circa illam nihil unquam definivit aut docuit ut Summus Pontifex & univerſalis Eccleſiæ Rector, vel publico diplomate toti Eccleſiæ credendum propoſuit. *Non aſſerendo*, inquiunt Theologi Pariſienſes (*n*), *ſed opinando, ſeu ſolummodò recitando* opinionem protulit tanquam privatus Doctor ſcilicet. Hoc ipſum diſertè declaravit Joannes ipſe die 3. Jan. annò 1334. paulò ante obitum ſuum coram Cardinalibus in publicò Conſiſtorio (*o*), ſibi nempe, cùm de hac re locutus erat, nuſquam propoſitum fuiſſe definire ſuam opinionem: ſibique diſplicere priorem, quam defenderat, ſententiam, ac contrariam ſe amplecti, niſi aliter ab Eccleſia poſteà definiretur. Undè Benedictus XII. ejus immediatus Succeſſor in Bulla *Benedictus Deus*, ubi ſententiam noſtram definit, teſtatur, Joannem morte præventum non definiviſſe quæſtionem illam.

109 §. IV.

Utrum animæ Sanctorum, quibus aliquid ſupereſt expiandum, ad tempus in Purgatorio detineantur, atque Fidelium precibus ac ſuffragiis juventur & ſubleventur.

Purgatorii nomine intelligunt Catholici locum in quo juſtorum animæ detinentur, donec juſtitiæ divinæ plenè ſatisfecerint, vel pro aliqua pœna temporali, quæ ipſis poſt condonatam culpam ſolvenda ſupereſt (*p*), vel pro levioribus ac venialibus quibuſdam noxis, illis, dum viverent, non remiſſis. Hìc ſiſtit dogma Catholicum, nec ulteriùs progreditur. Quis enim ſit, & ubi locus ille, quodve pœnarum genus animæ illic ſuſtineant: an tantùm triſtitiæ cujuſdam & doloris, ob dilatam beatitudinem; an quòd obſcuro quodam & caliginoſo carcere recludantur; vel igne corporeo torqueantur: quæ ſit menſura, quis modus, quæ duratio, quis miniſter hujus pœnæ, Eccleſiâ ſilente nec definiente, certò affirmare nec poſſumùs, nec debemus. Communior tamen Theologorum opinio eſt, vero & materiali igne animas illas ibidem cruciari. Nos jam in Logica noſtra part. 1. c. 4. num. 76. oſtendimus, fieri poſſe, ut anima à corpore ſeparata hujuſmodi Purgatorii igne torqueatur, atque eundem dolorem ſentiat, quô quis afficitur, cùm admoto igne uritur, quia etiam tunc, quando corpori conjuncta erat, ipſa cruciabatur, non corpus, dolorque nihil aliud erat, quàm quædam animæ triſtitia, quâ affligebatur ob ea, quæ in corpore, cui à Deo colligata erat, peragebantur; nihil igitur obeſſe videtur, quominùs concipiamus, divinam Juſtitiam poſſe aliquam materiæ partem animæ ſeparatæ ita accommodare, ut illius motus in ea moleſtas cogitationes excitare poſſit, quemadmodum indebitus corpo-

(*m*) P. Antoine Soc. JEſu Tom. 2. part. 1. Theol. univerſ. de Deo uno c. 4. art. 3. ait, Joannem XXII. hunc errorem docuiſſe eo tempore, quo veritas oppoſita nondum erat ab Eccleſia definita; ubi certò fallitur, cùm exploratum habeamus, eamdem veritatem jam annò 1247. in Concilio Lugdunenſi II. ab Eccleſia fuiſſe expreſſis verbis definitam, id eſt ad minimum 69. annis, antequam Joannes XXII. rerum Eccleſiæ potiretur; nam Pontificatum iniit annò 1316. (*n*) *Apud Bullæum Hiſt. Univerſitatis. Tom. 4. pag.* 237. (*o*) *Rainaldus ad annum* 1334. *n.* 27. & 28. (*p*) Poſt condonatam in hac mortali vita culpam plurimùm ſupereſſe pœnam temporalem perſolvendam manifeſtum eſt exemplô Davidis, qui à Propheta Nathan reprehenſus ait: *Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David: Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum .... Verum tamen quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini propter verbum hoc, filius, qui natus eſt tibi morietur.* En famoſum exemplum pœnæ temporalis, quæ poſt condonatam culpam luenda ſupereſt. Sed hac de re plura inferiùs in Tract. de pœnitentia Tom. 4. Theologiæ noſtræ.

Digitized by Google

corporis, ſeu alicujus partis corporis, cui in hac vita conjuncta eſt, motus hujusmodi moleſtas, & triſtitiæ cogitationes excitat, & procreat.

110 Aërius, de quo S. Epiphanius, hær. 75. & S. Auguſtinus, hær. 53. orationes pro mortuis damnando, Purgatorium ſuſtulit: inde enim ſequitur, aut mortuos precibus non indigere, aut iis juvari non poſſe.

Idem tuiti ſunt Valdenſes, teſte Guidone Carmelita, in Summa de Hæreticis.

Apoſtolici, de quibus S. Bernardus, Serm. 66. in Cant. ubi eos appellat viros agreſtes & idiotas, *Qui non credunt*, inquit, *ignem purgatorium reſtare poſt mortem, ſed ſtatim animam ſolutam à corpore, vel ad requiem tranſire, vel ad damnationem.*

Verùm nulli audaciùs dogma Purgatorii oppugnavêre, quàm Lutherus, & Calvinus.

Lutherus nullum eſſe docet poſt hanc vitam Purgatorium, ſed in vita duntaxat & in ipſa morte; horrorem quippe ac mortis pœnam purgare, ſi quid purgandum ſupereſt. Et in libro ad Valdenſes de Euchariſtia: *cùm*, inquit, *negatis Purgatorium, damnatis Miſſas, Vigilias, Cœnobia, Monaſteria, & quidquid per hanc impoſturam erectum eſt; per omnia etiam probo.*

Calvinus lib. 3. Inſtit. c. 5. n. 6. ait: *Purgatorium multis blaſphemiis conſtructum eſſe .... exitiale eſſe Satanæ commentum, quod Chriſti crucem evacuat, quod contumeliam Dei miſericordiæ non ferendam irrogat, quod fidem noſtram labefacit, & evertit.* Sed contra hos ponitur

111 CONCLUSIO.

Juſtorum animæ, quibus poſt mortem nonnihil ſupereſt expiandum, Purgatorii pœnis illud expurgare priùs tenentur, quàm ipſis concedatur aperto Dei conſpectu frui; Atque ut mitiores fiant, & breviores earum pœnæ, viventium ſuffragiis juvari poſſunt, ac ſublevari.

Prob. 1ma. pars Concluſionis 1mo. Ex Scriptura. Matth. 12. v. 32. hæc ait Chriſtus: *Quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, nec in futuro.* Supponit hîc Chriſtus, quædam eſſe peccata, quæ in futuro ſæculo remittuntur: non remittuntur autem reprobis; ergò remittuntur juſtis, quibus purgandum aliquid ſupereſt.

2do. I. Cor. c. 3. v. 11. Hæc inter alia ait Apoſtolus, *Dies Domini declarabit, quia in igne revelabitur; & uniuscujusque opus, quale ſit, ignis probabit. Si cujus opus manſerit, quod ſuperædificavit, mercedem accipiet, ſi cujus opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſalvus erit; ſic tamen quaſi per ignem.* In Die ergò Domini uniuscujusque opera ignis probabit, cujus opera mala levia & venialia, quæ charitatem minuunt duntaxat, non extinguunt, vel etiam gravia quoad culpam quidem, non verò pœnam temporalem remiſſa arſerint, ipſe quidem detrimentum patietur, id eſt punietur & pœnam ſuſtinebit tranſitoriam ſcilicet & temporalem, ſed ſalvabitur quaſi per ignem; id eſt, igne Purgatorii expurgabitur.

Prob. 2do. eadem pars ex SS. Patribus. S. Auguſtinus lib. 21. de Civ. c. 24. ad priorem Matthæi locum, *Neque enim*, ait, *de quibusdam veraciter diceretur, quòd non eis remittatur, neque in hoc Sæculo, neque in futuro, niſi eſſent, quibus etſi non iſto, tamen remitteretur in futuro.* Eadem repetit lib. 6. contra Julian. c. 15. n. 15.

In Pſalm. quoque 37. ad alterum Apoſtoli textum, *Salvi erunt*, ait, *ſic tamen quaſi per ignem .... De utroque igne ſecuri eſſent; non ſolùm de illo æterno .... ſed etiam de illo, qui emendabit illos, qui per ignem ſalvi erunt.*

Au-

Digitized by Google

Auguſtinum ſequitur Gregorius Magnus lib 4. Dial. c. 39.

Idem Gregorius Magnus loc. cit. ad priorem Chriſti ſententiam, *In qua*, inquit, *ſententia datur intelligi, quaſdam culpas in hoc ſæculo, quaſdam verò in futuro poſſe relaxari.*

Et S. Bernardus Serm. 66. in Cant. adversùs eos, qui Purgatorium impugnant, ſic ait: *Si non credunt ignem Purgatorii reſtare poſt mortem . . . quærant ab eo, qui dixit, quoddam peccatum eſſe, quod neque in hoc ſæculo, neque in futuro remittetur.*

Prob. 2da pars Concluſionis 1mo. Ex Scriptura. Lib. 2. Machab. cap. 12. v. 43. de Juda Machabæo dicitur: *Facta collatione duodecim millia drachmas argenti miſit Jeroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium, benè & religiosè de reſurrectione cogitans. . . . . Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.* En purgatorium clarè definitum, & ſtabilitum.

Porrò hunc 2dum Machabæorum librum divinum & Canonicum eſſe ſupra Tom. 1. Theolog. noſtræ, Tract. 1. de S. Scriptura, part. 2. cap. 2. luculenter demonſtravimus.

Et verò etiamſi Auctori libri hujus non alia, quàm humanæ hiſtoriæ fides tribueretur, ex hoc tamen Judæ Machabæi, quod refert, facto apertè colligitur, publicè tunc temporis jam omnibus perſuaſum fuiſſe, ſuperfluas non eſſe, nec vanas viventium pro defunctis orationes. Judas enim, cùm eſſet ex genere Sacerdotali, credendus eſt hoc mandaſſe, quod ſciebat, accepta à Majoribus antiqua conſuetudine ſacrificiorum, obſervari ſolitum eſſe, licèt id expreſsè ſcriptum non legatur. Atque ſatis ex eo probatur pia conſuetudo Sacerdotum & aliorum Fideliū hujus temporis, cum certa perſuaſione, quâ credebant, talia non fruſtra, nec inaniter fieri.

Prob. 2do. Ex perpetuo ac conſtanti uſu Eccleſiæ, quæ pro mortuis publica ſuffragia ac incruentum Miſſæ Sacrificium ſemper obtulit.

Tertullianus hujus conſuetudinis meminit, lib de corona Milit s c. 3. *Oblationes*, inquit, *pro defunctis annua die facimus.* Et lib. de Monogamia ultra medium, de officio viduæ fidelis erga maritum ita ſcribit: *Pro anima ejus orat, & refrigerium interim adpoſtulat ei, & in prima reſurrectione conſortium, & offert annuis diebus dormitionis ejus.*

S. Cyprianus Epiſt. 66. prohibet, ne Sacrificium offeratur pro defuncto Victore; quòd contra præſcriptam legem, Geminium Fauſtinum Presbyterum auſus fuiſſet actorem conſtituere, ſeu ad tutelam vel curam nominare.

S. Ambroſius pro fratre ſuo Satyro, pro Valentiniano, Gratiano, & Theodoſio Imperatoribus defunctis ſolemnes ad Deum ſupplicationes, ac Miſſæ Sacrificium obtuliſſe legitur.

Verùm, ut alia quamplura exempla taceamus, S. Aug. lib. 9. Confeſſ. refert, Monicam matrem ſuam vehementer rogaſſe, ut ſui memoria in peragendis myſteriis fieret ad altare; ac reipſa votis ejus ſatisfactum fuit, *cùm oblatum eſt pro ea Sacrificium pretii noſtri*, inquit S. Aug. c. 12.

Et lib. de cura pro mortuis gerenda cap. 1. n. 3. *In Machabæorum libris*, inquit, *legimus oblatum pro mortuis Sacrificium. Sed etſi nuſquam in Scripturis veteribus omninò legeretur, non parva eſt univerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum.*

Et Serm. 172. aliàs 32. de verbis Apoſtoli, num. 2. *Orationibus*, inquit, *ſancta Eccleſia, & Sacrificiò ſalutari, & eleemoſynis, quæ pro eorum ſpiritibus ero-*

gantur, non eſt dubitandum, mortuos adjuvari, ut cum eis miſericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum univerſa obſervat Eccleſia.

Prob. 3tio. Ex Conciliis. Ex Concilio Carthaginenſi III. (*q*) c. 29. quo decernitur, *ut Sacramenta altaris nonniſi à jejunis celebrentur, excepto uno die anniverſario, quo Cœna Domini celebratur. Nam ſi aliquorum pomeridiano tempore defunctorum commemoratio facienda eſt, ſolis orationibus fiat, ſi illi, qui faciunt, jam pranſi reperiantur.*

Carthaginenſe IV. (*r*) cap. 79. *Pœnitentes*, inquit, *qui attentè leges pœnitentiæ exequuntur, ſi caſu in itinere, vel in mari mortui fuerint, ubi eis ſubveniri non poſſit, memoria eorum, & orationibus, & oblationibus commendetur.*

Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. (*s*) annô 1215. cap. 66. ubi dogma Purgatorii Traditione, & uſu conſtare ſupponit: ſiquidem preces pro requie fidelium defunctorum approbat, quas turpis lucri gratiâ fieri prohibet. *Pravas exactiones ſuper his fieri prohibemus*, ajunt Patres Concilii.

Lugdunenſe II. ſub Gregorio X. (*t*) annô 1274. in formula fidei Græcorum: *Si verè pœnitentes in charitate deceſſerint, antequam dignis pœnitentes fructibus de commiſſis ſatisfecerint, & omiſſis: eorum animas in pœnis purgatoriis poſt mortem purgari, & ad pœnas hujusmodi relevandas prodeſſe eis fidelium vivorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet Sacrificia, orationes & eleemoſynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri conſueverunt ſecundùm Eccleſiæ inſtituta.*

Florentinum (*u*) Seſſ. ult. in decreto de Purgatorio, cui Græci ſubſcripſerunt, quod eandem continet fidei profeſſionem, quæ mox ex Concilio Lugdunenſi II. relata eſt.

Concilium denique Tridentinum (*x*) Seſſ. 25. Decretô de Purgatorio docet: *Purgatorium eſſe, animasque ibi detentas fidelium ſuffragiis, potiſſimùm verò acceptabili altaris Sacrificiô juvari; atque Epiſcopis præcipit, ut ſanam de Purgatorio doctrinam à SS. Patribus & ſacris Conciliis traditam à Chriſti fidelibus credi, teneri, doceri, & ubique prædicari diligenter ſtudeant. Apud rudem verò plebem difficiliores ac ſubtiliores quæſtiones, quæque ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerumque nulla fit pietatis acceſſio, à popularibus concionibus ſecludantur, incerta item, vel quæ ſpecie falſi laborant, evulgari ac tractari non permittant. Ea verò, quæ ad curioſitatem quamdam aut ſuperſtitionem ſpectant, vel turpe lucrum ſapiunt, tanquam ſcandala & fidelium offendicula prohibeant.* Nihil eo Decreto ſapientius; & ad præcavendas Novatorum querelas & calumnias conſultius nihil. (*y*)

Prob. 4to. Rationibus Theologicis. 1mo. Ex Dictis certum eſt apud omnes Orthodoxos, remiſsâ per pœnitentiam culpâ mortali & reatu pœnæ æternæ, ſupereſſe pœnam aliquam temporalem, juſtitiæ divinæ ſolvendam ſive in iſta ſive in altera vita. Atqui in eo diſtinguitur baptiſmus à pœnitentia, quòd per baptiſmum omnis relaxetur ac remittatur pœna, non item per pœnitentiam: unde nulla pœna ſeu ſatisfactio repetitur à baptizatis, ſicut à pœnitentibus, qui poſt baptis-

(*q*) An. Chr. 397. (*r*) An Chr. 398. (*s*) An. 1215. (*t*) An. 1274. (*u*) An. 1438. (*x*) Exorſum an. 1545. finitum an. 1563. (*y*) Quis poſthæc non rideat Caſimirum Oudinum ex Monacho Ordinis Præmonſtratenſis in Gallia miſerum apoſtatam Calvinianum, & Sycophantam turpiſſimum, qui in ſua rapſodia, cui titulum fecit: *Commentarius de Scriptoribus Eccleſ.* Tom. 1. Sæc. 6. colum. 1515. ſcribere non erubuit, S. Gregorium Magnum primum eſſe Purgatorii inventorem.

baptiſmum lapſi ſunt. Ita declarat Concilium Trident. Seſſ. 5. Can. 30. *Alioquin,* ait S. Thomas (z), *melioris conditionis eſſent negligentes, quàm ſolliciti, ſi pœnam, quam hîc pro peccatis non implent, non ſuſtineant in futuro. Retardantur igitur animæ bonorum, qui habent aliquid purgabile in hoc mundo, à præmii conſecutione, quousque pœnas purgatorias ſuſtineant.*

2do. Non minùs apud Catholicos certum eſt, inter peccata, alia eſſe mortalia, quæ charitatem extinguunt, & animæ mortem inferunt; alia verò duntaxat venialia, & quotidiana, pro quibus agenda eſt quotidiana pœnitentia. Ita docet S. Auguſt. Hom. 27. & 50. lib. 83. quæſtionum quæſt. 26. Atqui multi ſunt, etiam inter Juſtos, qui cum levioribus illis ac venialibus peccatis extremum diem obeunt, quorum veniam hîc non impetrant; ſive quòd morte præveniantur, ſive quòd minùs ardens & intenſa in eis ſit charitas; illi autem in conſpectum Dei non admittentur, niſi priùs purgatæ ac deterſæ fuerint leves illæ ſordes: *Nihil enim coinquinatum intrabit in Jeruſalem cœleſtem.* Apocal. 21. v. 27. Ergo &c.

3tio. Certum denique eſt, quod fert Symbolum Apoſtolorum, quamdam eſſe Sanctorum Communionem, qui communi charitatis vinculô inter ſe colligati mutuam ſibi opem ferunt. Omnes enim Sancti & fideles unius corporis Eccleſiæ membra ſunt: *Membra autem corporis,* ait Apoſtolus 1. Corinth. 12. v. 25. *pro invicem ſollicita ſunt; & ſi quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* Atqui hæc eſt vera radix & cauſa, cur mortui viventium precibus & ſuffragiis; ac viciſſim Sanctorum in cœlo degentium orationibus viventes ſublevari poſſint. *Suffragia vivorum,* ait S. Thomas (a), *proſunt defunctis ſecundùm quod uniuntur viventibus in charitate.* Jure nimirum communionis, quæ eſt inter omnia unius Eccleſiæ membra. Eſt quippe Eccleſia militans in terris, aut in cœlo triumphans, aut in Purgatorio patiens una & eadem quoad ſubſtantiam; diverſa tantùm quoad modum & ſtatum. (b)

Solvuntur Objectiones. 112

Ob. 1mo. Scriptura teſtatur, nullum pro peccatis in hac vita commiſſis, & non condonatis ſupereſſe in altera remedium. *Quodcunque facere poteſt manus tua, inſtanter operare: quia nec opus, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Eccliſ. 9. v. 10. Et c. 11. v. 3. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut Aquilonem, in quocunque loco ceciderit ibi erit.* Ergo &c.

Reſp. neg. ant. Ad 1mum Eccleſiaſtis textum dicimus cum S. Gregorio Magno lib. 4. Dial. cap. 39. illum etiam de iis, qui in Purgatorio detinentur intelligi poſſe, ut qui cum in altera vita nova ſibi merita comparare non poſſint, ſuis in præſenti bonis operibus allaborare debent, ut poſt mortem ſaltem aliorum ſuffragiis ac meritis juvari mereantur.

Ad 2dum Reſp. Sapientem ad litteram loqui de morte corporali, ac velle dicere, ita homines neceſſariò morituros, & cùm mortui fuerint, per ſe nunquam ad vitam redituros, quemadmodum lignum tandem aliquando cadit, & ibi manet, ac putreſcit, ubi cecidit. Si autem illum de ſtatu animæ intelligere velimus, ſenſus eſt, poſt hanc vitam duplicem duntaxat eſſe ſtatum fixum & permanentem: unum juſtitiæ in cœlo, à quo nunquam excident Sancti; alterum

H 2 impie-

(z) *Lib. 4. cont. Gent. c. 91.* (a) *In Supplem. q. 73. art. 9.* (b) Vide Præloquium in Tract. de Eccleſia, Tom. 1. Theol. noſtræ.

impietatis in inferno, unde nunquam liberandi ſunt reprobi. At inter utrumque illum ſtatum fixum & immobilem, datur aliquis temporalis & tranſitorius, juſtorum ſcilicet, quibus aliquid ſupereſt pœnis Purgatorii expiandum.

113 Ob. 2do. Duos tantùm ordines eorum, qui è vita decedunt Scriptura commemorat: juſtorum ſcilicet, qui ſtatim Deô fruuntur, & impiorum, qui torquentur in inferno. Ergo tertius non ſupereſt Purgatorii locus.

Ant. prob. pluribus Scripturæ teſtimoniis: Matth. 25. v. 34. electis dicitur: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum* .... aliis verò: *Ite maledicti in ignem æternum.* Joan. 4. v. 24. *Amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, ſed tranſit à morte in vitam.* Apocal. 14. v. 13. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodò dicit ſpiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis: opera enim illorum ſequuntur illos.* Atqui pii omnes in Domino moriuntur. Ergo omnes pii poſt mortem ſunt in requie; ergo nullâ pœnâ torquentur.

Sap. 3. v. 1. *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis.* Et cap. 4. v. 7. *Juſtus, ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Ergo non in pœna.

Rom. 8. v. 1. *Nihil damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto JEſu.* Atqui omnes juſti ſunt in Chriſto JEſu. Ergo &c.

2. Corinth. 5. v. 1. *Scimus, quoniam ſi terreſtris Domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis.* Denique ibid. v. 10. *Omnes nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, ut referat unusquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.*

Reſp. ad arg. diſt. ant. Duo tantùm ſunt hominum poſt mortem ordines, quoad ſtatum fixum & permanentem; conc. quoad ſtatum fluentem, & tranſitorium, neg. ant.

Ad 1mum ex Scriptura adductum teſtimonium Reſp. loqui Chriſtum de ultimo Judicio poſt generalem corporum reſurrectionem, cùm fixus & permanens erit hominum ſtatus, Sanctorum in cœlo, impiorum in inferno: nullus autem tunc erit Purgatorio locus, nullus indulgentiæ. Verùm, ante illum ultimi Judicii diem, medius quidam eſt animarum ſtatus tranſiens, & non permanens; earum ſcilicet, quæ igne, ſeu pœna Purgatorii expiabunt, quidquid ipſis ſupereſt expiandum ac purgandum.

Ad 2dum ex Joan. 4. dicimus illud etiam ad idem ultimum Judicium referri debere, non ad ſtatum animarum juſtorum ante illius Judicii diem, prout oſtendunt ea, quæ ſequuntur v. 25. *Amen dico vobis, quia venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filii Dei; & qui audierint vivent.* Et v. 28. *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei: & procedent, qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in reſurrectionem judicii.*

Ad 3tium ex Apocal. loquitur hîc S. Joannes de viris perfectis, ac præſertim de Sanctis Martyribus (eos enim hîc conſolari volebat) qui in charitate perfecta moriuntur, neque aliquid purgandum ſecum ferunt. Quamquam & ii, qui in Purgatorio detinentur, beati quoque, & in Domino eſſe mortui dici poſſunt, cùm certa ſit æterna eorum ſalus. Quòd ſi verò adductus Apocal. textus intelligatur de miſeriis ac calamitatibus hujus vitæ, prout nonnullis placet, nihil contra nos facit: ſenſus enim eſt, Sanctos illos à doloribus, & cruciatibus, quibus in hac vita obnoxii fuêre per mortem tandē liberari; tametſi nonnihil in Purgatorio ad plenam & perfectam munditiem patiantur.

Ad

Ad 4tum ex Sap. 3. In privato uniuscujusque Judicio ſtatim ab ipſa morte, æterna uniuscujusque ſors, ſeu beata in cœlis, ſeu miſera in inferno certa ac determinata eſt. Unde Juſti in Purgatorio detenti dicuntur eſſe *in manu Dei*, id eſt, in tutiſſima apud Deum cuſtodia, tuti ab omni tentatione ac periculo, atque de ſua æterna beatitudine ſecuri. Unde & dormire dicuntur in ſomno pacis, ut legimus in Canone Miſſæ. Aliquo etiam ſeuſu dicuntur eſſe *in refrigerio*; tum quia ſpe certa futuræ felicitatis ſe ipſos ſolantur; tum quia non patiuntur ampliùs æſtum tentationum hujus Sæculi.

Ad 5tum ex Epiſt. ad Rom. Paulus eo loco diſputat de concupiſcentia, ac vult dicere, eos, qui ſunt in Chriſto JEſu, & ejus gratiâ muniti non conſentiunt motibus carnis ſuæ, nihil peccati contrahere ex ejusmodi motibus. Itaque hoc loco Purgatorium non impugnatur, ſed adverſariorum noſtrorum hæreſis, qui vera peccata eſſe volunt etiam eos motus, quos interdum juſtus ſentit, licet eis non conſentiat.

Quodſi verò intelligatur de decedentibus ex hac vita, de Juſtis illis loqui dicendus eſt Apoſtolus, quorum ardens, & eximia eſt charitas, atque in tali perfecta charitate ſtatim à morte ad cœlos evolant, nullò interjectò Purgatorii locò; quia nihil purgandum habent; tales ſunt omnes Martyres, & ii omnes, qui ſtatim à percepto baptiſmate ex hac vita rapiuntur: quamquam & iis, qui ſunt in Purgatorio, nihil quoque damnationis eſſe meritò dici poteſt, cùm certa ſit æterna eorum ſalus.

Ad 6tum ex Epiſt. ad Corinth. 2da Apoſtolus id ſolùm aſſerit, patere ſcilicet domum cœleſtem poſt mortem, non patere ante mortem: quòd autem omnes pii ſtatim poſt mortem transferantur ad cœlum non aſſerit, ſed potiùs contrarium indicat, cùm ait ibid. v. 3. *Si tamen veſtiti, & non nudi inveniamur.* Significat enim his verbis, eos, qui meritis & virtutibus veſtiti ſunt, ac proinde perfectam pœnitentiam in hac vita egerunt, mox in domum cœleſtem deduci; alios autem ſalvari quidem, ſed ſic tamen, quaſi per ignem, ut ait, 1. ad Corinth. 3. v. 15.

Ad 7mum ex eadem Epiſt. & cap. 5. v. 10. Veriſſima eſt Apoſtoli ſententia; juſti enim in altera vita ſuffragiis viventium juvantur pro conditione ſcilicet & menſura bonorum operum, quæ illi in hac vita fecerunt. Non enim ipſis nova poſt iſtam vitam accreſcunt merita, ſed ex præcedentibus merentur, ut juvari poſſint à viventibus. Ita textum hunc exponit S. Auguſtinus c. 110. Enchirid.

Eodem prorsùs ſenſu intelligi debet illud Apoſtoli ad Galat. 6. v. 5. *Unusquisque onus ſuum portabit.* Sive, quia non propter aliena, ſed propter propria peccata quisque punietur: ſive quia aliorum meritis non juvabitur poſt mortem, niſi propria ipſius in hac vita præceſſerint: ſive denique, quia in ultimo Judicio nemo aliorum ſuffragiis ac precibus juvari poterit, ſed quisque ex iis, quæ geſſit in corpore judicabitur.

Ob. 3tio. Ezechielis 18. v. 21. dicitur: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt . . . omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Qui ergo ex hac vita diſcedunt, vel pœnitentiam egerunt, vel non? Si prius, eorum iniquitatum Deus non ampliùs recordatur; non ergo eos punit, ſed admittit ſtatim ad gloriam. Si verò pœnitentiam non egerunt, nullus ipſis indulgentiæ ac ſatisfactioni locus relinquitur. Ergo &c. 114

Reſp. diſt. ant. Si impius egerit pœnitentiam perfectam ac completam, ut omne debitum pœnæ, non tantùm æternæ, ſed etiam temporalis perſolverit, iniquitatum illius Deus non recordabitur,

Digitized by Google

omnemque ipſi pœnam etiam temporalem relaxabit, ut fit in Martyribus, aliisque eximiè Sanctis, conc. Si omninò perfectam ac completam non egerit pœnitentiam, iterum diſt. iniquitatum ejus Deus non recordabitur, ita ut eas non puniat æternâ pœnâ, conc. pœnâ temporali, neg.

115 Ob 4to. Latroni in extrema hora converſo Chriſtus ait, Luc. 23. v. 43. *Hodie mecum eris in paradiſo.* Ergo converſio cordis perfecta ſufficit ad ſalutem ſine ſatisfactoria pœna, adeoque ſine Purgatorio.

Reſp. Diſt. conſ. Ergo converſio cordis perfecta ſufficit ad ſalutem ſine ulla poſt hanc vitam ſatisfactione, ſi tanta fuerit charitatis vehementia, ac tantus ardor, ut omnem penitùs maculam peccati & reatum pœnæ etiam temporalis eluat, ut contingit in Martyribus: majorem enim charitatem nemo habet, quàm qui animam ponit pro amicis ſuis, conc. ſecùs, neg. conſ. Porro neceſſe eſt ſummam in Latrone illo fuiſſe, Deo donante, charitatem: quamquam & ille graviſſimam egit pœnitentiam, cùm duriſſimam, ac turpiſſimam mortem conſtanti ac patienti animô toleravit. Pœnitentia enim non ſemper ex diuturnitate temporis æſtimanda eſt, ſed ex ardore charitatis.

116 Ob. 5to. Nulla pœna ſeu ſatisfactio ab iis eſt exigenda, pro quibus Chriſtus plenè ac ſuperabundanter ſatisfecit. Atqui Chriſtus pro omnibus peccatis noſtris plenè ac ſuperabundanter ſatisfecit. Ergo.

Reſp. neg. maj. Chriſti enim ſatisfactio etſi ſuperabundans noſtras non tollit nec impedit, ſed magis perficit: quidquid enim pretii ac valoris habent humana noſtra opera, derivatur à meritis Chriſti. Reipſa quidem plenè pro nobis ſatisfecit Chriſtus pretiô ſanguinis ſui; ſed pretium illud nobis applicari debet per Sacramenta, & per bona opera noſtra. (*c*) *Coharedes Chriſti ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur.* (*d*)

Ob. 6to. Creſcente culpa, creſcit & pœna. Ergo culpa decreſcente vel omninò ſublata, tollitur & pœna; ergo remiſsâ omni culpâ, remittitur etiam omnis pœna. Atqui juſtis in charitate defunctis omnis culpa remittitur. Ergo & pœna; ergo nulla ipſis poſt hanc vitam luenda ſupereſt: ſublatâ enim causâ tollitur effectus. 117

Reſp. diſt. primum conſ. Ergo ſublatâ culpâ mortali tollitur & pœna æterna, conc. pœna temporalis, neg. Remiſsâ omni culpâ mortali non ſemper remittitur omnis pœna temporalis. Peccata quædam venialia etiam in juſtis eſſe poſſunt, cùm extremum diem obeunt, quæ quamvis charitatem non extinguant, tamen purgari & expiari debent pœnis quibusdam temporalibus, ſupra demonſtravimus.

Negamus etiam ſublatâ causâ omnem tolli ejus effectum; mala enim actio, ſeu actuale peccatum cauſa eſt reatûs culpæ & pœnæ: attamen remanet ille reatus, etiam poſtquam fluxit, ac tranſiit ejus cauſa, ſeu actus peccati. Pariter extincto igne, qui eſt cauſa caloris, ſuperſtes

(*c*) Per Sacramenta, ſi debitè percipiantur, tollitur reatus culpæ lethalis, & pœnæ æternæ: per opera autem noſtra ſatisfactoria applicatur ad tollendam pœnam temporalem. Pœna quippe æterna commutatur in temporalem, quando culpa remittitur: quia cùm remittitur culpa, redditur amicitia, & conſequenter jus ad gloriam; ac proinde non ampliùs locus eſt æternæ punitioni: attamen exigunt juſtitiæ divinæ jura, ut peccatum aliqua ratione puniatur; & idcircò pœna æterna mutatur in temporalem. Punienda ergo ſunt peccata vel in hac vel in altera vita. (*d*) *Rom.* 8. v. 17.

Digitized by Google

ſtes remanet calor; diſruptô gladiô, unde vulnus inflictum eſt, remanet vulnus.

118 Ob. 7mo. Pſalm. 126. v. 3. dicitur: *Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum: ecce hæreditas Domini.* Ergo Purgatorium non eſt medium inter mortem fidelium & cœleſtis hæreditatis conſecutionem.

Reſp. Neg. conſ. Verba enim illa Pſalmiſtæ exponi poſſunt, vel de certa ſecuritate aſſequendæ hæreditatis; vel de glorioſa carnis reſurrectione, quæ Chriſti hæreditas eſt, quam ſanguine ſuo nobis acquiſivit, ac Sanctis ſuis in ultimo Judicio retribuet; vel de illis juſtis, qui ſumma Dei charitate ſuccenſi, ac diriſſima quæque pro Chriſto perpeſſi, quales fuêre Martyres, nihil poſt vitæ hujus labores, ac tolerata fortiter tyrannorum ſupplicia, expiandum ac purgandum habent.

119 Ob. 8vo. S. Auguſtinus nonnullis in locis de Purgatorio dubius fuiſſe videtur, ut Enchiridii cap. 8. lib. 21. de Civitate cap. 26. lib. de Fide & Oper. cap. 16. lib. de octo Dulcitii quæſtionibus. Ergo.

Reſp. neg. ant. Cujus falſitatem apertè demonſtrant ea, quæ ex ipſo protulimus teſtimonia. Igitur adductis locis non dubitat, an ſit Purgatorium, ſed an certa quædam peccata levia & imperfectiones ex humana fragilitate contractæ ibidem puniantur; item quis ſit illarum Purgatorii pœnarum modus.

Inſt. 1mo. Idem S. Doctor Epiſt. 199. aliàs 80. num. 2. *In quo*, inquit, *quemque invenerit ſuus noviſſimus dies, in hoc eum comprehendet mundi noviſſimus dies: quoniam qualis in die iſto quiſque moritur, talis in die illo judicabitur.* Et Tract. 49. in Joan. num. 10. *Requiem*, ait, *quæ continuò poſt mortem datur, ſi ed dignus ſit, tunc accipit quiſque, cùm moritur.*

Reſp. ad 1mum. Id unum vult hîc S. Auguſtinus, nempe poſt vitam præſentem, merita vel demerita non creſcere; ſed unumquemque talem futurum in ultimo judicio, in ordine ad gloriam, vel gehennam, qualem poſtrema vitæ dies illum invenerit. Non autem excludit intermedium quemdam ac tranſitorium ſtatum, in quo animæ juſtorum purgentur, ſi quid ipſis purgandum ſupereſt.

Ad 2dum. Patet ex ipſo textu ſolutio. Conditio enim hæc, quam apponit S. Auguſtinus, *ſi dignus ſit*, manifeſtè declarat mentem illius eſſe, juſtum requiem illam non adipiſci, niſi dignus fuerit; hoc eſt ad plenum purgatus. Ergo igne Purgatorii priùs mundari debet, ſi quid ſordium adhuc animæ adhæreſcit, quàm illa perfecta requie fruatur.

Inſt. 2do. Lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 33. dicit, *peccata hîc remiſſa non obeſſe poſt hanc vitam.* Et lib. de Spiritu & litt. cap. 28. aſſerit, *peccata venialia hominem juſtum non impedire à vita æterna.* Atqui obeſſent atque impedirent, ſi daretur Purgatorium &c. Ergo.

Reſp. Neg. min. Peccata quoad culpam & reatum pœnæ æternæ hîc remiſſa non obſunt poſt hanc vitam conſequendæ gloriæ tardiùs aut citiùs, prout magis vel minùs quis mundus fuerit à levioribus noxis, aut temporali pœnæ plùs vel minùs obnoxius. Peccata item venialia non extinguunt charitatem, & conſequenter non impediunt juſtum à vita æterno ſuo tempore conſequenda, poſt plenam ſcilicet ac perfectam ſatisfactionem Deo perſolutam.

Ob. 9no. SS. Patres communiter do- 120
cent, ſatisfactioni & emendationi locum non relinqui poſt hanc vitam, ita S. Cyprianus ad Demetrianum. S. Chryſoſtomus, Hom. 2. de Lazaro. S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 15. Denique S. Cyrillus Hieroſol. Catech. 18. Ergo &c.

Reſp. Diſt. ant. Poſt hanc vitam nullus eſt ſatisfactioni & purgationi locus quantùm ad remiſſionem culpæ mortalis, & reatum

reatum pœnæ æternæ, ac converſionem cordis, conc. Nullus enim erit tunc merito vel demerito locus. Quantùm ad remiſſionem vel culpæ venialis, vel pœnæ temporalis, quæ luenda ſupereſt, neg. ant. Certum eſt laudatos SS. Patres loqui duntaxat de remiſſione culpæ mortalis, & reatu pœnæ æternæ.

121 Ob. 10mo. Ubi nullum eſt meritum, ibi non eſt vera ſatisfactio. Atqui poſt hanc vitam nullum eſt meritum. Ergo.

Reſp. 1mo. Neg. maj. Qui enim ex Judicis ſententia pœnas coactus, & invitus luit pro patrato crimine, is certè non meretur, & tamen ſatisfacit. Ratio diſcriminis inter meritum & ſatisfactionem in eo eſt, quòd ad meritum requiratur libertas, non tantùm à coactione, ſed etiam à neceſſitate; ad ſatisfaciendum autem, ſatis eſt, quòd quis pœnam patiatur, & ita divinæ vel humanæ juſtitiæ ſatisfaciat.

Reſp. 2do. Diſt. min. In altera vita juſti non merentur meritô actuali, quod ipſis de novo accreſcat, conc. meritô, quod præceſſit dum erant in via, & quod poſt mortem remanet, eſtque vera cauſa, cur ipſis viventium ſuffragia proſint. neg. Ita S. Auguſt. Enchirid. c. 110. Et Serm. 172. aliàs 32. de Verbis Apoſtoli.

Inſtabis. Ex hac reſponſione duo ſequuntur minimè admittenda. 1mum. Etiam ipſos Dæmones, aliosque damnatos, divinæ juſtitiæ, tametſi coactos, ſatisfacere poſſe. Alterum, juſtos, pro quibus nulla fierent ſuffragia, æternùm in Purgatorio permanſuros. Ergo.

Reſp. neg. ant. Ad 1mum conſectarium dicimus, Dæmones, cæterosque damnatos divinæ quidem juſtitiæ ſatisfacere, at ſine ulla refrigerii aut ſolatii ſpe, necnon tamdiu illos torqueri neceſſe eſſe, quamdiu remanet reatus culpæ mortalis, ac pœnæ æternæ: at reatus ille in æternum manebit: *In inferno enim nulla eſt redemptio;* ergo æterna erit eorum pœna. Juſti autem, qui in Purgatorio ad tempus detinentur, pœnas quidem luunt ſine novo merito, at cum certa ſpe & fiducia brevì conſequendæ felicitatis, & animô divinæ juſtitiæ legibus plenè ſubjectô.

Ad 2dum. Falſa prorſus eſt hypotheſis. Etſi parentes, vel amici, vel alii cognati huic erga mortuos pietatis officio deeſſent, non deeſt tamen pia & communis Mater Eccleſia, ut obſervat S. Auguſtinus lib. de cura pro mortuis gerenda, cap. 4. (e)

Ob. 11mo. Se habet charitas ad æterna præmia, ſicut peccatum mortale ad æterna ſupplicia; Sed qui moriuntur in peccato mortali ſtatim detruduntur in infernum; erga pariter qui moriuntur in charitate, ſtatim in cœlum convolant. 122

Reſp. Neg. Maj. Ut enim fert vulgare axioma, *bonum ex integra cauſa, malum ex minimo defectu.* Bonum non fit perfectè bonum ex qualibet virtute, ſed ex vinculo, & unione omnium: malum è contrà fit abſolutè ac perfectè malum ex quolibet vitio. Propterea qui in charitate moriuntur poſſunt cum illa ſimul nonnihil habere, quod impediat, ne ſtatim æternum felicitatis præmium conſequantur.

Inſt. Deus longè propenſior eſt ad miſerendum, quàm ad puniendum. Atqui eos, qui moriuntur in peccato mortali, ſtatim plectit æternâ pœnâ. Ergo multò magis æternô præmiô afficere debet amicos ſuos, qui cum gratia ſanctificante ex hac vita decedunt.

Reſp.

(e) Poſſet etiam dici, quòd etſi pro juſtis in Purgatorio detentis nulla à viventibus ſuffragia fierent, ipſi tamen è Purgatorio tandem liberarentur, poſtquam nempe divinæ juſtitiæ ſatisfeciſſent: ſuffragia enim à viventibus pro ipſis oblata id duntaxat efficiunt, ut à pœnis citiùs, quàm aliàs eveniret, ſolvantur.

Digitized by Google

Reſp. Propoſitionem adductam eſſe veram, ubi omnia ſunt paria: hîc verò paria non ſunt. Nam homo peccator, qui lethalis peccati reus moritur, nihil habet, unde poſſit Deo gratus eſſe; adeoque ſtatim à morte puniendus eſt: è contrà qui gratia ſanctificante inſtructus moritur, acceptus quidem Deo eſt in ordine ad vitam æternam ſuo tempore conſequendam; verùm quia aliquid in ipſo expiandum ac purgandum ſupereſt, neceſſe eſt, ut juſtitiæ divinæ in Purgatorio ſatisfaciat, donec plenè purgatus fuerit.

123 Ob. 12mo. Poſt remiſſam culpam nulla remanet pœna; nam remiſſio culpæ fit per meritum paſſionis Chriſti, quod eſt infinitum, & ſufficientiſſimum ad tollendam omnem culpam & pœnam. Ergo nihil purgandum remanet poſt juſtificationem.

Reſp. neg. 1mam partem ant. Huic objectioni jam ſatisfecimus ſupra in reſponſione ad Object. 5tam. Certè poſt remiſſam culpam remanent adhuc pœnalitates hujus vitæ, mors, morbi, & alia hujusmodi, quibus ſubjacemus, tametſi Chriſtus pro nobis perfectè ſatisfecerit; ergo etiam hoc non obſtante poterit remanere poſt hanc vitam pœna aliqua temporalis in Purgatorio ſuſtinenda. Vide, quæ in Reſp. ad Object. 5tam. diximus.

124 Ob. 13tio. Nullæ pœnæ luendæ ſunt iis, qui ſtatim à percepto baptiſmate moriuntur. Ergo nec iis, qui per Sacramentum pœnitentiæ mundati ſunt, & abſoluti.

Reſp. Neg. conſ. & paritatem. Ratio diſcriminis eſt, quod Baptiſmus ſit Sacramentum regenerationis & innovationis, à quo omnis culpa ſimul & pœna expungitur: pœnitentia verò ſit Sacramentum ſanationis, in quo majores ex parte hominis pœnitentis diſpoſitiones requiruntur; gravius quippe peccatum eſt, quod poſt Baptiſmum committitur, quàm quod ante. Diſcrimen iſtud aſſignat Concilium Trid. Seſſ. 14. cap. 2. de Pœnitentiæ Sacramento.

Ob. 14to. Peccata venialia remitti non 125 poſſunt poſt hanc vitam: quia non remittuntur absque pœnitentia, cui poſt obitum locus non remanet. Ergo inutile prorſùs eſt Purgatorium.

Reſp. neg. ant. Ad remiſſionem venialium peccatorum non eſt neceſſaria verè dicta pœnitentia, ſed virtualis diſplicentia in hac vita duntaxat ſufficit, vel pœna Purgatorii in altera vita; nam charitatem & Dei amicitiam non extinguunt.

Ob. 15to. Qui in ultima mundi hujus 126 periodo morientur, immunes erunt à pœnis Purgatorii, utpote quæ nullæ erunt. Ergo cur non etiam ii ab illis ſunt immunes, qui ante moriuntur?

Reſp. Juſtos hujusmodi, quibus poſt hanc vitam aliquid luendum erit, purgandos fore igne ultimæ conflagrationis; ita ut acerbitas pœnæ brevem illius durationem ſit compenſatura.

§. V.

Utrum omnes Beati æqualiter Deum videant. 127

Jovinianus, quem ex profeſſo confutavit S. Hieronymus, ut æqualia peccata, ita & merita faciebat. *Qui in ſaturitate Epicureus eſt*, ait S. Doctor, *ſubitò in retributione meritorum Stoicus efficitur.*

Eundem errorem, quoad Beatos, ſecutus eſt Lutherus, cùm dixit, omnes eſſe pares beatæ Virgini in ſanctitate & meritis coram Deo: inde enim ſequitur, pares etiam ei eſſe in præmio.

Non eodem fundamento nixus eſt uterque hic Hæreticus. Fundamentum ſuum ſumebat Jovinianus ex parabola Evangelica *Matth. c.* 20. ubi omnibus in vinea Domini laborantibus datur æqualis merces, nempe denarius diurnus. Fundamentum autem Lutheri eſt, quia putat, omnes

Digitized by Google

omnes juſtos eſſe, non per propriam, ſed per Chriſti gratiam, quæ omnibus, qui fidem habent, æqualiter imputatur; item omnes accipere præmium, non per propria, ſed per Chriſti merita, quæ ſimiliter omnibus, qui fidem habent, ex æquo applicantur.

Catholicæ fidei caput eſt, non æqualem eſſe quoad gradus & menſuram in omnibus beatis intuitivam Dei viſionem, Unde ſit

128 CONCLUSIO.

Beati in Cœlo non vident æqualiter Deum; ſed alii aliis perfectiùs vident pro diverſitate ſcilicet meritorum: ideoque beati non ſunt omnes æqualiter Beati.

Prob. 1mo. Ex Scriptura. Joan. 14. v. 2. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Loqui verò Chriſtum de manſionibus in cœlo demonſtrant iſta, quæ ſequuntur verba: *Vado parare vobis locum.* Quod quidem ſimilitudine Solis, Lunæ ac Stellarum illuſtrat Apoſtolus 1. Cor. 15. v. 41. *Alia*, inquit, *claritas ſolis*, *alia claritas lunæ*, *& alias claritas ſtellarum; ſtella enim à ſtella differt in claritate: Sic & reſurrectio mortuorum.* Gloria igitur corporis, juxta Apoſtolum, in reſurrectione erit inæqualis in electis; ergo etiam gloria animæ, nam gloria corporis commenſuratur gloriæ animæ. Et ratio eſt, quia merita ſunt inæqualia; ergo & præmia. *Unusquisque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem*, 1. Corinth. 3. v. 8. Et 2. Corinth. 9. v. 6. *Qui parcè ſeminat, parcè & metet.* Quod de præmio ad gloriam, idem de ſupplicio ad damnationem dicendum, Apocal. 18. v. 7. *Quantùm glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantùm date ei tormentum & luctum.*

Prob. 2do. Ex SS. Patribus, quorum communis hæc eſt fides ac doctrina.

S. Polycarpus, in Actis paſſionis ſuæ Judicem ſic alloquitur: (ſ) *Merita mea doloris æſtimatione penſabo. Quantò graviora pertulero, tantò præmia majora percipiam.*

S. Irenæus, lib. 4. adv. hæreſ. c. 13. aliàs 27. n. 3. *Plùs Deum diligamus*, ait, *quantò autem plùs eum dilexerimus, hoc majorem ab eo gloriam accipiemus.*

Tertullianus, in Scorpiaco c. 6. *Quomodò*, inquit, *multæ manſiones apud Patrem, ſi non pro varietate meritorum? Quomodò & ſtella à ſtella diſtabit in gloria, niſi pro diverſitate radiorum.*

S. Cyprianus, lib. de habitu Virg. in fine, hiſce virgines alloquitur: *Cùm habitationes multas apud Patrem ſuum eſſe dicat* (Chriſtus) *melioris habitaculi hoſpitia demonſtrat: habitacula iſta meliora vos petitis, carnis deſideria caſtrantes majoris gratiæ præmium in cæleſtibus obtinetis.*

S. Auguſtinus, Tract. 67. in Joan. *Etſi alius*, inquit, *eſt alio fortior*, *alius alio juſtior*, *alius alio ſanctior: in domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Nullus eorum alienabitur ab illa domo, ubi manſionem pro ſuo quisque accepturus eſt merito. Multæ manſiones diverſas meritorum in una vita æterna ſignificant dignitates.* Et lib. de ſancta Virginitate, c. 26. *In multis autem manſionibus honoratur alius alio clariùs.*

S. Hieronymus, ut jam ſupra diximus, ex profeſſo Jovinianum aſſerentem, omnia merita, perinde ac peccata, æqualia eſſe, confutavit.

Idem cum ſuis prædeceſſoribus docent SS. Ambroſius, in Pſalm. 38. v. 6. Hilarius, in Pſalm. 64. Chryſoſtomus, Hom. 41. in 1mam ad Corinth.

Prob.

(ſ) Acta ſincera Martyrum pag. 32.

Digitized by Google

Prob. 3tio. Ex Conciliis Florentino & Tridentino. Prius communem hanc Ecclesiæ fidem & doctrinam definit his verbis (*g*): *Definimus illas* (animas) *quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel eidem exutæ corporibus, ſunt purgatæ, in Cœlum mox recipi, & intueri clarè ipſum Deum trinum & unum ſicuti eſt, pro meritorum tamen diverſitate alium alio perfectiùs*

Concilium verò Tridentinum Seſſ. 6. c. 16. can. 32. fundamentum erroris Lutheri evertit his verbis: *Si quis dixerit, hominis juſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, ut non ſint etiam bona ipſius juſtificati merita; aut ipſum juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & JEſu Chriſti meritum, cujus vivum membrum eſt, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema ſit.*

Prob. 4to. Ratione. Quia juſtitiæ diſtributivæ ratio hoc neceſſario exigit, ut pro diverſitate meriti ſit quoque diverſa merces; ſicut juſtitia vindex graviores pœnas ac ſupplicia à damnatis repetit pro majori peccatorum numero vel gravitate: Juxta illud Apocal. 18. v. 7. *Quantùm glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantùm date illi tormentum.*

129 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. Matth. 20. v. 9. Operariis, qui inæquali tempore laborârunt, æqualis rependitur merces, nempe idem Denarius. Denarius autem ille figura eſt beatitudinis, quæ æquali menſurá omnibus Sanctis retribuenda eſt, tametſi longè diverſa ſint eorum merita. Ergo &c.

Reſp. Diſt. min. Denarius ille figura eſt beatitudinis objectivè ſumptæ, & ratione durationis æternæ, quæ æqualis erit omnibus Sanctis, conc. ratione intenſionis, ſeu perfectionis. neg. min. Itaque omnibus Beatis eadem quidem beatitudo objectiva, hoc eſt, Deus ipſe proponitur: eadem quoque eſt in omnibus Beatis duratio felicitatis æternæ, quæ nullum habebit finem; at non eadem menſura perfectionis, ſeu graduum intenſionis in illa felicitate æterna. Ita interpretatur S. Auguſtinus Serm. 87. aliàs 59. de Verb. Domini c. 4.

Ob. 2do. Si inæqualis futura ſit felicitas Sanctorum, unus alteri invidebit, unde profectò turbari poſſet ſumma illa pax & quies, quæ in cœlo regnare debet. Ergo, &c. 130

Reſp. neg. ant. *Id beata civitas illa*, inquit S. Auguſtinus (*h*), *magnum in ſe bonum videbit, quòd nulli ſuperiori ullus inferior invidebit, ſicut nunc non invident Archangelis Angeli cæteri: tamque nollet eſſe unusquisque, quod non accepit... quàm nec in corpore vult oculus eſſe, qui eſt digitus.*

Ob. 3tio. Omnes Beati vident Deum, ſicuti eſt. Ergo æqualiter vident. 131

Reſp. neg. conſ. Quia non vident Deum, quantùm videri poteſt ſicuti eſt: unde unus alio perfectiùs Deum videre poteſt, ſicuti eſt.

Ob. 4to. Ens ſimplex, qualis eſt Deus, non poteſt videri inæqualiter. Ergo æqualiter ab omnibus videtur. 132

Reſp. neg. ant. Quia cùm Deus ſit infinitus, eſt objectum virtualiter multiplex; & ejus perfectiones infinitæ habent infinitos gradus virtuales, virtualiter inter ſe diſtinctos: ac proinde videri poſſunt ſecundùm plures aut pauciores gradus, & magis vel minùs clarè pro majore vel minore intenſione luminis gloriæ.

(*g*) In Decreto Unionis. (*h*) Lib. 22. de Civit. c. 30.

Digitized by Google

133 Ob. 5to. Si Beati inæqualiter vident Deum, qui minùs clarè & minùs perfectè eum vident, non ſunt perfectè beati. Falſum conſeq. Ergo.

Reſp. neg. ſequel. Maj. Itaque omnes Juſti in Cœlo ſunt perfectè beati, quia omes ſummô bonô perfectè quoad eſſentiam poſſeſſionis fruuntur, & eorum appetitus perfectè ſatiatur, cùm nihil ampliùs deſiderent. Beati quippe omnes, cùm efficaciter Deum ament plusquàm ſe ipſos, & omnia ad ejus gloriam referant, efficaciter ſe conformant voluntati divinæ, quâ ſtatutum eſt, inæqualem beatitudinem retribui pro inæqualitate meritorum. Item cùm proximum ſicut ſe ipſos perfectiſſimè diligant, de aliorum majore beatitudine gaudent, nedum iis invideant.

§. VI.

134 *De cæteris Quæſtionibus, quæ circa intuitivam Dei viſionem in Scholis proponi & expendi ſolent.*

Theologi Scholaſtici, præter ea, quæ jam tractavimus, varia adhuc circa intuitivam Dei viſionem ſciſcitari conſuevêre: ut 1mo. An in hac vita mortali aliquibus, præter Chriſtum, conceſſa fuerit ſaltem tranſeunter intuitiva Dei viſio. 2do. Utrum in ea quædam Dei ſpecies ſive impreſſa, ſive expreſſa ſit admittenda. 3tio. Quid ſit Lumen gloriæ, & quæ ejus neceſſitas, quæque officia. 4to. An & quomodò intellectus concurrat ad viſionem Dei intuitivam. 5to. Quidnam Beati in Deo videant. 6to. An viſio beatifica Angelorum & hominum ſit ejusdem ſpeciei. 7to. denique, Quodnam ſit principium inæqualitatis viſionis beatificæ, ſeu unde illa oriatur.

Verùm ut ut ſubtiles videantur hæ quæſtiones, non tamen tanti ponderis eas eſſe arbitramur, ut diutiùs iis immoremur, ad graviora quippe & utiliora vocamur. Attamen ne illorum Theologorum, quos ſimilia delectant, indignationem, ſi illas neglexerimus, incurramus, atque eas à nobis omninò contemni criminentur, breviter circa illas mentem noſtram aperire animus eſt.

Igitur ad 1mam. Dubium non eſt, 135 quin, Deo volente, homo in hac vita mortali ad intuitivam Dei viſionem admitti poſſit. At an id quibusdam conceſſum jam fuerit, omninò incertum eſt. Neque enim ea, quæ Scriptura Exod. 33. v. 19. Et Num. 12. v. 6. de Moyſe; item 2. Corinth. 12. v. 2. & Act. 26. v. 16. de S. Paulo commemorat, ita eisdem intuitivam, dum adhuc in hac vita eſſent, Dei viſionem aſſerere videntur, quin alii ejusdem Scripturæ textus, ut Exod. 33. v. 20. & 21. Joan. 1. v. 18. Et 1. Corinth. 13. v. 16. eis illam denegare videantur. Minus adhuc ad rem faciunt ea, quæ S. Gregorius lib. 2. Dialog. cap. 35. de S. P. N. Benedicto refert, quòd nempe ſub uno Solis radio totum mundum collectum viderit: Hæc enim viſionem aliquam potiùs ſapiunt, quàm intuitivam Dei viſionem.

Ad 2dam. Theologi poſt Philoſophos 136 duplicem ſpeciem diſtinguunt, unam *impreſſam*, quæ virtualis eſt objecti ſimilitudo, ſeu imago ac repræſentatio, quæ intelligibilis dicitur, ac effectivè concurrit ad intellectionem cum ipſa facultate; alteram verò *expreſſam*, quæ formalis eſt objecti cognitio, ac terminus cognitionis actualis, & vulgò *verbum mentis*, ſeu *ſermo interior* appellatur.

Certè cùm objectum viſionis, divina ſcilicet eſſentia, ſit per ſeſe intimè præſens intellectui, ac immaterialis, prorsùs inutilis, ac ſuperflua videtur ſpecies intelligibilis, quæ deſtinata eſt ad ſupplendam objecti præſentiam, vel improportionem.

Admittenda tamen videtur in viſione Dei beatifica ſpecies, quæ dicitur expreſ-

Digitized by Google

ſa, ſeu *verbum mentis*? Quia ut oſtendit S. Auguſtinus lib. 9. de Trinit. c. 11, animus, cùm ſe ipſum aut aliud quodlibet intelligit, rei cognitæ ſimilitudinem & ſpeciem quamdam intra ſe efformat, quæ expreſſa ſpecies eſt ipſum *mentis verbum*, ſeu ſimilitudo formalis & actualis cognitionis noſtræ terminus: Atqui datur tale verbum mentis in viſione Dei, tùm quia intellectio vera eſt actio mentis; omnis autem vera actio habet aliquem terminum, ſed terminus formalis intellectionis vocatur ſpecies expreſſa, ſeu *verbum mentis*: tùm quia mens noſtra reddi non poteſt actu & formaliter intelligens, niſi per aliquid intrinſecum, cùm ſit facultas vitalis; illud verò intrinſecum & formale vocatur *ſpecies expreſſa*. (*i.*) Inde Theologi, ſuppoſita fide, probant æternam Verbi divini generationem, quæ terminus eſt actionis, quâ Pater æternus ſe ipſum intelligit, & intelligendo Filium ſuum ſeu Verbum ſuum producit.

137 Ad 3tiam. Jam alibi adnotavimus, Lumen gloriæ eſſe habitum intellectualem ſupernaturalem, qui intellectum elevat ſeu evehit ad eliciendam Dei viſionem. Certè quemadmodum ad fidem, ſpem, charitatem, aliaſque virtutes infuſas requiritur auxilium ſupernaturale, quia naturæ vires ſuperant, ita etiam ad viſionem Dei intuitivam requiritur quoddam auxilium ſupernaturale, quod Lumen gloriæ appellatur, juxta iſtud Pſal. 35. v. 10. *In lumine tuo videbimus lumen.* Lumen quippe illud gloriæ non requiritur ex parte objecti, id eſt, Dei, qui intimè præſens eſt; ſed ex parte potentiæ, ſeu mentis creatæ, ut nempe adjuvetur, & elevetur ad Deum clarè ac intuitive videndum.

138 Ad 4tam. Videtur, quod Intellectus activè concurrat ad viſionem Dei beatificam, ut cauſa principalis; Lumen verò gloriæ ut inſtrumentum Dei. Quia intellectus tanquam vitalis facultas activè concurrit ad omnem veram intellectionem, & quidem tanquam cauſa principalis, utpote proximum ac immediatum vitale principium intellectionis vitalis: Lumen verò gloriæ agit & concurrit tanquam inſtrumentum Dei elevantis & roborantis intellectum ad eliciendam actionem, quæ naturales ejus vires ſuperat. Unde patet Lumen gloriæ intellectui creato non eſſe connaturale, nam intrinſecè ac eſſentialiter ſupernaturale eſt. Eſt quippe ejuſdem ordinis cum infuſis habitibus fidei, ſpei, charitatis, & gratiæ, qui habitus in ſua ſubſtantia & entitate ſunt ſupernaturales. Quod autem intrinſecè & eſſentialiter eſt ſupernaturale, non poteſt fieri connaturale; ſicut quòd eſt intrinſecè & eſſentialiter rationale, non poteſt fieri irrationale.

139 Ad 5tam. Beati vident 1mo. Dei eſſentiam, trinitatem perſonarum, omnia attributa, quæ creduntur in hac vita; quamvis non videant omnes gradus virtuales horum attributorum, utpotè infinitos. 2do. Creaturas poſſibiles ſecundùm ſuum eſſe proprium, alii quidem plures, alii pauciores, cùm alii clariùs & perfectiùs, alii minùs perfectè & clarè Deum videant. Nemo tamen videt omnes creaturas poſſibiles, quia nemo videt omnes gradus virtuales omnipotentiæ divinæ, utpotè infinitos. 3tio. Decreta divina. 4to. Creaturas exiſtentes eò plures vel pauciores, quò perfectiùs vel minùs perfectè ſcientiam viſionis intuitivæ habent. Cognoſcunt tamen omnes Beati

(*i*) Cognitio ſeu viſio bifariam ſpectari poteſt, 1mo quatenus directa eſt & tendit in objectum. 2do quatenus repræſentativa eſt objecti, illudque exprimit: Quatenus directa eſt in objectum dicitur ſimpliciter viſio vel cognitio ſeu idea formalis. Quatenus verò eſt ipſiſſima objecti repræſentatio, verbum, ſimilitudo ac ſpecies expreſſa appellatur, id eſt idea objectiva.

omnia ſingularia, quæ ad ipſos ſpectant, qualia ſunt ea, quæ ad Beatos pertinebant, cùm in terris degerent, & preces quæ ad eos diriguntur; hæcque vident in Deo, vi ſcilicet viſionis beatificæ.

140 Ad 6tam. Dicimus viſionem beatificam hominum non differre ſpecie à viſione beatifica Angelorum, ſed eſſe ejusdem ſpeciei cum illa. Nam, ut paſſim in Philoſophia noſtra expoſuimus, actiones ſpecificam ſuam diſtinctionem deſumunt ex objecto, & modo in illud tendendi: Atqui idem eſt objectum in viſione beatifica Angelorum & hominum, ipſa nempe Dei eſſentia; idem modus videndi Deum, clarè ſcilicet ac intuitivè.

141 Ad 7mam denique quæſtionem, dicimus, Inæqualitatem viſionis beatificæ oriri, tanquam à cauſa phyſica totali & adæquata ab inæquali Lumine gloriæ, inæqualitas enim viſionis beatificæ tota pendet ex meritis quibus correſpondet; eſt quippe viſio Dei beatifica merces, & præmium. Ergo cùm Beati in cœlo inæqualiter Deum videant, necnon proinde merces eorum & præmium ſit inæquale, inæqualitas hæc ab eo repetenda videtur, quod in ipſis eſt inæquale. Atqui ſolum Lumen gloriæ eſt in ipſis inæquale Ergo &c.

142 CAPUT V.
De Scientia Dei.

NOmine Scientiæ hîc intelligitur cognitio certa & evidens rei alicujus, ſive res illa immediatè in ſe ipſa, ſive in aliquo tanquam medio cognoſcatur.

Omnis porrò de Scientia Dei controverſia ad hæc generatim capita revocatur, 1mo. An ſit in Deo Scientia propriè dicta. 2do. Quodnam ſit divinæ Scientiæ objectum. 3tio. In quo medio Deus omnia cognoſcat. 4to. An Scientia Dei ſit cauſa rerum. 5to. Varia Scientiæ Dei diviſio. Quæ ſingulis Paragraphis explicabimus.

§. I.
An ſit in Deo Scientia propriè dicta. 143

CONCLUSIO. 144

Eſt in Deo Scientia propriè ac ſtrictè ſumpta.

Prob. 1mo. Ex Scriptura. Eſther 14. v. 14. *Domine, qui habes omnium ſcientiam, & noſti, quia oderim gloriam iniquorum.* Job. cap. ult. v. 1. *Scio, quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio.* Pſalm. 138. *Ecce Domine, tu cognoviſti omnia, noviſſima & antiqua.* Rom. 11. v. 33. *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei!* Denique Coloſſ. 2. v. 3. *In quo* (Chriſto) *ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.*

Prob. 2do Ratione. Quia Deus eſt ens perfectiſſimum, Spiritus ſimpliciſſimus ac puriſſimus, quem latere nihil omninò poteſt. Deinde, Scientia in ſe præcisè ſpectata eſt cognitio ſimplex, certa & evidens rerum omnium etiam per cauſas, non quidem diſcurrendo, & unum ex alio inferendo, ſed uno & ſimplici intuitu cognoſcendo cauſas in effectibus, & effectus in cauſis; uno verbo, cognoſcendo res, ut ſunt. Atqui talis cognitio certa & evidens eſt in Deo. Eſt enim Deus ens perfectiſſimum, quo nihil melius eſſe & excogitari poteſt; Ens autem perfectiſſimum res omnes ſcientiâ ſeu cognitione perfectiſſima neceſſariò complectitur. Ergo &c.

§. II.
De objecto Scientiæ Dei. 145

Duplex diſtinguitur divinæ ſcientiæ objectum: unum primarium, & quidem longè nobilius & excellentius, Deus ipſe ſcilicet quantus quantus eſt; alterum ſecundarium, omne ſcilicet ens creatum.

Creaturæ verò conſiderari poſſunt, vel ut merè poſſibiles, vel ut exiſtentes, vel

vel ut abſolutè & neceſſariò futuræ, vel ut futuræ contingenter ac liberè, vel denique ut futuræ ſub conditione, id eſt, quæ futuræ ſunt, aut eſſent, ſi aliqua poneretur conditio. De hiſce capitibus ſingillatim hìc diſſerendum. Sit igitur

146 CONCLUSIO I.

Deus ſemetipſum perfectè ac comprehenſivè cognoſcit.

Prob. 1mo. Ex Scripturis. Joan. 10. v. 15. *Sicut novit me Pater, & ego agnoſco Patrem.* Matth. 11. v. 27. *Nemo novit Filium niſi Pater, neque Patrem quis novit, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Eadem habentur Luc. 10. v. 22. Et 1. Cor. 2. v. 11. *Quis enim hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? ita & quæ Dei ſunt, nemo cognovit niſi Spiritus Dei.* Et v. 10. dixerat Apoſtolus, *Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.*

147 Prob. 2do. Ex SS. Patribus, quorum omnium conſtans eſt aſſertio, Deum omnia videre in ſe ipſo. *Novit omnia Deus Pater in ſe ipſo*, ait Auguſtinus lib. 15. de Trinit. c. 14. *novit in Filio, ſed in ſe ipſo tanquam ſe ipſum, in Filio tanquam verbum ſuum, quod eſt de his omnibus, quæ ſunt in ſe ipſo. Omnia ſimiliter novit & Filius; in ſe ſcilicet tanquam ea, quæ nata ſunt de iis, quæ Pater novit in ſe ipſo; in Patre autem tanquam ea, de quibus nata ſunt, quæ ipſe Filius novit in ſe ipſo.* Ergo Deus ſe ipſum cognoſcit: ſiquidem ratio cætera cognoſcendi debet ſaltem in inſtanti rationis priùs cognoſci, quàm ea, quæ per eam cognoſcuntur; juxta illud Philoſophorum axioma: *Propter quod unumquodque tale, & illud magis tale.*

148 Prob. 3tio Ratione. Quia Deus ſibimet ipſi præſentiſſimus eſt. Ergo ſe ipſum tam perfectè cognoſcit, ac cognoſcibilis eſt: quæ cognitio perfectiſſima ac comprehenſiva dicitur. *Illud enim comprehenditur*, ait S. Thomas (*k*), *quod tantùm cognoſcitur, quantum eſt cognoſcibile*, non tantùm ex parte objecti, *quod ita totum videtur*, inquit S. Auguſt. (*l*), *ut nihil illius lateat videntem*; ſed etiam ex parte modi, qui infinitus eſt, ac reſpondet infinitæ Dei cognoſcibilitati; unde fit, ut à ſolo Deo poſſit Deus comprehendi. *Deus*, ait Minutius in Octavio, *ſoli ſibi tantus quantus eſt notus.*

CONCLUSIO II. 149

Deus certò, diſtinctè ac ſingillatim cognoſcit omnes creaturas, etiam poſſibiles.

Prob. Job. 28. v. 24. *Ipſe fines mundi intuetur, & omnia quæ ſub cælo ſunt, reſpicit.* Eccli. 1. v. 2. *Arenam maris, & pluviæ guttas, & dies ſæculi quis dinumeravit? Altitudinem cæli, & latitudinem terræ, & profundum abyſſi quis dimenſus eſt? . . . unus eſt altiſſimus creator omnipotens. . . .* Pſal. 138. v. 5. *Ecce, Domine, tu cognoviſti omnia noviſſima & antiqua.* Denique Heb. 4. v. 13. *Non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus, omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus.*

In ipſa Dei Sapientia, ait S. Auguſt. lib. 11. de Civ. c. 10. *ſunt inconcuſſi quidam atque infiniti theſauri rerum intelligibilium, in quibus ſunt omnes inviſibiles atque incommutabiles rationes rerum etiam viſibilium & mutabilium, quæ per ipſum factæ ſunt. Quoniam Deus non aliquid neſciens fecit, quod nec de quolibet hominum artifice rectè dici poteſt: porro ſi ſciens fecit omnia, ea utique fecit, quæ noverat. Ex quo occurrit animo quoddam mirum, ſed tamen verum, quòd iſte mundus nobis notus eſſe non poſſet, niſi eſſet; Deo autem niſi notus eſſet, eſſe non poſſet.* Quæ S. Auguſtini verba demonſtrant, res omnes poſſibiles à Deo cognoſci, cùm

(*k*) Part. 1. quæſt. 12. art. 7. (*l*) Ep. 147. aliàs 112. c. 9. n. 21.

Digitized by Google

cùm ex iis plurimas re ipſa produxerit: porto nihil facit Deus niſi ſciens ac volens.

350 Ratio quoque eſt. Ea Deus cognoſcit, quorum habet ideas. Atqui Deus habet ideas omnium creaturarum etiam poſſibilium. Ergo eas cognoſcit Maj. conſtat; neque enim nos ob aliud dicimur rem aliquam cognoſcere, quàm quòd illius ideam in mente noſtra geramus. Min. prob. Se habet Deus reſpectu creaturarum etiam poſſibilium, ſicut artifex reſpectu eorum, quæ per artem ſuam poteſt facere. Atqui artifex habet ideas eorum, quæ per artem ſuam poteſt facere. Ergo &c.

Item, Deus, ut ſuprà oſtenſum, ſe ipſum perfectiſſimè ac comprehenſivè cognoſcit. Ergo cognoſcit omnia ad quæ poteſt ſe extendere, ac de facto ſeſe extendit divina illius virtus. Atqui poteſt ſe extendere ad omnia poſſibilia, & de facto ſe extendit ad omnes creaturas. Ergo, &c.

351 Conclusio III.

Deus certiſſimè cognoſcit omnia præſentia, ſingularia etiam viliſſima, bona & mala tum culpæ, tum pœnæ, occultas etiam cordium cogitationes.

1mo. Novit omnia ſingularia, etiam viliſſima. Nihil paſſere vilius; nihil capillis minutius, & tamen Matth. 10. v. 29. & 30. dicitur, *Nonne duo paſſeres aſſe veneunt? & unus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro. Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt.* Eccli. 1. v. 2. *Arenam maris, & pluviæ guttas, & dies ſæculi quis dinumeravit? unus altiſſimus creator omnipotens.*

2do Omnia, quæ fecit Deus, perfectè cognoſcit. Gen. 1. v. 31. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.*

3tio. Omnia mala cognoſcit, ſive ſint naturæ, ut monſtra; ſive culpæ, ut peccata; ſive pœnæ, ut morbi, afflictiones, &c. Sap. 8. v. 8. *Signa & monſtra ſcit, antequam fiant.* Eccli. 11. v. 15. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt.* Iſaiæ 45. v. 7. *Ego Dominus, & non eſt alter, formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum. Ego Dominus faciens hæc omnia.* Denique Amos 3. v. 6. *Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus.*

Ad quæ verba S. Auguſtinus lib. contra Adimantum Manichæum c. 26. *Malum hoc loco*, inquit, *non peccatum, ſed pœna intelligenda eſt. Dupliciter enim appellatur malum, unum, quod homo facit, alterum, quod patitur: quod facit, peccatum eſt, quod patitur, pœna. De pœnis ergo loquebatur Propheta, cùm hoc diceret. Divinâ enim providentiâ cuncta moderante & gubernante, ita homo malè facit quod vult, ut malè patiatur, quod non vult.* Et poſtea: *Ipſe* (Deus) *quantùm ad ſe pertinet, bonum facit; quoniam omne juſtum bonum eſt, & juſta eſt illa vindicta.*

4to. Mala culpæ ſeu peccata Deus etiam certiſſimè cognoſcit. Pſal. 68. v. 6. *Deus, tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea à te non ſunt abſcondita.* Gen 6. dicitur: *Videns Deus, quòd multa malitia hominum eſſet in terra.* Simpliciter autem cognitione, ut ajunt, non per complacentiam & approbationem Deus peccata cognoſcit; cognoſcendo enim bonum, cognoſcit & malum, quod eſt boni privatio.

5to. Denique Deus cognoſcit occultas cordium cogitationes. Prov. 16. v. 2. *Omnes viæ hominis patent oculis ejus: Spirituum ponderator eſt Dominus.* Pſ. 7. v. 10. *Scrutans corda & renes Deus.* Et Pſal. 43. v. 22. *Novit abſcondita cordis.* Pſal. denique 138. v. 21. *Intellexiſti cogitationes meas de longè.* Item Eccli. 23. v. 25. *Omnis homo, qui transgreditur . . . contemnens in animam ſuam, & dicens: Quis me videt? Tenebræ circumdant me . . . delictorum meorum non memorabitur Altiſſimus. Et non intelligit, quoniam omnia videt oculus*

illius

illius. . . . . Et non cognoſcit, quoniam oculi Domini multò plùs lucidiores ſunt ſuper Solem . . . hominum corda intuentes in abſconditas partes.

152 Superfluum nobis videtur, concluſionem noſtram tam clarè in Scripturis expreſſam, & apud omnes Theologos certam & indubitatam, variis SS. Patrum teſtimoniis munire; ſufficiat ſtrictim hìc eas rationes aſſignare, quibus paſſim utuntur. Nimirum ſuprema veritas, ſuprema mens ac ſapientia, ſuprema vita, ſuprema potentia, uno verbo, Ens perfectiſſimum omnia perfectè cognoſcere debet. Ut ſuprema veritas, omne verum intelligibile attingit, cujus ipſa eſt regula. Ut ſuprema mens ac ſapientia, omnia intelligit & ordinat, quia omnium exemplar eſt ac forma. Ut ſuprema vita, eſt in actu perfectiſſimo vitæ actualis; alius porro fingi non poteſt talis actus, quàm perfectiſſima & ſimpliciſſima rerum omnium cognitio. Ut ſuprema potentia, ea omnia novit, quæ vel facit, vel fieri permittit. Denique ut ens perfectiſſimum in omni genere perfectionis ſimpliciter infinitum, res omnes certâ & exploratâ ſcientiâ pervadere debet; & ſi quid ipſum latere poſſet, perfectiſſimum non eſſet, quo perfectius aliquid excogitari poſſet, quod nempe nihil lateret.

153 Hactenus adducta argumenta etiam probant, Deum res omnes præteritas cognoſcere, *Tu cognoviſti omnia noviſſima & antiqua*, Pſal. 138. v. 5. Id eſt, præſentia & præterita.

Ratio inſuper hæc attexi poteſt, quia Deus cognoſcit omne, quod cognoſci poteſt, cùm ejus ſcientia ſit infinita in ratione ſcientiæ. Atqui præterita perinde ac præſentia & poſſibilia cognoſci poſſunt, ſeu ſunt cognoſcibilia, ut experientiâ conſtat. Ergo. Præterea, quod primùm diximus, alioqui Deus non haberet in omni ratione quidquid melius eſt habere quàm non habere; ideoque non eſſet ens, quo nihil melius excogitari poteſt.

CONCLUSIO IV. 154

Deus certiſſimè cognoſcit futura omnia libera, & contingentia.

Antequam Concluſionem noſtram probemus, notatum volumus, *futurum* duplex eſſe, *neceſſarium* unum, alterum *contingens*. Prius eſt illud quod habet neceſſariam connexionem cum ſua cauſa; ſic neceſſariò futura eſt combuſtio paleæ, cui fax ardens admovebitur. *Contingens* eſt, quod liberè futurum eſt, ut ſunt bona vel mala hominum opera. De futuris neceſſariis non diſceptatur; ſed de contingentibus, quæ tametſi poſſint eſſe vel non eſſe, quia tamen aliquando ſunt futura, quæritur an Deus ea certiſſimè cognoſcat.

Impiorum hic error eſt, qui apud Job c. 22. v. 13. ajunt, *Quid enim novit Deus? & quaſi per caliginem judicat.* Et Pſal. 93. v. 7. *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob.*

Tullius lib. 2. de divinatione, ignorans, qua ratione Dei præſcientia conciliari poſſet cum humana libertate, maluit Deo negare futurorum præſcientiam, quàm homini ſuam libertatem, *atque ut homines faceret liberos*, ait S. Auguſtinus (*m*) *fecit ſacrilegos.*

Marcion & præſcientiam, & bonitatem, & omnipotentiam Deo detrahebat, eoquòd primum hominem in peccatum labi paſſus fuiſſet; ut refert Tertullianus lib. 2. adversùs ipſum c. 5.

Joannes Hus in oppoſitum Ciceronis errorem lapſus, libertatem hominis negavit, quam cum divina præſcientia conciliare non potuit. Vide Concil. Conſtantienſe Seſſ. 25.

(*m*) *Lib. 5 de Civ. c. 9.*

Digitized by Google

Sociniani eò etiam dementiæ devenêre, ut dicerent, futura libera contingentia conjecturis duntaxat quibusdam ac veriſimilibus rationibus Deo nota eſſe, non certa ac firma cognitione; quia futura hæc non ſunt in genere ſcibilium, cùm non habeant, ut illis placet, determinatam objectivam veritatem. Ita Socinus, Prælect. c. 11. Crellius, lib. 1. c. 24. Smalclus, contra Frantzium Diſp. 12. Contra illos

155 Prob. Concluſio 1mo. Ex Scripturis. Pſal. 138. v. 3. *Intellexiſti cogitationes meas de longè.* Sap. 8. v. 8. *Scit præterita, de futuris æſtimat .... Signa & monſtra ſcit antequam fiant, & eventus temporum & ſæculorum.* Eccli. 23. v. 28. *Domino Deo antequam crearentur, omnia ſunt agnita.* Jerem. 1. v. 5. *Priusquam te formarem in utero novi te.* Iſai. 48. v. 8. *Scio, quia prævaricans prævaricaberis, & transgreſſorem ex utero vocavi te.* Joan. 6. v. 65. *Sciebat ab initio JEſus, qui eſſent non credentes, & quis traditurus eſſet eum.*

Non tantùm in his locis ſermo eſt de futuris neceſſariis ſeu ex neceſſaria cauſarum ſecundarum connexione, ſed etiam de futuris liberis & contingentibus, quales profectò ſunt liberæ hominum, qui prævaricaturi aliquando ſunt, actiones. Quapropter Iſaiæ citatô c. 48. v. 5. Deus ait: *Prædixi tibi ex tunc, antequam venirent indicavi tibi, ne fortè diceres, Idola mea fecerunt hæc.* Ergo Deus certiſſimè cognoſcit futura contingentia, ut qui ea longè antequam eveniant, prædicit. Unde etiam Suſanna Daniel. c. 13. v. 42. & 43. ait: *Deus æterne, qui abſconditorum es cognitor, qui noſti omnia antequam fiant, tu noſti quoniam falſum teſtimonium tulerunt contra me.*

Et profectò Scripturæ apertè indicant, præſcientiam & prædictionem rerum liberè ac contingenter futurarum certum ac invictum eſſe divinitatis argumentum. Deus ipſe apud Iſaiam c. 41. v. 22. irridens aliarum Gentium Deos, dicebat: *Accedant & nuntient vobis quæcunque ventura ſunt ..... Annuntiate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dii eſtis vos.*

Prob. 2do. Ex SS. Patribus. *Præſcientia Dei*, ait Tertullianus lib. 2. cont. Marcion. c. 5. *tantos habet teſtes, quantos fecit Prophetas.* Et in Apologet. c. 20. *Idoneum teſtimonium divinitatis, veritas divinationis.* Et S. Auguſtinus lib. 5. de Civ. c. 9. *Confiteri eſſe Deum, & negare præſcium futurorum, apertiſſima inſania eſt.* Et infra. *Qui enim non eſt præſcius omnium futurorum, non eſt utique Deus.*

Prob. 3tio. Ratione. Deus eſt ens perfectiſſimum. Ergo ejus ſcientia debet eſſe perfectiſſima, adeoque ad omne, quod cognoſci poteſt, debet ſe extendere. Atqui futura libera & contingentia ſunt in genere ſeu ordine rerum, quæ ſciri & cognoſci poſſunt. Ergo divinæ menti ſunt ſemper, & ab æterno præſentia. *Deus*, ait S. Auguſtinus lib. 15. de Trin. c. 7. *ita omnia cognovit, ut nec ea, quæ dicuntur præterita, ibi prætereant, nec ea, quæ dicuntur futura, quaſi deſint expectentur, ut veniant; ſed & præterita & futura cum præſentibus ſint cuncta præſentia.*

CONCLUSIO V. 156

Deus certiſſimè cognoſcit futura conditionata.

Futurum conditionatum dicitur, quod futurum eſſet, ſi aliqua poneretur conditio, v.g. Converſio Tyriorum, ſi vidiſſent miracula Chriſti, quæ quidem nec merè poſſibilis erat, nec etiam abſolutè futura, ſed quæ futura fuiſſet, ſi aliqua poſita fuiſſet conditio: futurum igitur conditionatum medium veluti locum occupat inter merè poſſibile, & abſolutè futurum.

Prob. Concluſio 1mo. Ex Scripturis. 157
Ea Deus certò cognoſcit, quæ prædicit; neque enim falli poteſt divina prædictio. Atqui futura conditionata Deus prædixit. Ergo &c. Min. Prob. 1. Reg. c. 23. à Domino prædicitur futura Davidis per Ceilitas

tas proditio, ſi in eorum urbe remanſurus fuiſſet: nempe roganti, *Si deſcendet Saul, ſicut audivit ſervus tuus?* à Deo ipſo reſponſum eſt, *Deſcendet.* Roganti iterum, *Si tradent me viri Ceilæ, & viros, qui ſunt mecum, in manus Saul?* Reſponſum eſt, *Tradent*: quo audito reſponſo: *Surrexit David, & viri ejus quaſi ſexcenti, & egreſſi de Ceila, huc atque illuc vagabantur incerti.*

Matth. 11. v. 21. Chriſtus prædixit futuram Tyriorum & Sidoniorum pœnitentiam, ſi ipſe apud eos eadem, quæ in Galilæa, miracula patraſſet: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pænitentiam egiſſent.*

Sap. 4. v. 11. de juſto immatura morte ſublato dicitur: *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Ubi certè futura Juſti perverſio prænoſcitur ſub conditione non implenda, ſi nimirum diutiùs vixiſſet.

Prob. 2do. Ex SS. Patribus. S. Gregorius Nyſſenus, Oratione de infantibus morte immatura ſublatis, aſſerit id beneficii locô habendum eſſe; *Veriſimile eſt enim,* inquit, *eum, qui id quod futurum eſt æquè atque præteritum cognovit, progreſſum vitæ infantis ad perfectionem prohibere, ne quod vi præſcia malum animadverſum eſt in eo, qui ita victurus fuiſſet, perficiatur, atque ei, qui ea voluntate arbitrioque victurus fuiſſet, vitii nequitiæque materia vita fiat.*

S. Cyrillus Alexandrinus, lib. 1. contra Julian. probat Porphyrii ſententiam, nempe *Deum, qui futura novit, alios propter pietatem adhuc juvenes vita praripere, alios verò propter clades, quæ neceſſariò futuræ ſunt per eos.*

S. Joannes Chryſoſtomus, lib. 1. ad Stagirium rationem reddens, quare Deus Adamum admiſſo peccatô ſtatim è paradiſo proturbaverit: *Quo circa*, inquit, *primum hominem à principio è paradiſo expulit, quia ex honore ſibi præſtito deterior effectus eſſet, ſi poſt ſpretum violatumque mandatum immotus ille ſtabiliſque duraſſet.*

S. Auguſtinus, lib. de dono perſeverantiæ c. 9. *Nunquid poſſumus dicere*, ait, *etiam Tyrios, & Sidonios talibus apud ſe virtutibus factis credere noluiſſe, aut credituros non fuiſſe, ſi fierent? cum de ipſis Dominus atteſtetur, quòd acturi eſſent magnæ humilitatis pænitentiam, ſi in eis facta eſſent illa ſigna virtutum.*

S. Gregorius, lib. 33. Moral. c. 19. aliàs 17. obſervat in bonum juſtorum cedere ſi aliquando vexentur. *Quia*, inquit, *mirâ potentiâ Deus prævidet, quòd ſi quieti ac liberi in tranquillitate perſiſterent, tentationes ferre adverſarii non valentes, mentis proſtrati vulneribus jacerent.*

Solvuntur Objectiones. 118

Ob. 1mo. contra 1mam Concluſionem. *Quidquid ſcientiâ comprehenditur, ſcientis comprehenſione finitur.* (*n*) Atqui Deus nulla prorsùs ratione finiri poteſt. Ergo, &c.

Reſp. Diſt. Maj. finitur impropriè, hoc eſt, cognitio adæquat totam rei cognoſcibilitatem, conc. finitur propriè, hoc eſt, ipſi Deo finis ac meta quædam præfigitur, neg. maj. Pariter Diſt. min Deus non finitur, nec terminô clauditur propriè, conc. impropriè, quaſi perfecta & adæquata cognitione ſe ipſum non cognoſcat, neg. min.

Ob. 2do. Deus ſe cognoſcit in ſuis 159 creaturis, quas comprehendendo novit à ſe dependere. Ergo in ſe ipſo non ſe cognoſcit.

K 2 Reſp.

(*n*) *S. Aug. lib. 12. de Civ. c. 18.*

Digitized by Google

Reſp. Neg. conſ. Quamvis enim Deus quodammodò ſe in creaturis cognoſcat tanquam in termino ſecundario, nihil obſtat, quin primariò ſe ipſum in ſe ipſo perfectiſſimè cognoſcat.

160 Ob. 3tio. Si Deus ſe ipſum cognoſcit cognitione comprehenſiva, cognoſcit etiam perfectiones omnes, & attributa, quæ continet. Ergo cùm ipſa cognitio, quam habet de ſe ipſo, ſit una ex Dei perfectionibus, neceſſe eſt, ut eam quoque cognoſcat. Et rurſus, cùm cognitio, per quam cognoſcit cognitionem ſui comprehenſivam, ſit aliqua Dei perfectio, debet illam pariter cognoſcere, & ſic erit progreſſus in infinitum in admittendis cognitionum cognitionibus ſupra ſe ipſas reflexis.

Reſp. Cognitionem divinam, cùm ſit infinitè perfecta, atque diſtinctè repræſentet quidquid perfectionis eſt in Deo, & ſe ipſam, & reliqua Dei attributa repræſentare; atque hoc modo eſſe ſupra ſe ipſam reflexam: neque tamen propterea neceſſe eſt, admittere infinitas reflexiones inter ſe virtualiter diſtinctas, cùm unica reflexio ſufficiat, per quam, utpotè infinitam, intellectio divina, ita ſe ipſam cum cæteris Dei attributis repræſentet, ut cognoſcat ſe eſſe viſionem perfectam divinarum perfectionum, & ſuimet ipſius.

161 Ob. 4to. Omnis ſcientia eſt relativa ad ſuum objectum. Ergo diſtinguitur realiter ab objecto, circa quod verſatur. Atqui nihil eſt in Deo realiter diſtinctum ab ejus natura, quia Deus ſummè ſimplex eſt. Ergo non datur in Deo cognitio, per quam ſe ipſum perfectè cognoſcat.

Reſp. Diſt. Maj. Scientia eſt relativa ad ſuum objectum relatione tranſcendentali & eſſentiali ſine qua non poteſt concipi, niſi ejus objectum concipiatur, conc. Relatione accidentali ſeu prædicamentali, neg. maj. Relatio tranſcendentalis, cùm eſſentialis ſit, & intrinſeca fundamento, non arguit realem diſtinctionem inter rem, quæ refertur (*o*), & terminum ad quem refertur: è contra contingit in relatione accidentali ſeu prædicamentali, quæ cùm ſit denominatio partim intrinſeca, partim extrinſeca fundamento, cui convenit, neceſſe eſt, ut includat terminum realiter à fundamento diſtinctum. Nam ſi terminus eſſet realiter idem cum fundamento, relatio conſequenter foret adæquatè intrinſeca fundamento. Vide quæ de Relatione diximus in Metaphyſica noſtra part. 1. c. 2.

Ob. 5to. contra Concluſionem 3tiam. 162
Non videtur Deus omnia ſingularia ſaltem viliſſima cognoſcere. Ita S. Hieronymus, in c. 1. Habacuc, ubi ait: *abſurdum eſſe ad hoc Dei deducere Majeſtatem, ut ſciat per momenta ſingula, quot naſcantur culices; quotve moriantur, &c.* Idem ſentire videtur S. Chryſoſtomus, Hom. 35. in Matth. cùm ait, Deum capillos *humano more non numerare.* Ergo, &c.

Reſp. Neg. ant. Ad S. Hieronymum, dicimus, eum non excludere à Deo perfectam rerum etiam viliſſimarum notitiam ſed eam tantùm, quæ mutationi & ſucceſſioni obnoxia eſt, quæ nimirum pro varia rerum productione aut interitu per ſingula momenta Deo accreſcat, prout ait S. Auguſtinus l. 15. de Trin. c. 14. Hunc ſenſum duntaxat à S. Hieronymo excludi innuunt ipſamet illius adducta verba: *Deum per ſingula momenta non ſcire, quot naſcantur aut moriantur muſcæ.* Quòd autem rerum etiam minutiſſimarum cognitionem, curam, & providentiam Deo non denegaverit, demonſtrant hæc ipſius verba ad iſta Chriſti verba (*p*): *Veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt. Immenſam*, inquit, *Dei erga homines oſtendit providentiam, & ineffabilem ſignat affectum, quòd nihil noſtrum lateat Deum; & etiam*

(*o*) Res quæ refertur dicitur *ſubjectum.* (*p* Comment. in c. 10. S. Matth.

Digitized by Google

etiam parva & otioſa dicta ejus [illegible] non fugiant.

Non alia etiam eſt S. Chryſoſtomi mens atque ſententia, quàm ut excludat à Deo, non quidem ſimplicem rerum etiam abjectiſſimarum notitiam, ſed ſolummodò anxiam illam, ſcrupuloſam ac moroſam per ſingula momenta diviſam capillorum enumerationem. *Quid vilius paſſeribus*, ait [illegible] cit. loc. *ſed tamen nunquam ignorante Deo capiuntur.*

163 Ob. 6to. (*q*) Deus tentavit Abrahamum, ut ejus fidelitatem exploraret, unde Gen. 22. v. 12. *Nunc cognovi, quòd times Dominum.* Et c. 18. v. 21. *Deſcendam & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint: an non ita eſt, ut ſciam.* Ergo Deus, ante rei adventum, rem ipſam certò non cognoſcit.

Reſp. Diſt. ant. Deus tentavit Abrahamum, ut ejus fidelitatem exploraret, id eſt, notam faceret exteriùs, ſeu declararet, conc. Ut eam primùm cognoſceret, neg. ant. Styló Scripturæ, id Deus cognoſcere, aut neſcire dicitur, quod aliis declarat, vel non declarat: quo ſenſu filius hominis ſeu Chriſtus neſcire dicitur ultimum Judicii diem, non quòd illum ignoret, ſed quòd eum non aperiat, nec declaret. Fidelitatem igitur Abrahæ, cùm aliis Deus notam fecit, cognoſcere dicitur, publicò ſcilicet coram omnibus experimentô; hanc enim jam cognoverat Deus, cùm dicebat Gen. 18. v. 19. *Scio, quòd præcepturus ſit filiis ſuis, ut cuſtodiant viam Domini, & faciant judicium & juſtitiam.* Pariter dicitur Deus deſcendere, ut videat clamorem & ſcelera Sodomitarum, non quòd illum ignoraret, ſiquidem v. 20. dixerat: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus eſt;* ſed ad inſtructionem & doctrinam noſtram ita loquitur Scriptura, nempe ut innuat, debere Judices ad exemplum Dei accuratè, & omnibus depoſitis præjudiciis, propiùs inſpicere & examinare reorum crimina, nihil temerè vel præcipitanter moliri in pœnis decernendis.

Profectò, prout alibi jam ſæpiùs adnotavimus, Scriptura in his, ut & aliis paſſim locis, humano more & modo loquitur, ut ſe ſe nobis noſtriſque res intelligendi uſibus accommodet. Id quippe perfectè ſcire dicimur, quod experimentô comprobatur, ac oculis noſtris veluti ſubjicitur.

Ob. 7mo. Ut Deus aliquid cognoſcat, 164
neceſſe eſt, ut ſit illius cauſa efficiens aut exemplaris: non alia enim cauſa & ratio reddi poteſt, cur Deus omnes creaturas perfectè cognoſcat, quàm quòd ſit earum cauſa efficiens vel exemplaris. Atqui Deus nullo modo eſt cauſa peccatorum. Ergo certò peccata non cognoſcit.

Reſp. Neg. Maj. Poteſt enim Deus multa cognoſcere, quorum non eſt cauſa efficiens vel exemplaris. Ita cognitis rebus poſſibilibus, neceſſariò cognoſcit res impoſſibiles, quarum nec efficiens nec exemplaris cauſa eſt. Eodem modo cognoſcere poteſt peccata, quamvis nec ſit illorum cauſa per ſe efficiens, nec exemplaris; media videlicet cognitione recti, ac boni, cujus eſt cauſa efficiens, & exemplaris.

Ob. 8vo. Si Deus alia à ſe cognoſce- 165
ret, ejus cognitio à rebus creatis quodammodò penderet, & ab ipſis veluti ſpeciem mutuaret; pendent enim potentia & actus ab objecto, à quo ſpecificantur. 2do. Cognitio illa Dei foret obnoxia mutationi, pro conditione mutabilis creaturæ, quæ cognoſcitur. 3tio. Indecens videtur, ut mens præſtantiſſima & infinita occupetur circa res viliſſimas. Ergo.

Reſp. Neg. ant. Ad 1mum ſi quæ ſit facultatis intelligentis ab objecto dependentia, merè objectiva illa eſt, ac terminativa, quæ ne vel minimum quidem dignitati

(*q*) Gen. 22. v. 1.

ac præſtantiæ facultatis derogare poteſt. Ad 2dum Deus unico & ſimpliciſſimo actu, eoque æterno, omnia ſimul cognoſcit & intuetur, totaque mutatio cadit in terminum cognitionis, nempe creaturam, non in ipſam facultatem aut actionem cognoſcentis. Ad 3tium. Indecens non eſt, Deum viliſſima cognoſcere, quaſi vilis & abjecta objecti cogniti conditio recideret in ipſam facultatem cognoſcentem. Neque enim inficitur Solis radius, cùm loca fœdiſſima penetrat, nec acies oculi, cùm vilia & abjecta inſpicit.

166 Ob. 9no. Contra Concluſionem 4tam. Scriptura, ubi loquitur de cognitione rerum liberè futurarum, uſurpat particulam *fortè*, *forſitan*, quæ dubiam ac conjecturalem, non verò certam omninò ac exploratam denotat rei notitiam. Jerem. 26. v. 3. *Noli ſubtrahere verbum, ſi fortè audiant, & convertantur.* Ezech. 2. v. 5. *Hæc dicit Dominus: ſi fortè vel ipſi audiant.* Chriſtus ipſe alloquens Samaritanam, Joan. 4. v. 10. *Si ſcires*, ait, *donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi, da mihi bibere; tu forſitan petiiſſes ab eo.* Et c. 5. v. 46 *Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi.* Ergo Deus non cognoſcit omnia futura libera & contingentia &c.

Reſp. neg. ant. Ad textus adductos, dicimus 1mo. Scripturam, ut, quod jam ſæpius inculcatum, ſe ſe nobis accommodet, humanô plerumque modô loqui, & particulam *fortè*, *forſitan*, uſurpare, ut ſignificet rei futuræ eventum ſemper incertum eſſe reſpectu noſtri, non autem reſpectu Dei. Ita S. Aug. in Pſal. 4. 2do. Ut doceat, ex prævisione rei futuræ humanum non lædi arbitrium. Ita S. Hieronymus in c. 26. Jerem. 3tio. Illa dubitantis particula *fortè*, *forſitan*, utitur Scriptura vel ad deſignandam rei difficultatem, vel ad increpandam hominis malitiam & pervicaciam. Ita S. Aug. Tract. 37. in Joan.

Ob. 10mo. In Scriptura multa prænuntiantur tanquam futura, quæ tamen re ipſa non contigère. Iſaiæ 38. v. 1. mors Ezechiæ denuntiatur futura, *Diſpone domui tuæ, quia morieris.* Jonæ 3. v. 4. prænuntiatur futura intra ſpatium quadraginta dierum ruina & ſubverſio Ninivitarum, *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur.* Attamen nec tunc mortuus eſt Ezechias, neque Ninive ſubverſa. Ergo. 167

Reſp. Diſt. ant. Prænuntiantur futura conditionatè, conc. abſolutè, neg. ant. Quæ prænuntiantur futura ſub aliqua conditione, eâ non poſitâ, re ipſa non ſunt futura, quæ tamen futura fuiſſent, ſi conditio fuiſſet impleta. Mors Ezechiæ, c. 9. futura prædicitur, non quidem abſolutè, ſed ſuppoſito, quòd non immutaretur ordo & curſus cauſarum ſecundarum, qui mortem ejus exigebat, cùm autem, Deo volente mutatus fuerit, tunc Ezechias mortuus non eſt. Pariter, ſubvertenda prædicitur Ninive, non quidem abſolutè, ſed conditionatè, ſi nempe pœnitentiam Ninivitæ non agerent; quam cum egiſſent, ſubverſa non fuit eorum civitas.

Ob. 11mo. Si certa eſt in Deo futurorum contingentium cognitio, duo graviſſima incommoda ſequuntur. Primum, futura illa non ampliùs liberè ac contingenter, ſed neceſſariò eſſe futura; quia, cùm divina præſcientia falli non poſſit, neceſſe eſt ea evenire, quæ præſcivit. Alterum, inutilem omninò ac ſuperfluam eſſe humanam in rebus, tum civilibus, tum ſpiritualibus curam ac ſollicitudinem: quocunque enim homo ſe convertat, neceſſe eſt illud fieri, quod Deus prænovit. 168

Reſp. neg. utrumque conſequens: præſcientia quippe Dei rei futuræ libertatem non tollit, ſed ſupponit. 1mo. Quia res ſupponit futuras, eo ipſo modo, quo futuræ ſunt: liberè autem ac contingenter futuræ ſunt. 2do. Præſcientia Dei præciſè ut eſt nuda rei cognitio, non magis tollit rei futuræ libertatem, quàm vel cognitio rei præſentis, vel memoria rei præteritæ.

Digitized by Google

teritæ. Ita S. Aug. lib. 3. de libero arbitrio c. 4. Sicut enim peritus, e. g. medicus, qui ex tali morbo talem effectum ſecuturum prævidet, illum ſecuturum ſupponit, non verò facit; ita & præſcientia rei futuræ, & actualis ejus cognitio, & memoria rei præteritæ, rem futuram, vel præſentem vel præteritam non facit, ſed ſupponit. 3tio. Quia, ex communi SS. Patrum effato, non ideò res futuræ ſunt, quia cognoſcuntur à Deo; ſed ideò potiùs cognoſcuntur, quia futuræ ſunt. Cùm verò nonnulli è Scriptoribus Eccleſiaſticis aſſerere videntur, res ideò futuras eſſe, quia cognoſcuntur à Deo, particula cauſalis *quia* non cauſam formalem aut à priori hic ſignificat, ſed argumentum duntaxat ſeu ſignum à poſteriori, quia nempè Dei præſcientia ſignum eſt rei futuræ.

Inde facilè ſolvitur primum, quod objicitur, incommodum, Quæ Deus præſcivit, neceſſariò futura ſunt, Diſt. neceſſitate ſubſequente liberam voluntatis determinationé, conc. Neceſſitate antecedente, & ex ipſa Dei præſcientia profluente, neg.

Ad alterum, quod opponitur, incommodum, inutilem ſcilicet fore humanam curam & ſollicitudinem, negatur conſecutio: ſiquidem nonniſi ex ſuppoſita illa in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus cura & ſollicitudine ex beneficio gratiæ certiſſimè à Deo cognoſcitur futura hominis ſalus. Quapropter meritò dixit Petrus (r) *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.*

169 Ob. 12mo. Illud non poteſt certò cognoſci à Deo, quod determinatam non habet veritatem. Sed talia ſunt futura contingentia: neque enim ſunt determinata vel in ſe, cùm non exiſtant; vel in cauſis ſuis, utpote quæ liberæ ſunt. Ergo, &c.

Reſp. neg. min. Futura enim illa determinatam habent veritatem, tum in præſcientia Dei, tum in ſe ipſis & in cauſis liberis, non quidem pro præſenti, ſed pro futuro.

Ob. 13tio. Si Deus futura mala præſcivit, quare, cùm potens ſit, ea non impedivit? 170

Reſp. Cauſam eſſe 1mo. Quia Deus hominem liberum condidit, & ſuæ libertati permittit, ut ſit meriti ac demeriti, præmii vel ſupplicii capax. 2do. Quia Deus proviſor eſt generalis, qui ex malo etiam bonum eruere novit, atque in manifeſtationem gloriæ ac juſtitiæ ſuæ hominum peccata convertit.

Ob. 14to. Nonnulli ex antiquis negant eſſe in Deo veram præſcientiam. Ita S. Aug. lib. 2. ad Simpl. q. 2. S. Greg. Magnus lib. 20. Moral. c. 23. Boëtius lib. 5. Conſolat. Philoſ. proſâ 6. Ergo &c. 171

Reſp. Diſt. ant. Nonnulli ex antiquis negant in Deo veram præſcientiam, quoad nomen, conc. Quoad rem nomine ſignificatam, neg. ant. Cùm enim præſcientia vi nominis ſit futuri ſcientia, atque Deo propriè nihil futurum ſit, cui ſunt omnia maximè præſentia, conſequenter nulla in eo propriè, & quoad nomen, eſt præſcientia; ſed tantùm ſcientia, quæ ad res futuras velut ad præſentes extenditur. Ita explicat S. Aug. cit. q. 2. lib. 3. ad Simplic.

Ob. 15to. contra Concluſionem 5tam. S. Auguſtinus, ejusque Diſcipuli, SS. Proſper & Fulgentius, nullam in Deo admittunt præſcientiam, niſi rei, quæ aliquando re ipſa futura eſt. Imò irrident graviterque reprehendunt ac damnant in Pelagianis & Semipelagianis præſcientiam futurorum ſub conditione; ut S. Auguſt. lib. 1. de anima & ejus origine c. 12. Et lib. de prædeſt. Sanctorum, c. 14. S. Proſper, Ep. ad S. Auguſt. Inter Epiſtolas S. Aug. 225. S. Fulgentius, lib. 1. de veritate prædeſtinationis, c. 7. Ergo, &c. 172

Reſp.

(r) 2. Pet. 1. v. 10.

Reſp. Ad primum diſt. ant. Non agnoſcunt memorati SS. Patres in Deo præſcientiam rei abſolutè futuræ, niſi re vera futura illa ſit, conc. aliàs falleretur Dei præſcientia. Rei ſub conditione futuræ, iterum diſtinguimus: nullam agnoſcunt præſcientiam ad ſenſum Pelagianorum, & Semipelagianorum, quos refellunt, conc. Ad ſenſum Catholicorum, neg. ant.

Itaque cùm Deus res cognoſcat, quales ſunt, illæ verò vel ſint abſolutè futuræ, vel conditionatè duntaxat, ſi aliqua ponatur conditio; conſequenter res abſolutè futuras, re ipſa ut abſolutè futuras cognoſcit; res pariter ſub conditione futuras, ſive conditio ponenda ſit, ſive non ponenda, certò etiam cognoſcit: at non ad ſenſum hæreticum Pelagianorum, & Semipelagianorum, qui contendebant 1mo. Scientiam conditionatorum Deo regulam & motivum eſſe ad gratiam concedendam iis, quos illâ benè uſuros eſſe prævidebat; quod quidem quàm falſum ſit, vel uno Tyriorum & Sidoniorum exemplo demonſtratur. 2do. Parvulos præmiò vel ſuppliciò donandos eſſe, non quidem propter opera bona vel mala, quæ re ipſa feciſſent, ſed quæ facturi fuiſſent, ſi ad pleniorem ætatem ſervati fuiſſent; quod etiam abſurdum eſt & impium: ſi enim nemo puniri poteſt propter crimen nondum patratum, multò minùs propter crimen quod nunquam committi debet.

Ad 2dum Reſp. Hos SS. Patres damnare in Pelagianis & Semipelagianis abuſum ſcientiæ conditionatorum, non ipſam in ſe ſpectatam ſcientiam. Variè autem tum Pelagiani, tum Semipelagiani ſcientiâ conditionatorum abutebantur.

1mo. Volebant Pelagiani, fundamentum prædeſtinationis ad fidem & gloriam eſſe merita purè humana, ex ſolis liberi arbitrii viribus, quæ Deus abſolutè futura prævidens, ad fidem, & gloriam hominem prædeſtinat. Semipelagiani verò, etſi ad fidem & opus bonum gratiam neceſſariam eſſe faterentur; ad initium tamen fidei, ſeu ad quemdam pium credulitatis affectum, naturam ſolam & vires liberi arbitrii ſufficere contendebant.

2do. Iidem Semipelagiani docebant, bonum vel malum uſum gratiæ, quem Deus futurum prævidebat, cauſam eſſe ac motivum, quo movebatur Deus, ut gratiam his concederet, aliis verò denegaret.

3tio. Quantùm ſpectat ad parvulos, recurrebant ad merita vel demerita eorum, non quæ feciſſent, ſed quæ facturi fuiſſent, ſi diutiùs vixiſſent. Ita referunt SS. Aug. Ep. 194. aliàs 105. ad Sixtum, num. 42. Proſper, Ep. ad Auguſtinum, quæ eſt de erroribus Maſſilienſium. Atque iſte Semipelagianorum abuſus Auguſtinum eò adduxit, ut ſcriberet, *Futura, quæ non ſunt futura, à Deo non præſciri;* intellige ad ſenſum & mentem Semipelagianorum, & ad eum finem & uſum, quem illi confinxerant.

Ob. 16to. Nullum futurum poteſt certò à Deo cognoſci ante Dei decretum. Atqui nullum eſt in Deo decretum pro re nunquam futura, inutile ſcilicet ac ſuperfluum illud foret. Ergo, &c. 173

Reſp. Diſt. min. Nullum eſt in Deo decretum abſolutum pro re nunquam futura, conc. Nullum eſt decretum conditionatum, quod nempe ſit pars illius conditionis, ſub qua res eſſet futura, neg. min. e. g. Cùm Deus prædixit futuram Tyriorum converſionem, vidit Tyrios convertendos ſub iſta conditione, Si voluiſſem apud illos fieri miracula Chriſti, & eam ipſis concedere gratiam, quæ neceſſaria fuiſſet, ut, viſis Chriſti miraculis, credidiſſent, converſi illi fuiſſent. In eo igitur Syſtemate, quod nihil continet ſaniori doctrinæ adverſum, Decretum Dei, quod eſſet, includitur tanquam pars conditionis, ſub qua futura conditionata videntur à Deo; ac conſequenter vera eſt in rigore iſta propoſitio, *Nihil futurum cognoſcitur ante decretum Dei:* vel quod eſt, ſi res abſolutè futura eſt; vel quod fuiſſet, ſi res duntaxat futura ſit ſub conditione nunquam ponenda.

Digitized by Google

§. III.

174 *De Medio, in quo Deus omnia cognoſcit.*

(*s*) Medium cognitionis illud dicitur, in quo res aliqua cognoſcitur, ſeu quod prius cognitum ducit in cognitionem alterius.

Facilè inter Theologos convenit, Deum abſque ullo medio ſe ipſum ſuasque perfectiones, per ſe ipſum immediatè cognoſcere. Ratio eſt aperta: quia Deus ſibimetipſi eſt intimè præſens, nec quidquam in eo prius eſt ipſius eſſentiâ, nihil quod ſit veluti cauſa cognitionis eſſentiæ divinæ. Deinde attributa ſeu perfectiones divinæ ad ipſam Dei eſſentiam pertinent, ſine quibus concipi non poteſt. Ergo immediatè in ſe ipſis cognoſcuntur.

(*t*) Deum quoque in ſua eſſentia res omnes creatas, atque etiam poſſibiles cognoſcere inde habetur, quòd, cùm divina ſcientia & virtus ſit infinita, rerum cognitionem non ab objectis ipſis, ſed ex ipſamet Dei eſſentia deſumat. Deinde Deus ſuam eſſentiam comprehenſivè cognoſcit (*u*), prout priori §. concluſ. 1mâ. num. 146. oſtenſum: comprehenſivè autem Dei eſſentiam cognoſcere, eſt eam cognoſcere omni, quo cognoſci poteſt, modô, nempe tam ſecundùm id, quod eſt in ſe, quàm ſecundùm id omne, ad quod poteſt ſe extendere. Atqui ſic divinam eſſentiam cognoſcere, eſt in ea tanquam in cauſa cognoſcere omnes creaturas etiam poſſibiles, cum re vera per creationem ad eas ſe poſſit extendere.

Verùm hæc apud Theologos magnam non patiuntur difficultatem; at longè magis operoſa videtur altera quæſtio, quippe quæ jam à centum quinquaginta ſeptem annis (*x*), ac anno videlicet 1588. quô primùm in lucem prodiit Liber Ludovici Molinæ è Societate JESU de concordia Liberi arbitrii cum gratia, hinc inde Theologorum animos mirè agitavit, atque diviſit, ita ut hactenus ad pacem & concordiam neutiquam adduci potuerint; in quo ſcilicet medio Deus cognoſcat tùm quæ liberè ac contingenter ſunt abſolutè futura, tum quæ conditionatè duntaxat futura ſunt.

Theologi illi, quos Thomiſtas à S. 175 Thoma Aquinate Ordinis Prædicatorum alumno, qui vulgò Theologorum Scholaſticorum Princeps atque Doctor Angelicus audit, vocant; communiter docent, futura libera & contingentia ordinis naturalis à Deo cognoſci, tum in coexiſtentia illorum cum divina æternitate, tum in decreto abſoluto phyſicè prædeterminante (*y*): Quæ verò ſunt ordinis ſupernaturalis, in decreto abſoluto, & gratia per ſe ſe efficaci certò & infallibiliter determinante voluntatem ad benè agendum; quorum neceſſitatem cùm illi repetant ex ſupremo Dei ergà res omnes dominio, ac perfecta creaturæ à Creatore dependentia, conſequenter tùm decretum abſolutum, tùm gratiam ex ſe efficacem exigunt in ipſo etiam naturæ innocentis ſtatu.

Theologi verò illi, quos Janſeniſtas, 176 à Janſenio Iprenſi Epiſcopo, nuncupant, cùm vim & efficaciam gratiæ in præſenti ſtatu reponant in delectatione cœleſti relativè ſuperiori ac victrice, id eſt, quæ gradibus ſuperior eſt, quàm delectatio terreſtris oppoſitæ concupiſcentiæ, conſequenter in hujusmodi gratia & decreto abſoluto eam conferendi, futura libera ſupernaturalis ordinis certò à Deo cognoſci alleve-

(*s*) Vid. inf. Exercit. Theolog. Exercit. 5. n. 86. & ſeq. item Exercit. 7. num. 116. & ſeq. (*t*) Vid. inf. Exercit. Theolog. Exercit. 5. n. 86. & ſeq. (*u*) Id eſt, ſemetipſum cognoſcit. (*x*) Nb. Hoc exaratum fuit an. 1745. (*y*) Vide ea quæ de prædeterminatione phyſica diſſeruimus in noſtra Metaphyſica part. 2. cap. 1. §. 5.

aſſeverant. In duobus autem à Thomiſtis hîc diſſident, 1mo. Gratiam ex ſe efficacem ac decreta phyſicè præmoventia pro ſolo naturæ lapſæ ac corruptæ ſtatu admittunt, non verò pro ſtatu naturæ innocentis. 2do. Thomiſtæ volunt, gratiam efficacem eſſe in ſe abſolutè efficacem; Janſeniani verò relativè duntaxat ad terreſtrem concupiſcentiæ oppoſitæ delectationem. (*z*)

177 Auguſtiniani autem, à S. Auguſtino, cujus ſunt alumni, ſic dicti, hîc diſtinctione opus eſſe contendunt: 1mo enim docent, futura naturalis ordinis videri in creata voluntate, tanquam in medio. 2do. Opera ſupernaturalia ſtatûs naturæ innocentis pariter viſa fuiſſe in eadem voluntate ſub gratia verſatili conſtituta. 3tio tandem, futura ſupernaturalia noſtri ſtatûs videri à Deo in decretis efficacibus concedendæ gratiæ ex ſe ſe efficacis certò ac moraliter voluntatem determinantis.

Atque hinc patet, Auguſtinianos circa ſtatum naturæ innocentis idem ſentire cum Moliniſtis, de quibus mox dicemus: circa opera ſupernaturalia præſentis ſtatus verò Thomiſtis conſentiunt, hoc uno excepto, quòd ſcilicet Thomiſtæ gratiam ex ſe ſe efficacem ac *phyſicè* determinantem agnoſcant; Auguſtiniani verò nonniſi *moraliter*.

178 (*a*) Alii Theologi Molinæ diſcipuli, & ab ipſo Moliniſtæ dicti, gratiam illam ex ſe efficacem ſenſu tum Thomiſtico tum Janſeniano, & abſoluta decreta phyſicè prædeterminantia repudiant, ne fortè noceant humanæ libertati. Cenſent illi, Deum circa liberas hominis actiones nihil omninò ſtatuere ac definire, niſi priùs per ſcientiam conditionatorum, ſeu mediam, de qua inferiùs, cognoverit, quid homo facturus ſit, ſi in his, vel illis circumſtantiis collocetur, ſi hæc vel illa gratia ipſi conferatur: non quòd exiſtiment, præviſum illum ſub conditione talis gratiæ voluntatis conſenſum Deo cauſam eſſe ac motivum gratiam illam conferendi; enimverò Semipelagianorum error hic fuit: ſed ut noſtrô concipiendi modô Deus dirigatur in ſuis decretis abſolutis formandis, ac ſalva remaneat ſub efficaci Dei motione humana libertas.

Hujus ſententiæ patroni agnoſcunt, 1mo gratiam efficacem in ratione doni ac beneficii; ſcilicet doni cujuſdam ac beneficii ſingularis locô haberi debere, quòd ex multis congruis auxiliis, quæ Deus habet in ſua poteſtate, iſta potiùs ſeligat ac largiatur, cum quibus hominem conſenſurum prævidet. 2do. Gratiam efficacem eſſe ex ſe in actu primo, id eſt, ex ſe habere, non verò ab humana voluntate, vim omnem ſuam movendi, excitandi, alliciendi voluntatem ad bonum; non tamen efficacem in actu ſecundo, niſi accedente conſenſu voluntatis, quo etiam accedente vis omnis & efficacia ipſi gratiæ prævenienti, excitanti, adjuvanti, & concomitanti tribuenda eſt, non humanæ voluntati, quæ quidem ad opus bonum ſimul cum gratia ita concurrit, & cooperatur, ut tamen primæ partes gratiæ ſemper tribuendæ ſint: *Non ego*, dicebat Apoſtolus, *ſed gratia Dei mecum*.

Quapropter totus hujuſce famoſæ con- 179
troverſiæ cardo in eo verti videtur, utrum

(*z*) Hanc medii, in quo Deus futura libera & contingentia cognoſcit, Janſenianorum exponendi rationem non probavit Eccleſia, quòd hujuſmodi relativa victrix ac ſuperior delectatio libertati humanæ nocere videatur; certum quippe eſt, hujuſmodi delectationem neceſſariò ad ſuas partes trahere voluntatem humanam, quemadmodum pondus quatuor librarum neceſſariò vincit & ad ſe trahit pondus duarum duntaxat, ubi ambo bilancem occupant, verùm de hoc fuſiùs in Tract. de Gratia agemus. (*a*) Vid. inf. Exercit. Theolog. Exercit. 7. n. 116. & ſeq.

Digitized by Google

utrum nempè gratia, per quam voluntas humana bonum operatur, debeat certò & invictè præmovere ſeu prædeterminare phyſicè vel moraliter voluntatem ad benè agendum; an verò ſatis ſit, ſi præveniat, comitetur, concurrat, ac ſimul operetur cum voluntate. En quò tandem recidat grandis illa & operoſa controverſiarum moles, quæ, ut jam diximus, à ſæculo & ampliùs Theologos noſtros tam durè exercent & etiam ad convitium usque & injuriam, quin tamen certi aliquid & ſtabilis, cui tutò inniti poſſimus, hactenus protulerint; tot tantisque ſcilicet difficultatibus involuta eſt hæc quæſtio.

180 Certè S. Auguſtino adeò obſcura & explicatu difficilis viſa fuit hæc quæſtio, quæ nempe circa modum ſeu medium, quo Deus omnia cognoſcit, verſatur, ut nihil circa eam definire auſus ſit. *Non audemus dicere*, ait (*b*), *quomodò novit Deus? Ne fortè hoc à me, fratres, expectetis, ut explicem vobis, quomodò cognoſcat Deus: hoc ſolùm dico, non ſic cognoſcit, ut homo, non ſic cognoſcit, ut Angelus; & quomodò cognoſcit, dicere non audeo, quoniam & ſcire non poſſum.*

181 Idipſum ſanè hactenùs Eccleſiæ viſum eſt, ut quæ nihil adhuc ſuper hac quæſtione definierit; quâ ſilente, & nos meritò ſilere debemus. Igitur nobis ſatis eſt, hîc varias variorum Theologorum hac de re ſententias & opiniones, modosque, quibus ſuam quique exponunt, retuliſſe. Deum illæſa humana libertate ſeu libero arbitrio omnia futura contingentiâ cognoſcere, Scriptura, Patres, Eccleſia, ratioque ipſa ſuadent ac declarant; hîc nobis hærendum, neque curioſiùs inveſtigandum, quibus id faciat mediis, quod eum nos latere voluiſſe vel tanta hac de re ſententiarum & opinionum varietas, &, quod caput eſt, Eccleſiæ ſilentium ultrò probant.

§. IV.

An Scientia Dei ſit cauſa rerum. 182

Theologi generatim duplicem in Deo diſtinguunt Scientiam, *ſimplicis intelligentiæ* videlicet, & *viſionis*: per illam Deus res ut merè poſſibiles, per hanc res ut aliquando futuras cognoſcit. His addunt aliqui tertiam, quam *conditionatorum Scientiam* nuncupant, alio nomine eam *mediam* dicunt, quòd velut media ſit inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiam viſionis, atque priorem immediatè ſequatur, omneque Dei abſolutum & efficax decretum antecedat, prout jam in Metaphyſica noſtra expoſuimus, part. 2. c. 1. §. 4. pag. 137. Atque etiam fuſiùs §. ſequenti explicabimus.

Porro ſcientia Dei dici poteſt cauſa rerum vel *directiva*, quando ſcilicet dirigit operantem ad opus, quemadmodùm ars, quæ eſt in mente artificis, illum dirigit ad artefactum, oſtendendo ipſi & finem, & media; vel *efficiens*, quando ſcilicet influit per veram cauſalitatem in ipſum opus. Porro certum eſt, ſcientiam Dei nullatenus cauſam eſſe peccatorum.

Diſputant Theologi inter ſe, quænam Dei ſcientia rerum cauſa dici debeat, an ſcientia ſimplicis intelligentiæ, an media, an viſionis, vel hæc utraque: Sit

CONCLUSIO. 183

Nec ſcientia viſionis: nec ſcientia media, ſi quæ detur; ſed ſola ſcientia ſimplicis intelligentiæ eſt cauſa rerum.

Prob. 1ma pars 1mo ex hac communi SS. Patrum ſententia, nimirum non ideo res eſſe futuras, quia cognoſcuntur à Deo; ſed potiùs ideò cognoſci, quia futuræ ſunt. *Non eſt*, inquit S. Juſtinus, ſeu Auctor

(*b*) *In Pſalm.* 49.

Auctor quæſtionum ad Orthodoxos apud ipſum quæſt. 58. *præſcientia cauſa ejus, quod futurum eſt: ſed id, quod futurum eſt, eſt cauſa præſcientiæ. . . . . Quocirca non Chriſtus cauſa eſt proditionis Judæ: verùm proditio eſt cauſa Domini præſcientiæ.*

Origenes, in cap. 8. Epiſt. ad Rom. *Non propterea*, inquit, *erit aliquid, quia id ſcit Deus futurum; ſed quia futurum eſt, ſcitur à Deo antequam fiat.*

S. Hieronymus in c. 26. Jerem. *Non*, inquit, *ex eo quòd Deus ſcit futurum aliquid, ideirco futurum eſt: ſed quia futurum eſt, Deus novit quaſi præſcius futurorum.* Ergo his horum & aliorum SS. Patrum locis, quæ brevitatis gratiâ prætermittimus, ſcientia viſionis præſupponit res futuras, adeoque eas non facit, nec proinde earum cauſa eſſe poteſt. Unde

Prob. 2do Ratione 1mo. Quod præſupponit res futuras non poteſt eſſe earum cauſa, cùm eſſentiale ſit cauſæ, ut ſit prior ſuo effectu. Atqui ſcientia viſionis præſupponit res futuras; & quidem 1mo præſupponit futuras res neceſſarias, quia præſupponit decretum abſolutum, quo futuræ decernuntur: eſt enim eò decretô poſterior, cùm illud ſit medium, in quo futura neceſſaria à Deo videntur. 2do. Scientia viſionis præſupponit quoque, ſaltem reſpectu naturæ lapſæ, futuros actus liberos ordinis ſupernaturalis: cùm actus illi futuri ſint ex decreto abſoluto, quod Deus ab æterno tulit de iis ut futuris; unde illud decretum eſt medium, in quo à Deo ſciuntur; medium verò prius eſt cognitione, quàm objectum, cujus eſt medium. &c. Ergo, &c.

Prob. 2do. Quia vix ſtare ac conciliari poteſt creata libertas cum ea ſcientia, quæ virtute decreti abſoluti & antecedentis cauſa eſt futuræ actionis. Neceſſe quippe eſt, neceſſitate non tantùm conſequente & hypothetica, ſed abſoluta & antecedente illa fieri, quæ Deus abſoluta ſua voluntate fieri decrevit: neque verò alio magis efficaci momento opportunè uſi fuère SS. Patres ad conciliandam humanam libertatem cum divina præſcientia, quàm quòd non ideò res ſunt futuræ, quia præſciuntur à Deo, ſed potiùs ideò præſciuntur, quia futuræ ſunt.

Prob. altera pars iisdem, quibus prior probata eſt, argumentis. Nam juxta Scientiæ mediæ defenſores futura ſub conditione præcedunt Dei cognitionem abſolutumque ejus decretum: per eam quippe, ut ajunt, Deus videt, ad quid voluntas ſe ſe ex innata ſua libertate determinatura ſit, ſi in his aut illis circumſtantiis à Deo ponatur.

Prob. 3tia pars Concluſionis. Sola ſcientia ſimplicis intelligentiæ præcedit res futuras: Sola in eas influit per modum prudentiæ ſeu directionis, & artis ſeu operationis; prudentiæ quidem, inducens Dei voluntatem, ut hoc vel illud operari velit; artis verò, oſtendens poſt determinationem voluntatis, modum, quo res faciendæ ſunt.

Solvuntur Objectiones. 184

Ob. 1mo. S. Auguſtinus lib. 13. Confeſſ. cap. ult. diſertè aſſerit creaturas ideò eſſe, quia cognoſcuntur à Deo. *Nos*, inquit, *quæ feciſti videmus, quia ſunt. Tu autem, quia vides ea, ſunt.* Eadem quoque videtur eſſe mens S. Gregorii Magni lib. 20. Moral. c. 32. *Quæcunque ſunt*, inquit, *non in æternitate ejus ideò videntur, quia ſunt; ſed ſunt, quia videntur.* Ergo ſcientia viſionis duntaxat eſt cauſa rerum.

Reſp. neg. conſ. ad Patrum textus dicimus 1mo. Senſu illativo, non autem cauſali SS. Patres dixêre, res ideò eſſe, quia videntur à Deo: quippe ſi videntur, neceſſaria eſt iſta illatio, ergo ſunt; falli enim

enim non poteſt divina præſcientia. 2do. Hæc teſtimonia intelligi rectè poſſunt de illa ſcientia, qua Deus ſolus res aliquas operatur, non de actionibus liberis, quæ cooperante creatura producuntur. 3tio. denique, cùm aliqui Patres affirmant, res idcircò eſſe, quia videntur à Deo, intelligendi ſunt, non de ſcientia viſionis, ſed de illa, quæ dicitur ſimplicis intelligentiæ, quæ præcedit decretum, cujus directiva eſt. Unde hoc modo diſtingui poteſt antecedens propoſitio prolatæ objectionis, SS. Auguſtinus & Gregorius creaturas ideo eſſe aſſerunt, quia videntur ſeu cognoſcuntur à Deo ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ, conc. ſcientiâ viſionis, neg ant.

185 Ob. 2do. Scientia ſimplicis intelligentiæ eſt merè ſpeculativa, tota nimirùm occupatur in contemplanda rerum poſſibilitate. Atqui, ut patet, habitus merè ſpeculativus non eſt cauſa efficiens erum. Ergo, &c.

Reſp. Diſt. Maj. Scientia ſimplicis intelligentiæ non applicata per actum divinæ voluntatis eſt merè ſpeculativa, conc. applicata per actum voluntatis, neg. maj. &c. Tria in Deo rationis inſtantia velut ſeu momenta ſunt diſtinguenda. In primo Deus habet ideas rerum omnium poſſibilium; in altero ſe ſe determinat ad producendum e. g. hominem juxta ideam hominis, quam in primo inſtanti in mente gerebat; in tertio denique videt hominem exiſtentem: in priori ex his inſtantibus ſcientia ſimplicis intelligentiæ eſt merè ſpeculativa, at in altero eſt practica, quia dirigit Deum ut ſe determinet ad hominis productionem, & ad eam concurrat per modum cauſæ exemplaris.

186 Ob. 3tio. Ea ſcientia non poteſt eſſe cauſa rei futuræ, quæ rem non cognoſcit ut futuram vel exiſtenten. Atqui ſcientia ſimplicis intelligentiæ non cognoſcit res ut futuras vel exiſtentes, quod proprium eſt ſcientiæ viſionis, ſed ut poſſibiles duntaxat; Ergo, &c.

Reſp. Diſt. Maj. Ea ſcientia &c. quæ rem non cognoſcit ut futuram &c., nec ideam, ad quam fieri debet, conc. quæ rem non cognoſcit ut futuram, & tamen ideam cognoſcit, ad quam res illa fieri debet, neg. maj. Pariter diſt. min. Atqui ſcientia ſimplicis intelligentiæ non cognoſcit res ut futuras vel exiſtentes, cognoſcit tamen ideam, ad quam ipſæ fieri debent, conc. min. Et non cognoſcit ideam illam, neg. min. Ars in artifice non cognoſcit ipſum opus, quod artifex operari voluerit, ſed cognoſcit ideam ad quam ex ſuppoſitione, quod fiat, exigi debet; ea tamen ars eſt cauſa operis: ergo pariter ſcientia ſimplicis intelligentiæ ideò eſt cauſa rerum futurarum, quòd cognoſcat ideam, ad quam futura, ſi fiant, exigi debent.

§. V.

De varia Scientiæ Dei diviſione. 187

Quamvis unica ſit eaque ſimpliciſſima, quantùm ad entitatem, Dei ſcientia; pro varietate tamen objectorum multiplex diſtingui ſolet à Theologis. 1mo. Alia neceſſaria dicitur, ſeu naturalis, quæ verſatur circa Deum ipſum & res poſſibiles; alia verò libera, quæ habet pro objecto creaturas. 2do. Alia dicitur ſpeculativa, quæ nihil operatur circa objectum ſuum; alia verò practica, quæ operatur. 3tio. Alia approbationis, qua intuetur & probat quæ bona ſunt; alia improbationis, qua improbat, quæ non facit, peccata ſcilicet. 4to. Alia dicitur ſimplicis intelligentiæ, quæ, ut §. præcedenti dictum, circa res poſſibiles; alia viſionis, quæ circa res exiſtentes, vel aliquando futuras occupatur.

(*c*) Nonnulli Theologi tertium quoddam membrum diviſionis interſerunt, quod vocant *Scientiam mediam*, ſeu *conditionatorum*, eoquòd illa ſcientiæ ſpecies ſit media inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis, necnon verſetur circa objectum, quod nec merè poſſibile eſt, nec abſolutè futurum, ſed quod futurum eſſet, ſi aliqua poneretur conditio.

Ergo *Scientia media* eſt ſcientia conditionatorum independens ab omni decreto Dei abſoluto & efficaci, eoque anterior: *media*, ut dictum, nuncupatur, eoquòd medium quemdam locum teneat inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ & viſionis, ejusque objectum medium ſit inter objectum ſcientiæ utriusque; quia neque merè eſt poſſibile, neque abſolutè futurum &c.

Non hìc quæritur, utrum illa ſcientia media diſtinguenda ſit, vel revocanda ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, aut viſionis. Profectò enim, prout jam in Metaphyſia noſtra advertimus (*d*), vel conditio, quam includit *ſcientia media*, merè poſſibilis eſt, vel aliquando ponenda: Si merè poſſibilis, ſcientia illa revocatur ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, nec ab ea diſtinguitur; ſi verò conditio aliquando futura eſt, revocatur ad ſcientiam viſionis.

Totius ergo controverſiæ ſtatus unicè reſpicit uſum ac neceſſitatem ſcientiæ mediæ; utrum ſcilicet Deus in ſuis decretis abſolutis formandis per illam dirigatur, nec abſolutô ſuô decretô quidquam circa liberas hominis actiones priùs decernat, quàm per illam mediam ſcientiam exploraverit, ac certò cognoverit, quid homo facturus ſit iſta vel alia poſita conditione, in his vel illis circumſtantiis conſtitutus.

En quæſtionis ſtatus, cujus occaſione vel ab ipſo anno 1588. quò primùm in lucem prodiit liber Ludovici Molinæ è Societate JEſu, *de concordia liberi arbitrii cum gratia*, in quo ſcientiam illam adſtruit, tanta exarſit diſcordia inter Patres Dominicanos ex una parte, & Patres Societatis JEſu ex altera, ut ad eam, ſi fieri poſſet, ſopiendam habita fuerint celeberrimæ illæ de auxiliis Congregationes coram SS. Pontificibus Clemente VIII. ab an. 1598. usque ad an. 1605. quo extremum diem clauſit, & Paulô V. à die 20. Septemb. an. 1605. usque ad diem 28. Auguſti anni 1607. quo tandem finis impoſitus fuit illis Congregationibus, & triduo pòſt ex mandato Pauli V. partes litigantes dimiſſæ, ac intra religioſæ modeſtiæ fines ſe continere juſſæ ſunt, neve pars una alteri erroris notam ullam inureret ſeverè inhibitum ipſis fuit, nullo à S. Sede latô eam in rem judiciô.

In duas ergo partes hìc Schola dividitur. Prima eſt Thomiſtarum, & eorum, qui ſe Auguſtinianos dicunt, qui cùm gratiæ per ſe, & ab intrinſeco efficacis, ac decretorum Dei abſolutorum neceſſitatem rigidè tueantur, inutilem omninò exiſtimant Scientiam mediam, utpotè ſine qua Deus certiſſimè cognoſcit in ſuis abſolutis decretis, ac virtute efficaci ſuæ gratiæ, quid homo facturus ſit, ſi hæc gratia ipſi concedatur. 188

Secunda ſententia eſt eorum, qui timent pro libertate, ſi quid Deus circa liberas hominis actiones abſolutô ſuô decretô priùs decernat, quàm per Scientiam illam conditionatorum exploraverit, quò ſe inclinatura ſit voluntas, ſi hæc vel illa gratia ipſi conferatur. Hoc enim duplex aſſignatur hujus Scientiæ mediæ officium, 1mo. ut Deum dirigat in ſuis decretis abſolutis formandis. 2do. ut explicetur quomodò ſalva & integra remaneat huma-

(*c*) Vid. inf. Exercit. Theol. Exercit. 7. n. 116. & ſeq (*d*) Part. 2. c. 1. §. 4.

Digitized by Google

humana libertas cum decretis Dei abſolutis & gratiâ per ſe efficaci.

189 Cuinam autem harum binarum contrariarum opinionum veritas patrocinetur, hactenùs remanſit incertum, prolatis utrinque validis & plauſibilibus argumētis, ſuper quibus cùm usque huc Eccleſia nihil definierit, verùm easdem in ſua utrimque probabilitate reliquerit, nec nos quidquam definimus, aut probatis hinc unius partis argumentis, illinc alterius momenta rejicimus velut improbabilia, verùm contrà, quantùm poſſunt, ea valere jubemus, ſine ulla illorum ſoliditatis disquiſitione. Profectò ſacra Scriptura, SS. Patres, ipſaque Eccleſia nobis præclara ſubminiſtrant argumenta, quibus & Dei ſupremam in hominum voluntates poteſtatem, & horum liberum arbitrium tueamur; hæc nobis ſufficere arbitramur, nec opus eſſe inveſtigare, an hæc interpoſitâ eâ, quæ *Media* nuncupatur, Dei ſcientiâ an ſecus eveniant, atque, quem ordinem, à quo veritas hujus quæſtionis unicè pendet, in ſuis Decretis Deus inſtituerit, quem nos latere hactenus voluit.

190

CAPUT VI.
De Voluntate Dei.

(*e*) ESſe in Deo propriè dictam voluntatem communis eſt omnium ſententia. *Omnia, quæcunque voluit, fecit,* ait Pſalmiſta Pſal. 113. v. 11. Matth. 6. v. 10. jubente Chriſto ſic Deum oramus: *Fiat voluntas tua.* Rom. 9. v. 19. *Voluntati ejus quis reſiſtit.?* Et cap. 12. v. 2. & 3. *Reformamini in novitate ſenſus veſtri, ut probetis, quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.* Item Epheſ. 1. v. 2. *Operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, &c.*

Ratio eſt, quia Deus eſt ens perfectiſſimum; ergo omnis & quælibet perfectio, quæ nullam in ſuo eſſentiali conceptu imperfectionem includit, in ipſo formaliter continetur. At voluntas in ente ſpirituali eſt perfectio, quæ nullam in ſuo eſſentiali conceptu includit imperfectionem. Ergo, &c.

Hæc voluntas porrò in Deo non eſt per modum potentiæ ſeu principii virtualis divinæ volitionis; ſed per modum operationis; quia Deus eſt actus puriſſimus ac maximè ſimplex; & ſicut intellectus in eo non habet rationem potentiæ, ſed actûs, ita & voluntas.

Unde manifeſtè ſequitur, voluntatem, ut & intellectum pertinere ad primum eſſentiæ divinæ conceptum ſeu ideam: eſſentia quippe entis perfectiſſimi formaliter includit omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem, ut ajunt; id eſt, eam, quæ in ſuo conceptu nullam omninò involvit imperfectionem. De hac igitur Dei voluntate ſequentia nobis ſunt expendenda. 1mo. Quodnam ſit illius objectum. 2do. An Deus ſe ipſum & alia à ſe diligat. 3tio. An Dei voluntas ſit libera, & in quo poſita ſit ejus libertatis explicandæ ratio. 4to. An multiplex in Deo diſtinguenda ſit voluntas. 5to. An ſemper impleatur. 6to. An ſit cauſa rerum. 7mo. Utrum in Deo ſit vera ac ſincera voluntas ſalvandi omnes homines. 8vo. De affectibus divinæ voluntatis, amore, odio, deſiderio, ira, pœnitentia.

§. I.

De Objecto divinæ voluntatis. 191

Quemadmodùm objectum intellectûs eſt *verum*, ita objectum voluntatis eſt *bonum*; unde id omne, quod habet rationem

(*e*) Vid. inf. Exercit. Theol. Exercit. 8. n. 141. & ſeq.

Digitized by Google

tionem *boni*, eſt objectum divinæ voluntatis. Objectum verò cujuslibet facultatis duplex eſſe, jam initiò Philoſophiæ noſtræ expoſuimus, materiale ſcilicet, & formale. (*f*) Prius eſt id, circa quod facultas aliqua vel potentia verſatur, ſive quod ab ea propriè & ratione ſui attingitur; formale verò eſt ratio vel modus quo facultas aliqua vel potentia objectum ſuum materiale attingit, & à quo ſpeciem ſuam deſumit illa facultas. Sit

192 CONCLUSIO.

Objectum materiale divinæ voluntatis ſunt Deus ipſe, & creatura, Deus quidem primarium, creatura verò ſecundarium. Formale verò ſola Dei increata bonitas.

Prob. 1ma pars Concluſionis. Quia objectum materiale divinæ voluntatis eſt illud, circa quod verſatur divina voluntas. Atqui primariò verſatur circa Deum, ſeu divinam eſſentiam, ſecundariò verò circa creaturas. Ergo, &c.

Prob. 2da pars. Quia objectum formale divinæ voluntatis, eſt illud, ſub quo divina voluntas Deum & creaturam attingit. Atqui ſub ratione increatæ ſuæ bonitatis voluntas divina Deum ac creaturam attingit. Nam Deus amat ſe propter ſe ipſum, ut & creaturam, atque in ſua increata bonitate tanquam in fine quieſcit voluntas ipſius. Ergo, &c. *Univerſa* enim *propter ſemetipſum operatus eſt*. Prov. 16. v. 14.

Et verò expreſſè docet S. Auguſtinus lib. 1. de Doctrina Chriſt. c. 31. Deum nobis non *frui*, ſed uti, quia nos propter ſemetipſum amat. Quid verò ſit frui vel uti re aliqua exponit eodem lib. cap. 4. *Frui*, ait, *eſt amore alicui rei inhærere propter ſe ipſam: uti autem, quod in uſum venerit, ad id, quod amat, obtinendum referre.* Unde concludit, Deum creaturis non frui, quia eas non amat propter ſe ipſas, ipſis inhærendo; ſed illis uti, quas refert ad ſe ſe tanquam ad ſupremum bonum & finem ultimum.

S. Thomas part. 1. quæſt. 19. art. 1. ad 1. disertè concluſionem noſtram confirmat. *Licet*, inquit, *nihil aliud à Deo ſit finis Dei: tamen ipſemet eſt finis reſpectu omnium, quæ ab eo fiunt, & hoc per ſuam eſſentiam, cùm per ſuam eſſentiam ſit bonus.* At non eſſet finis omnium, quæ ab eo fiunt, ſi omnia non faceret propter ſe ipſum, & faceret aliquid, quod ad ſe ipſum non referret. Deinde art. 2. ejusdem quæſtionis ita concludit: *Sic igitur vult ſeſe & alia. Sed ſe ut finem, alia verò ut ad finem: in quantum condecet divinam bonitatem etiam alia ipſam participare.*

§. II.

An Deus ſe ipſum, & alia à ſe diſtincta velit, & diligat, & quomodò. 193

Certum eſt 1mo. Deum primariò ac neceſſariò ſeipſum amare; utpotè infinitum & ſupremum bonum infinitè amabile; non quidem neceſſitate coactionis ac violentiæ, ſed neceſſitate voluntaria & naturalis inclinationis; atque ex mutuo Patris & Filii amore procedit Spiritus ſanctus.

Certum eſt 2do. Deum amare, & quidem liberè, omnes creaturas ſive exiſtentes, ſive aliquando futuras; nam Deus amat, omne quod bonum eſt. Sap. 11. v. 25. *Diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* Geneſ. 1. v. 31. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde*

(*f*) Vide Procemium Philoſophiæ noſtræ pag. 4. Item Procemium Logicæ noſtræ pag. 8.

Digitized by Google

valde bona. 1. Timoth. 4. v. 4. *Omnis creatura Dei bona eſt.* Cùm verò illæ creaturæ liberè ſint à Deo productæ, quibus certè non indiget, liberè quoque illas diligit: ex hypotheſi tamen quòd eas creaverit, neceſſe eſt conſequenter, ut eas diligat. *Cùm bonitas Dei*, inquit S. Thomas (g) *ſit perfecta & eſſe poſſit ſine aliis, cùm nihil ei perfectionis ex aliis accreſcat, ſequitur, quòd alia à ſe eum velle non ſit neceſſarium abſolutè, & tamen neceſſarium eſt ex ſuppoſitione; ſuppoſito enim quòd velit, non poteſt non velle, quia non poteſt ejus voluntas mutari.*

Certum eſt 3tio. Deum velle mala naturæ aut pœnæ non quidem per ſe ac directè, ſed per accidens, ratione alterius: mala verò culpæ, ſeu peccata, nullatenus vult, neque per ſe, neque per accidens; ea nihilominùs permittit, ex quibus novit eruere bonum.

1mo. Mala naturæ, id eſt, naturæ defectus & aberrationes, qualia ſunt monſtra; & mala pœnæ, quæ in punitionem culpæ ſeu peccati inducta ſunt, ut mors, fames, ſitis, morbi, &c. non ſunt ex prima Dei hominem rectum & juſtum creantis intentione, nec habent ex ſe ſe ſpeciem boni: attamen per accidens, & ratione alterius, hujuſmodi mala & incommoda vult Deus, volendo bonum aliquod, cui tale malum annexum eſt. Ita vult pœnam, ut hominem à malo retrahat, & revocet in ordinem juſtitiæ, excitet ad vigilantiam, reddat cautiorem contra omnes dæmonis impetus ac mundi illecebras, ſuamque etiam demonſtret juſtitiam. Quo ſenſu dicitur Amos 3. v. 6. *Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus.* Et Eccli. 11. v. 14. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt.*

2do. Deus per ſe ac directè non vult mala culpæ ſeu peccata. Pſal. 5. v. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Sap. 14. v. 9. *Odio ſunt Deo impius, & impietas ejus.* Denique Jacobi 1. v. 13. *Deus intentator malorum eſt.*

3tio. Peccata Deus permittit ſecundùm leges ſuæ providentiæ, nempe ut creaturæ rationali ſuam relinquat libertatem, & ex ipſo malo bonum eruat. *Deus* ait S. Auguſtinus (h), *usque adeò omnipotens & bonus, ut de malo etiam benè faciat* .... (i) *Meliùs judicavit de malis benè facere, quàm nulla mala eſſe permittere.*

Verùm quæritur etiam an Deus creaturas merè poſſibiles neceſſariò amet? 194

Pro quo notandum 1mo. Creaturas poſſibiles hîc à nobis non conſiderari prout ſunt in Deo, & virtualiter in ejus omnipotentia continentur; ſic enim conſideratæ ſunt ipſe Deus, & eodem amore diliguntur à Deo, quo Deus ſe ipſum diligit: ſed conſiderantur ſecundùm illud eſſe proprium & objectivum, quod habent in Deo.

Not. 2do. Divinam voluntatem vario affectu verſari poſſe circa creaturas: 1mo. Affectu ſimplicis complacentiæ. 2do. Affectu efficaci & abſoluto, quo vult rem aliquam abſolutè fieri. 3tio. Affectu inefficaci, quo re vera Deus, quantùm in ſe eſt, vult aliquid eſſe, quod tamen non fit, quia, ut fiat, relinquit in poteſtate cauſæ liberæ creatæ. Hoc modo vult mandata ſua ab omnibus obſervari, quæ tamen ab omnibus non obſervantur; vult omnes ſalvos fieri, nec tamen omnes ſalvantur.

Quamquam Deus creaturas merè poſ- 195
ſibiles non amet affectu efficaci & abſoluto, quia ſic deſinerent eſſe merè poſſibiles, & eſſent abſolutè futuræ; nihil tamen obſtat, quin dicamus, eas ab eo amari

(g) Part. 1. q. 19. art. 3. (h) In Enchirid. c. 11. (i) C. 27.

Digitized by Google

amari neceſſariò amore ſimplicis complacentiæ.

Ratio eſt 1mo. Quia creaturæ illæ poſſibiles veritatem habent objectivam, quæ à Deo cognoſcitur. Ergo & bonitatem, quæ amore ſimplicis complacentiæ à Deo diligitur. Amor verò ille neceſſarius eſt, quia non poteſt Deus quin amet, quod bonum eſt, & eſt objectum ſuæ omnipotentiæ.

2do. Deus, ſi voluerit, producere poteſt creaturas poſſibiles. Atqui producere illas non poſſet, niſi cognoſceret illas bonas eſſe bonitate ſaltem in potentia, ſeu objectiva; Deus enim non poteſt per ſe ſe niſi bonum. Hæc autem bonitas neceſſariò terminat divinam voluntatem, ſicut veritas divinum intellectum: amor enim ille complacentiæ erga creaturas poſſibiles eſt veluti diſpoſitio requiſita per quas idoneus (ut ita dicam) redditur ad eas producendas, prout exponit S. Thomas, 1. 2. q. 25. art. 2.

§. III.

196 *An Dei voluntas ſit libera, & quæ ſit ejus libertatis explicandæ ratio.*

Libertas eſt vis ſuî determinativa cum activa indifferentia ad agendum vel non agendum, quæ dicitur *libertas contradictionis*; vel ad agendum oppoſitum, & dicitur *libertas contrarietatis.*

Actus voluntatis, quo Deus ſe ipſum vel alia à ſe diligit, eſt ipſamet eſſentia divina per modum actûs vitalis ſignificata, quæ ad eſſentiam ipſam, & actus Dei internos ac permanentes neceſſariò, ad creaturas verò liberè terminatur. Quæſtio igitur hîc eſt, qua ratione hujuſmodi actus voluntatis divinæ, qui reſpectu eſſentiæ divinæ & internorum Dei actuum neceſſarius eſt, ad creaturas tamen liberè terminetur.

Certum eſt in Deo eſſe veram & propriè dictam libertatem, id enim Scripturæ manifeſtè probant. Pſal. 93. v. 1. *Deus ultionum liberè egit.* Et Pſal. 113. v. 3. *Omnia quæcunque voluit fecit.* Epheſ. 1. v. 11. *Operatur omnia ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ.* Denique 1. Cor. 12. v. 11. *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult.* 197

Idem teſtantur SS. Patres, qui paſſim aſſerunt, Deum potuiſſe non condere mundum, quem condidit: non induere humanam carnem, quam induit, & ita de cæteris Dei operibus ad extra, Ergo docuerunt Deum eſſe liberum. *Deus ipſe*, inquit S. Auguſtinus, lib. 22. de Civ. c. ult. *nunquid quoniam peccare non poteſt, ideo liberum arbitrium habere negandus eſt.* Et lib. 83. quæſt. q. 22. *Ubi nulla indigentia, nulla neceſſitas: ubi nullus defectus, nulla indigentia. Nullus autem defectus in Deo: nulla ergo neceſſitas.* Item S. Ambroſius lib. 2. de fide c. 3. *Omnia operatur* ait, *unus atque idem Spiritus dividens ſingulis prout vult, hoc eſt, pro liberæ voluntatis arbitrio, non pro neceſſitatis obſequio.*

Ratio etiam ſuadet. 1mo. Deus, ut alibi jam dictum, omnes omninò perfectiones complectitur. Atqui libertas eſt perfectio. Ergo, &c. 2do. Deus creaturis non eget, cum ſit in ſe perfectiſſimus. Ergo Deus creaturas liberè creavit, ac liberè conſervat.

Hæc autem Dei libertas non eſt contrarietatis, ſeu determinandi ſe ad bonum vel malum, Deus enim eſt incapax mali; & aliunde hujuſmodi libertas defectus eſt, non eſſentia libertatis. Sed eſt contradictionis ſeu ſpecificationis, quæ eſt facultas ſe determinandi ad bonum aliquod producendum vel non producendum (*k*), vel ad 198

(*k*) Vocatur hæc libertas contradictionis.

Digitized by Google

ad producendum aliud ſpecie diverſum & cum priori incompoſſibile; (*l*) Nam Deus potuit pro arbitrio ſuo velle productionem mundi, vel non velle illam. Item poteſt ſe pro arbitrio determinare ad actum miſericordiæ, parcendo peccatori, vel ad actum juſtitiæ puniendo peccatorem. Atque etiamnum cum ejus immutabilitate poteſt ſtare. His ita prælibatis, ponitur

199 CONCLUSIO.

Libertas Dei conſiſtit in actu immanente ſeu volitione non quidem prout terminatur ad bonitatem divinam, ſed prout terminatur ad creaturas. (*m*)

Prob. 1ma. pars. Dei libertas conſtituitur per aliquod Deo intrinſecum, cùm ſit perfectio ipſi intrinſeca. Atqui ſolus actus immanens eſt Deo intrinſecus. Ergo, &c.

Prob. altera pars. Actus immanens, prout ad divinam bonitatem terminatur, eſt neceſſarius: neque enim Deus poteſt non amare ſuam bonitatem. Atqui actus prout neceſſarius, non conſtituit libertatem, cùm liberum opponatur neceſſario. E contrà Dei volitio, prout ad creaturas terminatur, verè libera eſt; ita enim creaturas habet pro termino, ut eas potuerit non habere: quippe non eſt in Deo aliquis actus, qui à creaturis non ſit omninò independens. Ergo, Dei libertas conſiſtit in actu immanente ſeu volitione Dei, prout terminatur ad creaturas duntaxat.

200 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. Libertas dicit electionem. Atqui ex Damaſceno, de fide Orthod. c. 22. in Deo non eſt electio. Ergo neque libertas.

Reſp. Diſt. min. Non eſt electio, prout in nobis viatoribus reperitur, conc. ſimpliciter & abſolutè, neg. min. In nobis viatoribus electio dicit conſultationem, ſeu rei ignotæ inquiſitionem; in Deo verò eam non includit: quippe Deus omnes oppoſitæ partis rationes uno velut intuitu percipit.

Ob. 2do. Deus nunquam fuit indifferens ad volendum producere mundum. Ergo nec liber. 201

Reſp. neg. ant. Nam Deus ſemper huit indifferentiam activam ad volendum mundi productionem: ſemper enim ita fuit determinatus ad producendum mundum, ut potuerit pro æterno ſe determinare ad non producendum mundum.

Inſt. 1mo. Non poteſt aſſignari ulla pars (*n*) æternitatis, pro qua Deus potuerit non habere volitionem producendi mundum. Ergo non potuit pro æterno ſe determinare ad non producendum mundum.

Reſp. neg. conſ. Quia quamvis non potuerit non habere volitionem illam pro ulla parte æternitatis ſeorſim ſumpta ab aliis; cùm non poſſit ulla aſſignari, antequam non fuerit alia, ideoque antequam non extiterit volitio producendi mundum: tamen ſine ſui mutatione potuit non habere illam volitionem pro tota æternitate, ſeu pro omnibus æternitatis partibus virtualibus collectivè ſumptis.

Inſt. 2do. Deus habet volitionem producendi mundum pro tota æternitate. Ergo non poteſt illam non habere pro tota æternitate.

Reſp.

(*l*) Hæc dicitur libertas ſpecificationis. (*m*) Vide ea quæ c. 5. §. 4. de immutabilitate Dei diſſeruimus, præſertim in Reſponſ. ad object. ac notanter num. 69. (*n*) Intelligi hic debet pars virtualis duntaxat æternitatis, non actualis, nam actu æternitas non habet partes, ſed quia nos ita eam concipimus, ac ſi partes, temporis instar, haberet, ideo dicimus, illas eſſe virtuales, id eſt æquivalere durationi alicui partes habenti. Vide quæ de æternitate diximus ſuprà c. 3. §. 5. num. 70. & ſeq.

Reſp. Diſt. conſ. Non poteſt non habere illam conſequenter ad liberam ſuam determinationem, conc. Non poteſt illam non habere antecedenter ad ſuam determinationem, neg. conſ. Ubi ſemel concipimus Deum decreviſſe mundi productionem, tunc ſimul concipimus eum non ampliùs nolle poſſe ipſius productionem; at nihil obeſt, quin, abſtrahendo ab hujusmodi volitione (*o*) concipiamus eum libertatem habuiſſe mundum producendi vel non producendi.

202 Ob. 3tio. Deus neceſſariò vult ſibi omne bonum, nam neceſſariò ſe amat. Atqui manifeſtatio perfectionum Dei per productionem creaturarum eſt bonum Dei. Ergo Deus neceſſariò vult productionem creaturarum &c.

Reſp Diſt Maj. Deus neceſſariò ſibi vult omne bonum intrinſecum, conc. omne bonum extrinſecum, neg. maj. Bonum Dei intrinſecum conſiſtit in ſuis infinitis perfectionibus. At bonum ipſius extrinſecum conſiſtit in manifeſtatione ſuarum perfectionum, communicando ſe creaturis. Hoc autem extrinſecum bonum, quod etiam gloria Dei extrinſeca dicitur, Deus non neceſſario ſibi vult; quia ſine illo eſt infinitè beatus & perfectus. Et quia manifeſtatio perfectionum Dei addita ſuis perfectionibus non facit aliquid intenſivè majus, ſed tantùm extenſivè: bonum enim creatum & finitum, quantumcunque multiplicetur, additum bono increato, & infinito non facit aliquid intenſivè melius, quàm ſolum bonum increatum ac infinitum. Unde Deus ſine illa manifeſtatione eſt æquè bonus, perfectus, & beatus intenſivè & eſſentialiter, ac cum illa. Igitur Deus volendo ſibi manifeſtationem perfectionum ſuarum, ad ſummum ſe magis amat extenſivè, non intenſivè.

Inſt. 1mo. Qui ſe ipſum efficaciter amat, vult ſibi omnia bona non ſolùm intrinſeca, ſed etiam extrinſeca, quæ ſibi procurare poteſt. Ergo.

Reſp. Diſt. ant. Si ſine bonis illis extrinſecis non ſit infinitè beatus, conc. Si ſine illis ſit infinitè beatus, ideoque per illa non fiat beatior, neg. ant. Deus eſt in ſe per ſuas perfectiones infinitas infinitè beatus, unde non poteſt fieri beatior.

Inſt. 2do. Actus quo Deus vult manifeſtare ſuas perfectiones, ideoque ſe communicare creaturis, eſt perfectio.

Reſp. Eſt perfectio extenſiva tantùm, non intenſiva. Nam ſicut manifeſtatio divinarum perfectionum addita ipſis divinis perfectionibus non facit aliquid intenſivè majus in ratione boni: ita actus, quo Deus vult manifeſtare ſuas perfectiones, additus actui, quo perfectiones illat ſibi vult, non facit aliquid intenſivè majus in ratione perfectionis.

Inſt. 3tio. Actus, quo Deus vult manifeſtare ſuas perfectiones, additus actui, quo ſibi vult ſuas perfectiones, reddit Deum magis laudabilem. Ergo.

Reſp. neg. ant. Nam actus, quo Deus nollet ſuas perfectiones manifeſtare & creaturis communicare, tantam habet honeſtatem, ideoque tantam laudabilitatem, quantam habet actus, quo vult illas manifeſtare; quia eſſet actus ejusdem virtutis elicitus propter ſuam bonitatem infinitè amatam, & imperatus ab infinita illa complacentia, qua Deus ſibi in ſuis perfectionibus complacet. Unde Deus, ſive velit, ſive nolit manifeſtare ſuas perfectiones, eſt æquè perfectus tum intenſivè, tum extenſivè, & tam duplici titulò laudabilis, nimirùm & quia vult ſibi perfectiones ſuas, & quia vult aut non vult manifeſtare illas propter ſuam bonitatem infinitè amatam.

Inſt.

(*o*) Seu antecedenter ad eam.

Digitized by Google

Inſt. 4to. Deus eſſentialiter habet non ſolùm virtualiter & eminenter, ſed etiam formaliter omnes perfectiones, quæ nullam involvunt imperfectionem. Atqui talis eſt volitio manifeſtandi ſuas perfectiones. Ergo.

Reſp. Diſt. Maj. Si perfectiones illæ ſint ipſi Deo meliores, quàm aliæ quæ cum illis ſunt incompoſſibiles, conc. Secus, neg. maj. Nam tunc non eſt ratio cur eſſentialiter una Deo ineſſet potiùs quàm altera incompoſſibilis: cùm enim actus, quo Deus vult manifeſtare ſuas perfectiones Deo melior non ſit, quàm actus, quo nollet manifeſtare eas, qui cum priori eſt incompoſſibilis; non videtur, cur prior actus eſſentialiter Deo ineſſe debeat potiùs, quàm alter.

Cætera quæ hîc adhuc objici poſſunt diſſolvimus ſupra c. 3. §. 4. de Immutabilitate Dei, quæ vide.

§. IV.

203 *An multiplex in Deo ſit diſtinguenda voluntas.*

Sicut Deus unico ac ſimpliciſſimo actu intellectûs omnia intelligit, ita unico ac ſimpliciſſimo actu voluntatis à natura ſua non diſtincto vult quæcunque vult. Diſtinctio ergo ac diviſio voluntatis in Deo, tota ex parte objectorum, ad quæ illa fertur, petenda eſt, non ex parte Dei, in quo una & ſimplex eſt Dei natura & entitas.

Hoc ergo ſenſu multiplex à nobis viatoribus concipitur in Deo voluntas. Nam 1mo. Alia dicitur ſigni & beneplaciti. Prior eſt ea, quæ per ſignum aliquod exterius nobis à Deo declaratur: Eſt potiùs ſignum volitionis, quàm volitio: unde non eſt voluntas propriè dicta ſed tantùm metaphoricè. Talis voluntas ſigni fuit præceptum, quo Deus mandavit Abrahamo immolationem Iſaaci, quam tamen nullo modo volebat, ne efficaciter quidem, ſed ſolùm volebat, ut Abrahamus ſignificaret ſe paratum animum habere ad Iſaaci cædem. Hujus voluntatis quinque numerantur ſpecies hoc verſu expreſſæ:

Præcipit, & prohibet, permittit, conſulit, implet.

Id eſt, præceptum, prohibitio, permiſſio, conſilium, operatio. Tot enim ſunt ſigna, quibus judicamus, Deum aliquid velle.

Voluntas beneplaciti eſt quælibet Dei volitio vera & propriè dicta; talis eſt mundi conſervatio, quippe quam Deus verè & propriè vult.

2do. Alia dicitur antecedens, & conſequens. Prior juxta S. Damaſcenum lib. 2. de Fid. Orthod. c. 29. poſt S. Joan. Chryſoſt. Hom. 1. in Epiſt. ad Epheſ. eſt volitio, quam Deus habet ex ſe ipſo ſolo, & independenter à bonis & malis operibus creaturæ, atque objectum conſiderat in ſe abſtrahendo ab illius circumſtantiis, & vulgò appellatur voluntas bonitatis & miſericordiæ: tali voluntate Deus vult omnium ſalutem.

Voluntas conſequens, eſt volitio, quam Deus habet, non ex ſe ſolo, ſed data occaſione vel cauſa ex parte creaturæ, ſive dependenter à bonis vel malis operibus creaturæ, atque objectum ſuum conſiderat omnibus circumſtantiis veſtitum, & dicitur voluntas juſtitiæ: Tali voluntate vult Deus aliquos damnare conſideratis eorum peccatis. Latiùs autem loquendo, voluntas antecedens eſt quælibet volitio divina, quæ non ſupponit uſum libertatis creaturæ: conſequens, quæ illum ſupponit.

3tio. Alia dicitur efficax & inefficax. Voluntas ſeu volitio efficax eſt ea, quâ Deus ſic vult aliquid, ut determinatus ſit ad ſuperanda omnia impedimenta, & ad adhibenda media, quibus reipſa illud fiat. Quare voluntas efficax effectum ſemper habet, eſtque incompoſſibilis cum oppo-

Digitized by Google

ſito illius, quod Deus intendit. Talis eſt voluntas ſalvandi electos. Hanc voluntatem apertiſſimè exponunt Scripturæ. Iſa. 46. v. 10. *Concilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea*(efficax) *fiet.* Pſal. 113. v. 3. *Omnia quæcunque voluit fecit.* Gen. 50. v. 19. *Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?*

Voluntas inefficax eſt ea, quâ Deus ſic vult aliquid, ut non ſit determinatus ad ſuperanda omnia impedimenta: unde compoſſibilis eſt cum oppoſito illius quod Deus intendit. Eſt quidem vera voluntas & beneplaciti, ſed inefficax ob contumacem hominis voluntatem, qualis eſt ea, quâ vult omnes homines ſalvos fieri, præcepta ſua ab omnibus ſervari, ab omnibus malum devitari; quæ tamen voluntas ſeu potiùs volitio in omnibus finem ſuum non aſſequitur. De hujuſmodi voluntate loquitur Chriſtus Matth. 23. v. 27. *Jeruſalem . . . . quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Ezechiel. 24. v. 13. *Mundare te volui, & non es mundata à ſordibus tuis.* Iſa. 5. v. 4. *Quid eſt quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci? an quòd expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* 2. Pet. 3. v. 9. *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* Denique Act. 7. v. 51. *Vos Spiritui ſancto reſiſtitis.* An porro credibile eſt, Deum verè ac ſincerè non velle omnium ſalutem; non velle, ut bonum operemur, & abſtineamus à malo, cùm id tam expreſsè propoſita æterna mercede vel pœna imperat? Quantùm ab illa ficta & ſimulata Dei voluntate abhorrent piæ Chriſtianorum aures!

4to. Denique alia eſt Dei voluntas abſoluta, & conditionata. Prior eſt ea, quæ nullam involvit conditionem ex parte objecti ſeu volitæ rei. Talis eſt volitio, qua Deus vult mandata ſua ſervari ab hominibus. Conditionata eſt ea, quæ includit aliquam conditionem ex parte objecti & rei volitæ. Talis eſt voluntas ſalvandi omnes homines, ſi velint gratiâ adjuti ſalvari, & mandata Dei ſervare.

Porrò omnis voluntas efficax eſt etiam abſoluta, ſed non omnis voluntas abſoluta eſt efficax, ut patet in voluntate abſoluta, qua Deus vult mandata ſua ab hominibus ſervari. Tamen per voluntatem abſolutam ſæpè intelligitur efficax.

§. V.

An Dei voluntas ſemper impleatur. 204

Ex iis, quæ modò de multiplici Dei voluntate dicta ſunt, facilis eſt propoſitæ quæſtionis ſolutio.

1mo namque clarum eſt, quòd in iis, quæ ſolus Deus operatur & ſine ullo creaturæ concurſu ſeu cooperatione, Dei voluntas ſemper impleatur, nec illi reſiſti poſſit. In hunc ſenſum dicitur Eſther 13. v. 9. *Dominus Deus Rex omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt, qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati, ſi decreveris ſalvare Iſraël.*

Geneſ. 50. v. 19. Joſeph ad fratres ſuos ait: *Nolite timere: num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?* 2. Paralip. c. 20. v. 6. *Tu es Deus in cœlo, & dominaris cunctis regnis Gentium, in manu tua eſt fortitudo, nec quiſquam poteſt tibi reſiſtere.*

Job. 9. v. 17. *Deus, cujus ira nemo reſiſtere poteſt.*

2do. Voluntas Dei efficax, & abſolu- 205
ta prout efficaci conjungitur, etiam circa liberas hominis actiones ſemper impletur, nec ipſi unquam reſiſtitur.

Patet hoc ex iis quæ primùm de voluntate Dei efficaci & abſoluta diximus, de qua Deus apud Iſaiam cap. 46. v. 19. ait: *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* Et Apoſtolus Rom. 9. v. 19.

Digitized by Google

v. 19. *Voluntati ejus, quis reſiſtit?* Danielis denique cap. 4. v. 33. *Juxta voluntatem ſuam*, inquit, *facit*, *tam in virtutibus cæli quàm in habitatoribus terræ*, *& non eſt qui reſiſtat manui ejus*, *& dicat ei*, *Quid feciſti?*

Communis etiam hæc eſt SS. Patrum doctrina. Unus hîc ſufficiat S. Auguſtinus, *Enchiridii cap.* 96. ubi ſic loquitur: *Neque veraciter ob aliud vocatur omnipotens*, *niſi quoniam quidquid vult poteſt*, *nec voluntate cujuſpiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus.* Paulò antè dixerat: *Niſi hoc credamus*, *periclitatur ipſum noſtræ confeſſionis initium*, *quâ nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur.* Id verò de liberis hominum actionibus ex gratia elicitis dicendum quoque eſſe, docet ibidem cap. 98. *Quis enim*, inquit, *tam impiè deſipiat*, *ut dicat*, *Deum malas hominum voluntates quas voluerit*, *quando voluerit*, *ubi voluerit*, *non poſſe convertere.*

Et lib. de gratia & libero arbitrio cap. 21. *Agit omnipotens*, inquit, *in cordibus hominum motum voluntatis eorum; ut per eos agat*, *quod per eos agere ipſe voluerit*, *qui omninò injuſtè aliquid velle non novit. . . . Operatur in cordibus hominum*, *ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit*, *ſive ad bona pro ſua miſericordia*, *ſive ad mala*, *pro meritis eorum; judiciò utique ſuô*, *aliquando apertô*, *aliquando occultô*, *ſemper autem juſtô.*

Denique lib. de corrept. & grat. c. 14. n. 43. *Volenti ſalvum facere*, ait, *nullum hominis reſiſtit arbitrium. Sic enim velle ſeu nolle in volentis aut nolentis eſt poteſtate*, *ut divinam voluntatem non impediat*, *nec ſuperet poteſtatem. Etiam de his*, *qui faciunt*, *quæ non vult*, *facit ipſe*, *quod vult . . . . ſine dubio habens humanorum cordium*, *quò placet inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem . . . . magis enim habet in poteſtate voluntates hominum*, *quàm ipſi ſuas.* Non de alia profectò, quàm de abſoluta & efficaci voluntate intelligi iſta poſſunt.

(*p*) Quô pactô autem cum hujuſmodi abſoluta & efficaci Dei voluntate ſtare ac conciliari poſſit libertas humanæ actionis, vix certò definias. Utramque ſimul ſtare nos docet fides; qua verò ratione id fiat, non exponit. Indè varia Scholæ ſententia. Alii per Scientiam mediam ſeu conditionatorum nodum hunc ſolvere nituntur. Alii per ipſam Dei potentiam, qui non tantum ſubſtantiam, ſed & modum actionis attingit, reſque neceſſarias neceſſariô, liberas liberô modô movet ac determinat. Alii ad altitudinem hujus myſterii ſilent; miris enim & ineffabilibus modis gratia in nobis operatur velle & perficere, ut ſæpiùs inculcat S. Auguſtinus. Nos hîc cum Apoſtolo (*q*) velut ſtupentes exclamamus: *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus*, *& inveſtigabiles viæ ejus!* Hancque unicam rationem, qua libertas humana cum abſoluta & efficaci voluntate divina concilietur, nos ſcire ultrò fatemur, alii aliam, per nos licet, inveſtigent, & inveniant, ſi poſſint. 206

3tio. Voluntas Dei conditionata, cujus nempe conditio à ſolo Deo non pendet, ſed à libera creatæ voluntatis cooperatione, non ſemper impletur. 207

Patet ex adductis jam Scripturæ teſtimoniis. Prov. 1. v. 24. *Vocavi & renuiſtis; extendi manum meam*, *& non fuit*, *qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum*, *& increpationes meas neglexiſtis.* Ezechiel. 24. v. 13. *Mundare te volui*, *& non es mundata à ſordibus tuis.*

(*p*) Vid. inf. Exercit. Theol. Exercit. 8. n. 142. & ſeq. (*q*) Rom. 11.

Digitized by Google

tuis. Matth. 23. v. 37. *Jeruſalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Denique Apoſtolus 1. ad Tim. 2. v. 24. aſſerit, *Deum velle omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Hæc porro voluntas, ex paulò antè dictis, non eſt tantùm ſigni, ſed & beneplaciti, nec eſt abſoluta & efficax, ſed conditionata, quæ, ut impleatur, conditionem aliquam exigit à creata voluntate. Ergo datur in Deo vera & propriè dicta voluntas beneplaciti conditionata, quæ non ſemper impletur.

Conſonat S. Auguſt. lib. de catechizandis rudibus c. 26. *Deus*, inquit ibidem, *vult homines liberare, ſi ſibi ipſi non ſint inimici, & non reſiſtant miſericordiæ Creatoris ſui.* En conditio, quam ab hominibus exigit Deus, ut voluntas, quam de illorum ſalute habet, impleatur. Et Tract. 12. in Joan. *Quantùm in Medico eſt*, ait, *ſanare venit ægrotum. Ipſe ſe interimit, qui præcepta Medici obſervare non vult. Venit Salvator ad mundum: quare Salvator dictus eſt mundi, niſi ut ſalvet mundum, non ut judicet mundum? Salvari non vis ab ipſo, ex te judicaberis.* Celebre etiam eſt ejusdem S. Auguſt. dictum, *Qui creavit te ſine te, non ſalvabit te ſine te*, id eſt, ſine tua ad divinam gratiam cooperatione: ut conſentias, & coopereris, ſua adjuvat gratia; ſed nullâ te ad conſentiendum neceſſitate adigit, ut libertati tuæ conſulat, ac merendi tibi locum relinquat. *Ut velimus*, ait idem S. Auguſt. lib. 1. ad Simplic. q. 2. *& ſuum eſſe voluit, & noſtrum; ſuum vocando, noſtrum ſequendo.*

Addendus eſt hìc S. Chryſoſtomus, Hom. in 2dam ad Theſſalonic. *Si vos*, inquit, *elegit ad ſalutem, non mentitur, neque ſinit perire: ne autem per hæc duceret ad ſocordiam, & totum eſſe Dei arbitrati ipſi dormirent, vide quomodò ab eis quoque exigit, ut cooperentur, dicens: Confidimus autem de vobis, fratres in Domino, quòd, quæ præcipimus, & facitis & facietis. Fidelis quidem*, inquit, *eſt Deus, & promittens ſalutem dare, omninò dabit, ſed ut promiſit. Quomodò autem promiſit? Si velimus, & eum audiamus, non abſolutè, neque tanquam lignis & lapidibus otioſis.*

4to. Voluntas Dei, quatenus eſt uni- 208
verſalis omnium cauſa, ſemper ſuô modô impletur. Prob. ex S. Aug. lib. de Spiritu & littera, c. 33. *Infideles quidem*, inquit, *contra Dei voluntatem faciunt, cùm ejus Evangelio non credunt: Nec ideò tamen eam vincunt .... experturi in ſuppliciis poteſtatem ejus, cujus in donis miſericordiam contempſerunt. Ita voluntas Dei ſemper invicta eſt: vinceretur autem, ſi non inveniret, quid de contemptoribus faceret, aut ullo modo poſſent evadere, quod de talibus ille conſtituit.*

Et c. 100. Enchir. *Hoc ipſo*, ait, *quòd* (peccatores) *contra voluntatem Dei fecerunt, de ipſis facta eſt voluntas ejus ... ut mirò & ineffabili modò non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem.*

Denique Serm. 214. in traditione Symboli n. 3. ſic loquitur: *Nec ideo credant iniqui, Deum non eſſe omnipotentem, quia multa contra ejus faciunt voluntatem: quia & cùm faciunt, quod non vult, hoc de eis facit, quod ipſe vult. Nullo modo igitur Omnipotentis vel mutant, vel ſuperant voluntatem: ſive homo juſtè damnetur, ſive miſericorditer liberetur, voluntas Omnipotentis impletur.*

S. Thomas 1. part. q. 19. art. 6. doctrinam hanc, quam hauſit ex S. Auguſtino, ſic probat, & explicat. *Cùm voluntas Dei*, ait, *ſit univerſalis cauſa omnium rerum, impoſſibile eſt, quòd divina voluntas ſuum effectum non conſequatur. Unde quod recedere videtur à divina voluntate ſecundùm unum ordinem, relabitur in ipſam ſecundùm alium. Sicut peccator, qui, quan-*

Digitized by Google

quantùm in ſe eſt, recedit à divina voluntate peccando, incidit in ordinem divinæ voluntatis, dum per ejus juſtitiam punitur. Nihil certè diſertiùs proferri poteſt, ut demonſtretur ex SS. Auguſtino, & Thoma, voluntatem Dei, quatenus eſt omnium cauſa univerſalis, ſemper aliquo ſenſu ac modò ſuô impleri.

§. VI.

209 *Utrum Voluntas Dei ſit cauſa rerum.*

Quæſtio hîc eſt an voluntas Dei ſit cauſa rerum libera an verò neceſſaria, id eſt, an Deus naturæ ſuæ neceſſitate ſit rerum cauſa, quomodò Sol neceſſitate naturæ ſuæ ita lumen premit, ut mundum illuminet; an verò libera voluntate. Sit

210 CONCLUSIO.

Voluntas Dei eſt rerum cauſa, & quidem libera.

Prob. ex Scriptura. Pſal. 113. v. 3. *Omnia quæcunque voluit fecit.* Epheſ. 1. v. 11. *Operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Sap. 11. v. 26. *Quomodo autem poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes?*

Et certè, ut ait S. Thomas, 1. p. q. 19. art. 4. Cùm Deus ſit primum agens, per intellectum & voluntatem cuncta cauſare dicendus eſt: liberè autem quæcunque ſunt extra ſe Deus cauſat, ſeu producit, quia iis non indiget, & ad ſolos actus immanentes, generationem Filii, & ſpirationem Spiritûs ſancti, naturæ ſuæ neceſſitate determinatur.

Si verò quæſieris quo ſenſu tam ſcientia quàm voluntas in Deo ſint rerum cauſa. Arbitramur, Scientiam Dei practicam eſſe cauſam rerum in genere cauſæ exemplaris: voluntatem verò ſeu decretum in genere cauſæ efficientis. Scientia habet vim dirigendi per modum ideæ, voluntas vim producendi per modum principii activi, utpotè quæ per ſe efficax eſt. Hinc ſequitur, voluntatem eſſe cauſam rerum magis immediatam, quàm ſcientiam ſeu intellectum; ſiquidem ſcientia ſeu intellectus dirigit per modum ideæ, deinde voluntas eligit, & efficaciter exequitur, quod propoſitum eſt (r).

§. VII.

An ſit in Deo vera, ſincera, formalis 211
ac beneplaciti voluntas ſalvandi omnes; Chriſtus pro omnibus mortuus fuerit.

Duo hæc, nempe & voluntatem Dei, & mortem Chriſti unicô §phô complectimur, quòd ſint interſe connexa; ideo enim Chriſtus pro hominibus mortuus eſt, quòd Deus velit homines ſalvos fieri.

Nemo negat Deum habere ſinceram voluntatem ſalvandi eos, qui re ipſa ſalvantur, nempe electos. Nam cùm Deus illis præbeat in tempore media efficacia ad ſalutem conſequendam, & poſt illorum mortem retribuat eis vitam æternam, patet, quòd habuerit ab æterno voluntatem ſinceram, imò & efficacem illos ſalvandi. Deus enim nihil facit in tempore, quod non velit facere: & nihil vult facere in tempore, quod ab æterno non voluerit facere, cùm omnis volitio Dei ſit ab æterno & æterna ſicut Deus. Itaque ſola poteſt eſſe quæſtio de voluntate Dei circa ſalutem reproborum, an ſcilicet ſinceram &c. habeat eos ſalvandi voluntatem, &c.

Calvinus in c. 2. 1mæ. ad Tim. & lib. 212
3. Inſtit. c. 24. docuit, Deum non habere ſince-

(r) Vide quæ c. 5. §. 4. hac de re diſſeruimus à num. 184.

ſinceram & veram voluntatem ſalvandi omnes homines. Unde in c. 2. Ep. 1mæ S. Joan. conſequenter negat, Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus hominibus.

Calvino conſentire videtur Janſenius Iprenſis Epiſcopus: nam lib. 3. de Gratia Chriſti c. 20. aſſerit doctrinam de generali Dei voluntate ſalvandi omnes homines à Semipelagianis ortam eſſe, & inde in Scholas derivatam; additque voluntatem ſalvandi omnes homines, ſi quam Deus habet poſt Adæ lapſum, eſſe nudam velleitatem (s) qualem Deus habet circa homines vel Angelos actu damnatos. Quare c. 21. docet Chriſtum mortuum eſſe pro ſalute æterna ſolorum electorum, nec magis pro cæterorum hominum ſalute ſanguinem ſuum fudiſſe aut oraſſe, quàm pro ſalute diaboli. Fatetur tamen multis reprobis propter merita Chriſti conferri fidem, charitatem, & juſtificationem, & ſic aliquatenus Chriſtum pro multis reprobis mortuum eſſe, quamvis pro eorum ſalute æterna mortuus non ſit, ideoque juſtificationem neceſſariò amittant, nec poſſint in gratia accepta perſeverare. In quo ſolùm diſcrepat à Calvino docente nullis reprobis ullam gratiam ex meritis Chriſti concedi. Verùm contra illos ſit

213 CONCLUSIO. I.

Deus vera & ſincera voluntate vult omnes omninò homines ſalvos fieri etiam reprobos, nullo excepto.

Prob. 1mo Ex Scripturis. 1mo. Ezechiel. 36. v. 11. *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, ſed ut convertatur à via ſua, & vivat.* Deum hîc juraſſe obſervat Tertullianus (t), ut nempe promptiorem fidem obtineat, *Jurans etiam*, inquit, *Vivo, dicens, cupit credi ſibi. O beatos nos, quorum cauſâ Deus jurat! O miſerrimos, ſi nec juranti Domino credimus!* Porro ſi Deus mortem impii, id eſt damnationem non vult, neceſſe eſt, velit ſalutem. &c.

2do Matth. 18. v. 11. *Venit filius hominis ſalvare quod perierat.* Et c. 11. v. 28. *Venite*, ait Chriſtus, *ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* 2. Pet. c. 3. v. 9. *Non tardat Dominus*, inquit S. Petrus, *promiſſionem ſuam... Sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* Hæc omnia Scripturæ teſtimonia de homine lapſo ac peccatore ſunt intelligenda, prout vel lippus videt. *Non enim*, ait Chriſtus Matth. 9. v. 13. *veni vocare juſtos, ſed peccatores....* Et c. 18. *Venit filius hominis ſalvare quod perierat.* Deus ergo verè ac ſincerè vult omnium hominum ſalutem.

3tio 1. ad Tim. 2. *Obſecro primùm omnium*, inquit Apoſtolus, *fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & caſtitate: hoc enim bonum eſt & acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.*

Con-

(s) Velut abſtractum volitionis, quæ eſt ipſe actus voluntatis. Unde Velleitas conſiſtit velut in præciſione mentis, nec quidquam operatur, atque remota quædam voluntas ſeu volitio dici poteſt, talem habere dicitur Judex, qui mentis præciſione vult hominem eſſe ſalvum, quem tamen propter homicidium omnibus aſſequendæ ſalutis & vitæ mediis ipſâque vitâ privat. (t) *Lib. de pœnit. c. 4.*

Conſtat 1mo. Hæc Apoſtoli verba, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, proprio ac litterali ſenſu intelligenda eſſe de vera & interiori Dei voluntate, non de illa, quæ dicitur eſſe meri ſigni, figurata, & metaphorica: quia juxta receptam ab omnibus de interpretatione Scripturarum S. Auguſtini regulam, Scripturæ verba ad ſenſum figuratum, improprium & metaphoricum detorqueri nunquam debent, niſi ſenſus litteralis aliquid contineat, quod ſit vel Deô indignum, vel pugnet contra fidem & bonos mores, vel alia Scriptura aut Traditio, vel evidens aliqua ratio obſtet: porrò nihil tale hîc occurrit.

Conſtat 2do. Apoſtolum loqui de homine lapſo: qui enim ſanus eſt; medici ope non indiget, nec homo innocens reparatore; Apoſtolus autem hîc rationem & cauſam voluntatis Dei pro ſalute omnium iſtam reddit: *Unus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Loquitur ergo de homine lapſo & peccatore, qui ſolus redemptore ac reparatore indiget.

Conſtat 3tio. Hanc Dei voluntatem ad omnes & ſingulos homines extendi. Id demonſtrat 1mo iſta Apoſtoli ratio, qua probat Deum velle, omnes hómines ſalvos fieri, *Unus enim Deus*: Sicut enim Deus omnium planè, nullo excepto, hominum Deus eſt; ita & omnium Salvator, & Redemptor. Demonſtrat 2do & hæc altera ejusdem Apoſtoli ratiò, quam ibidem adducit, *Unus enim mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Scilicet Deus eos ſalvare vult, quorum mediator eſt Chriſtus, & pro quibus ſemetipſum redemptionem dedit; ergo Deus vult omnes homines ſalvos fieri. Demonſtrat 3tio Et votum Apoſtoli monentis, *fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus... hoc enim bonum eſt & acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri.* Ex quo patet, Deum velle, eos omnes ſalvos fieri, pro quibus fieri *obſecrationes, orationes, &c.* monet Apoſtolus. Atqui hortatur Apoſtolus fieri *obſecrationes, orationes*, &c. pro omnibus hominibus. Ergo &c. Inde eſt, quòd Eccleſia in Officio Paraſceves orat pro omnibus hominibus etiam hæreticis, ſchiſmaticis, infidelibus, & perfidis Judæis.

Conſtat denique, voluntatem hanc non eſſe meræ & ſimplicis complacentiæ otioſæ & ſterilis, adeoque meram velleitatem duntaxat, ſed veram, ſinceram, activam, ex qua ſcilicet omnium hominum mediator deſtinatus eſt Chriſtus, & dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus.

Prob. 2do. Ex Conciliis 1mo. Ex Arelatenſi (*u*) versùs annum 475. in quo lecta, & probata fuit Fauſti (*x*) Regienſis Epiſcopi ad Lucidum Presbyterum Epiſtola, in qua ſex ipſi proponit erroris capita revocanda. Sextum eſt iſtud, *Anathema illi, qui dixerit, quòd Chriſtus non pro omnibus mortuus ſit, nec omnes homines ſalvos eſſe velit.*

2do Ex Lugdunenſi (*y*) an. 490. in quo Lucidi retractatio & emendatio lecta & probata fuit. (*z*)

3tio. Ex Moguntino ſecundo ſub Rabano Archiepiſcopo, an. 848. ubi damnatus eſt Gotescalcus, qui veterum Præ-

(*u*) Circa an. 475. (*x*) Aliàs Rejenſis. (*y*) An. 490. (*z*) Quidam perperàm opponunt, hæc bina Concilia aut ficta eſſe aut Semipelagiana. Sed eos ſolidè confutat Cardinalis Noriſius, lib. 2. Hiſt. Pelag. c. 15.

deſtinatianorum errores revocaverat. Ita teſtantur Rabanus in Epiſtola ad Hincmarum Remenſem, & Hincmarus in Epiſtola ad Nicolaum Papam: *Dicit*, ait Hincmarus, *quòd veteres Prædeſtinatiani dixerunt, quoniam non vult Deus omnes ſalvos fieri, ſed tantùm eos, qui ſalvantur; omnes autem ſalvari, quoſcunque ipſe ſalvare voluerit: ac per hoc, quicunque non ſalvantur, penitùs non eſſe voluntatis illius ut ſalventur.*

4to. Ex Cariſiaco Conventu (*a*) an. 849. ubi quatuor capitula contra totidem errores ſtatuta & determinata fuêre. Tertium ſic habet: *Deus omnipotens omnes homines ſine exceptione vult ſalvos fieri, licèt non omnes ſalventur. Quòd autem quidam ſalvantur, ſalvantis eſt donum; quòd autem quidam pereunt, pereuntium eſt meritum.*

5to. Ex Concilio Tridentino, quod variis locis, ut Seſſ. 6. c. 2. & 3. docet, ChriſtumDominum pro omnibus ac ſingulis hominibus mortuum fuiſſe: porrò Deus eos omnes ſalvos fieri vult, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, ſiquidem mors Chriſti ex Dei voluntate ad æternam hominum ſalutem deſtinata eſt, ac ordinata.

Prob. 3tio. Ex SS. Patribus. Græcos prætermittimus, ſiquidem Janſenius eos ſibi adverſari ultrò fatetur: Undè meritò nobis gratulamur noſtræque ſententiæ, quæ tot habeat ſanctitate & doctrinâ illuſtres patronos & defenſores, Juſtinum, Baſilium, utrumque Gregorium, Cyrillum, Chryſoſtomum, &c. Neç advertit Janſenius, quàm ſit periculoſum in fide Græcos cum Latinis circa fidei dogmata diſcordes pronuntiare; ſic quippe interciſò veræ Traditionis apud Græcos circa gratiam filiô, fides hujuſce myſterii in Eccleſia Greca defeciſſe dicenda erit: attamen confidenter ac verè S. Auguſtinus Julianum impugnans dicebat: (*b*) *Non eſt, cur provoces ad Orientis Antiſtites, quia & ipſi utique Chriſtiani ſunt, & utriusque partis terrarum fides iſta una eſt, quia fides iſta Chriſtiana eſt.*

Prob. ergo Concluſio noſtra ex Patribus Latinis. 1mo. apertè docet S. Cyprianus Ep. 52. ad Antonianum, Deum neminem perire velle: *Nam*, inquit, *cùm ſcriptum ſit, Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum; utique, qui neminem vult perire, cupit peccatores pœnitentiam agere.* Porrò ſi Deus neminem vult perire, neceſſe eſt, omnium velit ſalutem; atque adeò omnibus conferat, vel ſaltem præparet media ad ſalutem verè ſufficientia.

2do. S. Ambroſius, lib. de paradiso c. 8. *Venerat Dominus Jeſus*, inquit, *omnes ſalvos facere peccatores, etiam circa impios oſtendere ſuam debuit voluntatem.... Quod in Deo fuit, oſtendit omnibus, quòd omnes voluit liberare.* Juxta S. Ambroſium Deus vult omnes liberare; ergo & ſalvare.

3tio. S. Auguſtinus lib. de Spiritu & littera c. 33. Ubi celebrem hanc verſat quæſtionem. *Si voluntas bona, quâ creditur, eſt donum Dei, cur non omnibus datur, cùm Deus velit omnes ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire?* Circa quam proinde ſic mentem ſuam aperit: *Vult autem Deus omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: non ſic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quô benè vel malè utentes judicentur juſtiſſimè. Quod cùm ſit, infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cum ejus Evangelio non credunt: nec ideò tamen eam vincunt, verùm ſe ipſos fraudant magnô & ſummô bonô, malis-*

(*a*) An. 849. (*b*) *Lib. 1. adverſ. Julian. c. 4. n. 14.*

Digitized by Google

maliſque pœnalibus implicant, experturi in ſupliciis poteſtatem ejus, cujus in donis miſericordiam contempſerunt. Ita voluntas Dei ſemper invicta eſt: vinceretur autem, ſi non inveniret, quid de contemptoribus faceret, aut ullo modo poſſent evadere, quod de talibus ille conſtituit. Ergo ex S. Auguſtino alludente ad laudata Apoſtoli verba, Deus ſincerè vult ſalvos fieri eos omnes, quos judicaturus eſt. Atqui Deus judicaturus eſt omnes omninò homines etiam reprobos nullo excepto. Ergo ex S. Auguſtino Deus ſincerè vult omnes homines nullo excepto ſalvos fieri. Qui autem non ſalvantur, ideò non ſalvantur, quia per liberum ſuum arbitrium Deo reſtitunt, atque propria mala voluntate ejus gratiam contemnunt: voluntas tamen Dei ſemper manet *invicta*, quia de divinæ miſericordiæ *contemptoribus facit quod vult, nec ullo modo poſſunt evadere, quod de ipſis conſtituit.* Illa autem Dei voluntas ex S. Auguſtino vera eſt & ſincera, cùm vi illius concedantur reprobis dona, quibus ſalutem conſequi poſſint.

Porrò S. Auguſtinus hôc locô loquitur ex propria ſententia, ut patet ex toto contextu, non autem ex ſententia Pelagianorum, ut perperam & falsô aſſerit Janſenius, quem tam aperta S. Doctoris hujus verba ita premunt, ut iis quidquam opponere haud valeat niſi mendacium.

Eandem doctrinam tradit idem S. Doctor lib. de catechizandis rudibus c. 26. *A quo interitu*, inquit, *hoc eſt poenis ſempiternis, Deus miſericors volens homines liberare, ſi ſibi ipſi non ſint inimici, & non reſiſtant miſericordiæ creatoris ſui, miſit unigenitum Filium ſuum.*

4to. Auguſtino conſentit fideliſſimus ejusdem Interpres & diſcipulus S. Proſper in Reſponſione ad ſecundam objectionem Vincentii: *Sinceriſſimè credendum atque profitendum eſt*, inquit, *Deum velle, ut omnes homines ſalvi fiant; ſiquidem Apoſtolus, cujus iſta ſententia eſt, ſollicitiſſimè præcipit, quod in omnibus Eccleſiis piiſſimè cuſtoditur, ut Deo pro omnibus hominibus ſupplicetur; ex quibus, quòd multi pereunt, pereuntium eſt meritum; quòd multi ſalvantur, ſalvantis eſt donum.* Ergo juxtà S. Proſperum ſinceriſſimè credendum & profitendum, Deum velle ut omnes homines ſalvi fiant, & ſi qui pereant, non Dei voluntati, ſed eorum demeritis id eſſe adſcribendum.

Et in Reſponſione ad Capitula Gallorum, Sent. 8. *Qui dicit*, inquit, *quòd non Deus velit omnes homines ſalvos fieri, ſed certum numerum prædeſtinatorum, duriùs loquitur, quàm loquendum eſt de altitudine inſcrutabilis gratiæ Dei, qui & omnes homines vult ſalvos fieri, atque in agnitionem veritatis venire.* Ergo, teſte S. Proſperô, duriùs loquitur, quàm loquendum ſit, qui contendit, Deum velle certum duntaxat numerum prædeſtinatorum ſalvos fieri, non autem omnes omninò homines.

Omittimus hîc alios Patres, ut S. Joan. Damaſcenum, lib. 2. c. 29. S. Fulgentium, lib. 1. de remiſſ. peccat. c. 1. S. Bernardum, Hom. 4. ſuper *Miſſus eſt*. S. Anſelmum, in c. 6. Matth. Remigium Lugdunenſem lib. de tribus Epiſtolis c. 12. qui rem noſtram clarè conficiunt.

Prob. 4to. Ex unanimi omnium Scholarum conſenſu, Thomiſtarum præeunte Doctore Angelico S. Thoma, qui ſententiam noſtram clariſſimè adſtruit pluribus in locis, ut In 1. Sentent. diſt. 46. q. 1. art. 1. Item 1. part. q. 19. art. 6. ad 1. Et in Comment. ſuper Epiſt. 1. ad Tim. c. 2. lect. 1. & alibi paſſim. Scotiſtarum præeuntibus S. Bonaventurâ, in 1. Sentent. diſt. 46. art. 1. q. 1. Et Scotô lib. 1. Sentent. diſt. 46. q. unicâ ad 1. arg.

De Patribus Societatis Jeſu non eſt, quòd hîc loquamur, cum nemo dubitet, quin nobiſcum in eandem conſpirent ſententiam. Verbo, ſi Janſeniſtas in Gallia & Belgio excipias, nullus eſt in orbe Chriſtiano Theologus Catholicus, qui nobiſcum non ſentiat. Ex quo vides, quàm improbè Janſenii Diſcipuli contra torrentem nitantur.

Prob. 5to. Rationibus Theologicis. 1mo. Omnes prorsùs homines, ſive prædeſtinati, ſive reprobi, firmiſſimam ſalutis ſpem in Dei auxilio collocare, ac reponere debent (c), prout apertè indicat Concilium Tridentinum Seſſ. 6. c. 13. Atqui firmiſſima non erit ſpes illa, ſed maximè fluctuans, & omninò incerta, ſi Deus, ut contendunt qui nobis hîc adverſantur, non velit omnes, ſed ſolos prædeſtinatos ſalvos fieri: cùm nullus certus eſſe poſſit an ad prædeſtinatorum numerum pertineat. Ergo.

2do. Providentiæ Dei eſt, res quaslibet ad fines ſuos per media idonea dirigere ac perducere. Atqui finis omnium hominum eſt vita æterna. Ergo Deus vult eam largiri omnibus; ſuppoſitâ tamen mandatorum ſuorum per auxilium gratiæ ſuæ obſervatione. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Matth. 19. v. 7.

3tio. Deus *diligit omnia quæ ſunt, nihilque eorum quæ fecit, odit*, Sap. 11. v. 25. Ac præ cæteris creaturis ſuis hominem, ut pro quo Filium ſuum unigenitum dedit. Ergo, quantùm eſt ex parte ſua, ipſius ſalutem verè ac ſincerè vult & deſiderat, eique ſufficientia præparat, confert, vel ſaltem offert media, quibus eam poſſit, ſi fideliter cum gratia laborare voluerit, obtinere.

4to. Deus vult omnes ſalvos fieri, quibus præparat, confert, vel ſaltem offert media ad ſalutem aſſequendam verè ſufficientia. Atqui Deus omnibus & ſingulis hominibus confert, aut ſaltem offert media ad ſalutem conſequendam verè ſufficientia. Ergo &c. Major eſt certa, intentio quippe finis eſt, quæ movet ad electionem mediorum. Minor autem adeò conſtanti Theologorum omnium conſenſu firmata eſt, ut certè abſque temeritate negari non poſſit, & ex ejus negatione ſequeretur pietati ac bonitati imò æquitati Dei injurioſum quid. Ergo, &c.

5to. Deus vult eos omnes ſalvos fieri, pro quorum ſalute Chriſtus mortuus eſt: ut enim docet S. Auguſtinus (d), ex illa Dei voluntate ortum eſt, ut filium ſuum mitteret, qui omnium ſalutem morte ſua procuraret. Atqui Chriſtus pro omnium ac ſingulorum hominum ſalute mortuus eſt, ut probabimus concluſione ſequenti. Ergo, &c. Sit ergo

CONCLUSIO II. 214

Chriſtus pro omnium ac ſingulorum hominum æterna ſalute mortuus eſt, non ſolùm ſufficientiâ pretii oblati, ut ajunt,

(c) Hoc fundamento nititur Spes Chriſtiana, quòd Chriſtus ſanguinem fuderit, tum ad ſalutem, tum ad media ſufficientia ſalutis nobis promerenda, *Omnis ſpes*, ait S. Aug. lib. medit. c. 14. *& totius fiduciæ certitudo mihi eſt in pretioſo ſanguine ejus, qui effuſus eſt propter nos & propter noſtram ſalutem.* Et cùm Spei Chriſtianæ fundamentum certum eſſe debeat, negari non poteſt Chriſti ſanguinem profuſum fuiſſe pro eorum omnium ſalute, quibus neceſſaria eſt ejusmodi ſpes, conſequenter Deum omnes velle ſalvos fieri. Sed de hoc argumento fuſiùs & clariùs loquemur infrà concluſione 2da argumento 2dò à Ratione.
(d) *Lib. de catechiz. rud. c. 26.*

ſed etiam ſufficientiâ voluntatis offerentis; ac proinde eo animo eaque intentione ſanguinis ſui pretium Deo Patri obtulit, ut gratias mereretur, quibus omnes poſſent verè æternam ſalutem conſequi.

Prob. 1mo ex Scripturis. 1mo. Rom. 8. v. 32. *Qui proprio filio ſuo non pepercit*, ait Apoſtolus, *ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Quam ſententiam ad ipſos etiam parvulos pertinere aſſerit S. Auguſtinus lib. 2. de nupt. & concupiſc. c. 33.

2do. 1. ad Tim. 2. v. 5. & 10. *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Si ergo unus eſt redemptor ac mediator hominum, ſicut unus eſt Deus; prorsùs neceſſe eſt, Chriſtum omnium & ſingulorum hominum redemptorem eſſe, ſicut eorumdem unus eſt Deus.

3tio. denique 2. Cor. 5. v. 14. & 15. rem noſtram decretoriè conficit Apoſtolus his verbis: *Charitas Chriſti urget nos; æſtimantes hoc quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt; & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit.* Ex Apoſtolo pro illis omnibus mortuus eſt Chriſtus, qui mortui ſunt in Adamo. Atqui omnes & ſinguli homines (unâ exceptâ Beatâ Virgine Mariâ) mortui ſunt in Adamo, *in quo omnes peccaverunt*; ergo pro omnibus & ſingulis hominibus mortuus eſt Chriſtus, non tantùm ſufficientiâ & valore pretii, de quo nullus ambigit, ſed etiam ex animo & intentione pretium illud pro ſalute omnium offerentis: nam mori pro omnibus in ſenſu proprio & Eccleſiæ eſt mori ea intentione, ut mors illa proſit omnibus ad vitam æternam: ſicut mori pro aliquo eſt mortem ſubire ex intentione, ut mors proſit alicui. Præterea Chriſtum mori pro electis, eſt Chriſtum mori pro ſalute æterna electorum. Ergo Chriſtum mori pro omnibus omninò hominibus eſt Chriſtum mori pro ſalute æterna omnium omninò hominum.

Prob. 2do. Ex Conciliis, quæ priori Concluſione laudata ſunt. Item ex Concilio Tridentino Seſſ. 6. de juſtificatione præter alia paſſim loca. Ubi hæc habet: *Hunc* (Chriſtum) *propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius pro peccatis noſtris; non ſolùm autem pro noſtris, ſed etiam pro totius mundi.* Quisquis hæc verba, *pro totius mundi*, de ſolis prædeſtinatis interpretaretur ab ipſius Concilii mente vehementer recederet; nam eo loci ad ſpem & fiduciam peccatores erigit: porrò ſi Chriſtus diceretur mortuus pro ſalute prædeſtinatorum duntaxat, id certè ad deſperationem potiùs quàm ad fiduciam impelleret.

Ibid. c. 3. *Verùm*, inquit, *etſi ille pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt; ſed ii duntaxat, quibus meritum paſſionis ejus communicatur.* Supponit hìc apertè Concilium, non tantùm pro electis ſeu prædeſtinatis mortuum eſſe Chriſtum, ſed etiam pro iis, qui mortis ipſius beneficium non recipiunt, ſeu qui non ſalvantur, quales ſunt reprobi. Addi poteſt Symbolum Nicænum, quod ait de Chriſto: *Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis, & incarnatus eſt... & homo factus.... paſſus eſt.* Ergo Filius Dei incarnatus & paſſus eſt ſupplicia & mortem pro omnibus hominibus: nam non dicit propter nos fideles, ſed homines; quales ſunt etiam infideles, neque dicit propter nos electos, ſed generatim homines, quales ſunt etiam reprobi: verùm argumentum hoc tangetur infra argumentô 1mô à ratione.

Prob. 3tio. ex SS. Patribus maximè Latinis, Græcos enim liberaliter nobis dimittunt Adverſarii Janſenius & ejus diſcipuli.

1mo.

1mo. S. Hilarius initiò Commentarii in Pſalm. 91. *Unigenitus Dei filius*, inquit, *homo natus eſt*, *& æternitatem* (nimirùm ſalutem æternam) *omnibus*, *qui per inhabitantem in carne noſtra peccata legem moriebantur*, *inveheret*. Atqui moriebantur per inhabitnatem in carne noſtra peccati legem omnes prorsùs homines, tùm reprobi, tùm electi, tum qui Fideles ſunt, tum qui perpetuò Infideles. Ergo unigenitus Dei Filius pro iis omnibus natus eſt, ſubindeque paſſus & mortuus, ut iis hereditatem æternæ ſalutis inveheret.

2do. S. Ambroſius variis locis idipſum docet. In Pſal. 118. expendens hæc verba v. 64. *Miſericordiâ tuâ Domine plena eſt terra*: ſic loquitur: *Sol juſtitiæ omnibus ortus eſt*, *omnibus venit*, *omnibus paſſus eſt*, *& omnibus reſurrexit* Et in lib. de Joſeph c. 7. *Suum eſt*, inquit, *quod à te Chriſtus repoſcit*. *Ipſe vitam omnibus dedit*, *ipſe pro omnibus mortem ſuam obtulit*. Non ſolùm ſufficientiâ pretii, ſed etiam ſufficientiâ voluntatis offerentis ſanguinis ſui pretium, ut omnibus ad ſalutem prodeſſe poſſit. Eandem doctrinam non minùs expreſſè tradit lib. de Paradiſo c. 8. lib. de Abel & Cain c. 3, In Pſalm. 72. &c.

3to. S. Hieronymus in 2. Ep. ad Corinth. c. 5. ſuper illa verba, *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt*. *Solus*, inquit, *inventus eſt*, *qui ut immaculata hoſtia pro omnibus*, *qui erant in peccatis mortui*, *offerretur*. Atqui omnes prorsùs homines ex Adamo progeniti (excepta B. Virgine) in ipſo mortui ſunt, *in quo omnes peccaverunt*, adeoque in peccatis. Ergo, &c.

4to. S. Auguſtinus eandem doctrinam plurimis in locis apertè tradit, quæ omnia hìc referre nimis longum foret, unicum hìc adduxiſſe ſufficiat, ex quo de cæteris facilè erit judicare. Igitur in Pſalm. 95. *Judicabit*, inquit, *orbem terrarum in æquitate*: *non partem*; *quia non partem emit*: *totum judicare habet*, *quia pro toto totum dedit*. Explicat paulò pòſt, quid nomine *orbis terrarum* intelligat. *Judicabit orbem terrarum in æquitate*, *& populos in veritate ſua*. *Quæ eſt æquitas & veritas? congregabit ſecum electos ſuos ad judicandum*, *cæteros autem ſeparabit ab invicem*: *poſiturus eſt enim alios ad dexteram*, *alios ad ſiniſtram*, *&c*. Ex quibus patet, nomine *orbis terrarum* S. Auguſtinum intelligere eos, qui in judicio tum ad dexteram, tum ad ſiniſtram collocabuntur; id eſt electos omnes & reprobos: adeoque cùm aſſerit, Chriſtum judicaturum totum orbem, quia totum emit, diſertè ſignificat, Chriſtum electos ac reprobos omnes judicaturum, quia electis & reprobis ſanguinem impendit: *totum judicare habet*, *quia pro toto pretium dedit*.

Non poſſumus non adhuc attexere ea quæ Serm. 67. de tempore eloquitùr, adeo clarè enim ſententiam noſtram exprimunt. Ibi Chriſtum in æterno Judicio ita peccatores compellantem inducit: *Irridentium palmas & ſputa ſuſcepi*, *acetum cum felle bibi*: *flagellis cæſus*, *vepribus coronatus*, *cruci affixus*, *vulnere perfoſſus*... *ſuſcepi dolores tuos*, *ut tibi gloriam darem: ſuſcepi mortem tuam*, *ut in æternum viveres*: *conditus jacui in ſepulchro*, *ut tu regnares in cælo*. *Cur quod pro te pertuli perdidiſti? Cur*, *ingrate*, *redemptionis tuæ munera renuiſti?* Manifeſta ſunt hæc S. Auguſtini verba: neque enim ait, Chriſtum pro reprobis tantùm fuiſſe paſſum, ſed ipſam quoque æternam ſalutem eisdem conferre voluiſſe clariſſimè demonſtrat: *ſuſcepi*, inquit, *dolores tuos*, *ut tibi gloriam darem*: *ſuſcepi mortem*, *ut æternum viveres*; *ut tu regnares in cælo*. Ergo in mente S. Auguſtini Chriſtus mortuus eſt pro æterna reproborum ſalute.

5to. S. Proſper in reſponſione ad objectionem nonam Gallorum: *Salvator noſter*, inquit, *ſecundùm hoc dici poteſt redemptor mundi*; *dedit pro mundo ſanguinem ſuum*, *& mundus redimi noluit*, *quia lucem tene-*

bræ non receperunt. Ibi per mundum intelligit S. Proſper reprobos, qui ſcilicet *redimi noluerunt:* Significat autem, Chriſtum voluiſſe, & quidem ſincerè, eos redimere; cùm aſſerat, pro ipſis *eum dediſſe ſanguinem ſuum.*

Subſequentium Patrum teſtimonia referre ſuperſedimus, cum dubium non ſit, quin pro noſtra ſententia decreverint.

Prob. 4to ex conſtanti omnium Scholarum Thomiſticæ, Auguſtinianæ, Scotiſticæ, Jeſuiticæ, Petrinorum uſu, præeuntibus illarum Principibus. Quarum teſtimonia hìc referre nimis longum foret. Videri poſſunt apud Auctores paſſim.

Prob. 5to. Rationibus Theologicis. 1mo. Omnes prorſus homines, ſive electi, ſive reprobi, ſive Chriſtiani, ſive adhuc Catechumeni, ſive jam fideles, ſive vocati ad fidem, licèt vitiô ſuô credere nolint, poſſunt & tenentur ex fide divina credere, Dei Filium pro ipſorum ſalute eſſe mortuum. Atqui non tenentur credere aliquid falſum, quia fides divina, quæ hìc exigitur, non modò circa falſum verſari non poteſt, ſed nec circa dubium quidem & incertum. Ergo ne dum verum, ſed etiam certum & indubitatum eſt, Dei filium pro omnium, atque adeò etiam pro reproborum ſalute mortuum fuiſſe.

Major patet ex Symbolo Concilii Nicæni, quod in ſubſequentibus Conciliis Conſtantinopolitano, Epheſino, Chalcedonenſi approbatum fuit, in quo jubemur profiteri & credere, *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis*, ubi non dicitur propter nos prædeſtinatos, propter nos juſtos, propter nos Chriſtianos, ſed *propter nos homines;* ut ſcilicet nullus excluderetur. Min. conſtat.

Confirmatur. Si non pro omnium, ſed pro electorum duntaxat ſalute Chriſtus venit, nec reprobi nec prædeſtinati illam Catholicæ fidei profeſſionem emittere poterunt. Non reprobi, quia falſum aliquid ex fide divina crederent: non prædeſtinati, quia ſicut prædeſtinationis incerti ſunt, ita Chriſtum pro ſua ſalute mortuum fuiſſe ignorarent. Ergo, &c.

2do Certum eſt Chriſtum mortuum fuiſſe pro eorum ómnium ſalute, qui ſpem Chriſtianam concipere poſſunt. Atqui omnes & ſinguli ſpem Chriſtianam concipere poſſunt, imò & nonnulli è reprobis illam perſæpè concipiunt. Ergo Chriſtus pro omnibus & ſingulis mortuus eſt.

Major conſtat, quia, ut ſuprà Concluſione 1ma argumentô 1mô. à Ratione in nota pag. 102. adnotavimus, ſpes Chriſtiana hoc fundamentô nititur, quòd Chriſtus ſanguinem fuderit, ut non tantùm ad Baptiſmum, ſed etiam at ſalutem æternam perveniamus; atque hæc S. Auguſtini locô citatô laudati, & omnium Patrum ac Chriſtianorum omnium, qui ex ſpe ad æternam beatitudinem anhelant communis vox eſt. Aliunde verò ſpei Chriſtianæ, utpotè firmiſſimæ, fundamentum debet eſſe certum & inconcuſſum: conſtans eſt itaque & indubitatum, Chriſtum ſanguinem fudiſſe ad æternam ſalutem illis procurandam, qui ſpem Chriſtianam elicere poſſunt.

Minor etiam conſtat. Omnes enim & ſinguli homines ſalutem conſequi poſſunt. Ergo & ſpem Chriſtianam concipere, cùm ſpes Chriſtiana omnibus ad ſaltem ſit neceſſaria neceſſitate medii (e); *Spe ſalvi facti ſumus*, inquit Apoſtolus. *Non deſperet malus de multa malitia*, inquit S Auguſtinus lib. 2. de Symbolo ad Catechum. c. 6. *magni pretium pro nobis datum eſſe cognoſcimus, quia Chriſti ſan*guine

(e) Illud ad ſalutem neceſſarium eſt neceſſitate medii, ſine quo illam obtinere eſt omninò impoſſibile; eſt nempe medium abſolutè ad eam neceſſarium.

Digitized by Google

guine redempti ſumus. . . . . Et dubitas, quòd tibi donet vitam ſuam, qui tecum communicavit mortem ſuam? En propoſitam unicuique benè ſperandi rationem, *quòd cognoſcimus magnum pretium pro nobis datum eſſe à Chriſto*, nimirùm *mortem ſuam, ut nobis donet vitam æternam.*

Confirmatur. Spem ſibi omninò præcludunt, qui Chriſtum non pro omnibus & ſingulis, ſed pro ſolis prædeſtinatis mortuum eſſe prædicant. Ergo repellendi ſunt, ut qui virtutem, ſine qua ſalus obtineri nullatenùs poteſt, è medio tollere videantur, aut ſaltem ejus firmitatem concutiant.

Ant. prob. Non aliud aſſignari poteſt & debet firmum ſpei noſtræ fundamentum & ſuſtentaculum, quàm hæc conſtans & indubitata veritas, Chriſtum nempe pro omnibus & ſingulis ſanguinem fudiſſe, prout ait S. Auguſtinus infra laudatus. (f) Atqui iſtud ſpei noſtræ certum, præcipuum & neceſſarium fundamentum concutiunt, qui Chriſtum non pro omnibus & ſingulis, ſed pro ſolis prædeſtinatis mortuum eſſe prædicant. Ergo ſpem omnem ſibi omninò præcludunt.

Min. Prob. Nemo ſine ſpeciali revelatione certus eſſe poteſt, ſe eſſe de numero prædeſtinatorum, adeoque prædeſtinatio omnibus & ſingulis eſt incerta. Ergo qui Chriſtum non pro omnibus & ſingulis, ſed pro ſolis prædeſtinatis mortuum eſſe prædicant, præcipuum & neceſſarium ſpei noſtræ fundamentum concutiunt, imò prorsùs evertunt.

Prob. conſ. Si pro ſolis prædeſtinatis mortuus eſt Chriſtus, cùm prædeſtinatio reſpectu noſtri omnibus & ſingulis ſit incerta nemoque de ea certus eſſe poſſit; tunc pariter nemo certus eſſe poteſt, Chriſtum pro ſua ſalute mortuum fuiſſe, ac ſanguinis ſui pretium Deo patri obtuliſſe; adeoque non habebit homo ullus, in quo ſpem ſuam collocet, nulumque ei ſupererit firmæ in divina clementia fiduciæ ſuæ (quam neceſſariò exigit ſpes Chriſtiana) certum ac ſecurum fundamentum: nulla enim ſpei firmitas & certitudo ex re dubia & incerta deduci poteſt. Ergo, &c.

Prob. 3tio. Quilibet poteſt ac debet Chriſtum amare, tanquam ſalutis ſuæ causâ crucifixum. Ita Apoſtolus, 2. ad Cor. 5. ſuprà hîc arg. 1mo textu 3tio pag. 103. laudatus. (g) Sanctus quoque Auguſtinus, ſerm. 123. de temp. in eundem ſenſum unumquemque ad Dei amorem hortatur his verbis: *Ipſum cole, ipſum dilige. . . . quia ad hoc deſcendit, ut ea, quæ diſplicent humanæ infirmitati pro tua ſalute ſufferret, ut te ad æternam & cæleſtem gloriam ſecum perduceret.* (h) Atqui fieri non poſſet, ut omnes Chriſtum diligerent tanquam ſui causâ crucifixum, ſi Chriſtus pro ſalute non quidem omnium ac ſingulorum, ſed electorum duntaxat mortem ſubiiſſet; cùm nullus, ut jam dictum, de ſua prædeſtinatione, ſeclusa ſpeciali revelatione, certus eſſe poſſit. Ergo, &c.

Prob. 4to. Si Chriſtus pro omnibus & ſingulis hominibus nonniſi valore & ſufficientiâ pretii mortuus eſt, & ſanguinem

(f) *Omnis ſpei & totius fidei certitudo mihi eſt*, inquit, *in pretioſo ſanguine ejus, qui effuſus eſt propter nos & propter noſtram ſalutem.* En præcipuum & neceſſarium fidei noſtræ ſuſtentaculum. *Nec enim aliud*, pergit ibidem, *nomen eſt ſub cælo, in quo oporteat nos ſalvos fieri, quàm in nomine* (& morte) *Domini noſtri Jeſu Chriſti.* (g) *Charitas Chriſti urget, æſtimantes hoc, quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo &c.* Vid. integrum textum loc cit. (h) *Super omnia te reddit amabilem, ô bone Jeſu, calix, quem bibiſti, opus meæ redemptionis. . . Hoc amorem noſtrum vindicat ſibi totum. Hoc, inquam, eſt, quod devotionem noſtram & blandiùs allicit, & juſtiùs exigit, & arctiùs ſtringit, & afficit vehementiùs.* S. Bern. ſerm. 20. in Cant.

Digitized by Google

nem ſuum fudit, tunc dici etiam poteſt mortuus eſſe pro dæmonibus & damnatis; ſiquidem pretium ſanguinis ejus ipſis omnibus redimendis ſufficientiſſimum eſt. Item, quòd ad hoc, ut quis diceretur captivos redimere velle, ſatis eſſet, quòd haberet reconditam in arca pecuniam ad illos redimendos parem & ſufficientem. Atqui priùs dicere fidei Chriſtianæ repugnat; alterum omninò abſurdum eſt & falſum. Ergo Chriſtus pro omnibus & ſingulis hominibus non tantùm valore & ſufficientiâ pretii, ſed & ſufficientiâ voluntatis ſanguinem ſuum Deo Patri pro ſalute omnium offerentis, & ex vera animi intentione pro omnibus & ſingulis hominibus ſatisfaciendi mortuus dici debet; quemadmodum is, qui vult captivos redimere, ita animô affectus & comparatus eſſe debet, ut pecuniam, quam ad id ſufficientem habet, in eorum liberationem ſincerè impendere velit, &c.

Prob. 5to. Sententia quæ negat Chriſtum pro omnium ac ſingulorum ſalute fuiſſe mortuum adverſatur Scripturæ, Conciliis, SS. Patribus, conſtanti omnium Scholarum conſenſioni atque ex ea ſequitur fidei, ſpei, & magna ex parte charitatis excidium. Ergo omnibus abominationi eſſe debet.

Ant. habetur ex hactenus dictis, niſi quis inauditâ veſaniâ ſacros divinorum librorum Scriptores, SS. Patres, omniumque Scholarum Theologos vel fraudis vel ignorantiæ arguere malit, ut qui, dum adeò claris & apertis verbis Chriſtum ſincerè necnon ex vera animi intentione pro omnibus tum electis, tum reprobis mortem ſubiiſſe teſtantur, aut nudam duntaxat intuitu reproborum quamdam velleitatem ſine ulla animi intentione eis unquam ſalutem operandi intellexerint; vel ignorarint, qua ratione & modô pro eis Chriſtus mortuus vel potius non mortuus fuerit; ac proinde, cùm incertum ſit, Chriſtum pro nobis omnibus mortem ſubiiſſe atque Patri ſuo ſanguinis ſui pretium obtuliſſe, perperam hactenus nos fidem, ſpem & charitatem noſtram præcipuè in illius morte collocaſſe. Abſit à nobis hæc impietas.

Verùm cum Eccleſia Catholica confitemur, Deum ſincerè & verè deſiderare & velle omnium & ſingulorum hominum ſive electorum ſive reproborum æternam ſalutem; Chriſtumque pro iis omnibus vera & ſincera voluntate mortuum fuiſſe, atque ad ipſorum omnium ſalutem pretium ſanguinis ſui Patri ſuo obtuliſſe; pro reprobis quidem voluntate beneplaciti antecedente & conditionata; pro electis verò voluntate abſoluta, conſequenti, & efficaci.

Solvuntur Objectiones. 215

Ob. 1. contra Concluſionem 1mam. Omnis vera & ſincera Dei voluntas ſemper impletur & nihil ei reſiſtit, prout demonſtrant Scripturæ textus à nobis ſuprà hujus capitis §. 5tô adducti. (ſ) Atqui non omnes prorsùs homines, ſed ſoli electi & prædeſtinati ſalvantur. Ergo Deus non vult omnes omninò homines, ſed ſolos electos ſalvos fieri.

Reſp. Diſt. Maj. Omnis vera & ſincera Dei voluntas conſequens, abſoluta & efficax ſemper impletur, & nihil ei reſiſtit, conc. maj. antecedens & conditionata, neg. maj. & conc. min. pariter diſt. conſ. Ergo Deus non vult omnes omninò homines ſed ſolos electos ſalvos fieri, voluntate conſequente abſolutâ & efficaci, conc. voluntate antecedente & conditionata, neg. conſ. Vide dicta citatô §. 5tô & §. 4tô de multiplici Dei volun-

O 2 tate

(ſ) Pag. 94.

Digitized by Google

tate. Deus multa vult, quæ ob contumacem humanæ voluntatis reſiſtentiam non eveniunt.

216 Ob. 2do. S. Auguſtinus locum hunc Apoſtoli, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, exponit cum limitatione & reſtrictione ad ſolos electos. Nam Enchirid. c. 105. hunc locum interpretatur de generibus ſingulorum, non de ſingulis generum, hoc ſcilicet ſenſu, quòd nulla ſit hominum ætas, conditio, & natio, in qua Deus non velit aliquos ſalvos fieri; quo ſenſu dicitur omne animal fuiſſe in Arca Noë, quatenus ex omni animalium ſpecie fuerunt aliqua in Arca Noë. 2do. lib. de prædeſt. Sanct. c. 8. dicit Deum velle omnes homines ſalvos fieri, quatenus vult ſalutem illorum omnium, qui re ipſa ſalvantur: ſicut alicujus civitatis magiſter dicitur docere omnes pueros, quia docet omnes qui docentur. 3tio. lib. de corrept. & grat. c. 15. Explicat verba illa Apoſtoli de voluntate ſalvandi omnes homines non formali ſed cauſali, quatenus Deus facit, ut Sancti velint ſalutem omnium, eamque, quantùm poſſunt, procurent. Ergo juxta S. Auguſtinum Deus non habet veram & ſinceram voluntatem ſalvandi omnes & ſingulos homines.

Reſp. neg. conſ. Nam 1mo S. Auguſtinus textum hunc Apoſtoli alibi, ut lib. de Spiritu & litt. c. 33. ſupra concluſione 1ma arg. 3tiô n. 3tiô (k). laudatô exponit apertè de voluntate ſincera ſalvandi omnes omninò homines etiam reprobos fideles, prout etiam alii Patres intellexerunt. 2do. Ita hæc Apoſtoli verba locis objectis exponit ex ſuppoſitione ſolùm, quòd intelligantur de voluntate ſalvandi omnes homines abſolutâ & efficaci ex parte volentis, ut ea intelligi volebant Pelagiani & Semipelagiani: non autem quòd ipſe ſenſerit, illa verba non poſſe intelligi de voluntate ſincera ſalvandi omnes omninò homines, nullô exceptô licèt inæquali, cùm ipſemet ea ſic intellexerit, & intelligenda eſſe ſuppoſuerit. Quare ad ſummum S. Auguſtinus admittit duplicem ſenſum hujus textus Apoſtoli, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*. Primus maximè proprius, & ab Eccleſia intellectus eſt, quòd Deus antecedenter ad poſitivam reprobationem hominum abſolutè prævîſam, velit ſincerè omnes ſalvare, eisque media ad ſalutem ſufficientia ſuppeditare. Secundus, quòd Deus velit voluntate abſolutè efficaci ſalvare aliquos homines ex omni ætate, ſexu, conditione, & natione, illisque conferre efficacia ſalutis media; qui ſenſus non excludit alium, cùm voluntas efficax ſalvandi electos non excludat ſinceram & ſufficientem voluntatem ſalvandi reprobos. Quare triplex illa explicatio, quæ nobis objicitur, non eſt excluſiva, nempe non excludit à Deo voluntatem generalem ſalvandi omnes omninò homines, quam S. Auguſtinus alibi admittit, ut cit. lib. de Spiritu & litt. c. 33. & lib. de catechizandis rudibus c. 26. etiam loc. cit. pag. 101. laudatô, atque clarè exprimit.

Ob 3tio. S. Fulgentius reprehendit Pelagianos & Semipelagianos, quòd hæc verba Apoſtoli, *omnes homines vult ſalvos fieri* intelligerent de voluntate generali ſalvandi omnes homines. Ergo non datur ejusmodi voluntas in Deo juxta illum. 217

Reſp. neg. ant. ſed eos reprehendit, quòd verba illa Apoſtoli explicarent de voluntate ſalvandi omnes homines æquali & efficaci ex parte Dei. Unde ſequebatur, voluntatem Dei efficacem ſuo effectu fruſtrari poſſe, & re ipſa fruſtrari in omnibus qui non ſalvantur; quod falſum eſt & abſurdum, & contra illud Pſal. 118. *Omnia, quæcunque voluit* (efficaciter) *fecit.* Veritas hujus reſponſio-

(k) *Pag.* 100. & 101.

Digitized by Google

ſponſionis patet ex S. Fulgentio lib. de Incarnat. & gratia c. 29. quod nobis objicitur; nam hoc caput ſic concludit: *Proinde hi, qui voluntatem Dei, quâ omnes homines vult ſalvos fieri, æqualem circa redimendos & damnandos exiſtimant, cùm interrogati fuerint, cur velit Deus omnes homines ſalvos fieri, nec tamen omnes ſalvi fiant, quid reſpondebunt?*

Porro cùm dicitur Deus velle ſalutem omnium hominum, quantùm eſt de ſe, hæc verba, *quantùm eſt de ſe*, non ſignificant voluntatem abſolutè efficacem ex parte volentis, quemadmodùm per illa intelligebant Semipelagiani; ſed ſolùm ſignificant voluntatem ex parte volentis ſinceram, quâ media ſufficientia ſuppeditantur, vel ſaltem præparantur, ita ut per illum non ſtet, ut effectus dependens ab alterius arbitrio non ponatur.

218 Ob. 4to. Juxta S. Thomam 1 p. q. 19. a 6. ad. 1. voluntas, quæ non eſt abſoluta, eſt ſolùm voluntas ſecundùm quid, ſeu velleitas (*l*) potiùs quàm voluntas. Sed voluntas circa ſalutem reproborum non eſt abſoluta. Ergo eſt mera velleitas, &c.

Reſp. Diſt. Maj. voluntas, quæ non eſt abſoluta, eſt ſolùm voluntas ſecundùm quid, ſeu velleitas comparatè ad voluntatem abſolutam & conſequentem conc. In ſe præcisè ſpectata neg. maj. &c. Itaque voluntas antecedens appellatur à S. Thoma velleitas, aut voluntas ſecundùm quid, non quòd ſit in Deo actus ſuſpenſio vel imperfectio quædam, aut non ſit vera & actualis voluntas, utpotè quam veram & beneplaciti eſſe ſæpiùs docet. (*m*) *Voluntas antecedens*, inquit in 1. ſent. Diſt. 46. q. 1. art. 3. ad 1. *poteſt dici conditionata, nec tamen eſt imperfectio ex parte voluntatis divinæ; ſed ex parte voliti, quod non accipitur cum omnibus circumſtantiis, quæ exiguntur ad rectum ordinem in ſalutem.* Sed comparatè ad voluntatem abſolutam & conſequentem: tum quia voluntas Dei antecedens ſalvandi omnes homines non ſemper impletur; voluntas verò conſequens & abſoluta ſalvandi electos ſemper impletur, & ſuum infallibiliter obtinet effectum: tum quia voluntas Dei antecedens ſalvandi omnes homines non eligit media efficacia, quæ certò ad hunc finem conducant; voluntas autem Dei conſequens & abſoluta ſalvandi prædeſtinatos, eligit ſemper media efficacia, quæ illos certiſſimè & infallibiliter ad ſalutem æternam conducent.

Ob. 5to. Illa voluntas non eſt in Deo 216
propriè & formaliter, quæ pugnat cum idea Entis ſummè perfecti, ſummè potentis, & cauſæ univerſaliſſimæ. Atqui talis eſt voluntas antecedens & generalis ſalutis omnium. Ergo.

Prob. min. 1mo. Voluntas antecedens & generalis ſalutis omnium eſt inefficax, non enim omnes ſalvantur, ac proinde imperfecta. Ergo pugnat cum idea entis ſummè perfecti. 2do. Ens ſummè potens operatur quæcumque vult, quando & quomodo vult. Atqui, ſi admittatur voluntas antecedens & generalis, quæ feratur circa ſalutem omnium hominum, neceſſariò agnoſcendum erit, ſummam Dei potentiam ſuperari ab hominum voluntate, & quod volebat Omnipotens, factum non fuiſſe, ſcilicet ut omnes ſalvarentur, quoniam ne fieret, voluntas hominis impedivit. Ergo. &c. 3tio. Voluntas Dei eſt cauſa univerſaliſſima rerum omnium, prout ſup. §. 6. pag. 97. oſtenſum eſt, ac proinde ſemper ipſam impleri oportet. Atqui non impleretur ſtante antecedenti illius de ſalute omnium voluntate. Ergo.

(*l*) Velleitatem nominat S. Thomas voluntatem incompletam, quaſi intentionem, imperfectam voluntatem, minùs integram, minùsque ordinatam. (*m*) *Quæſt. 22. de verit. art. 3. In 1. Sent. Diſt. 47. q. 1. a 2. In 1. Ep. ad Tim. c. 2. Ad Hannibal. in 1. Sent. Diſt. 47. a 3.*

Reſp. 1mo. ad object. neg. min. ad illius prob. Reſp. 1mo. Cùm voluntas illa generalis circa ſalutem omnium hominum ſit conditionata, re ipſa etiam eſt ſuô modô efficax, adeoque cùm ſemper impleatur, nec imperfecta, nec ſummæ Dei potentiæ, nec eidem tanquam cauſæ rerum univerſaliſſimæ repugnat. Nam ad hoc ut voluntas conditionata dicatur, & re ipſa ſit efficax, opus non eſt, ut id quod intenditur ſemper fiat, ſive ponatur ſive non ponatur conditio: imò ſi ſublata conditione fieret effectus, voluntas inefficax eſſet ac planè irrita; ſed requiritur & ſufficit, ut adhibita conditione ſemper fiat id, quod volumus, ſublata autem eadem conditione non fiat.

Alio modo voluntas hæc Dei dici poteſt efficax ac ſemper impleri, in quantùm, ut loquitur S. Auguſtinus (*n*) *de iis, qui faciunt quod non vult, facit ipſe quod vult.* (*o*) *Et hoc ipſo quòd contra voluntatem ejus fecerunt, de ipſis facta eſt voluntas ejus.*

Iterum alio modo dici poteſt, voluntatem Dei ſemper impleri, quatenus nempe, qui recedere videntur à divina providentia ſecundùm unum ordinem, relabuntur in ipſam ſecundùm alium, prout variis locis indicant SS. Auguſtinus & Thomas. *Cùm voluntas Dei ſit univerſalis cauſa omnium rerum*, inquit S. Thomas (*p*), *impoſſibile eſt, quòd divina voluntas ſuum effectum non conſequatur. Unde quod recedere videtur à divina voluntate ſecundùm unum ordinem, relabitur in ipſam ſecundùm alium; ſicut peccator, qui, quantùm in ſe eſt, recedit à divina voluntate peccando, incidit in ordinem divinæ voluntatis, dum per ejus juſtitiam punitur.*

Reſp. 2do. Diſt. Ant. ſecundi argumenti. Voluntas antecedens &c. eſt inefficax ex impotentia aut ex mutatione conſilii Entis ſummè perfecti, ſummè potentis, &c. neg. Ex malitia & iniquitate humanæ voluntatis, quam Deus poteſt equidem, ſed juſtô licèt occultô judiciô non vult hîc & nunc voluntate abſoluta conſequente & efficaci impedire, conc. maj. Scilicet Deus non tantùm eſt omnipotens, ſed etiam ſapientiſſimus ac ſuaviſſimus omnium creaturarũ proviſor: cùm homini quidpiam imperat aut prohibet, eum ſuæ libertati relinquit, ut obſequatur vel reſiſtat, ut inde meriti laudem, vel demeriti pœnam reportet, prout innuit Eccleſiaſtes c. 15. v. 14. & ſeq.

Ergo quæcunque Deus vult quatenus eſt omnipotens, hoc eſt, abſolutè & ex omni ſua virtute ac potentia, ea ſemper eveniunt. Pſalm. 118. Rom. 8. Eſther, 13. At verò quæ Deus vult voluntate conditionata, cujus nempe conditio non pendet à ſolo Deo, ſed à libera etiam creatæ voluntatis cooperatione, ea non ſemper implentur. Ezechiel. 24. Matth. 23. Act. 7. Et tunc divinæ voluntatis inefficacia non arguit imperfectionem aut impotentiam in Deo, ſed duntaxat malitiam & deordinationem in voluntate creata, quæ non vult ſervire Creatori, *cujus in donis*, ut ait S. Auguſtinus, *miſericordiam contemnit.*

Alii paulò aliter ſolvunt idem argumentum ſic diſtinguendo ant. Voluntas antecedens &c. eſt inefficax adeoque imperfecta, ubi hæc inefficacia provenit ex aliquo impedimento extrinſeco vincente aut retardante efficaciam ipſius, conc. ubi hæc inefficacia eſt ex propria ordinatione & providentia ipſius volentis, neg. ant. Itaque voluntas aliqua duobus modis dici poteſt inefficax: 1mo ex aliquo impedimento extrinſeco, quod vinci aut ſuperari non poteſt. 2do ex propria ordinatione & providentia ipſius volen-

(*n*) *Serm.* 214. (*o*) *Enchirid. c.* 100. (*p*) 1. *p. q.* 19. *a* 6.

Digitized by Google

volentis. Voluntas priori modo ineſficax eſt imperfecta & non poteſt eſſe in Deo, non tamen ſi ſecundò modò ſit ineſficax, prout eſt voluntas Dei antecedens & conditionata circa ſalutem omnium hominum.

Reſp. 3tio. Quamvis liquidò exponere non poſſemus, qua ratione voluntas generalis & antecedens, utpotè ineſficax, poſſit conciliari cum Dei omnipotentia & ſupremo ejus in creatam voluntatem dominio, non ideò tamen neganda eſſet hujuſmodi voluntas, præſertim cùm omni argumentorum genere talem in Deo voluntatem agnoſcendam eſſe anteà invictè demonſtraverimus. Hactenus nemo clarè & nitidè expoſuit, qua ratione Dei libertas cum ejus immutabilitate cohæreat: an propterea utriusque neganda concordia? Nemo neſcit, quàm graves, quàm intricatæ ſint difficultates, quas Sociniani opponunt adversùs præcipua fidei noſtræ myſteria: non minùs tamen fixum ac ratum ſtat catholicum dogma, à quo recedere nulli Catholico licitum eſt. *Nunquid negandum eſt, quod eſt apertum*, inquid appoſitè S. Auguſtinus (q), *quia comprehendi non poteſt quod occultum eſt? Nunquid propterea dicturi ſumus quod ita eſſe perſpicimus, non ita eſſe, quoniam cur ita ſit, non poſſumus invenire?*

220 Ob. 6to. Illa voluntas non poteſt admitti in Deo, quæ fundatur in præciſione & abſtractione mentis: Atqui voluntas antecedens fundatur in præciſione & abſtractione mentis, eamque neceſſariò ſupponit. Ergo, &c.

Major eſt certa, quia in Deo nulla poteſt eſſe abſtractio. Non ex parte intellectûs, ſiquidem intellectus divinus omnia ſimul & neceſſariò cognoſcit: non etiam ex parte voluntatis, quia voluntas verſatur circa res, uti ſunt in ſe ipſis, prout docet S. Thomas. (r)

Minor verò conſtat ex ipſa voluntatis antecedentis notione; ipſa enim abſtrahit à certis quibusdam circumſtantiis, & in hoc differt à voluntate conſequente, quæ verſatur circa objectum ſuis omnibus circumſtantiis veſtitum, prout ſup. §. 4. pag. 198. explicavimus.

Reſp. 1mo. Diſt. Maj. Illa voluntas non poteſt admitti in Deo, quæ fundatur in præciſione & abſtractione mentis formali, conc. præciſio enim formalis ex parte intellectûs ſic præſcindentis ſupponit limitationem & imperfectionem, ſcilicet non omnia ſimul, neceſſariò & ex æquali cognoſcit. Illa voluntas in Deo non admittitur, quæ fundatur in mentis præciſione & abſtractione objectiva, neg. maj. præciſio enim hujusmodi nullam in cognoſcente ſupponit imperfectionem, ſed in objecto duntaxat cognito, quod habet varios conceptus objectivos aut formaliter ex natura rei, aut ita virtualiter à ſe invicem diſtinctos, ut eorum unus poſſit cognoſci altero nullatenus cognitò.

Et verò licèt Deus omnia ſimul & neceſſariò cognoſcat, admittitur tamen ab omnibus Theologis diviſio ſcientiæ divinæ in ſcientiam viſionis & ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quidni pariter admittetur diviſio voluntatis in antecedentem & conſequentem. Scilicet intellectus divinus, utpote perfectiſſimus, omnes & ſingulos cujuslibet objecti reſpectus cognoſcit: videt v. g. hominem in primo inſtanti creationis, & in ſecundo conſervationis, & in tertio, & in quarto, & in omnibus aliis; uno verbo in omnibus & ſingulis inſtantibus maximè præſens eſt homo intellectui divino. Et cùm intellectui divino perfectiſſimè reſpondeat voluntas divina, concipimus actum aliquem divinæ voluntatis correſpondere ſingulis inſtantibus, in quibus intellectus divinus objectum aliquod cognoſcit, qui qui-

(q) *Lib. de dono perſeverantiæ c. 15.* (r) *1. p. q. 19. a. 6. ad 1. & in 1. ſent. diſt. 47. q. 1. a. 1.*

Digitized by Google

quidem omnes actus voluntatis ſicut & actus intellectus inter ſe virtualiter diſtinguuntur, quatenus idem præſtant ac ſi eſſent realiter diſtincti; ſicque pro modulo noſtro intelligimus, Deum velle aliquid (v. g. ſalutem hominum) voluntate antecedente & conditionata, licèt illud idem non velit voluntate conſequente & abſolura.

Reſp. 2do idem, quod mox in reſponſione ad priorem objectionem ex S. Auguſtino retulimus: *Nunquid negandum eſt, quod apertum eſt, quia comprehendi non poteſt quod occultum eſt?* Et rurſus: *Nunquid propterea dictur i ſumus, quod ita eſſe perſpicimus non ita eſſe* (ſcilicet in Deo admittendam èſſe voluntatem antecedens circa ſalutem omnium hominum) *quoniam cur ita ſit, non poſſumus invenire?* ſcilicet quia vix explicari poteſt, qua ratione voluntas antecedentem, quæ fundatur in præciſione mentis, ſtare poſſit & conciliari in Deo cum ſumma perfectione & ſimplicitate intellectûs & voluntatis divinæ.

221 Ob. 7mo. Voluntas duplex illa Dei antecedens & conſequens pugnare ſecum videtur: ſic enim Deus vult & non vult ſalutem hominis. Ergò prior non eſt admittenda.

Reſp. neg. ant. Deus quippe poteſt voluntate antecedente aliquid velle, quod voluntate conſequente non vult, quin ulla interveniat contradictio, hæc enim, ut omnes fatentur, eſt de eodem ſubjecto & objecto ſecundùm eandem conſideratione ſpectato. Porro voluntas Dei antecedens, & voluntas Dei conſequens, licèt habeant pro ſub objecto æternam ſalutem hominum, attamen variò modò, & variis in circumſtantiis ſalutem ſpectant: voluntas quippe antecedens reſpicit ſalutem hominum abſtractam à circumſtantiis juſtitiæ & miſericordiæ, ut nonnullis placet; vel ut alii volunt, meriti vel demeriti, conſenſûs vel diſſenſûs gratiæ: voluntas autem Dei conſequens ſpectat ſalutem hominem veſtitam omnibus circumſtantiis tùm generalibus, tùm etiam particularibus; quo fit, ut voluntatem Dei antecedentem ſalvandi omnes & ſingulos homines inter & voluntatem Dei conſequentem ſalvandi dundaxat electos & prædeſtinatos nulla ſit vel minima contradictionis umbra.

Ob. 8vo. Deus vult abſolutè & efficaciter damnare omnes reprobos. Ergo non vult illorum ſalutem 222

Reſp. Diſt. Ant. Deus vult abſolutè & efficaciter damnare reprobos voluntate conſequente, conc. Nam conſequenter ad præviſionem abſolutam peccatorum reproborum per finalem impœnitentiam conſummatorum vult abſolutè illos damnare propter illorum demerita perſonalia, & etiam propter peccatum originale non deletum. Deus vult efficaciter damnare reprobos voluntate antecedente, neg. ant. Nam non vult damnare reprobos adultos niſi propter demerita perſonalia, & etiam propter peccatum originale non deletum: parvulos verò nonniſi propter peccatum originale non deletum ex culpa aut incuria parentum, vel aliorum ad quos cura illorum pertinebat, aut ſaltem quia obſtant certæ quædam cauſæ naturales & neceſſariæ, quominùs ad baptiſmum perveniant, quarum Deus, utpote proviſor univerſalis, vim & ordinem per miraculum impedire non tenetur (s). Solâ autem voluntate antecedente præviſionem abſolutam demeritorum ac finalis impœnitentiæ adultorum, & defectûs baptiſmi parvulorum Deus vult ſalutem omnium

(s) Licet particularis proviſor debeat fortè removere obſtacula & defectus, cùm poteſt, tamen generalis præviſor Deus ea impedimenta amovere non tenetur, neque cauſarum ſecundarum ordinem interturbare ſed permittit quandoque aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius univerſi, inquit S. Thomas 1. p. q. 22. a. 2. ad 2.

Digitized by Google

omnium reproborum, vi cujus voluntatis præbet omnibus media ad ſalutem verè ſufficientia, aut ſaltem paratus eſt dare, & re ipſa daret, ſi non apponeretur ab hominibus impedimentum.

Inſt. Deus non poteſt ſincerè velle id, quod præſcit non eſſe futurum. Atqui præſcit non eſſe futuram ſalutem reproborum. Ergo non poteſt illam velle ſincerè.

Reſp. Diſt. maj. Deus non poteſt velle, quod præſcit non eſſe futurum ex defectu ſe tenente ex parte ſui, conc. Ex defectu ſe tenente ex parte hominum, ſubdiſt. non poteſt velle voluntate conſequente, conc. voluntate antecedente neg. maj. Deus præſcit damnationem hominum ex eorum culpa futuram, quia nempe nolunt cooperari gratiis ſufficientibus ſibi à Deo concedendis.

223 Ob. 9no. Deus non dat reprobis media ad ſalutem ſufficientia. Ergo non vult ſincerè omnium reproborum ſalutem.

Reſp. neg. ant. Itaque Deus media ad ſalutem conſequendam verè ſufficientia dat immediatè vel mediatè omnibus omninò reprobis. Nam certum eſt, Deum velle ſincerè ſalutem omnium omninò reproborum, & Chriſtum mortem ſuam obtuliſſe pro ſalute omnium omninò hominum, qui in Adamo peccaverunt & mortui ſunt. At Deus non poteſt velle ſincerè ſalutem omnium reproborum, niſi vi illius voluntatis præparet, & ſuo tempore det omnibus auxilia ad ſalutem ſufficientia: alioqui ſincerè vellet rem impoſſibilem, nempè ſalutem ſine mediis ad eam ſufficientibus & à ſe dependentibus, quod abſurdum eſt. Et verò nemo poteſt velle ſincerè finem, niſi velit adhibere media idonea ad finem ſecundùm modum, quo vult finem. Item mors Chriſti non potuit à Deo decerni pro ſalute omnium omninò hominum, niſi ut ex ejus meritis omnes homines verè ſalutem conſequi poſſent.

Ob. 10mo. Fideles reprobi non habent gratias verè ſufficientes ad perſeverandum in juſtitia accepta. Ergo, &c. 224

Reſp. neg. ant. Nam habere auxilium ſufficiens ad perſeverandum, eſt habere auxilium ſufficiens ad ſervanda omnia mandata, & ad non peccandum mortaliter uſque ad finem vitæ: perſeverare enim in gratia nihil aliud eſt, quàm ſervare omnia mandata & non peccare mortaliter uſque in finem vitæ. Fide autem conſtat quemlibet juſtificatum habere auxilium ſufficiens ad ſervanda omnia, ideoque ad non peccandum mortaliter. (1)

Ob. 11mo. Obcæcati & obdurati carent auxiliô ſufficienti ad converſionem. Ergo, &c. 225

Reſp. tranſ. ant. quod non eſt hujus loci. neg. conſ. Quia illi ante obdurationem acceperunt gratiam ſufficientem ad converſionem & ſalutem, & ſic potuerunt vitare obdurationem & obcæcationem; nec pereunt niſi ſuâ culpâ, cùm potuerint ſalutem conſequi non peccando mortaliter, vel poſt peccatum pœnitentiam agendo.

Ob. 12mo. Infideles, præſertim ii qui nihil unquam audierunt de Chriſto, nullum habent auxilium ad ſalutem. Ergo Deus non vult ſincerè eos ſalvare. 22

Reſp. neg. ant. Tùm ob rationem generalem ſuprà allatam, nempe voluntatem Dei ſinceram illos ſalvandi, & mortis Chriſti pro illorum ſalute oblationem ſupra probatam: Tùm ex illo 1. Tim. cap. 4. *Speramus in Deum vivum, qui eſt Salvator omnium hominum, maximè Fidelium.* Ergo Deus eſt Salvator etiam aliorum

(1) *Vid. Concil. Trid. Seſſ. 6. c. 11.*

aliorum quàm Fidelium. Quomodò autem Deus eſſet Salvator infidelium, ſi non daret eis aliquando media ad ſalutem ſufficientia?

227 Ob. 13tio. Omnis qui ſincerè vult aliquem finem, ad eum obtinendum adhibet media efficacia, ſi habeat in ſua poteſtate; ut patet in medico circa ſanitatem reſtituendam, in exercitûs Imperatore circa victoriam obtinendam, &c. Ergo cùm Deus non det reprobis media efficacia ſalutis quæ poteſt dare, non vult ſincerè eorum ſalutem.

Reſp. Diſt. ant. Si non habeat juſtam cauſam non adhibendi media efficacia, nec verè ſufficientia adhibeat, adhibet efficacia, conc. Si habeat juſtam cauſam non adhibendi media efficacia, & adhibeat alia media verè de ſe ſufficientia, quæ non ſint inefficacia niſi ex culpa eorum, quibus dantur, neg. ant. Deus juſtas habet cauſas non dandi omnibus media ſalutis efficacia, putà ad manifeſtandas plures perfectiones, præſertim maximam miſericordiam ac benignitatem in prædeſtinatos, & juſtitiam in reprobos, quibus ſolùm dat media ſufficientia. E contra ſi omnibus daret media ſalutis efficacia, atque ita omnes ſalvarentur, ſolam miſericordiam oſtenderet. Et aliunde dat reprobis media verè ſufficientia, quæ non ſunt inefficacia niſi ex eorum culpa.

228 Ob. 14to contra Concluſionem 2dam. Scriptura redemptionem Chriſti reſtringit ad prædeſtinatos & fideles, ut, Apocal. cap. 5. *Redemiſti nos Deo in ſanguine tuo ex omni Tribu & Lingua.* Et Joan. 3. *Exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipſum non pereat.* Et c. 10. *Animam meam pono pro ovibus meis.* Ergo Chriſtus non eſt mortuus pro infidelibus reprobis.

Reſp. neg. ant. Scriptura adductis locis loquitur præciſivè duntaxat, non excluſivè; nempè præciſè dicit Chriſtum mortuum eſſe pro electis, pro credentibus, pro ovibus ſuis, ſed ſine excluſione aliorum. Neque enim negat alios eſſe redemptos ſufficienter & in actu primo quantùm eſt ex parte Chriſti ſincerè ſalutem eorum cupientis & pro ea pretium ſanguinis ſui Patri ſuo offerentis; & alibi clarè docet eadem Scriptura Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus omninò hominibus, prout ſupra Concluſione 2da manifeſtè oſtendimus. Alii Reſpondent *Diſt. ant.* Scriptura reſtringit redemptionem Chriſti ad prædeſtinatos & fideles, quantùm ad efficacem meritorum applicationem, & aſſecutionem vitæ æternæ, *conc.* quantùm ad ſufficientem mortis oblationem pro ſalute omnium, *neg. ant.*

Ob. 15to. Matth. 20. Chriſtus dicit, ſe veniſſe, *dare animam ſuam redemptionem pro multis.* Et cap. 26. *Hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effundetur.* Ergo non eſt mortuus pro omnibus. 229

Reſp. neg. conſ. 1mo. Quia vox *multi* non excludit *omnes.* 2do hìc per *multos* intelliguntur *omnes.* Ita interpretantur S. Chryſoſt. Hom. 83. in Matth. Theophylact. in eum locum: *Pro multis*, inquit, *dicit effundi, hoc eſt, pro omnibus: ſunt enim & omnes multi.* Idem notat S. Auguſtinus lib. 2. Operis imperfecti cap. 175. ubi dicit, *non repugnare omnibus multos; quia ipſi omnes non pauci ſed multi ſunt.* 3tio. Si hæc verba velimus interpretari de aliquibus tantùm, non de omnibus, diſt. conſ. Ergo non eſt mortuus pro omnibus, quoad efficaciam ſalutis, conc. quoad ſufficientiam non tantùm prætii oblati, ſed & voluntatis Chriſti offerentis, neg. conſ. Ita hunc locum interpretatur S. Thomas Comment. in eundem.

Ob. 16to. Matth. cap. 15. *Non ſum miſſus*, ait Chriſtus, *niſi ad oves quæ perierunt domûs Iſraël.* Ergo, &c. 230

Reſp. neg. conſ. Hoc argumentum nimium probat, ergo nihil; ex eo enim

ſequere-

Digitized by Google

ſequeretur Chriſtum pro ſolis Judæis mortuum fuiſſe; atqui multi gentiles, imò plures quàm Judæi morte Chriſti redempti fuerunt. Senſus ergo eſt: non ſum à Patre miſſus ad prædicandum Evangelium per me ipſum, niſi ad Iſraëlitas: de prædicatione Evangelii ſui ergo hîc Chriſtus loquitur, non de redemptione hominum per mortem ſuam.

231 Ob. 17mo. Pro illis ſolis mortuus eſt Chriſtus, pro quibus oravit. Atqui pro ſolis prædeſtinatis oravit, *Non pro mundo rogo*, inquit Joan. 17. v. 9. *ſed pro iis, quos dediſti mihi.* Ergo, &c.

Reſp. 1mo. in ſententia illorum Theologorum, qui diſtinguunt inter mortem, & orationem Chriſti, &c. neg. maj. Nam juxta ipſos beneficium paſſionis generale fuit, & à Chriſto tanquam omnium hominum mediatore oblatum; preces verò Chriſti particulares eſſe potuerunt, & in aliquorum hominum bonum & ſalutem ſpecialiter dirigi.

Reſp. 2do. Diſt. min. Atqui Chriſtus oravit pro ſolis Apoſtolis ſeu prædeſtinatis hac ſingulari oratione, quam tunc Chriſtus poſt ultimam cœnam fundebat, eſto; nusquam oravit pro aliis, neg. min. Eodem quippe c. v. 20. ait: *Non pro eis autem rogo tantùm, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum (u) in me.* Et v. 21. orat, *ut mundus credat*, inquit, *quia tù me miſiſti* Et Luc. 23. orat pro ſuis tortoribus, *Pater*, inquit, *dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt.* Dubitari autem non poteſt, quin multi ex illis, pro quibus adductis locis oravit Chriſtus, reprobi fuerint etiam ex illis, qui per verbum Apoſtolorum in eum eſſent credituri, ut Simon Magus, & alii, qui, teſte Apoſtolo, circa fidem naufragârunt.

Inſt. Oratio Chriſti non poteſt eſſe inanis, ſemper enim exaudita fuit. *Ego ſciebam*, inquit ipſe Joan. 11. *quia ſemper me audis.* Et Heb. 5. *Exauditus eſt pro ſua reverentia.* Atqui inanis fuiſſet, nec exaudita Chriſti oratio pro ſalute reproborum. Ergo, &c.

Reſp. Diſt. Maj. Oratio Chriſti &c. efficax & abſoluta, conc. non efficax, nec abſoluta, neg. maj. Sicut in Deo duplex diſtinguitur voluntas, una abſoluta & conſequens, quæ ſemper impletur; altera conditionata & antecedens, quæ non impletur, ita & in Chriſto duplex oratio, una efficax & abſoluta, quæ ex voluntate conſequente; altera inefficax & conditionata, quæ ex voluntate antecedente profluit: prior ſemper impletur, non poſterior. Ita S. Thomas multis in locis, maximè verò in 3. diſt. 17. quæſt. 1. art. 3. quæſtiunc. 4. ad 2. Hujusmodi ſecundùm voluntatem antecedentem & conditionatam oratio Chriſti inter alias fuit iſta Matth. 26. *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* Pro electis ergo & prædeſtinatis oravit Chriſtus oratione efficaci & abſoluta: pro reprobis verò oratione inefficaci & conditionata; non quòd illis gratias ſufficientes largitus non fuerit, ſed quòd collatum ipſis non fuerit beneficium, quod virtute gratiæ obtinendum erat, & quod Chriſtus antecedenti voluntate intendebat.

Ob. 18vo. S. Auguſt. Epiſt. 102. ait: *Non perit unus ex illis, pro quibus mortuus eſt* (Chriſtus) Et, lib. de Adulterinis Conjugiis, cap. 15. *Omnis, qui ſanguine Chriſti redemptus eſt, homo eſt: non tamen omnis qui homo eſt, etiam ſanguine Chriſti redemptus eſt.* Ergo &c. 232

Reſp. neg. conſ. S. Doctor in primo textu loquitur de iis, pro quibus Chriſtus mortuus eſt ex voluntate abſoluta & efficaci illos ſalvandi: in ſecundo autem de redemptione efficaci & conſummata ex

(u) Apoſtolorum.

ex parte effectûs, quæ ſcilicet effectum ſuum ultimum, nempe beatitudinem æternam habet. Duplex, ut jam ſæpiùs dictum, diſtinguitur redemptio, nempe quoad ſufficientiam, & quoad efficaciam, ſeu, ut ajunt, efficientiam, vel in actu primo, & in actu ſecundo. Homines redimi à Chriſto quoad ſufficientiam, & in actu primo, eſt Chriſtum feciſſe ex parte ſua omnia, quæ erant neceſſaria ex parte Redemptoris, ut homines liberarentur à peccato & damnatione æterna, & vitam æternam conſequerentur, nimirùm obtuliſſe mortem in pretium ex intentione, ut illis prodeſſet ad ſalutem, & meritum fuiſſe ac obtinuiſſe omnibus gratias ſufficientes ad vitam æternam conſequendam. Redimi quoad efficientiam *perfectam* eſt homines ex meritis Chriſti reipſâ liberari à peccato, juſtificari, & conſequi beatitudinem æternam per applicationem meritorum Chriſti.

Dicimus *perfectam*, nam duplex etiam eſt redemptio quoad efficientiam: alia enim eſt quoad efficientiam perfectam ſeu conſummatam; & eſt ea, quæ reipſa conſequitur, ſeu includit redemptionis effectum ultimum ac conſummatum, nempe vitam æternam: alia eſt quoad efficientiam imperfectam, & eſt ea, quâ homo conſequitur juſtificationem temporaneam, non tamen ſalutem æternam defectu perſeverantiæ finalis. Porro omnes homines redempti ſunt à Chriſto, quoad ſufficientiam, ſoli electi quoad efficientiam perfectam ac conſummatam, & ſoli fideles quoad efficientiam imperfectam.

Inſt. S. Auguſtinus lib. 21. de Civit. cap. 24. dicit, quòd Eccleſia æquè non oraret pro reprobis, quàm pro Dæmone, ſi noſſet, quinam ſint illi reprobi. Atqui Chriſtus certò cognoſcebat, quinam eſſent reprobi. Ergo pro eis nullatenus oravit aut mortem ſuam obtulit.

Reſp. Diſt. maj. Si noſſet Eccleſia aliquorum converſionem æquè eſſe impoſſibilem, ac eſt diaboli converſio, pro illis non oraret, conc. Hæc enim oratio eſſet inutilis, & contraria voluntati divinæ. Si Eccleſia id non cognoſceret, prout re vera non cognoſcit, neg. maj. Profectò, prout docet S. Auguſtinus, reprobi toto hujus vitæ tempore converti poſſunt, adeoque quia Eccleſia eorum converſionem cenſet eſſe poſſibilem, hinc etiam pro illis orat. Hanc ob cauſam Chriſtus quoque oravit pro ſalute & converſione eorum, quos prævidebat damnandos, quia ſcilicet eos conſiderabat in ſtatu, in quo poterant converti, & conſequenter obtinere ſalutem, quam pro illis precabatur. Hæc reſponſio patet etiam ex ſcopo S. Auguſtini. Nam hoc locô diſputat contra quoſdam, qui exiſtimabant in extremo Dei judicio ſanctos Angelos ſimul cum ſanctis hominibus pro damnandis & Angelis & hominibus oraturos, atque tandem propter Sanctorum preces omnibus reis eſſe parcendum. Hunc autem errorem rejicit S. Doctor, quia, inquit, tantùm abeſt, ut Sancti oraturi ſint pro ſalute damnatorum, quin imò ſi Eccleſia certò ſciret de quibusdam, quòd ſint reprobati, non magis pro his ſalvandis oraret, quàm pro diabolo, eâ ſcilicet oratione de qua agebat, nempe abſolutâ & conſequente damnationem, quâ poſtularetur venia ejusmodi reprobis concedenda conſequenter ad eorum finalem impœnitentiam. Eodem modo Chriſtus non oravit pro reprobis ſeu pro reproborum ſalute conſequenter ad eorum reprobationem & finalem impœnitentiam, eo nempe ſenſu, quòd non oraverit, ut gratias poſt impœnitentiam finalem iterum obtinerent, per quas à damnatione, quam incurriſſent, poſſent liberari.

Ob. 19no. S. Hieronymus in Pſal. 43. 233 aſſerit, non eſſe effuſum ſanguinem agni pro Judæis. Et S. Anſelmus in Elucidario dicit: *Chriſtus pro ſolis electis mortuus eſt*

eſt. . . . Nihil contulit reprobis ob ſua demerita mors Chriſti. Ergo, &c.

Reſp. Illi Patres ſolùm volunt, Chriſtum non eſſe mortuum pro reprobis efficaciter, ſeu ex affectu efficaci ſalutis eorum, qui nempe effectum ſuum conſecutus ſit. Quod non impedit, quominùs mortuus ſit pro ſalute æterna reproborum ſufficienter, ſeu ex affectu ſincero & de ſe ſufficienti licèt inefficaci ſalutis eorum, prout tum S. Hieronymus, in cap. 5. Epiſt. 2. ad Corinth. tum S. Anſelmus, in c. 2. Ep. 1. ad Timoth. apertè declarant.

234 Ob. 20mo. Semipelagiani errârunt circa mortem Chriſti, non niſi quia aſſerebant, eam oblatam fuiſſe generaliter pro omnibus omninò hominibus etiam reprobis. Ergo.

Reſp. neg. ant. Eorum quippe error circa mortem Chriſti in eo conſiſtebat, quòd aſſererent, Chriſtum mortuum eſſe ex affectu æquali & efficaci ex parte ipſius Chriſti pro omnibus omninò hominibus. Igitur quamvis Chriſtus pro ſalute æterna omnium omninò hominum nullo excepto mortuus ſit, non tamen pro omnibus æqualiter ſeu ex æquali affectu mortuus eſt, ſed inæquali. Nam mortem ſuam pro electis obtulit ex affectu efficaci & abſoluto, ut ſalutem conſequerentur, & ut proinde media ſalutis efficacia eis obtineret: pro reprobis verò mortem obtulit ex affectu de ſe ſufficienti ſalutis eorum, ſed conditionato, nempe ſi cooperentur auxiliis ſufficientibus illis dandis, & ut illis obtineret media de ſe ad beatitudinem æternam aſſequendam ſufficientia, quamvis inefficacia ex culpa ipſorum reproborum (*x*), vel aliorum, ad quos eorum cura pertinet, vel etiam aliarum cauſarum ſecundarum obſtantium impedimentô.

Ob. 21mo. Sæculô 9nô Concilium Valentinum III. (*y*) ex tribus Provinciis congregatum, can. 4. damnat quatuor Capitula Concilii Cariſiaci (*z*), in quorum ultimo definiebat, Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus omninò hominibus. Et hanc damnationem confirmârunt Synodi Lingonenſis, & Tullenſis apud Saponarios ex duodecim Provinciis congregatæ. (*a*) Imò Canones Concilii Valentini à Nicolao Papa confirmati ſunt. 235

Reſp. Concilium Valentinum non damnavit Capitula Concilii Cariſiaci in ſenſu aſſertionis noſtræ, nec in ſenſu ab ipſa Synodo Cariſiaca intellecto, ſed in ſenſu ipſi falsò attributo, & ex falſa ſuppoſitione, quòd (ut quidam jactabant) iis ſignificaretur, Chriſtum eſſe mortuum pro liberandis ab igne inferni *illis impiis, qui à mundi exordio uſque ad paſſionem Domini in ſua impietate mortui æterna damnatione puniti fuêre*, ut Concilium Valentinum ibidem habet. Vel ex falſa ſuppoſitione, quòd illa Capitula docerent, Chriſtum æqualiter, ſeu ex æquali affectu mortuum eſſe pro omnibus. Nam idem Concilium Valentinum doctrinam de morte Chriſti pro omnibus etiam reprobis oblatam manifeſtè ſupponit, can. 2. ubi ait: *Nec ipſos malos ideò perire, quia boni eſſe non potuerunt, ſed quia boni eſſe noluerunt, ſuoque vitiô in maſſa damnationis, vel meritô originali, vel etiam actuali permanſerunt.* Quibus verbis docet, malos generaliter potuiſſe eſſe bonos, nec perire niſi ſuâ culpâ, ideoque potuiſſe ſalvari, & auxilia ad ſalutem ſufficientia accepiſſe ex meritis mortis Chriſti pro eis oblatæ, nam aliter haberi nequeunt. Et can. 5. docet, omnes tam reprobos, quàm prædeſtinatos, ſanguine Chriſti redemptos eſſe.

 Neque

(*x*) Quantùm ſcilicet ad parvulos ſine Baptiſmo decedentium. (*y*) An. 855. (*z*) Celebratum fuit iſtud Concilium an. 853. (*a*) An. 859.

Digitized by Google

Neque damnatio illa quatuor Capitulorum Cariſiacorum inconſultè & ex falſa ſuppoſitione facta fuit approbata à Conciliis Lingonenſi & Tullenſi, nec à Nicolao I. Imò illæ Synodi approbarunt quartum Canonē Concilii Valentini, rejecta illa damnatione quatuor Capitulorum Synodi Cariſlacæ, & ſolâ Capitulorum 19. Joannis Scoti retentâ cenſurâ. Nicolaus I. verò definitionem Concilii Valentini ſolùm confirmavit circa dogmata fidei, nulla facta mentione cenſuræ quatuor Capitulorum Cariſiacorum, ut teſtatur Prudentius in Annalibus ab Hincmaro Epiſt. 24. citatis, & Annalibus Bertinianis ad annum 859. ubi dicitur: *Nicolaus Pontifex Romanus de Gratia Dei & libero arbitrio, de veritate geminæ prædeſtinationis, & ſanguine Chriſti, ut pro credentibus omnibus fuſus ſit, fideliter confirmat, & Catholicè decernit.* Porro ibi non excluduntur infideles.

236 Ob. 22do. Eccleſia Lugdunenſis, ſeu potiùs Remigius Lugdunenſis Epiſcopus, lib. de tribus epiſtolis dicit Chriſtum mortuum eſſe pro ſolis fidelibus, & lib. de tenenda veritate Scripturæ quartum Capitulum Cariſiacum reprehendit ut erroneum. Ergo.

Reſp. Secundùm quoſdam Doctores id, quod hîc ait Eccleſia Lugdunenſis intelligi debet de morte & paſſione Chriſti oblata ex voluntate efficaci & abſoluta ſalutis, aut juſtificationis. Vel ſi ſenſit, Chriſtum pro ſolis fidelibus & nullatenus pro infidelibus mortuum eſſe, in hoc non erravit ex contumacia, ſed ex ignorantia noſtrorum argumentorum, quæ ſi expendiſſet, certè ſententiam noſtram amplexa fuiſſet. Quartum autem Capitulum Cariſiacum damnavit ex errore facti, quia nempe illud falsò intelligebat de morte Chriſti oblata ad impios æternò judiciô jam condemnatos ab inferis redimendos. Similiter ſententiam Gotefchalci de prædeſtinatione & reprobatione à Concilio I. Cariſiaco annô 849. celebrato (*b*) damnatam non approbavit, niſi ex falſa ſuppoſitione & interpretatione illius quia nempe exiſtimabat Goteſchalcum ſolùm docere Chriſtum non eſſe mortuum efficaciter pro omnibus, ſeu non applicari omnibus fructum paſſionis Chriſti Salvatoris noſtri.

Ob. 23tio. Chriſtus ſciebat decretum 237
Dei immutabile damnandi reprobos ob demerita abſolutè præviſa. Ergo non potuit ſincerè mortem ſuam offerre pro eorum ſalute.

Reſp. Diſt. conſ. Ergo non potuit mortem ſuam offerre pro ſalute illorum conſideratorum ſecundùm inſtans rationis pro quo Deus habet decretum illos damnandi, conc. Ut conſideratorum ſecundùm aliud inſtans rationis virtualiter prius hoc decretô, neg. conſ. Nam pro illo inſtanti Deus habet voluntatem ſinceram licèt conditionatam & inefficacem eos ſalvandi, & ſic ad hunc finem acceptavit mortem Chriſti abſolutè præviſam ut oblatam pro illis, & propter ejus merita præparavit illis media ſalutis de ſe ſufficientia. Porro Chriſtus pœnas peccatis reproborum debitas luit morte ſua non abſolutè ſed conditionatè, quòd per media à Deo conſtituta ſibi applicarent meritum mortis ejus. Quam conditionem cùm non impleant ex culpa ſua, meritò ob peccata ſua ſuppliciis æternis mulctantur.

Ob. 24to. Indignum eſt Deo, quòd 238
velit ſincerè aliquid, quod tamen non fiat.

Reſp.

(*b*) Duplex Concilium Cariſiacum diſtinguendum eſt: 1mum celebratum eſt annô 849. & in eo damnatus Goteſchalcus & errores ejus proſcripti: 2dum verò celebratum fuit annô 853. de quo ſupra egimus.

Digitized by Google

Reſp. diſt. Si illud velit ſub conditione, quam ipſe non appoſuerit, conc. Si ipſemet appoſuerit conditionem, neg.

Dices. Ergo voluntas divina fruſtratur & irritatur à creatura.

Reſp. neg. Quia per hanc voluntatem conditionatam & inefficacem ſalutis reproborum, Deus vult abſolutè, ut ejus præcepta obſerventur, & ſi non obſerventur, peccatores puniantur. Ita docet S. Auguſtinus in Pſal. 110.

§. VIII.

239 *De affectibus divinæ voluntatis, amore, odio, deſiderio, ira, & pænitentia.*

Eſſe in Deo amorem propriè dictum apertè docet Scriptura Joan. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.* 1. Joan. 4. v. 16. *Deus charitas eſt.* Ratio eſt, quia datur in Deo verè ac propriè dicta voluntas. Atqui primus actus voluntatis & quaſi radix aliorum, eſt amor. Ergo. Porro amor Dei à noſtro diſtinguitur, quòd ille ſit efficax, ac producat in nobis bonum, quod amat, non ita amor noſter.

Deus equidem amat omnes creaturas æqualiter ex parte actûs divini, inæqualiter autem ex parte boni, quod illis vult.

Quòd omnes creaturas amet, declarat S. Scriptura Sap. 11. v. 25. *Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* Ratio eſt, quia amare aliquid, eſt ei bonum velle. Atqui Deus omnibus creaturis exiſtentibus vult aliquod bonum, nempe exiſtentiam, conſervationem, &c. Præitereà Deus amat id omne, quod bonum eſt; Sed omnis creatura (c) bona eſt, Geneſ. 1. v. 31. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Ergo, &c.

Quòd autem eas ex parte actûs divini æqualiter amet, ratio eſt, quia non datur in Deo major vel minor actûs intenſio. Inæqualiter verò ex parte boni quod illis vult; ratio eſt, quòd uni creaturæ majus, alteri verò minus bonum tribuat; prout re ipſa videmus.

Etſi Deus eo, quo diximus, modò creaturas omnes amet; certum tamen eſt, in eo odium eſſe circa peccatum & peccatorem abominationis propriè dictum non tamen inimicitiæ propriè dictum. Duplex ergo odium diſtinguitur, unum abominationis, quo Deus peccatum abominatur ſeu deteſtatur, tanquàm ſanctitati ac bonitati contrarium, nobiſque noxium: alterum odium inimicitiæ dicitur, quod cadit in ipſam perſonam peccatô maculatam, quam Deus vult punire. Hujusmodi odium in Deo non inveniri aſſerit S. Auguſtinus Tract. 110. in Joan. *Habebat*, inquit, *erga nos charitatem, etiam cùm inimicitiam adverſùs eum exercentes, operaremur iniquitatem; & tamen ei veriſſimè dictum eſt, Odiſti, Domine, omnes qui operantur iniquitatem. Proinde mirô & divinô modô, & quando nos oderat, diligebat: oderat enim nos, quales ipſe non fecerat, & quia iniquitas noſtra opus ejus non omni ex parte conſumpſerat, noverat ſimul in unoquoque noſtrûm, & odiſſe quod feceramus, & amare quod fecerat.* Et certè cùm peccatis onerati eſſemus, ſic Deus dilexit mundum, ut Unigenitum ſuum pro ipſo redimendo & ſalvando dederit. 240

Ratio eſt, quia odium inimicitiæ propriè dictum terminatur ad perſonam ipſam, quam quis averſatur, & deteſtatur. Atqui Deus perſonam ipſam peccatoris non averſatur nec deteſtatur, tametſi eam puniat; imò punitio illa ex amore eſt. Ita pater filium, quem diligit,

(c) Intellige, quatenus præcisè creatura eſt.

ligit, caſtigat, ut emendet; medicus ferrum & ignem vulneri admovet, ut ſanet.

Attamen odium abominationis, ut diximus, in Deo eſt admittendum. Id declarat Scriptura, Pſal. 5. v. 7. *Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem.* Et Pſal. 44. v. 8. *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem.* Sap. 14. v. 9. *Similiter odio ſunt Deo impius & impietas ejus.*

Ratio eſt, quia qui naturæ ſuæ neceſſitate juſtus & ſanctus eſt, non poteſt, quin odiò habeat quidquid juſtitiæ ac ſanctitati ſuæ contrarium eſt, *Deus enim ſemetipſum negare non poteſt.* Pariter, qui ſummè amat bonum aliquod, non poteſt non odiſſe malum, quod huic bono adverſatur; odium enim mali cujuspiam neceſſariò ſequitur ex amore boni oppoſiti. Atqui talis eſt Deus. Ergo non poteſt, quin odiò habeat peccata.

241 In Deo tamen nec deſiderium, nec ſpes, nec deſperatio invenitur. Deſperatio enim intrinſecam continet deformitatem; ſpes verò & deſiderium ſecum annexam habent imperfectionem, quæ in Deum nullatenùs cadere poteſt. Deſiderium eſt rei abſentis non poſſeſſæ; Deus autem omnia poſſidet, nec ulla re extra ſe poſita indiget, nihilque deſiderat, quàm ſalutem noſtram, quam vult, & quantùm in ſe eſt procurât. Pariter ſpes verſatur circa bonum abſens & arduum: at nullum bonum à Deo eſt abſens, qui omnia in ſe continet: nullum ipſi, ut deſperet, arduum ac difficile, qui omnia poteſt. Deinde ſpes agnoſcit aliquem ſuperiorem & potentiam, qui præſtare valeat id, quod ſperatur; Deus autem nullum ſe ſuperiorem & potentiorem agnoſcit.

242 Neque etiam in eo eſt timor, triſtitia, ira, aut pœnitentia. Quia omnes iſti affectus ſunt ex ſe ſe imperfecti. Timor reſpicit malum proprium imminens; triſtitia verò eſt de malo præſenti: At in Deo nullum accidere poteſt malum. Ita pariter & furor Deo propriè tribui non poteſt ſed impropriè, figuratè ac metaphoricè; ira etenim eſt appetitus vindictæ cum ſpe ulciſcendi ex triſtitia procedens. (*d*) *Cùm Deus iraſci dicitur* (inquit S. Auguſt. cap. 33. Enchiridii) *non ejus ſignificatur perturbatio, qualis eſt in animo iraſcentis hominis: ſed ex humanis motibus translatô vocabulô, vindicta ejus, quæ nonniſi juſta eſt, iræ nomen accepit.*

Similiter pœnitentia dolorem quemdam importat, ac conſilii ſeu voluntatis mutationem, cujus omninò Deus eſt incapax. Pœnitentia igitur nonniſi impropriè, figuratè ac metaphoricè, & quoad effectus, non quoad affectum, ipſi tribuenda eſt, eo nempe quòd idem erga nos operetur Deus, quod ſolent homines irati, quos operis alicujus pœnitet, operari illud deſtruendo. 243

CAPUT VII. 244

De Providentia Dei.

PRovidentia eſt rerum omnium ad fines ſuos ordinatio, ac conſtans in tempore ordinis illius per certa media executio.

Providentiam impugnârunt ex Gentilibus Philiſophi non pauci, qui, ut homines facerent liberos, fecerunt ſacrilegos; & ex Chriſtianis Marcion, Priſcillianus &c. & impii illi apud Job. cap. 22. v. 14. hæc de Deo blaſphemantes: *Nubes latibulum ejus, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cæli perambulat.*

Duo hîc nobis probanda ſunt. Primum, 245 nulla fatali neceſſitate, nullo fortuito caſu res humanas regi ac gubernari. Secundum, res humanas omnes, cujuscunque ſint ordinis, divinæ providentiæ legibus ſubjacere.

Proba-

(*d*) *S. Thom. lib. 1. cont. Gent. c. 89.*

Digitized by Google

Probatur ergo 1mum. 1mo. Ex Scripturis. Prov. 16. v. 1. *Hominis eſt animam præparare, & Domini gubernare linguam. Et* v. 19. *Cor hominis diſponit viam, ſed Domini eſt dirigere greſſus ejus.* Rursùs c. 21. v. 1. *Sicut diviſiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud.* Denique Sap. 14. v. 3. *Tua autem, Pater, Providentia gubernat.* Non igitur fatô, prout Philoſophi gentiles, nec ſyderum conſtellatione, prout Priſcillianiſtæ contendebant, ſed divinô conſiliô viæ hominum diriguntur.

2do. Id demonſtrat S. Auguſtinus lib. 2. de Geneſ. ad litt. c. 17. famoſô exemplô duorum gemellorum Jacob & Eſau, qui quamvis ſub eadem conſtellatione, eodem cœlo nati fuiſſent, tamen ingeniô, & moribus adeò diſpares fuêre (*e*).

S. Damaſcenus lib. 2. Orthod. fidei c. 29. *Providentia*, inquit, *eſt rerum procuratio, qua Deus fungitur.... Eundem etenim & rerum procreatorem & adminiſtratorem eſſe oportet.... Solus Deus naturâ bonus ac ſapiens eſt. Quà igitur bonus providet: neque enim bonus eſt, qui non providet. Nam & homines & bruta proli ſuæ naturali quodam affectu proſpiciunt, & vituperatur, qui non proſpicit. Quà autem Sapiens, ea, quæ ſunt, optime procurat.* Hæc eadem eſt unanimis Patrum ſententia.

3tio. Prob. ratione. 1mo. Quia ſapientis artificis eſt operis ſui curam gerere, & illud ad debitum finem ordinare ac perducere. Atqui Deus eſt ſapientiſſimus artifex, & creaturæ omnes ſunt ejus opera. Ergo Deus omnium creaturarum curam gerit, easque ad fines ſuos ordinat, & perducit.

2do. Quia tot abſurda & impia ex fato conſequuntur, ut vix intelligi poſſit, qua ratione hujusmodi figmentum humana mens excogitare potuerit; nempe leges omnes ut ait S. Auguſtinus (*f*), atque inſtituta diſciplinæ, laudes, vituperationes, exhortationes, terrores, præmia, ſupplicia, cæteraque omnia, quibus humanum genus adminiſtratur & reguntur, penitus labefactantur & ſubvertuntur, admiſſô quippe fatô ruit humana libertas, qua ſublatâ tollitur boni & mali, virtutis & vitii diſcrimen, nec ullus ſupereſt ampliùs præmio vel ſupplicio locus. Inde projecta ad omne facinus audacia; inde impietas, irreligio, totalis divini cultûs, imò & divinitatis extinctio: quin & in rebus civilibus ac politicis confuſio ac ſumma perturbatio.

Prob. 2dum. 1mo. Ex Scripturis. Sap. 246
6 v. 8. *Æqualiter cura eſt illi de omnibus.* Et c. 8. v. 1. *Attingit à fine usque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.* Item c. 12. v. 13. *Non eſt alius Deus, quam tu, cui cura eſt de omnibus.* Matth. 6. v. 26. *Reſpicite volatilia cœli, quoniam neque ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater veſter cœleſtis paſcit ea.... Conſiderate lilia agri.... Si autem fœnum agri.... Deus ſic veſtit, &c.* Et c. 10. v. 29. *Nonne duo paſſeres aſſe væneunt, & unus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro? Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt.*

Prob. 2do. ex SS. Patribus. Prò omnibus ſit S. Auguſtinus, qui lib. 5. de Geneſ. ad litt. c. 21. *Nonne*, ait, *confirmat* (Chriſtus) *viliſſimas ejusmodi abjectiſſimasque particulas divinâ providentiâ regi.*

Prob. 3tio. Ratione. Quia Deus eſt omnium & ſingularum rerum non ſolùm cauſa

(*e*) Item lib. de utilitate credendi c. 16. *Si*, inquit, *non præſidet divina providentia rebus humanis, nihil eſt de religione ſatagendum.* (*f*) *Ep.* 246. *aliàs* 248.

ſa efficiens, ſed etiam finis ultimus. Ergo quemadmodùm rebus omnibus dat, & conſervat eſſe, ita quoque omnes in finem dirigit. Præterea ſapientis artificis eſt, quodvis opus ſuum ad debitum finem ordinare.

247 Igitur omnia ad ordinem providentiæ divinæ pertinent ne quidem malis ſeu peccatis exceptis, quæ etiam ad eam pertinent non quidem per ſe directè ac primariò, ſed veluti ex occaſione ac ſuppoſita hominum ad peccandum inclinata voluntate; novit etenim Deus ex malis ipſis bonum eruere. Ita obſtinatam Judæorum malitiam, quam noverat, in bonum convertit, quando permiſit ab illis Chriſtum interfici, ut eum ſublimiùs exaltaret, ac noſtræ ſimul conſuleret ſaluti. *Hunc*, inquit Apoſtolorum Princeps (g) *definitô conſiliô & præſcientiâ Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemiſtis, quem Deus ſuſcitavit.*

Unde S. Auguſtinus Enchiridii c. 11. *Deus omnipotens*, inquit, *cùm ſummè bonus ſit, nullo modo ſineret mali eſſe aliquid in operibus ſuis, niſi usque adeò eſſet omnipotens & bonus, ut benefaceret & de malo.*

248 *Solvuntur Objectiones.*

Ob 1mo. David Pſal. 72. v. 2. *Mei autem penè moti ſunt pedes pacem peccatorum videns*, inquit. Turbabatur quippe nec capere poterat, quî providentia Dei, quæ ſemper comitem habet juſtitiam, conciliari poſſit cum felicitate impiorum, & afflictione juſtorum in hac vita. Eadem quoque mentis turbatione agitatus videbatur Jeremias, dum c. 12. v. 1. Deum hiſce allocutus eſt: *Juſtus quidem tu es Domine ſi diſputem tecum: verumtamen juſta loquar ad te: Quare via impiorum proſperatur, benè eſt omnibus, qui prævaricantur, & iniquè agunt?* Ergo hi ambo Prophetæ de Dei providentia ſaltem dubitaſſe videntur.

Reſp. neg. conſ. Citatis locis ambo Prophetæ innuere duntaxat volunt, arcanas & occultas eſſe providentiæ divinæ rationes, quas noſtrûm non eſt velle ſcrutari. Certè, ut ait S. Auguſtinus (h), *Nihil infeliciùs eſt, felicitate peccantium, quâ pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut hoſtis interior roboratur.* Et lib. 1. de Civit. c. 8. *Placuit divinæ providentiæ*, inquit, *præparare in poſterum bona juſtis, quibus non fruentur injuſti; & mala impiis, quibus non excrutiabuntur boni. Iſta verò temporalia bona & mala utrisque voluit eſſe communia, ut nec bona cupidiùs appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur, nec mala turpiter evitentur, quibus & boni plerumque afficiuntur. . . . Nam ſi nunc omne peccatum manifeſtâ plecteretur pœnâ, nihil ultimo Judicio ſervari putaretur: rursùs ſi nullum peccatum nunc puniret apertè divinitas, nulla eſſe providentia divina videretur.* Ex his habetur reſponſio ad objectionem.

Ob. 2do. 1. Cor. 9. v. 9. *Nunquid*, 249 ait Apoſtolus, *de bobus cura eſt Deo?* Ergo cenſuit, Deum non omnium rerum curam gerere.

Reſp. neg. conſ. Senſus hujus Apoſtoli effati eſt, quòd Deus non gerat curam ſpecialem ac præcipuam de brutis animantibus ſicut de hominibus. Nam Apoſtolus ibidem citans illud Veteris Teſtamenti: *Non alligabis os bovi trituranti:* Vult ſolùm, Deum in hoc mandato non attendiſſe præcipuè ad bovem, ſed ad Eccleſiæ Miniſtros, qui habent jus accipiendi ſtipendium ſuſtentationis ab iis, quibus ſpiritualia ſubminiſtrant.

Ob. 3tio. S. Hieronymus in c. 1. 250 Habacuc ait, abſurdum eſſe ad hoc Dei majeſtatem deducere, ut ſciat per momenta

(g) *Act.* 2. v. 23. & 24. (h) *Ep.* 138. *aliàs* 5.

menta ſingula, quot naſcuntur culices, quotve moriantur. . . . *Non ſimus*, pergit, *tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ejus etiam ad ima detrahimus, in nos ipſos injurioſi ſimus, eandem rationalium, quàm irrationalium providentiam eſſe dicentes.*

Reſp. Huic objectioni nos jam ſupra c. 5. ſ. 2. pag. 76. ſatisfeciſſe. S. Hieronymus excludit duntaxat à Deo cognitionem earum minutiſſimarum rerum, quæ particulatim & alternatim per diverſa temporum momenta cum ſucceſſione habetur, quod quidem divina indignum eſſe majeſtate meritò affirmat, ſiquidem Deus unico actu ſimpliciſſimo cognoſcit omnia.

Reſponderi etiam id, quod ad priorem ex Apoſtolo objectionem reſponſum fuit, poteſt. Manifeſtum nempe eſſe ex poſtremis S. Hieronymi verbis, hoc unum illum velle, majorem ſcilicet Deo erga creaturas rationales curam & providentiam eſſe, quàm erga res viles & abjectas.

251 Ob. 4to. Si Deus provideret rebus omnibus, non eſſent tot defectus & mala in mundo. Atqui, &c. Ergo, &c.

Reſp. neg. ſequel. Maj. Quia Deus mala illa ordinat ad bonum univerſi. Enimverò ſi nulla eſſent mala, multa bona deeſſent univerſo, cujus perfectionem procurare ad Deum ſpectat tanquam ad ſupremum & univerſalem proviſorem. Unde, prout ſupra dictum, Providentiæ divinæ peccata etiam ſubjacent, quatenus Deus illorum permiſſionem ſeu tolerantiam ad optimos fines ordinat: nam ea ordinat tum ad manifeſtationem ſuarum perfectionum; putà miſericordiæ, benignitatis, juſtitiæ, &c. tum ad electorum exercitationem & perfectionem.

252 Ob. 5to. Multa caſu & fortuitò fiunt. Ergo non omnia ſubjacent Providentiæ divinæ.

Reſp. neg. ant. Nam nihil caſu fit niſi reſpectu noſtrî, quatenùs ignoramus cauſas multorum effectuum, & finem ad quem ex intentione Dei diriguntur. At ſecundùm rei veritatem nihil fit caſu: nam nihil fit, quod Deus non voluerit, aut ſcienter permiſerit fieri, & ad optimum finem non dirigat. Quare, ut monet S. Auguſtinus (*i*), Chriſtiani à nomine fortunæ abſtinere debent. Et per fortunam nihil aliud intelligi debet, quàm Providentia divina, quatenùs cauſas occultas, & media nobis ignota ad certos effectus, ipſosque effectus ad fines nobis ignotos ordinat.

Ob. 6to. Multa fiunt fruſtrà in rerum natura. Ergo, &c. 253

Reſp. diſt. ant. Multa fiunt fruſtrà per reſpectum ad cauſas particulares, conc. per reſpectum ad Deum ut proviſorem generalem, & ad fines efficaciter ab ipſo intentos, neg. ant. Cauſæ particularis defectus eſt ipſiuſmet Providentiæ divinæ effectus, quæ ſic res ordinavit, ut dum aliquæ ſtarent, aliæ deficerent: is autem defectus idem præſtat, ait S. Auguſtinus (*k*), in univerſo, quod umbræ in pictis tabellis conferunt.

CAPUT VIII. 254

De Prædeſtinatione.

QUæ circa prædeſtinationem hîc nobis diſcutienda veniunt ad hæc capita reduci poſſunt. 1mo. Quodnam illius nomen & definitio. 2do de exiſtentia prædeſtinationis. 3tio. de cauſis illius ſive ad gratiam ſive ad gloriam. 4to. de effectibus & proprietatibus prædeſtinationis.

(*i*) *Lib. 1. retract. c. 1.* (*k*) *Lib. de Gen. ad litt. c. 5.*

Digitized by Google

§. I.

De Eſſentia ſeu nomine & definitione prædeſtinationis.

Prædeſtinatio generatim & latiori quodam ſenſu uſurpatur pro qualibet prædefinitione ſeu præordinatione divina, & extenditur ad ea omnia, quæ Deus ſtatuit vel per ſe facere, vel permittere: quo ſenſu Act. 2. v. 23. de Chriſto à Judæis occiſo dicitur: *Hunc definitò conſiliò & præſcientiâ Dei traditum per manus iniquorum affigentes interemiſtis.* Unde prædeſtinatio non tantùm in bonam partem, hoc eſt ad gratiam & gloriam, ſed interdum etiam in malam, hoc eſt in poenam & damnationem uſurpatur. Ita Matth. 25. v. 41. ad reprobos dicitur: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus.* Hoc ſenſu ſumpta prædeſtinatio nuncupatur reprobatio, de qua cap. ſequenti.

Hîc propriè Prædeſtinationis nomine intelligitur *antecedens ac æterna creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ deſtinatio, & præordinatio.* Ubi particula *præ* quamdam prioritatem ſonat; & verbum *deſtino* ſignificat non meram rei futuræ præcognitionem, ſeu ſimplicem actum intellectûs, ſed firmum voluntatis propoſitum ſeu decretum: quo ſenſu uſurpatur ab Apoſtolo Epheſ. 1. v. 7. *Prædeſtinavit nos*, inquit, *in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ.*

Aliis nominibus in Scripturis prædeſtinatio deſignatur: dicitur nempe Vocatio ſecundùm propoſitum ſeu conſilium Dei (*l*), dilectio, diſcretio, electio, præparatio, præordinatio &c.

Item alia eſt ad gratiam, quam gratuitam eſſe fides docet; alia ad gloriam, de qua diſputant Theologi Scholaſtici an fiat ex præviſis meritis gratiæ, an ante illa præviſa. Hinc nata in Scholis diſtinctio prædeſtinationis in adæquatam, quæ ſcilicet utramque complectitur, & inadæquatam, quæ unam duntaxat continet.

Prædeſtinatio igitur adæquata ſeu completè & adæquatè ſumpta, quæ nempe tum prædeſtinationem ad gratiam ſeu voluntatem divinam abſolutam & efficacem dandi gratiam re ipſa certò perducentem ad gloriam, tum prædeſtinationem ad gloriam ſeu voluntatem abſolutam & efficacem dandi gloriam in ſe complectitur, eſt abſoluta & efficax voluntas in Deo ab æterno exiſtens dandi gratiam & gloriam. Sive eſt efficax præparatio gratiæ re ipſa perducentis ad gloriam, & ipſius gloriæ. Nomine autem gratiæ hîc intelliguntur omnia media electis ad conſequendam ſalutem gratis collata, & cum ſalute connexa.

Eadem Prædeſtinatio ſimpliciter & 256
completè ſumpta rectè etiam definitur à S. Auguſtino lib. de dono perſeverantiæ c. 14. *Præſcientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur.*

Dicitur 1mo. *præſcientia*: inde eſt, quòd prædeſtinati interdum *præſciti* ſimpliciter dicantur, Rom. 11. v. 2. Præſcientia latiùs patet quàm prædeſtinatio, *Quia*, ut ait Auguſtinus lib. de prædeſt. Sanct. c. 10. *prædeſtinatio ſine præſcientia eſſe non poteſt; poteſt autem eſſe ſine prædeſtinatione præſcientia. Prædeſtinatione quippe Deus ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus.... præſcire autem potens eſt etiam quæ ipſe non facit, ſicut quæcunque peccata.*

Diſputant Theologi quænam ſit illa 257
ſcientia ad prædeſtinationem prærequiſita. Alii dicunt eſſe Scientiam ſimplicis intelligentiæ, qua Deus dirigitur in decreto prædeſtinationis, utpotè quæ ipſi proponat objecta, homines nempè, de quorum prædeſtinatione ferre poſſit decretum, neque enim cæcô modô Deus fert libera ſua decreta.

(*l*) Rom. 8. 2. ad Tim. 2. Act. 13. ad Rom. 9. &c.

Digitized by Google

Dicunt alii eſſe ſolam ſcientiam abſolutam & viſionis; quia ſcientia illa non eſt merè poſſibilium, ſed eorum, quæ re vera futura ſunt, atque Deus in electorum cordibus operaturus eſt, & ab ipſo in ipſa prædeſtinatione præſciuntur.

Qui ſcientiam conditionatorum ſeu mediam propugnant, neque hîc inter ſe conveniunt; aliqui enim tuentur, ſcientiam illam, quæ ad prædeſtinationem prærequiritur, eſſe tum ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quâ Deus cognoſcit gloriam & quidquid facere poteſt; tum præcipuè ſcientiam mediam, quâ cognoſcuntur in particulari omnia media, quæ certò & infallibiliter, & tamen liberè habitura ſunt effectum, & ad gloriam perductura, ſi dentur. Nam ſcientia illa eſt ſcientia, quæ præcedit decretum, cùm illud dirigat. Alii autem volunt, eſſe ſcientiam mediam ſimul & viſionis, ſeu conditionatorum, & abſolutam. Enimverò præſcientiam illam eſſe abſolutam, & decreto Dei, noſtrô concipiendi modô, poſteriorem ex eo evidenter habetur, quòd Deus ſciat id, quod facturus eſt: præſcientia autem quæ verſatur circa ea, quæ Deus facturus eſt, ſeu, quod idem eſt, circa abſolutè futura, abſoluta eſt & viſionis.

Quidquid hac de re ſit, & quocumque modo Deus prædeſtinatos noverit, nobis ſatis eſt, quòd eos prænoſcat, atque prædeſtinatio ſit Dei præſcientia aliqua ſive ſimplicis intelligentiæ, ſive viſionis, ſive ſimplicis intelligentiæ & conditionatorum ſeu mediæ ſimul, ſive viſionis & conditionatorum ſimul; circa quod parùm ſolliciti ſumus.

258 Dicitur 2do. *Præparatio*, id eſt æterna in mente Dei diſpoſitio mediorum, quibus in tempore creaturam rationalem ad finem ſuum ultimum certiſſimè dirigit ac perducit.

Dicitur 3tio. *Præparatio beneficiorum Dei.* Quibus verbis intelliguntur non ſolùm auxilia gratiæ efficacia cum perſeverantia finali conjuncta, ſed etiam omnes actus ſalutares conducentes infallibiliter ad ſalutem.

Dicitur 4to. *Quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur.* Id eſt ſalvantur, atque gloriam æternam adipiſcuntur, quippe quæ eſt perfecta & conſummata libertas & ſalus. Quare à S. Thoma Prædeſtinatio definitur, *præparatio gratiæ in præſenti & gloriæ in futuro.* Deum autem præparare eſt Deum velle dare.

§. II. 259

De Exiſtentia prædeſtinationis.

Præter eos providentiæ divinæ hoſtes, quos cap. priori recenſuimus Pelagiani & Semipelagiani prædeſtinationem gratuitam ad gratiam, quam docet fides impugnârunt ac negârunt; verùm erroneè prout §. ſequenti demonſtrabimus, Sit

Conclusio. 260

Admittenda eſt vera ex parte Dei prædeſtinatio.

Prob. 1mo. ex Scripturis. Matth. 25. v. 34. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* Luc. 12. v. 32. *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum* Rom. 8. v. 30. *Quos prædeſtinavit; & quos vocavit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.* Epheſ. 1. v. 4. & 5. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem ut eſſemus ſancti.... prædeſtinavit nos ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ.*

Prob. 2do. ex SS. Patribus. *Hoc ſcio*, inquit S. Auguſtinus, lib. de dono perſeverantiæ c. 19. n. 48. *neminem contra iſtam prædeſtinationem, quam ſecundùm Scripturas ſanctas defendimus, niſi errando diſputare potuiſſe.* Et c. 23.

 n. 65.

n. 65. *Prædeſtinationis hujus fidem*, ait, *quæ contra novos hæreticos nova ſollicitudine nunc defenditur*, *nunquam Eccleſia Chriſti non habuit.*

S. Proſper, in reſp. ad object. Gallorum, *Prædeſtinationem*, inquit, *nullus Catholicus negat.*

S. Fulgentius, lib. de fide ad Petrum c. 35. *Firmiſſimè tene*, ait, *& nullatenus dubites, omnes, quos vaſa miſericordiæ gratuita bonitate Deus facit, ante conſtitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei prædeſtinatos à Deo.*

Prob. 3tio. aperta ratione: quia Deus nihil operatur in tempore, quod ab æterno non præordinaverit faciendum.

Quàm certa prædeſtinationis exiſtentia, tam occulta eſt ac humanæ menti prorsùs impervia hujus myſterii ratio: ad æmulationem ac virtutis exercitium arcanum iſtud nos latere Deus ſapientiſſimè voluit; ſuſpenſa quippe ſors, cautiores reddit, & vigilantiores. Hoc unum fidelibus ſufficere debet S. Petri monitum Ep. 2. c. 1. v. 10. *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* Procul ergo curioſæ ac temerariæ iſtæ quæſtiones: Quare ex duobus infantibus unus Baptiſmum percipit, alter non percipit? Quare inter adultos unus efficaciter vocatur, & vocatus venit, alter non venit? Quare unus iisdem viſis Chriſti miraculis credit, alter non credit? Quare ex duobus juſtis unus ex hac vita eripitur dum juſtus eſt, alter verò non eripitur? Cum Apoſtolo exclamandum (m) *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! Quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!* Et c. 9. v. 20. *O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, Quare me feciſti ſic.*

261 Dices 1mo. Doctrina prædeſtinationis videtur periculoſa, ad fatum veterum Philoſophorum accedere, nocere libertati, injicere homines in ſocordiam, vel deſperationem, vel temerariam præſumptionem ac ſecuritatem. Eâ quippe ſemel doctrinâ ſuppoſitâ, valebit iſtud dilemma, quo multi defatigantur & turbantur: Vel ſum prædeſtinatus, vel non. Si ſum prædeſtinatus, ſalutem certiſſimè aſſequar: irrita enim non poteſt eſſe abſoluta Dei voluntas; inutilis ergo eſt omnis cura & ſollicitudo mea pro aſſequenda ſalute. Si verò non ſum prædeſtinatus, quidquid boni fecero, tandem deſerente gratia, æternùm peribo; ſoli enim prædeſtinati ſalvi eſſe poſſunt. Ergo, &c.

Reſp. neg. ant. ejusque probationem. Non alia enim ex prædeſtinatione, quàm ex præſcientia Dei, oriri poteſt difficultas, aut neceſſitas agendi. Sicut igitur præſcientia Dei humanam non tollit libertatem, nec in nobis extinguit ſtudium & ſollicitudinem ſectandæ virtutis, quia res futuras ſupponit, non facit; ita nec prædeſtinatio, quæ ſequitur ac ſupponit præſcientiam futurorum ſub conditione meritorum gratiæ.

Abſurditas ac falſitas adducti dilemmatis clariùs adhuc patebit, ſi ad res humanas ordinarias ac temporales transferatur. Enimverò eritne quisquam tam ſtolidus ac futurus, ut ſic velit ratiocinari: Vel Deus præſcivit ac decrevit me intra menſem in vivis fore, vel non præſcivit: ſi præſcivit, utar alimentis vel non utar, in vivis ero: ſi non præſcivit, quidquid fecero moriar. Pariter, Vel Deus præſcivit, me à tali morbo, quo nunc laboro, liberandum, vel non: ſi præſcivit, ſive remedia adhibeam ſive non, à morbo certiſſimè liberabor, ſecùs non liberabor. Non arbitramur, quemquam fore tam mente ac ratione perditum hominem, qui, inſulſi hujus dilemmatis obtentu, velit aut vitam ſuam, aut ſanitatem in apertum diſcrimen adducere, abſtinere ab alimentis, aut negligere remedia.

Di-

(m) Rom. 11. v. 33.

Digitized by Google

Dilemma igitur hoc putridum eſt Sophiſma, quod Dialectici appellant *à falſo ſuppoſitione* aut *ab ignoratione elenchi.* Vitæ quippe conſervatio, & reſtitutio ſanitatis à Deo non decernuntur, niſi quia novit futurum eſſe, ut & alimentis ad vitam, & remediis ad reſtitutionem ſanitatis utamur.

262 Dices 2do. Si hominis actio à Deo prævisa ſit ac præordinata, fruſtrà ſunt adhortationes, comminationes, &c. Ergo, &c.

Reſp. neg. ant. Nam actio hominis non prævidetur, nec præordinatur à Deo futura, niſi ſuppoſitis ejus cauſis: atqui inter cauſas illas ſunt ut plurimùm adhortationes, comminationes, &c. Ergo, &c.

§. III.

263 *De Cauſis prædeſtinationis.*

Jam ſupra §. 1. adnotavimus Prædeſtinationis adæquatæ & completæ eſſe duas partes, quas velut totum aliquod in ſe complectitur, una enim eſt prædeſtinatio ad gratiam, ad gloriam altera. Quæ ergo utriusque ſit cauſa hìc inquirimus. Ubi notatum volumus non eſſe quæſtionem de cauſa efficiente prædeſtinationis; quippe certum eſt, prædeſtinationem, cùm ſit beneficiorum præparatio, à Deo eſſe tanquam à cauſa efficiente. Sed de cauſa morali duntaxat ſeu meritoria prædeſtinationis ex parte creaturæ rationalis. Hoc igitur ſub quæſtione verſatur, utrum ex parte effectûs, gratiæ nempe & gloriæ, prædeſtinatio habeat aliquam cauſam, id eſt, utrùm Deus præordinaverit ſe daturum effectum prædeſtinationis (*n*) alicui propter merita aliqua, nec ne; adeoque utrum prædeſtinatio ſit gratuita, vel ob prævisa alicujus merita duntaxat, ei à Deo tribuatur.

Primo igitur de prædeſtinatione ad gratiam agendum. Hæc, ut jam diximus, eſt abſoluta & efficax Dei voluntas dandi gratiam re ipſa perducentem ad beatitudinem. Nomine gratiæ hìc intelligitur omne medium efficax ad beatitudinem perducens: ac proinde intelliguntur gratia actualis, & habitualis, opera ſalutaria, & perſeverantia finalis, imò & gratiæ æternæ, ut ſunt pia monita, adhortationes, &c. De hac ergo quæritur, utrum ſit purè gratuita, hoc eſt, utrum Deus ab æterno gratiam ſeu media ad beatitudinem certò perducentia dare voluerit ex mero ſuo beneplacito, an verò ex præviſione & intuitu boni alicujus operis & boni uſûs liberi arbitrii ſive tanquam meriti de condigno, aut de congruo (*o*), ſive tanquam meræ conditionis *ſine qua non.* 264

Origenes putavit, animas ante mundum conditas fuiſſe, atque pro bonis vel malis earum operibus ad corpora detruſas, prædeſtinari vel reprobari.

Pelagiani initiò rejectâ omni penitùs gratiâ à libero arbitrio diſtinctâ (*p*) prædeſtinationem ad gloriam ex prævisis bonis naturæ operibus fieri affirmabant, docebantque, liberum arbitrium ſolis naturalibus viribus inſtructum cum externo dono legis & doctrinæ, quibus ad ſummum adjunxerunt exempla Chriſti, ſufficere ad ſervandam totam legem, ad conſequendam juſtificationem, ad perſeverandum in bono, & ad vitam æternam obtinendam. Deinde cùm inter diſputandum eò adducti fuiſſent à S. Auguſtino, ut aliquam admitterent gratiam, eam ad faciliùs, non verò ad ſimpliciter benè

(*n*) Effectus prædeſtinationis, ut jam dictum, eſt gratia & gloria. (*o*) Meritum de condigno, eſt meritum ex juſtitia & perfecta proportione operis meritorii ad mercedem. Meritum de congruo autem eſt ex decentia, congruitate & indulgentia. (*p*) Nempe liberum arbitrium gratiæ nomine venire, quam Deus homini conceſſit, tuebantur,

Digitized by Google

benè agendum neceſſariam dixerunt: ita tamèn, ut ejus præparatio ſeu deſtinatio à Deo fieret ex præviſis liberi arbitrii meritis. Denique cùm & ipſa bona opera ex gratia eſſe fateri compulſi fuiſſent, Julianus Pelagianus ad meritum bonæ cujusdam voluntatis confugit, voluitque, gratiam à Deo præparari, & dari, non quidem propter meritum bonorum operum liberi arbitrii, ſed propter meritum bonæ voluntatis.

Semipelagiani tandem Pelagianorum doctrinam utcunque mitigantes docuerunt prædeſtinationem ad primam gratiam fieri, non quidem ob præviſa merita liberi arbitrii, ut volebat Pelagius; neque ob bonam voluntatem præviſam, ut placebat Juliano, ſed propter pium quemdam ac naturalem ad credendum affectum, ſeu quoddam initium fidei, quod quidem inter opera bona non computabant; illo tamen tanquam causâ & motivô Deum excitari affirmabant, ut gratiam fidei illis conferret, quos noverat ad illam recipiendam benè affectos fore; tuebantur ergo, aliquos liberi arbitrii actus ac conatus ex ſolis naturæ viribus elicitos regulariter ſaltem ſeu ordinariè gratiæ præire; ſic ut ſemper detur gratia iis, qui actus ſeu conatus illos naturales eliciunt, & non detur ſaltem ordinariè iis, qui non eliciunt, conſequenter aſſerebant, Deum ab æterno præparâſſe gratiam iis, quos abſolutè prævidit eſſe aliquos actus & conatus merè naturales elicituros, aliis non præparâſſe: ſicque etiam negabant gratuitam prædeſtinationem ad gratiam, & ad perſeverantiam finalem, quam negabant eſſe donum Dei. Cùm verò premerentur exemplô infantium, qui abſque ullis meritis ex hac vita vel cum Baptiſmo vel ſine Baptiſmo rapiuntur damnandi vel ſalvandi; tum recurrebant ad merita, non quæ futura erant, ſed quæ futura fuiſſent, ſi infantes illi diutiùs vixiſſent. Contra eos ſit

CONCLUSIO. 265

Prædeſtinatio ad gratiam eſt gratuita, ita ut nulla detur ejus ratio, ſeu cauſa ex parte prædeſtinati. Eſt omnium Orthodoxorum. Omnes ſiquidem communi ſuffragiô profitentur, prædeſtinationem ad gratiam omninò gratuitam eſſe, nec ullis meritis rependi; quia nulla ſunt ante gratiam & ſine gratia liberi arbitrii merita. Atque hoc ipſum eſt capitale dogma fidei, pro cujus defenſione per annos viginti tam ſtrenuè ac feliciter pugnavit S. Auguſtinus adversùs Pelagianos & Semipelagianos.

Prob. Concluſio 1mo. Ex Scripturis. 2. Tim. 1. v. 9. *Nos liberavit, & vocavit vocatione ſua ſancta, non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum ſuum, & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Jeſu ante tempora ſæcularia.* Id eſt, Deus nullis noſtris operibus præviſis provocatus nos vocavit vocatione illa, quâ re ipſa liberemur & ſalvemur, ſecundùm merum beneplacitum ſuum, & gratuitam benevolentiam, vi cujus propter merita Chriſti abſolutè præviſa ſtatuit ab æterno ſalvare eos, quos re ipſa ſalvat.

Rom. 9. v. 16. *Non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Et v. 18. *Ergo cujus vult miſeretur, & quem vult indurat.* Hoc eſt, nemo ex ullo actu ſuæ voluntatis aut conatu electus eſt à Deo ad gratiam & ſanctitatem, ſed ex ſolo libero beneplacito Dei, qui pro jure ſuo aliquos, quia miſericorditer vult, liberat: reliquos, quia non vult voluntate illa ſpeciali & efficaci, non liberat. Neque poteſt quisquam idcircò jure conqueri; nam ut addit Apoſtolus: *An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?*

Ibid.

Ibid. c. 11. v. 5. & 6. *Reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt. Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non eſt gratia.* Id eſt, pauci Judæi, qui nunc ſalvantur, ſalvantur ſecundùm electionem gratuitam, ſeu quia gratuitò electi ſunt cæteris non electis: ac proinde ſalvantur, non ex ullo bono actu vel uſu liberi arbitrii abſolutè prævíſo tanquam cauſâ hujus electionis: alioqui hæc electio gratuita, eſſet ſimul gratuita, & nòn gratuita. Hæc autem electio gratuita, ſecundùm quam ſalvantur illi Judæi ad fidem converſi, eſt ſaltem gratuita præparatio mediorum efficacium, quibus re ipſa ſalvantur.

Epheſ. 1. v. 4. 5. & 6. *Elegit nos in ipſo* (Chriſtô) *ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in charitate. Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per JEſum Chriſtum in ipſum, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio ſuo.* Igitur, juxta Apoſtolum, Deus propter merita Chriſti nos elegit, non quia eramus, aut futuri eramus ſancti, ſed ut eſſemus ſancti, tùm habitualiter per gratiam ſanctificantem, tùm etiam ſanctitate actuali per bona opera ex gratia liberè facta. Item Deus nos per merita Chriſti ad ejus gloriam prædeſtinavit, non propter aliquod bonum opus noſtrum, ſed ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, hoc eſt, ex mero beneplacito ſuo ad commendandam gratuitam ſuam erga nos benevolentiam, in qua nos gratificavit in dilecto filio ſuo, id eſt, quam erga nos gratuitò exhibuit propter dilectum filium ſuum.

Deinde ibidem addit: *In quo etiam & nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundùm propoſitum ejus, qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, ut ſimus in laudem gloriæ ejus.* Id eſt, propter quem nos ſorte, ſeu planè fortuitò quantùm eſt ex parte noſtra, ſive nulla data ratione ex parte noſtra, vocati ſumus ad finem, ſanctitatem & ſalutem, quia prædeſtinati eramus ex mero beneplacito illius, qui operatur omnia ſecundùm liberum beneplacitum ſuum, ut ipſe propter gratuitum hoc in nos beneficium glorificetur ab Angelis & hominibus, ejus bonitatem, miſericordiam, ſapientiam ac potentiam laudibus extollendo.

Eadem repetit Ibid. c. 2. v. 8. Ubi *gratiâ*, inquit, *ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt; non ex operibus, ne quis glorietur. Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto JEſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Hæc tam aperta ſunt, ut nullo indigeant commentario. Salus enim noſtra non nobis ipſis ſed gratiæ tribuenda eſt, quæ Dei donum eſt, neque etiam operibus, unde non habemus, quòd de iis gloriemur &c.

Ante Apoſtolum Chriſtus ipſe pro noſtra ſententia generatim pronuntiavit, cùm Joan. 15. v. 5. *Sine me*, inquit, *nihil poteſtis facere*, id eſt, ſine mea gratia, quæ omnium bonorum operum noſtrorum atque ſalutis fons eſt & origo.

Prob. 2do. Ex SS. Patribus tum Græcis tum Latinis, nec non Conciliis S. Auguſtinô antiquioribus; qui, teſte eodem S. Doctore (*p*), unanimiter docent, fidem etiam initialem, omniaque alia opera ſalutaria, ipſamque finalem perſeve-

(*p*) *Lib. de dono perſeverantiæ.*

Digitized by Google

ſeverantiam eſſe dona Dei, id eſt, beneficium Dei gratuitum. Ergo Deus dat gratuitò fidem etiam initialem, opera ſalutaria, & perſeverantiam finalem. Deus autem illa gratis dat, gratis ac miſericorditer conferendo in tempore gratias, quibus re ipſa ii, qui ſalvantur, credunt, opera ſalutaria faciunt, & in charitate perſeverant usque ad mortem. Atqui quod Deus dat gratis int empore, voluit gratis ab æterno dare; nam Deus nihil facit nec vult in tempore, niſi quod ab æterno voluit facere. Ergo Deus ab æterno voluit gratis dare gratias, quibus certò ſalvantur, quicumque ſalvantur. Ergo fuit ab æterno in Deo voluntas efficax & gratuita dandi gratiam re ipſa ad gloriam perducentem; ac proinde datur gratuita prædeſtinatio ad gratiam. Hoc eſt ſanctorum Patrum Auguſtinô antiquiorum argumentum, quo ipſe locô citatô utitur. Unde adverſùs Julianum diſputans confidenter dicebat (*q*): *Non eſt, cur provoces ad Orientis Antiſtites; quia & ipſi utique Chriſtiani ſunt, & utriusque partis* (tam Orientalium quàm Occidentalium Antiſtitum ſcilicet) *fides iſta una eſt, quia & fides iſta Chriſtiana eſt.* Et lib. 2. c. ult. loquens de communi fide Chriſtianorum, *Quod invenerunt*, inquit, *tenuerunt, quod didicerunt, docuerunt, quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. Nondum vobiscum apud iſtos Judices aliquid agebamus, & apud eos acta eſt cauſa noſtra. Nec nos nec vos eis noti fueramus, & eorum latas pro nobis contra vos ſententias recitamus. Nondum vobiscum certabamus, & eis pronuntiantibus vincimus.*

Superfluum nobis videtur plura ex S. Auguſtino pro noſtra ſententia adducere teſtimonia, cum conſtet, eum pro gratuita ad gratiam prædeſtinatione adverſus Pelagianos & Semipelagianos totis viginti annis decertaſſe.

Prob. Concluſio noſtra 3tio. Rationibus Theologicis. 1mo. Prædeſtinatio ad gratiam eſt præparatio gratiæ re ipſa ad gloriam perducentis, id eſt, voluntas efficax dandi media ſalutis ad beatitudinem æternam re ipſa perducentia. *Prædeſtinatio Dei, quæ in bono eſt, gratiæ eſt præparatio: gratia verò eſt ipſius prædeſtinationis effectus*, inquit S. Auguſtinus (*r*). Atqui præparatio gratiæ non habet cauſam, ſeu rationem ex parte hominis. Ergo prædeſtinatio ad gratiam non habet cauſam, ſeu rationem ex parte hominis, ideoque eſt gratuita.

Pro. min. Si præparatio gratiæ, id eſt, voluntas efficax dandi gratiam, habet cauſam ex parte prædeſtinandi, illa cauſa eſt bonus uſus liberi arbitrii, ſeu opus bonum. Atqui hoc eſſe nequit: Nam illud bonum opus vel eſſet opus naturale, vel ſupernaturale. Non primum, quia ſic 1mo gratia jam non eſſet gratia; non enim gratis præpararetur, nec proinde gratis daretur, ſed propter opus naturale, ut docet. Apoſtolus, Rom. c. 11. *Si gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non eſt gratiâ.* 2do. Falsò dixiſſet Apoſtolus Rom. 11. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Nam homo daret aliquid Deo, nempe opus naturale, propter quod retribuerentur ei auxilia gratiæ efficacia. 3tio. Homo poſſet ex ſolis naturæ viribus operari aliquid conducens ad ſalutem, contra illud Chriſti, Joan. 15 *Sine me nihil poteſtis facere.* Et contra can. 7. Conc. Arauſicani II. ubi dicitur: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, cogitare aut eligere poſſe confirmat.... hæretico fallitur ſpiritu.* 4to. Prædeſtinatus ſe ipſum ex ſolis naturæ viribus primariò diſcerne-

(*q*) *Lib. 1. cont. Jul c. 4.* (*r*) *Lib. de prædeſt. ss. c. 10.*

ſcerneret à non prædeſtinato; & diſcretio prædeſtinatorum à non prædeſtinatis jam non eſſet arcanum altiſſimum & inſcrutabile, contra illud Rom. 11. *O altitudo &c.*

Non ſecundū, nempe bonum opus ſupernaturale non poteſt eſſe cauſa, ob quam Deus præparaverit gratiam efficacem. Nam omne opus ſupernaturale ſupponit præparationem gratiæ: omne opus ſupernaturale præſcitum ſupponit collationem gratiæ præſcitam, ſicut omne opus ſupernaturale actu exiſtens ſupponit collationem gratiæ actu factam. Collatio autem gratiæ ut præſcita ſupponit gratiæ præparationem: nam prius eſt gratiam præparari, quàm præſciri collatam, ſeu, quod idem eſt, prius eſt Deum velle dare gratiam, quàm præſcire eam eſſe conferendam. Ergo Deus non præparat gratiam, quia præſcit opus ſupernaturale futurum; ſed è contrà præſcit opus ſupernaturale futurum, quia præparat gratiam. Ergo Deus non præparat gratiam, quia opus ſupernaturale futurum eſt; ſed è contrà opus ſupernaturale futurum eſt, quia Deus præparat gratiam.

Breviùs. Quod naturæ vires ſuperat illud à ſolo Deo ipſiusque dono ſeu gratia provenit. Atqui opus bonum ſupernaturale naturæ vires ſuperat, ſecus enim eſſet ſimul naturale & ſupernaturale, quod apertè repugnat. Ergo à ſolo Deo ejusque gratia provenit. Adeoque non poteſt eſſe cauſa præparationis gratiæ &c. niſi quis ſtolidè dicere velit, ejusdem gratiæ cauſam eſſe eandem gratiam.

2do. Prob. Prædeſtinatio, quam S. Auguſtinus lib. de dono perſever. c. 19. dicit, *rejici non poſſe ſine errore*, eſt ex eodem S. Doctore, ibid c. 14. *Præſcientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur*, id eſt ſalvantur. Atqui hæc præparatio eſt gratuita. Ergo prædeſtinatio ad gratiam eſt gratuita.

Min. conſtat ex Apoſtolo, Phil. 2. (*s*) *Deus eſt enim, qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate.* Ubi apertè ſignificat, gratiam efficacem conferri à Deo pro mero beneplacito ſuo, & ſic ſemper eſſe formaliter & immediatè, & non tantùm radicaliter donum gratuitū. Atqui præparatio doni gratuiti eſt ſanè gratuita, alioqui donum jam non eſſet gratuitum. Ergo præparatio gratiæ efficacis, ideoque & aliorum mediorum ſalutis efficacium eſt gratuita. Præterea præparatio beneficiorum Dei eſt præparatio donorum Dei: beneficia enim Dei ſunt dona à Deo gratìs data. Ergo præparatio beneficiorum Dei eſt gratuita.

Porro Deum præparare gratiam eſt Deum ab æterno velle abſolutè dare gratiam; & præparatio gratiæ idem eſt, ac æterna & abſoluta voluntas dandi gratiam.

(*t*) Quod prædeſtinationem ad gloriam 266
ſpectat, ea duplici ratione conſiderari poteſt, nempe vel in ordine intentionis, vel in ordine executionis; hoc eſt, vel ex parte Dei æternô ſuô conſiliô ac decretô nonnullos ad gratiam & gloriam deſtinantis, vel in tempore decretum illud ſuum exequentis. Non eſt hîc quæſtio de ordine executionis; concors enim eſt omnium Theologorum ſententia, gloriam in tempore ſeu in executione nonniſi meritis ex gratia elicitis tribui (*u*), quemadmodum pœna nonniſi demeritis tribuitur. Quo ſenſu locutus fuiſſe videtur Chriſtus, dum ait Matth. 25. v. 34. *Venite benedicti Patris mei, poſſi-*

(*s*) v. 13. (*t*) Vid inf Exercit. Theol. 9 Exercit. n. 157 & ſeq. (*u*) In tempore ſeu in executione merita ſequuntur gratiam, & gloria ſequitur merita, utpote quæ poſt illa datur.

poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: ſitivi, & dediſtis mihi bibere. Ad reprobros verò, v. 41. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus: Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare &c.* Gloria enim eſt merces & corona, quæ nonniſi legitimè certantibus titulò juſtitiæ debitæ rependitur. *Bonum certamen certavi*, inquit Apoſtolus 2. Tim. 4. v. 7. 8. *curſum conſummavi, fidem ſervavi; in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex.*

De ſolo igitur ordine intentionis in mente divina hîc controvertunt Theologi, an ſcilicet prædeſtinatio ad gloriam præcedat, vel ſequatur (non quidem tempore, ſed ordine cauſalitatis duntaxat) prævisionem meritorum ex gratia, id eſt, an Deus efficaciter & abſolutè priùs, non quidem tempore, ſed ordine cauſalitatis, prædeſtinatis decernat gloriam, quàm gratiam; aut vice verſa priùs gratiam, quàm gloriam.

Priorem opinionem tuentur Thomiſtæ omnes, quos ex Scientiæ mediæ ſeu conditionatorum patronis Nonnulli cum Bellarmino, noviter etiam P. Antoine ſequuntur. Alii verò ſecundam propugnant.

Verùm præſens controverſia tota inter Scholæ hæret parietes, nec ullatenùs fidem ſpectat; in quocunque enim catholico ſyſtemate agnoſcitur, gratiam ad omne opus bonum inchoandum ac perficiendum, imò & ad initium fidei ac pium credulitatis affectum prorſùs neceſſariam eſſe: (x) *Operatur enim Deus velle & perficere pro bona voluntate.* Neque profectò momenti tanti eſſe videtur, cùm tota verſetur circa ordinem divinorum decretorum, quem quiſque ſibi ad libitum fingit: Undè Eccleſia nihil unquam circa eam definivit, verùm totam quantam Scholaſticorum otio reliquit; quam Eccleſiæ mentem nos ultrò amplectimur, tantò libentiùs quidem, quòd religioni ducamus, pretioſam, quæ nobis conceſſa eſt, temporis uſuram inutibilibus peſſundare quæſtionibus. Nobis perinde eſt, ſive Deus gratiam priùs quàm gloriam, ſive gloriam priùs quàm gratiam decernat, dummodò Apoſtoli monito (y) morem gerentes, *Satagamus, ut per bona opera certam noſtram vocationem & electionem faciamus.*

Et ſanè cùm merita noſtra ex gratia Dei, quæ omninò gratuita eſt, fluant neceſſariò, vel in ſententia eorum, qui ex prævisis meritis, adeoque poſt gratiam nobis à Deo gloriam decerni propugnant, patet, nî vehementer fallimur, hac ratione gloriam non ſecùs ac gratiam gratuitum Dei donum eſſe aut ſaltem ex tali gratuito dono, gratiâ nempe, fluere.

Solvuntur Objectiones contra poſitam Concluſionem. 267

Ob. 1mo. Matth. 25. v. 25. dicitur Paterfamilias dediſſe talenta *unicuique ſecundùm propriam virtutem.* Ergo Deus dat gratiam pro diſpoſitione naturæ. Ergo, &c.

Reſp. neg. conſ. Quia hæ voces, *ſecundùm propriam virtutem*, vel ſunt appoſitæ in parabola tantùm ad ornatum, & veriſimilitudinem parabolæ, quia nempe ſic fit inter homines, à quibus ſumitur parabola, non autem ad aliquid docendum: vel nomine propriæ virtutis

(x) *Philipp.* 2. v. 13. (y) 2. Pet. 1. v. 10.

tis intelligitur gratia cuique data, ut talentô ſibi creditô rectè uti poſſit.

268 Ob. 2do. Apoſtolus 1. Tim. c. 1. v. 13. ait: *Miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.* Ergo miſericordia ſeu gratia Dei ſupponit affectum ſeu diſpoſitionem illius, cui impertitur.

Reſp. neg. conſ. ſenſus Apoſtoli eſt, quòd peccando ſolùm ex ignorantia, non ex malitia non poſuerit tantum impedimentum miſericordiæ Dei, quo poſito non accepiſſet gratiam converſionis. Sed hæc impedimenti amotio tribui debet gratiæ, vel providentiæ ſpeciali gratuitæ, quæ Paulum præſervavit à peccato malitiæ, & ab impedimento majore vocationis divinæ.

269 Ob. 3tio. Origenes lib. 1. in Ep. ad Romanos dicit, propoſitum, de quo Apoſtolus ibid. c. 8. v. 28. loquitur, eſſe propoſitum hominis, non Dei. Ergo juxta Origenem homines ſecundùm propoſitum ſuum à Deo prædeſtinantur.

Reſp. conc. totum. Non curamus hîc Origenem, ut qui, prout ſupra num. 264. adnotavimus, de gratia & prædeſtinatione non rectè ſenſerit. Unde S. Hieronymus Epiſt. ad Cteſiphont. ait: *Doctrina Pelagii, Origenis Ramuſculus fuit.*

270 Ob. 4to. S. Chryſoſtomus in c. 9. Ep. ad Rom. de Matthæo loquens ait: *Qui arcana novit, qui cogitationis aptitudinem probare poteſt, is & in cœno margaritam jacentem novit; omiſſiſque aliis, admiratus hujus pulchritudinem, illum elegit, voluntatiſque nobilitati ſuam cùm adjunxiſſet gratiam, probatum illum eſſe pronuntiavit.* Ergò juxta hunc S. Doctorem gratia ſupponit bonam voluntatem hominis, non illam efficit. Ergo.

Reſp. neg. conſ. S. Chryſoſtomus per illam pulchritudinem, voluntatis nobilitatem, & aptitudinem ad Apoſtolatum intelligit ipſam prædeſtinationis gratiam: & ita vult Chriſtum vocaſſe Matthæum, quia vidit eum eſſe ab æterno prædeſtinatum ad magnam gloriam, ad Apoſtolatum, & ad eximias dotes Apoſtoli proprias ipſi donandas.

Cùm autem ait, Matthæum, etiam antequam vocaretur, fuiſſe Margaritam, cujus pulchritudinem admiratus eſt Chriſtus; ſolùm vult, illam fuiſſe Margaritam in prædeſtinatione, non autem in re: non enim alio ſenſu vocat eum Margaritam, quàm quo Chriſtus &, ſolos prædeſtinatos vocabat oves ſuas, dum Joan. 10. v. 16. dicebat: *Alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient.* Et verò antequam Matthæus à Chriſto vocaretur, erat Publicanus, & peccator: ac proinde non erat Margarita in re, ſed duntaxat in prædeſtinatione, id eſt, non erat re ipſa Margarita, ſed duntaxat prædeſtinatus erat, ut eſſet. Chriſtus autem ſciens, Matthæum eſſe prædeſtinatum ad excellentem ſanctitatem, & ad Apoſtolatum, idque admirans, ut hanc exequeretur prædeſtinationem, eum vocavit eo modo, quo ſciebat ei congruere, ut vocantem ſequeretur.

Veritas hujus reſponſionis patet ex eo, quòd S. Chryſoſtomus tradat principium, ex quo evidenter colligitur prædeſtinationis gratuitas, nempe docet, omnes actus ſalutares & merita omnia eſſe dona Dei; ſic enim Hom. 12. in 1. ad Cor. ait: *Igitur, quod accepiſti, habes, neque hoc tantùm aut illud, ſed quidquid habes. Non enim merita tua hæc ſunt, ſed dona Dei.* Donum autem eſt bonum gratis datum.

Cæterùm hîc notatum volumus, ut cæteris, quæ nobis ex Græcis Patribus fortè objicii poſſent, obviemus, quòd ſi nonnulli ex ipſis ante exortam hære-

Digitized by Google

ſim Pelagianam & Semipelagianam non ita caſtigatè & accuratè locuti videantur, benignè ſint interpretandi: ſecuri loquebantur, quia nullus aderat hoſtis, nec controverſia hæc tunc ſatis diſcuſſa & eliquata fuerat; at poſtmodùm cognitis ac repreſſis Novatorum cavillationibus, argutiis, & ſophismatibus, longè cautiores in verbis fuère & caſtigatiores.

Ita Doctores illos excuſat S. Auguſtinus lib. de Prædeſt. SS. c. 14. n. 47. *Quid opus eſt*, inquit, *ut eorum ſcrutemur opuſcula, qui priusquam iſta hæreſis oriretur, non habuerunt neceſſitatem in hac difficili ad ſolvendum quæſtione verſari? quod procul dubio facerent, ſi reſpondere talibus cogerentur. Unde factum eſt, ut de gratia Dei quid ſentirent, breviter quibusdam ſcriptorum ſuorum locis & transeunter attingerent: immorarentur verò in eis, quæ adversùs inimicos Eccleſiæ diſputabant.*

271 Ob. 5to. S. Auguſtinus lib. 83. quæſtionum, quæſt. 68. ait: *Cujus vult miſeretur, & quem vult, obdurat: ſed hæc voluntas Dei injuſta eſſe non poteſt: venit enim de occultiſſimis meritis.* Ergo juxta S. Auguſtinum merita præcedunt miſericordiam ſeu gratiam, ſicut demerita obdurationem & reprobationem.

Reſp. neg. conſ. mirum eſt, quòd hîc nobis objiciatur S. Auguſtinus, ut qui pro gratuita prædeſtinatione totis viribus ſemper decertârit, hæcque adducta Apoſtoli verba ipſa in ſuis contra Pelagianos & Semipelagianos libris conſtanter de gratuita prædeſtinatione exponat. Locò citatô ſolùm agit de juſtificatione & obduratione peccatorum, quæ habent cauſas ex parte ipſorum peccatorum licèt occultiſſimas, ut patet ex iis, quæ ſubjungit: *Præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo digni efficiantur juſtificatione; & item præcedit in aliis peccatoribus, quo digni ſint obtuſione.*

Ob. 6to. Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam. Ergo collatio gratiæ ideoque ejus præparatio eſt à bono uſu liberi arbitrii. 272

Reſp. diſt. ant. Facienti quod in ſe eſt ex viribus gratiæ Deus non denegat gratiam actualem ulteriorem majorem, vel gratiam habitualem ſeu ſanctificantem, ſi fecerit quod in ſe eſt ex viribus gratiæ proximè diſponentis, & excitantis ad actus fidei, ſpei, & charitatis perfectæ, vel imperfectæ cum ſacramento, tales actus eliciendo, conc. Facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus Deus non denegat gratiam, neg. ant. & conſ.

Inſt. 1mo. Facienti quod in ſe eſt etiam ex ſolis naturæ viribus Deus non denegat gratiam ſaltem remotam, qua ſi benè uteretur, acciperet majora auxilia, & tandem fidem & juſtificationem. Ergo.

Reſp. neg. ant. Sive intelligatur de gratia actuali, ſive habituali, etiamſi bonum, quod fit ex ſolis naturæ viribus, dicatur ſe habere duntaxat ad collationem gratiæ per modum conditionis ſine qua non, vel occaſionis. Nam ſi facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus non denegatur gratia, certè datur ex nobis initium aliquod, quo gratia prævenitur; in negotio ſalutis liberum arbitrium prævenit, & gratia ſubſequitur; gratia voluntatis pediſſequa eſt; homo poteſt ex ſolis naturæ viribus aliquid aliquo modo conducens ad ſalutem; item homo ex ſolis naturæ viribus ſe diſcerneret à non prædeſtinato. Quæ omnia fidei adverſantur, & in Pelagianis & Semipelagianis reprobata fuère à ſummis Pontificibus, Conciliis & Patribus.

Præterea hæc propoſitio *Facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus Deus non denegat gratiam* incidit in illam damnatam ſententiam Pelagianorum, *gratiam*, ſcilicet, *ſecundùm merita noſtra dari.* Meritum

ritum enim appellant Patres in hac materia quodlibet opus bonum, ratione cujus gratia homini datur, ut patet ex S. Auguſtino, lib. 2. ad Bonifacium, c. 8. & ex S. Proſpero, lib. contra Collatorem, c. 6.

Hæc propoſitio evidenter etiam repugnat 1mo. Apoſtolo dicenti Rom. 11. v. 6. *Si gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non eſt gratia.* 2do. Capitulis, quæ Epiſtolæ Cœleſtini I. Papæ ad Epiſcopos Galliæ ſubjiciuntur, necnon ex definitionibus Summorum Pontificum, & Conciliorum Africanorum in materia gratiæ excerpta ſunt, nempe Capitulô 4tô ubi dicitur: *Quòd nemo niſi per Chriſtum liberò benè utatur arbitriò*, ſcilicet in iis, quæ ad ſalutem aliquo modo conducere poſſunt. Et Capitulô 6tô. *Quòd ita Deus in cordibus hominum, atque in ipſo libero operatur arbitrio, ut ſancta cogitatio, pium conſilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo ſit* (per gratiam ſcilicet) *quia per illum aliquid boni poſſumus, ſine quo nihil poſſumus.*

3tio. Hæc propoſitio repugnat Concilio Arauſicano II. cujus Canones velut fidei dogmata continentes confirmati fuêre à Bonifacio Papa II. & recepti à tota Eccleſia: nam Can. 6tô damnatur ille, *qui ſine gratia Dei conantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus, &c. nobis miſericordiam dicit conferri.* Et Can. 22. dicitur: *Nemo habet de ſuo, niſi mendacium & peccatum* in ordine ſcilicet ad ſalutem; hoc eſt, nemo in ordine ad ſalutem absque gratia quidquam poteſt niſi demereri.

Inſt. 2. Aliqui Theologi docuerunt iſtam propoſitionem: *Facienti quod in ſe eſt per vires naturæ Deus non denegat gratiam.*

Reſp. Vel ſupponunt cum viribus naturæ aliqua auxilia gratiæ; vel ſi nulla ſupponunt, in hoc lapſi ſunt, non ſatis expendentes momenta noſtræ doctrinæ.

Ob. 7mo. Perſeverantia non pendet à ſolo beneplacito Dei. Ergo prædeſtinatio non eſt merè gratuita.

Reſp. neg. ant. Nam perſeverantia finalis formalis ſecundùm ſe eſt vitæ terminus, ſeu mors in ſtatu gratiæ, quæ à ſolo Dei beneplacito pendet. Is enim omnis & ſolus habet perſeverantiam usque in finem, qui in ſtatu gratiæ moritur; nec perſeverantia finalis formalis habetur, niſi cùm perſeveratum eſt usque in finem, prout docet S. Auguſtinus lib. de dono perſever. c. 6. Mors autem in ſtatu gratiæ pendet à ſolo beneplacito Dei, qui homines, cùm vult, & prout vult, eripit è vita, cùm ſolus ſit vitæ & mortis Dominus: & ſic pro arbitrio juſtum rapere poteſt ante lapſum, & peccatorem conſervare, donec convertatur: è contra verò juſtum in vita relinquere donec peccaverit, & peccatorem è medio tollere, antequam converſus fuerit. Quare S. Auguſtinus cit. lib c. 17. ait: *Videte jam à veritate quàm ſit alienum negare donum Dei eſſe perſeverantiam usque in finem hujus vitæ; cùm vitæ huic, quando voluerit ipſe, det finem: quem ſi dat ante imminentem lapſum, facit hominem perſeverare usque in finem.*

Inſt. 1mo. Perſeverantia non ſemper ſignificat mortem in ſtatu gratiæ, ſed poteſt aliquid aliud ſignificare, quod pendeat ab homine, nempe v. g. perſeverantem obſervationem omnium mandatorum & præceptorum, &c. Ergo, &c.

Reſp. neg. ant. Nam Perſeverantia finalis formalis, de qua hîc eſt ſermo, & quæ propriè Perſeverantiæ nomine venit, nihil aliud eſt, quàm mors in ſtatu gratiæ, ut primùm diximus, atque conſtat ex S. Auguſtino. Perſeverantiæ tamen donum ſumi etiam poteſt pro complexo tùm ex gratiis efficacibus, quibus ſtatus gratiæ comparatur, & conſervatur per obſervationem omnium præceptorum, tùm ex ipſa perſeverantia finali formali, ſeu beneficio, quo quis moritur in ſtatu gratiæ. Et donum perſeverantiæ ſic ſumptum eſt

etiam

Digitized by Google

etiam à ſolo beneplacito Dei, qui ex mera miſericordia ab æterno præparat & dat in tempore gratias congruas certis hominibus, quos elegit, & quos è vita eripit in ſtatu gratiæ: aliis verò, quos non elegit, quia non voluit, præparat & dat ſolùm gratias merè ſufficientes, quibuscum poſſunt ſalvari, ſed quibus non ſalvantur ex ſua culpa, eosque eripit è vita, cùm in ſtatu peccati verſantur.

Inſt. 2do. Præter illas gratias efficaces requiritur ad ſalutem libera cooperatio voluntatis humanæ, ſeu opus ſalutare liberum. Ergo non pendet à ſolo Dei beneplacito.

Reſp. conced. ant. neg. conſ. Hæc cooperatio, ſeu opus ſalutare eſt quidem à voluntate hominis, ſed ſecundariò tantùm, & ut præmotâ, excitatâ, elevatâ, corroboratâ, adjutâ, & completâ per gratiam: à gratia verò ut à cauſa principali ſuperiore, dante voluntati vires, & nihil ab ea accipiente, atque influente priùs naturâ tùm in ipſam voluntatem, tùm in ejus conſenſum.

Inſt. 3tio. Si perſeverantia quoad executionem, ſeu uſum gratiarum non pendet à ſolo Deo, perſeverantia ſaltem completè & ex omni parte ſpectata non eſt donum Dei. Atqui, &c. Ergo, &c.

Reſp. neg. ſequel. maj. Nam fides actualis & alia opera ſalutaria non ſunt à ſolo Deo, ſeu à ſola Dei gratia, ſed à gratia primariò, & ſecundariò à voluntate per gratiam congruam præventa, excitata, & corroborata; & tamen fides etiam actualis, & omnia opera ſalutaria ſunt dona Dei, ut conſtat tùm ex Apoſtolo Ephes. 2. *Gratiâ eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt: non ex operibus, ne quis glorietur. Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto JEſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus:* tùm ex Concilio Tridentino declarante merita noſtra eſſe dona Dei. Igitur omnis actus & conſenſus ſalutaris eſt donum Dei, quatenus Deus per gratiam efficacem gratis datam facit non ſolùm, ut poſſimus velle, ſed etiam ut re ipſa velimus bonum ſalutare.

Inſt. 4to. Perſeverantia finalis cadit ſub meritum, non quidem de condigno, ſed de congruo. Ergo non præparatur vi electionis gratuitæ.

Reſp. neg. conſ. Perſeverantia finalis gratuitò donatur non ſolùm parvulis, & multis adultis eam de congruo non merentibus, ſed etiam illis, qui eam per meritum aliquod de congruo impetrant: ideoque gratis præparata fuit. Nam Deus gratuitò donat in tempore, & ab æterno præparavit gratiam efficacem, per quam illi perſeverantiam impetrant. Prætereà ex argumenti propoſiti antecedente ſequitur tantùm, quòd perſeverentia finalis præparata fuerit ſecundùm ordinem executionis illis, qui eam impetrant ex prævisione abſoluta alicujus meriti de congruo. At in ordine intentionis gratuitò præparata fuit efficaciter ante abſolutam prævisionem cujusvis meriti, & ſecundùm hunc ordinem meritum de congruo per quod impetratur perſeverantia, eſt effectus gratuitæ ejus præparationis. Nam meritum de congruo, *per quod*, ut loquitur S. Auguſtinus (z), *ſuppliciter emereri*, id eſt, oratione impetrari perſeverantia finalis poteſt, oratio ipſa ſcilicet, *eſt etiam donum Dei:* quod proinde non donatur à Deo in tempore, niſi quia fuit ab æterno gratuitò præparatum, & quidem ex efficaci voluntate perſeverantiæ, ad quam tanquam medium ad finem ordinatum fuit.

Porro

(z) *Lib. de dono perſever. c. 6.*

Digitized by Google

Porro Perſeverantiam finalem eſſe donum Dei, ideoque beneficium gratuitò datum, conſtat tùm ex dictis, tùm ex Apoſtolo Philip. cap. 2. v. 12. & 13. *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini. Deus eſt enim, qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate:* hoc eſt, pro ſuo beneplacito ac ſua mera benevolentia. Quantò magis pro ſuo mero beneplacito operatur in nobis perſeveranter velle & perficere: tùm ex praxi Eccleſiæ, quæ perpetuò orat pro fidelibus, ut perſeverent. *Eccleſia*, inquit S. Auguſtinus (*a*), *orat, ut credentes perſeverent: Deus ergo donat perſeverantiam uſque in finem.* Enim verò non petitur à Deo, niſi quod ab eo donatur. Denique S. Auguſtinus datâ operâ librum de dono perſeverantiæ ſcripſit, ut hanc veritatem ex Scriptura & Traditione contra Semipelagianos oſtenderet.

274 Ob. 8vo. Si nulla detur cauſa prædeſtinationis ad gratiam ex parte prædeſtinati, verùm Deus hunc potiùs quàm illum prædeſtinet, præcisè, quia vult, tunc erit acceptio perſonarùm & iniquitas apud Deum. Falſum conſequens. Ergo, &c.

Reſp. neg. ſequel. Maj. Nam accipere perſonam eſt indigno vel minùs digno dare, quod digniori aliqua ratione debetur. Deus autem hunc non illum prædeſtinando, nihil dat indigno, vel minùs digno, quod digniori debetur, cùm uterque æqualiter indignus ſit; ſed duntaxat miſericordiam uni præſtat, non alteri indigno. Non idcircò igitur Deus eſt acceptor perſonarum: multò minùs eſt injuſtus in dando, quia non dat uni quidquam ad quod jus habeat alter, cui non dat. Nam gratia & quodlibet donum ſupernaturale non debetur ulli homini; imò omnes homines ante prævisionem abſolutam ullius meriti & demeriti ſunt poſitivè indigni quolibet dono ſupernaturali propter peccatum Adami, quod fuit omnium proprium.

Ob. 9no. Prædeſtinatio eſt electio juxta S. Auguſtinum, lib. de prædeſt. Sanct. cap. 18. ubi ait: *Elegit prædeſtinans nos.* Atqui electio ſupponit dignitatem majorem in eo, qui eligitur præ alio: nam qui ſapienter eligit, id, quod melius eſt, eligit. Ergo prædeſtinatio ſupponit aliquam dignitatem ſeu bonitatem in prædeſtinato, qua caret non prædeſtinatus. Hæc autem major bonitas non poteſt eſſe niſi bonus uſus libertatis prævisus. Ergo, &c. 275

Reſp. Diſt. Maj. Prædeſtinatio eſt electio non ſupponens dignitatem in eo, qui eligitur, conc. maj. Eſt electio ſupponens dignitatem in eo, qui eligitur, neg. maj. Duplex eſt electio, una gratuita, quæ eſt ad gratuita beneficia, & quæ proinde non ſupponit dignitatem in eo, qui eligitur, ſed eam facit; nihilque eſt aliud, quàm gratuita aſſumptio unius, alio relicto. Altera eſt remuneratoria ſeu ad mercedem, quæ ſupponit dignitatem ac diſparitatem electi ab eo, qui relinquitur. Prædeſtinatio autem ad gratiam eſt gratuita electio, quæ nullam dignitatem nec diſparitatem ſupponit, ſed poſteà facit.

§. IV.

De effectibus & proprietatibus prædeſtinationis. 276

Effectuum prædeſtinationis nomine intelliguntur ea, quæ aliqua ratione oriuntur à prædeſtinatione tanquam à cauſa ſive ſupernaturalia ſint ſive naturalia.

(*a*) *Lib. de dono perſever. c. 7.*

Effectus ergò prædeſtinationis ſunt illa omnia & ſola, quæ à Deo volita ſeu decreta ſunt ex ſpeciali affectu erga ſalutem prædeſtinati, & ad eam re ipſa conducunt ſive per modum meriti, ejusve principii, ſive per modum occaſionis, aut amotionis impedimenti, ſive quovis alio modo ex ordinatione & intentione divina. Hinc gratia actualis & habitualis, bona opera, perſeverantia finalis, & gloria ſunt effectus adæquatus prædeſtinationis per ſe primariò intentus; nam iſta donantur à Deo vi prædeſtinationis, & cætera omnia ad hos effectus ordinantur. Effectus verò ſecundarii ſunt gratiæ internæ, miracula, prædicatio, libri pii, exempla virtutum, nativitas ex Catholicis ac probis parentibus, recta educatio, inſtructio, morbi, calamitates, flagella à Deo immiſſa ad ſalutem electorum, vita longior, vel mors præmatura, quando eſt occaſio ſalutis; imò & permiſſio peccati, quando permittitur ad bonum prædeſtinati, ut indè humilior & cautior fiat, ut Deum adeò in ſe miſericordem perfectiùs amet, ut deinceps de ſe non præſumat, ſæpiùs ac ferventiùs oret, bona opera & plura perfectiùs præſtet, &c. Item bona ordinis naturalis per accidens & ex ordinatione divina ſunt in electis, qui iis rectè utuntur ad Dei gloriam & propriam ſalutem, effectus ſecundarii prædeſtinationis; nam eorum bonus uſus ex gratia factus conducit ad merita & actus virtutum. Hinc illud Apoſtoli Rom. cap. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti.*

Quantùm ad proprietates prædeſtinationis eæ reduci poſſunt ad certitudinem & immutabilitatem, concordiam cum libertate creata, & definitum prædeſtinatorum numerum.

Semipelagiani adversùs doctrinam S. Auguſtini circa prædeſtinationem, iſtud, inter alia multa, incommodum urgebant, quòd ſi definitus ac certus foret numerus prædeſtinatorum, ita ut nec augeri nec minui poſſet, ex utraque parte ſuperfluus labor ſit; ſi nempe rejectus nulla induſtria poſſit intrare, neque electus ulla negligentia poſſit excidere. Ita referunt SS. Proſper & Hilarius ſcribentes ad S. Auguſtinum.

Calviniſtæ, non tantùm certam in ſe eſſe ajunt prædeſtinationem, ſed etiam unumquemque fidelium de ſua prædeſtinatione certum eſſe debere ac ſecurum contendunt.

CONCLUSIO I. 277

Certa eſt ac immutabilis prædeſtinatio. Prob. 1mo ex Scriptura. Joan. 6. v. 36. *Hæc eſt autem voluntas ejus qui miſit me Patris*, inquit Chriſtus, *ut omne, quod dedit mihi non perdam ex eo.* Et cap. 10. v. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas; & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Per oves hîc intelliguntur electi. Denique 2. Tim. 2. v. 29. *Firmum fundamentum Dei ſtat. Habent ſignaculum hoc: cognovit Dominus qui ſunt ejus.* Inde eſt, quòd qui à gratia ad peccatum, à veritate ad errorem deficiunt, ſi in eo ſtatu perſeverent, ii non cenſentur eſſe de numero prædeſtinatorum, de quibus dicitur 1. Joan. 2. v. 19. *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiscum.*

Prob. 2do. Ex S. Auguſtino lib. de corrept. & gratia, c. 7. ubi de prædeſtinatis hæc ait: *Horum ſi quisquam perit, fallitur Deus: ſed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum ſi quisquam perit, vitiô humanô vincitur Deus: ſed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.* Ergo ex S. Auguſtino tantâ & adeò

Digitized by Google

adeò immutabili certitudine certum eſt, nullum prædeſtinatum eſſe periturum, quantâ certum eſt, Deum nunquam eſſe fallendum, aut humanô vitiô vincendum. Atqui hoc eſt certum certitudine ſumma. Ergo & illud.

Prob. 3tio Ratione. Quia prædeſtinatio eſt actus intellectûs & voluntatis divinæ. (*b*) Atqui Deus certiſſimè omnia novit, & quæcunque voluit fecit. Ergo prædeſtinatio eſt certa & immutabilis.

Item, abſoluta & efficax voluntas Dei omniſcientis & omnipotentis ſumma certitudine aſſequitur finem intentum nec mutari poteſt. Ex hypotheſi enim, quòd Deus ſemel vult aliquid, non poteſt non velle ab æterno & pro æterno id quod vult, nec poteſt deſinere velle aut nolle, quod ſemel voluit aut noluit. Unde ſalus prædeſtinati eſt certa & infallibilis ex parte Dei, & quod ſemel voluit, ſemper vult, alioqui non eſſet immutabilis, atque in aſſequendo finem ſuum falli poſſet.

278 CONCLUSIO II.

Nullus ſine ſpeciali revelatione certus eſſe poteſt de ſua prædeſtinatione.

Prob. 1mo. Ex Scripturis. Eccleſiaſtis 9. v. 1. *Neſcit homo utrum amore an odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſervantur incerta.* Rom. 11. v. 20. *Tu autem fide ſtas: noli altum ſapere, ſed time.* 1. Corinth. 10. v. 12. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat, ne cadat.* Et cap. 4. v. 4. de ſeipſo dixerat Apoſtolus: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum.* Unde Philip. 2. v. 12. concludit, *Cum metu ac tremore veſtram ſalutem operamini.* Hæc porro anxietas, hæc timoris incuſſio excludit certam & firmam de futura ſalute ſecuritatem & omnimodam confidentiam ſeu fiduciam.

Prob. 2do. Ex S. Auguſtino lib. de corrept. & grat. cap. 13. ubi, *Quis*, inquit, *ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero prædeſtinatorum ſe eſſe præſumat?*

Denique Concilium Trident. concluſionem noſtram definit Seſſ. 6. Can. 16. his verbis: *Si quis magnum illud usque in finem perſeverantiæ donum ſe certò habiturum, abſolutâ & infallibili certitudine dixerit, niſi hoc ex ſpeciali revelatione didicerit, anathema ſit.* Et cap. 12. dixerat: *Nemo, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædeſtinationis myſterio usque adeò præſumere debet, ut certò ſtatuat, ſe omninò eſſe in numero prædeſtinatorum: quaſi verum eſſet, quòd juſtificatus aut ampliùs peccare non poſſit, aut ſi peccaverit, certam ſibi reſipiſcentiam promittere debeat: nam niſi ex ſpeciali revelatione ſcire non poteſt, quos Deus ſibi elegerit.*

CONCLUSIO III. 279

Certus ac determinatus eſt numerus prædeſtinatorum.

Certè hæc Concluſio neceſſariò ſequitur ex prima; enimverò ſi certa & immutabilis eſt prædeſtinatio; cùm non omnes ſint prædeſtinati; tunc neceſſariò ſequitur determinatum eſſe eorum, qui prædeſtinati ſunt, numerum, qui tamen, prout Eccleſia habet in oratione, quæ ſecretò in Miſſa de Feriis quadrageſimæ recitatur, ſoli Deo cognitus eſt.

(*b*) Unde ſequitur, certitudinem infallibilem prædeſtinationis oriri tum ex præſcientia, tum ex decreto Dei: ex præſcientia quidem, quæ decretum Dei antecedit, ac dirigit, & ex decreto, quod præſcientiam ſupponit ac ſequitur.

280 ## CONCLUSIO IV.

Prædeſtinatio nullam imponit prædeſtinatis neceſſitatem, ſed cum eorum libertate ſtat & conciliatur.

Utrumque teſtatur Scriptura, & hominem eſſe liberum, *quem Deus reliquit in manu conſilii ſui*, Eccleſ. 15. v. 14. & Deum aliquos ad gloriam prædeſtinare, qui mediante gratia bonis operibus ſuis illam merentur. Hæc apud omnes Orthodoxos certa ſunt, quæ Synodus Trident. Seſſ. 6. c. 5. expoſuit, & Can. 4. definivit his verbis: *Si quis dixerit, liberum arbitrium motum & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti ... neque poſſe diſſentire ſi velit, anathema ſit.*

Qua verò ratione ſit explicandum, quomodò libertas cum prædeſtinatione ſit concilianda, operosè quærunt Theologi.

Alii ad unam Dei virtutem & potentiam infinitam recurrunt, qui res quaslibet movet modò ipſis proportionatô, neceſſarias neceſſariô, liberas liberô, & attingit non tantùm actionis ſubſtantiam, ſed & modum ipſum.

Alii, qui prædeſtinationem ex prævisis meritis fieri, uſumque ſcientiæ mediæ ante omne decretum abſolutum admittunt, tuentur, non aliam neceſſitatem ex prædeſtinatione ſequi, quàm quæ ex Dei præſcientia ſequitur, id eſt, neceſſitatem duntaxat hypotheticam & conſequentem, quæ nempe liberam voluntatis determinationem ſequitur.

281 ### *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo contra 1mam Concluſionem. Poſſunt aliqui de Libro vitæ, hoc eſt de numero prædeſtinatorum deleri. Ita Moyſes Exod. 32. v. 32. dicebat: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Et David. Pſal. 68. v. 29. *Deleantur de libro viventium, & cum juſtis non ſcribantur.* Joan. 17. v. 12. *Quos dediſti mihi, cuſtodivi; & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis.* (c) Denique 2. Pet. 1. v. 10. *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* Ergo rata & fixa non videtur prædeſtinatio.

Reſp. neg. ant. Falli enim non poteſt Dei præſcientia, nec ſuo effectu fruſtrari voluntas ejus efficax & abſoluta.

Ad ejus probationem ex cap. 32. Exod. dicimus 1mo. Moyſen poſtulaſſe deleri non quidem de numero prædeſtinatorum, ſed de numero viventium: ſuam nempe propriam vitam in gratiam & ſalutem populi Iſraelitici devovere paratus erat. *Obſecro,* inquiebat Num. 11. v. 15. *ut interficias me, & inveniam gratiam in oculis tuis.* 2do. Si de prædeſtinatione verba Moyſis interpretari volueris, per hyperbolem ſeu piam quamdam exaggerationem, ut propenſam ſuam in populum Dei voluntatem ſignificaret, dixit, *Dele me de Libro vitæ*; ſub iſta tamen tacita conditione, ſi fieri poſſit; quomodò dicebat S. Paulus Rom. 9. v. 3. *Optabam ipſe anathema eſſe pro fratribus meis.*

David Pſal. 68. Non optat damnationis æternæ pœnam iis, qui Prophetas perſequebantur; ſed prænuntiat imminentem ipſis pœnam, niſi reſipiſcant.

Judas, de quo Joan. 17. non erat ex iis diſcipulis, quos Pater ſecundùm propoſitum vocaverat, & dederat filio; ſed erat propriâ ſuâ malitiâ filius perditionis, qui re ipſa periit.

S. Petrus citatô locô hoc unum innuit, prædeſtinationem, quæ in ſe & ex parte Dei certiſſima eſt, nobis certam eſſe non poſſe niſi ex bonis operibus.

Ob. 2do.

(c) Poſſunt ergo nonnulli ex iis, quos Pater Filio dedit, ire in perditionem.

Digitized by Google

282 Ob. 2do. Apoſtolus 1. Corinth. 9. v. 27. timebat, ne cùm aliis prædicaſſet, ipſe reprobus efficeretur. Ergo non exiſtimabat, ratam & certam eſſe prædeſtinationem.

Reſp. diſt. ant. Timebat, quòd ignoraret, an eſſet prædeſtinatus, conc. quòd non crederet, certam & immotam eſſe apud Deum prædeſtinationis ſententiam, neg.

283 Ob. 3tio. Angelus Apocal. 3. v. 11. *Tene quod habes*, inquit, *ut nemo accipiat coronam tuam.* Ergo corona illa poteſt amitti & alteri dari.

Reſp. Coronam, de qua hîc S. Joannes, non eſſe gloriam cœleſtem, ſed fidelem obedientiam & conſtantiam in bono: *Quoniam ſervaſti verbum patientiæ meæ*, ait ibidem v. 10. Angelus, *& ego ſervabo te ab hora tentationis, quæ ventura eſt in orbem univerſum.*

284 Ob. 4to. Si prædeſtinatio eſt ſummè certa, imponit neceſſitatem ſalutis prædeſtinati. Atqui hoc dici nequit. Ergo, &c.

Reſp. Diſt. Maj. Imponit neceſſitatem tantùm extrinſecam ſalutis liberè tamen conſequendæ, conc. neceſſitatem intrinſecam ſalutis neceſſariò conſequendæ, neg. Maj. Deus vult abſolutè & efficaciter, ut prædeſtinatus ſalvetur ſed liberè, ſeu per bona opera meritoria, ideòque liberè facta; ac proinde adhibet media, quæ ex ſe repudiari quidem poſſunt, ſed quæ tamen infallibiliter ſuum obtinebunt effectum.

285 Ob. 5to. Prædeſtinatus poteſt abſolutè mori in ſtatu peccati. Ergo.

Reſp. Diſt. ant. Ex parte prædeſtinati, conc. Ex parte Dei, neg. ant. Ex parte Dei id fieri non poteſt, prout ex antea dictis patet; licèt ex parte prædeſtinati fieri poſſit, quia prædeſtinatus poteſt peccare mortaliter, & nolle converti, vel ab alio occidi in ſtatu peccati; ſed potentiâ, quæ quamvis reduci poſſit in actum, certiſſimè tamen nunquam ad eum reducetur.

Ob. 6to. Si certa ac fixa eſt prædeſti- 286
natio, ita ut numerus prædeſtinatorum augeri vel minui non poſſit; tunc valet iſta Semipelagianorum conſecutio: *Ex utraque parte ſuperfluus labor eſt, ſi neque rejectus ulla induſtria poſſit intrare; neque electus ulla negligentia poſſit excidere;* Ergo nec prædeſtinatus damnari, nec reprobus ſalvari poteſt. Ergo dura & fatalis neceſſitas ſequitur ex doctrina prædeſtinationis.

Reſp. neg ant. Enimverò cùm, ut ſuperiùs dictum, prædeſtinatio noſtra nobis ignota ſit, in eo unicè omnis cura & ſollicitudo noſtra collocari debet juxta mandatum S. Petri, *ut per bona opera certam noſtram vocationem & electionem faciamus.* Vide ea, quæ ſupra §. 2. pag. 126. diximus, ubi ſimile argumentum jam diluimus.

Ob. 7mo contra Concluſionem 2dam. 287
Pro certo habere debemus, aſſiduis orationibus, piisque operibus nos ſalutem à Deo eſſe impetraturos; habemus quippe obligatam Chriſti fidem Marci 11. v. 24. *Omnia quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis.* Atqui poteſt quis certò ſcire, ſe orare. Ergo.

Reſp. diſt maj. Si certò conſtet, nos, ut oportet, orare, conc. ſecus, neg. At certi omninò non ſumus, nos, ut oportet, orare: *Quid oremus, ſicut oportet, neſcimus*, ait Apoſtolus Rom. 8. v. 26. *Sed Spiritus ſanctus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*

Inſt. Rom. 8. v. 16. *Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filii Dei. Si autem filii, & hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Unde 1. Theſſalon. 1. v. 4. idem Apoſtolus ait: *Scientes, fratres dilecti à Deo electionem*

veſtram. Et 2. Tim. 4. v. 7. *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi; in reliquo repoſita eſt mibi corona juſtitiæ.* Denique 1. Joan. 5. v. 13: *Hæc ſcribo vobis*, inquit S. Joannes, *ut ſciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei.* Ergo certi eſſe poſſumus de noſtra prædeſtinatione.

Reſp. neg. conſ. Ad 1mum teſtimonium ex cap. 8. Epiſtolæ ad Rom. Spiritus quidem ſanctus teſtimonium reddit nos eſſe filios Dei ſub certa nempe conditione, *ſi tamen compatimur ut & conglorificemur.* At quia nemo abſolutè certus eſſe poteſt, quo animo quave intentione hac in vita patiatur, Enimverò *Non ſunt condignæ paſſiones bujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*, Rom. 8. v. 18. Ita quoque ex certa ſecuritate ac ſcientia nemo certò ſcire poteſt, ſe filium Dei eſſe, eo modo, qui ſufficiat, ut de ſua prædeſtinatione omninò certus ſit ac ſecurus.

Ad 2dum. Ex cap. 1. Ep. 1. ad Theſſal. Vel Apoſtolus duntaxat loquitur de electione Theſſalonicenſium ad vocationem fidei Evangelicæ, vel ſi de electione ad gloriam, ſpem duntaxat ſuam ac fiduciam, non verò ſecuritatem ac plenam de illorum ſalute certitudinem declarat.

Ad 3tium ex Epiſt. 2. ad Tim. De ſua prædeſtinatione loquitur Apoſtolus, vel ex ſpeciali, quam habuit, revelatione, vel tantùm ex ſpe ac confidentia.

Ad 4tum ex cap. 5. Epiſt. 1. S. Joannis. Qui credunt in nomine Filii Dei, vitam habent æternam in ſpe, non in re, ſeu non ex omnimoda certitudine. Quàm multi enim ſunt, qui fidem, imò & charitatem habent temporalem, à qua deficientes finaliter pereunt!

288 Ob. 8vo contra Concluſionem 4tam. Prædeſtinatio includit efficacia conſequendæ ſalutis media, ſeu gratiam efficacem. Atqui gratia efficax ſtare ſimul non poteſt cum humana libertate, ſiquidem aut voluntas reſiſtere ipſi poteſt, vel non poteſt. Si poteſt; ergo gratia per ſe non eſt efficax, ut quæ ſuo effectu fruſtrari poteſt. Si non poteſt; ergo libera non eſt, ut conſentiat vel non conſentiat. Igitur vel gratiæ ſua virtus & efficacia deperit, vel voluntati ſua libertas.

Reſp. neg. min. ad cujus probationem, diſt. voluntas reſiſtere non poteſt gratiæ efficaci in actu ſecundo conſideratæ, conc. conſideratæ in actu primo, neg. Gratia efficax in actu ſecundo eſt ipſamet formalis actio ſeu motio gratiæ exprimentis voluntatis conſenſum: fieri autem non poteſt, neceſſitate, ut vocant, hypothetica & conſequente, ut voluntas non conſentiat gratiæ, quamdiu ipſi conſentit actu, ſeu ut componat actum cum non actu. Gratia verò efficax in actu primo eſt ipſamet virtus ſeu potentia gratiæ ab ipſo Deo profluens, de ſe apta & nata ad exprimendum voluntatis conſenſum: huic autem gratiæ voluntatem diſſentire poſſe ſi velit, docet fides Catholica. Sicque & gratiæ ſua virtus & efficacia, & voluntati ſua manet libertas.

Caput IX. 289

De Reprobatione.

Eundem hîc ſequemur ordinem quem in tractanda prædeſtinatione tenuimus; ac primò de nomine, definitione, exiſtentia & diviſione reprobationis; tùm de ejus cauſis, denique de illius effectibus diſſeremus.

§. I.

De nomine, definitione, exiſtentia & diviſione reprobationis. 290

Reprobatio ſecundùm nominis Etymologiam generatim idem ſignificat, ac rejectio-

rejectionem. Eo ſenſu utitur Apoſtolus Heb. 7. v. 18. *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus & inutilitatem.* Specialiùs autem Reprobatio hìc idem eſt ac rejectio ſeu excluſio à donis ſupernaturalibus vel gratiæ vel gloriæ, de quibus ſub metaphora dicitur Jerem. 6. v. ult. *Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit illos.* Et 1. Cor. 9. v. 27. *Caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo; ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.*

Reprobi vocantur in Scripturis *Repulſi*, Pſal. 87. v. 6. *Deſpecti*, Eccl. 7. v. 14. *Facti in diem malum*, Prov. 16. v. 4. *Hædi & maledicti*, Matth. 25. v. 34. *Vaſa iræ*, Rom. 9. v. 22. *Vaſa in contumeliam*, 2. Tim. 2. v. 20. *Filii perditionis*, Joan. 17. v. 12. *Præſcripti in judicium & damnationem*, Epiſt. Judæ. v. 4.

Definitur reprobatio à Magiſtro Sent. lib. 1. diſt. 40. *Præſcientia iniquitatis quorumdam, & præparatio damnationis eorumdem.* Qua in definitione præſcientia iniquitatis ſeu malitiæ antecedit pœnæ præparationem.

Durandus in eandem diſt. quæſt. 2. *Reprobatio*, inquit, *eſt prævìſio ineptitudinis alicujus ad vitam æternam, & propoſitum excludendi ab ea.*

S. Thomas 1. part. quæſt. 23. art. 3. *Reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa.* Hæ tres reprobationis definitiones in idem recidunt.

Reprobi igitur ſunt ii omnes & ſoli, qui in ſtatu peccati mortalis moriuntur, & ſic æternùm damnantur: ſive illud peccatum ſit ſolùm originale, ut in parvulis; ſive ſolùm perſonale, ut in adultis baptizatis, ſive utrumque tùm originale, tùm perſonale, ut adultis non baptizatis. Dicuntur reprobi ſeu reprobati, quia rejiciuntur à Deo, nec ad gloriam eliguntur, ſed æternùm damnantur.

291 Exiſtentiam reprobationis probat illud Chriſti Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus.* Ratio etiam eſt, tùm quia eſt in Deo præſcientia malitiæ nonnullorum non finiendæ, & præparatio pœnæ nuſquam terminandæ; illa autem eſt reprobatio: tùm quia pertinet ad providentiam Entis ſupremi, agentis univerſalis ac rerum omnium moderatoris, & proviſoris, ut permittat ad gloriæ ſuæ manifeſtationem nonnullas creaturas intellectuales liberè à ſuo fine deficere, & ita eas conferre ad bonum & utilitatem electorum. *Suſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum*, ait Apoſtolus, Rom. 9. v. 22. *ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ.*

292 Cæterùm Reprobatio perinde ac prædeſtinatio vel totalis eſt & adæquata, quæ omnes ſuos effectùs complectitur; vel partialis & inadæquata ſecundùm aliquem effectum, nempe privationem cujuſcunque gratiæ ſive efficacis, ſive ſufficientis, vel alicujus duntaxat gratiæ uberioris, & efficacis.

293 Rurſus alia dicitur negativa, alia verò poſitiva. Reprobatio negativa eſt excluſio à gloria, id eſt, juxta illos, qui eam propugnant, negatio gratuitæ prædeſtinationis ſeu electionis ad gloriam. Reprobatio poſitiva eſt deſtinatio ſeu inflictio pœnæ æternæ propter peccata, in quibus reprobus finaliter ad extremum uſque ſpiritum perſeverat; ſeu eſt abſoluta & efficax voluntas ſuppliciis æternis damnandi eos omnes, qui in ſtatu peccati mortalis ex hac vita diſcedunt.

Qui pugnant pro gratuita & omnem meritorum prævìſionem antecedente prædeſtinatione, ii conſequènter negativam à gloria reprobationem admittere tenentur, ut per ſe manifeſtum eſt: qui enim non aſſumitur, eo ipſo cenſetur rejectus & reprobatus, ſive dein illa reprobatio

ſit

ſit ſimplex negatio, & actûs ſuſpenſio, ſive ſit actus poſitivus.

Qui verò admittunt & tuentur, prædeſtinationem ad gloriam fieri ex prævifis meritis gratiæ, ii nullam agnoſcunt negativam reprobationem, ſeu excluſionem à vita æterna; niſi poſt prævifionem demeritorum ſeu peccatorum, vel actualium, vel ſaltem originalis, ſi per Baptiſmum dimiſſum illud non fuerit.

Porro hæc de poſitiva & negativa reprobatione controverſia in hoc ſita videtur: utrum nempe, quemadmodum cap. præcedenti §. 1. num. 266. adnotavimus, ſicut quæſtio & lis movetur inter Theologos, an prædeſtinatio ad gloriam ſit merè gratuita, vel ſupponat merita gratiæ; ita etiam detur reprobatio merè negativa, & nulla ſupponens demerita ſeu peccata ſaltem actualia, vel contrà omnis reprobatio ſit poſitiva, atque demerita ſeu peccata reproborum ſupponat.

Quod nos attinet, ſicut priorem de prædeſtinatione ad gloriam controverſiam Scholarum otio ultrò permiſimus, ita etiam hanc de negativa reprobatione quæſtionem cuilibet, cui eſt otium, diſcutiendam relinquimus. Igitur de ſola reprobatione poſitiva nobis ſermo erit; circa quam Eccleſiæ Catholicæ ſenſum adversùs hæreticos & Novatores tueri conabimur.

§. II.

294 ## *De Cauſis reprobationis.*

De una hîc agitur ex parte creaturæ cauſa formali ſeu motiva reprobationis, qua ſcilicet Deus movetur, ut aliquas creaturas reprobet. Quæritur ergo an detur reprobatio poſitiva, & an habeat cauſam ex parte reproborum.

Circa præſens argumentum errarunt tertiô Sæculô Origenes, qui cauſam reprobationis refert ad peccata commiſſa priusquam animæ ad informanda corpora detruderentur.

Sæculô 5tô. Prædeſtinatiani, Lucidus Presbyter & alii. Decimô quintô & ſextô Joannes Hus, Calvinus, Beza, eorumque ſequaces, qui omnes ad duas claſſes revocantur; ad eos ſcilicet, qui Antelapſarii, & eos, qui Poſtlapſarii dicuntur. Antelapſarii dicti ſunt illi, qui cum Calvino lib. 3. Inſt. (*d*) exiſtimant, Deum etiam ante hominis lapſum, & quodcunque ejus prævifum peccatum, ex mero ſuo arbitrio aliquos ad ſempiternum interitum deſtinaſſe, quibus omne ſubſidium gratiæ in tempore denegat; quin & eos, injecta neceſſitate, ad peccandum impellit, imò & miſerè decipit, illuditque ſimulando velle ſe illos juvare, cùm tamen velit perdere. Accedit ad cumulum illuſionis ac deceptionis hujus, quòd in mente Prædeſtinatianorum Sacramenta nihil operentur in reprobis, ſed nuda ſint ac ſterilia ſigna, ex quibus nullum ſpiritualem fructum nequidem ad tempus percipiant.

Verùm durior ac rigidior, nec immeritò, cæteris Calviniſtis, qui Poſtlapſarii dicti ſunt, viſa eſt hæc Calvini ſententia; ideoque cenſuerunt, nonniſi poſt prævifum hominis (*e*) lapſum, homines à Deo reprobari, ſeu excludi à gloria, & ad æterna ſupplicia deſtinari, ac poſtmodùm in tempore ad peccandum impelli. Ad iſtam tandem ſententiam rediiſſe videtur Calvinus, lib. 2. Inſt. c. 5. num 1. Eſtque priore quidem mollior, erronea tamen & hæretica in eo, quòd peccatum originale, etiam poſt Baptiſmum remiſſum, velint eſſe primam & radicalem cauſam reprobationis, atque per

(*d*) *Cap.* 18. *num.* 3. & 4. *Item cap.* 22. *n.* 3. & 11. *c.* 23. *n.* 2. & 9. *c.* 24. *num.* 12. & 13.
(*e*) Adami, ſeu peccatum originale.

Digitized by Google

per illud induci peccandi neceſſitatem: Eam tamen ampleƈti videtur Janſenius Iprenſis, lib. 10. de Gratia Chriſti cap. 2. His prænotatis ponitur.

295 CONCLUSIO I.

Datur Reprobatio poſitiva. Prob. Reprobatio poſitiva eſt abſoluta & efficax voluntas damnandi ſuppliciis æternis omnes, qui moriuntur in ſtatu peccati mortalis. Atqui datur in Deo hæc voluntas. Ergo & reprobatio poſitiva.

Prob. min. Nam Deus re ipſa eos omnes, qui in ſtatu peccati mortalis moriuntur, damnat ſuppliciis æternis. Ergo Deus ab æterno habuit voluntatem abſolutam & efficacem eos damnandi ſuppliciis æternis: Deus enim ea tantùm facit in tempore, quæ abſolutè, & efficaciter facere voluit ab æterno: nam Deus nihil facit in tempore, quod ab æterno non voluerit facere, cùm omnis voluntas Dei ſit æterna.

296 CONCLUSIO II.

Reprobatio poſitiva habet cauſam ex parte reproborum, nempè peccatum mortale abſolutè prævisum.

Prob. 1. Ex Scripturis, Matth. 25. v. 41. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus: eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare, &c.*

Prob. 2do ex SS. Patribus. Tertullianus, lib. de præſcrip. cap. 8. *Judæi*, inquit, *retrò penes Deum fuerant; dehinc rejecti ob delicta, extra Deum eſſe cœperunt.*

S. Baſilius, in Conſtitutionibus Monaſticis: *Qui à Deo ſe optat juvari*, ait, *ſuo non deeſt officio: Qui autem officio non deeſt, nunquam divinô auxiliô deſtituitur.* Ergo qui à Deo non juvatur & divinô auxiliô deſtituitur, quia officio ſuo deeſt, & peccat, adeoque damnatur.

S. Chryſoſtomus, lib. 1. ad Stagirium, num. 6. aliàs lib. 1. de Providentia c. 6. *Si ex dilectione*, inquit, *correptio, ex odio verò derelictio eſt; neque ejusdem eſt quempiam ſimul amare & odiſſe, neque corripere ſimul & derelinquere. Quomodò ergo*, *inquies*, *multi corruerunt; ſe ipſos illi Deô privaverunt, non autem à Deo derelicti ſunt.* Per peccata ſua nempe ſe ipſos Deô privaverunt, & æternùm damnati ſunt.

S. Auguſtinus multis in locis Concluſionem noſtram firmat. Lib. 3. contra Julianum cap. 18. *Bonus eſt Deus*, inquit, *juſtus eſt Deus: poteſt aliquos ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt, non poteſt quemquam ſine malis meritis damnare, quia juſtus eſt.*

Lib. 13. de Civit. cap. 15. *Ad malum quippe ejus* (Creaturæ) inquit, *prior eſt voluntas ejus; ad bonum verò ejus, prior eſt voluntas Creatoris ejus.*

Magiſtrum ſequuntur fideliſſimi diſcipuli Proſper & Fulgentius. S. Proſper in tertia reſponſione ad Capitula Gallorum *Quòd hujusmodi*, inquit, *in hæc prolapſi mala, ſine correctione pœnitentiæ defecerunt, non ex eo neceſſitatem habuerunt, quia prædeſtinati non ſunt: ſed ideo prædeſtinati non ſunt, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præſciti ſunt.*

S. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 24. *Prædeſtinavit*, inquit, (Deus) *illos ad ſupplicium, quos à ſe præſcivit voluntatis malæ vitiô diſceſſuros.*

Prob. 3tio. Ex Conciliis. Ex Arauſicano II. (*f*) Can. 25. ubi ſic ſtatuit. *Aliquos*

(*f*) Anno 525.

Aliquos ad malum divina poteſtate prædeſtinatos non ſolùm non credimus, ſed etiam, ſi ſunt, qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione illis anathema dicimus. Ergo ex iſto Concilio reprobi ad malum & æternam damnationem per peccata ſua deſtinantur, & propter ea duntaxat à Deo damnantur.

Ex Valentino III. Can. 3. ubi, *Fatemur*, inquiunt Epiſcopi, *prædeſtinationem electorum ad vitam, & prædeſtinationem impiorum ad mortem; in electione tamen ſalvandorum miſericordiam præcedere meritum bonum, in damnatione autem perditorum meritum malum præcedere juſtum Dei judicium.*

Ex Tridentino Seſſ. 6. Can. 17. ubi, *Si quis*, inquit, *juſtificationis gratiam nonniſi prædeſtinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos verò omnes, qui vocantur, vocari quidem, ſed gratiam non accipere, utpotè divina poteſtate prædeſtinatos ad malum; anathema ſit.* Ergo reprobi non divina poteſtate ſed propter ſua delicta à Deo prædeſtinantur ad malum & damnationem.

Prob. 4to. Ratione. Quia voluntas damnandi antecedens præviſionem cujuslibet peccati abſolutè futuri, qualem admittit Calvinus, non ſolum repugnat divinæ bonitati, & voluntati ſinceræ ſalvandi omnes homines, quam Scriptura & Traditio docent, noſque ſupra cap. 6. §. 7. pag. 98. fusè demonſtravimus, ſed etiam juſtitiæ. Nam ſicut eſt injuſta damnatio & inflictio pœnæ ſine juſta cauſa, qualis eſt ſola culpa: ita & injuſta eſt voluntas damnandi, & infligendi pœnas æternas ſine juſta cauſa, nempe culpa gravi. *Omnis pœna, ſi juſta eſt, peccati pœna eſt, & ſupplicium nominatur*, inquit S. Auguſtinus lib. 3. de libero arbitr. c. 18.

Porro qui juſtificati ſunt per Baptiſmum damnari non poſſunt niſi propter peccatum mortale perſonale. Quia per Baptiſmum tollitur omnis reatus culpæ & pœnæ æternæ. Unde de Baptizatis Apoſtolus Rom. cap. 8. ait: *Nihil ergo nunc damnationis eſt in iis, qui ſunt in Chriſto JEſu.* Id eſt, juſtificatis per Baptiſmum nulla eſt jam damnationis cauſa, ut explicat Concil. Trident.

Ex dictis patet, quàm impia ſit ſive Antelapſariorum ſive Poſtlapſariorum opinio, aſſerentium, Deum ex ſolo ſuo beneplacito, & ſine ullo prævio peccato præviſo nonnullos homines poſitivè reprobaſſe, ac æternis deſtinaſſe ſuppliciis. *Numquid*, inquit Deus apud Ezechiel. 18. v. 23. *voluntas mea eſt mors impii, . . . & non ut convertatur à viis ſuis & vivat?* Item Sap. 1. v. 15. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum.* Et cap. 11. v. 25. *Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ ſunt.* 2. Pet. 3. v. 9. *Patienter agit propter vos nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti. &c. &c.*

Solvuntur Objectiones. 297

Ob. 1mo. Prov. 16. v. 4. dicitur, *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum.* Ergo Deus ex ſolo ſuo beneplacito & ſine ullo prævio præviſo peccato impium ad æterna ſupplicia deſtinat.

Reſp. neg. conſ. Deus omnia propter ſuam gloriam fecit, ita ut eam etiam ex peccatoribus illum inhonorantibus percepturus ſit, manifeſtando in eorum punitione ſuam potentiam, juſtitiam, &c. Unde voluntate tantùm conſequente impium deſtinavit ad malum, id eſt, ad vindictæ diem; quo in ejus punitione glorificaturus, & manifeſtaturus eſt juſtitiam ſuam, &c. *Meliùs enim judicavit de malis benè facere, quàm nulla mala permittere*, ait S. Aug. Enchir. c. 27.

Ob. 2do.

Digitized by Google

298 Ob. 2do. Rom. 9. v. 11. Eſau reprobus factus eſt ex ſola Dei voluntate, antequam quidquam mali egiſſet; ſicut Jacob prædeſtinatus eſt, priusquam quidquam egiſſet boni: *Cùm nondum nati fuiſſent*, inquit de ambobus Apoſtolus, *aut aliquid boni egiſſent aut mali (ut ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret) non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei: Quia major ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi, Eſau autem odiô habui.* Ergo.

Reſp. 1mo. Veriſſimam eſſe ad rigorem litteræ iſtam propoſitionem Apoſtoli, Antequam quidquam boni vel mali egiſſent in temporè, Deus ab æterno Jacob dilexit, & Eſau odiô habuit, quia iſtum mala, illum verò bona aliquando operaturum eſſe prænovit. Unde neg. conſ.

Reſp. 2do. Hunc Apoſtoli textum non intelligi debere de bonis vel malis æternæ vitæ, ſed de temporalibus hujus vitæ, Deus igitur Jacob dilexit, cui dedit terram fluentem lacte & melle; Eſau verò odiô habuit, qui ſortitus eſt terram ſterilem ac deſertam. Commodum illud, vel incommodum temporale expreſſit ſacer contextus his verbis, *Major ſerviet minori.* Quod quidem in perſonis Eſau & Jacob impletum non fuit, ſed in populis ab utroque genitis; tempore quippe Davidis, Idumæi ex Eſau orti ſubditi fuêre ditioni Iſraëlitarum, 2. Reg. c. 8. v. 14. Inde eſt, quòd cùm apud Malachiam cap. 1. dixiſſet Deus, *Jacob dilexi, Eſau autem odiô habui*, ſtatim exponat, quomodò unum dilexerit, & alium odiô habuerit, his verbis: *Poſui montes ejus* (Eſau) *in ſolitudinem, & hæreditatem ejus in dracones deſerti.*

Reſp. 3tio. Si textus hic nihilominus ad ſpiritualem prædeſtinationis & reprobationis ſenſum transferri debeat, dicimus, Eſau reprobatum fuiſſe antequam quidquam mali propria voluntate egiſſet, non verò antequam aliena voluntate quidquam mali egiſſet, nempe voluntate primi parentis, in quo omnes peccaverunt. Apoſtolus hîc de una loquitur prædeſtinatione ad gratiam & reprobatione ab ea, ut evidenter docet S. Auguſtinus Epiſt. 186. aliàs 106. ad Paulinum, ubi Jacob & Eſau in communi quidem maſſa perditionis incluſos fuiſſe affirmat, ex qua Jacob per miſericordiam liberatus fuit, Eſau verò per juſtum judicium non fuit liberatus. Non tamen ab omni penitùs gratia excluſus cenſeri debet Eſau; ſiquidem etiam ſuppoſita labe peccati originalis, Deus verè ac ſincerè vult omnes homines ſalvos fieri, prout fusè probavimus ſupra cap. 7. §. 7. à pag. 97. Iſtud ergo *odiô habui*, idem ſignificat ac minùs dilexi, phraſi Scripturæ ſatis familiari: ſicut Deut. 21. v. 15. *Si habuerit homo duas uxores, unam dilectam, alteram odioſam.* Et Matth. 6. v. 24. *Nemo poteſt duobus dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget.* Unum odiô habebit, id eſt, minùs diliget. Nempe Deus gratiam aliquam reprobis indulget, ſed minorem quam electis.

Ob. 3tio. Patres aliqui dicunt, re- 299
probos prædeſtinatos eſſe ad ſupplicium æternum.

Reſp. His verbis intelligunt reprobos ab æterno deſtinari ad ſupplicium æternum propter demerita ſua abſolutè præviſa.

§. III.

De effectibus reprobationis. 300

Propriè & accuratè loquendo, per reprobationem intelligitur vulgò rejectio à gloria, & inflictio pœnæ æternæ. Ut aliquid ſit effectus reprobationis Duo requiruntur, 1mo ut ſit à Deo, quippe Deus, qui abjicit & reprobat impium, eſt cauſa efficiens reprobationis. 2do ut

ad finem reprobationis conducat, nempe ad damnationem æternam. Quæritur ergo, utrum peccatum, permiſſio peccati, perſeverantia in peccato, obduratio & excæcatio, denique pœna damni & ſensûs ſint effectus reprobationis. Quæ, cùm exiguam imò nullam habere videantur difficultatem, ſuccinctè enucleabimus.

1mo videtur, quòd peccatum formaliter ſumptum quatenùs eſt malum culpæ non ſit effectus reprobationis. Quia effectus reprobationis à Deo eſſe debet, ut dictum, atqui peccatum formaliter ſumptum non eſt à Deo; *Deus enim nemini mandavit impiè agere.* Eccli. 15. v. 21. ſed à ſolo peccatore. Ergo.

2do. Permiſſio tamen peccati actualis, quod nusquam remitti debet, poteſt dici effectus reprobationis; quia 1mo ea permiſſio eſt à Deo, Deus enim peccatum permittit. 2do conducit ad finem reprobationis ſeu damnationem æternam, utpote quod nusquam remittatur.

3tio. Perſeverantia in peccato quatenus includit gratiæ uberioris privationem & permiſſionem peccati in pœnam culpæ præcedentis eſt etiam effectus reprobationis. Conſtat ex Scripturis Pſal. 80. v. 13. *Dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus ſuis.* Rom. 1. v. 21. *Cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. . . . . Propter quod tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ . . . in reprobum ſenſum, ut faciant ea, quæ non conveniunt.*

4to. Excæcatio & obduratio in impiis qui ſunt ex reproborum numero, ſunt etiam effectus reprobationis: ſunt enim idem ac integra hominis derelictio. Atqui integra hominis derelictio eſt effectus reprobationis; nam à Deo eſt, & ad æternam conducit damnationem, quæ eſt finis reprobationis. Ergo.

5to. denique Æterna tùm damni, quæ in privatione Dei conſiſtit, tùm ſenſûs, quæ in cruciatibus æternis continetur, pœna eſt effectus reprobationis à gloria: quia utraque infligitur à Deo juſto peccati vindice. Matth. 25. v. 41. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum: eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare, &c.* Faxit Deus, ut per bona opera noſtra certam noſtram vocationem ac electionem faciamus.

PARS

Digitized by Google

PARS SECUNDA

301 *De Deo Trino, ſeu de auguſtiſſimo SS. Trinitatis Myſterio.*

MYſterium SS. Trinitatis eſt omnium Religionis Chriſtianæ ſublimiſſimum & intellectu difficillimum, de quo S. Auguſtinus, lib. de Trinit. cap. 3. ait: *Nec periculoſiùs alicubi erratur, nec laborioſiùs aliquid quæritur, nec fructuoſiùs aliquid invenitur.* Ut ergo ex illius tractatione ſperatum percipiamus fructum, cavendum inprimis nobis erit, ne circa ea, quæ de illo quæſituri & inveſtigaturi ſumus, vel minimum errorem admittamus.

Porro ſecundam hanc Tractatûs noſtri de Deo partem quinque Capitibus comprehendemus; in quorum 1mo de exiſtentia SS. Trinitatis; in 2do de proceſſione divinarum perſonarum; in 3tio de divinis relationibus; in quarto de perſonis in commûni; in 5to. denique de divinis perſonis in particulari agemus.

302 CAPUT PRIMUM.

De exiſtentia SS. Trinitatis.

Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium in eo poſitum eſt, quòd una divina eſſentia in tribus perſonis realiter à ſe invicem diſtinctis ſubſiſtat. Sanctiſſima igitur Trinitas conſiſtit in tribus perſonis divinis realiter à ſe invicem diſtinctis, quæ unam & eandem numerô divinitatem habeant, ſintque unus Deus: ſive conſiſtit in tribus perſonis, quæ ſint unus Deus propter identitatem naturæ divinæ. Tria igitur præſenti capite nobis aſſerenda & probanda veniunt. 1mo. Trinitas perſonarum in divinis. 2do. Unitas naturæ ſeu eſſentiæ. 3tio. denique expendendum an myſterium iſtud cognoſci poſſit ratione naturali.

§. I.

De Trinitate perſonarum in divinis. 303

Trinitatem perſonarum in Deo præter Judæos, qui per eam Deorum pluritatem invehi contendunt, negarunt plurimi Hæretici; vel circa eam varios protulerunt errores.

1mo. Simon Magus Getthis oriundus vicô Samariæ, paulò pòſt Chriſti mortem docuit, ſe ipſum eſſe Trinitatis perſonam, qui Judæis quaſi Filius apparuit, in Samaria autem quaſi Pater deſcendit, reliquis verò gentibus, quaſi Spiritus ſanctus adventavit. Ita S. Irenæus, lib. 1. adversùs Hæreſes c. 23.

2do. Annô 145. Valentinus vir perditæ mentis, ſi quis unquam fuit, tametſi ingeniô potens & eloquiô, inter infinita alia errorum figmenta & deliria totam Trinitatem paſſam fuiſſe docuit. Ita Athanaſius, lib. 2. contra Apollinarium.

3tio. Eodem Sæculô ſecundò circa annum Chriſti 172. quidam è Secta Mon-

taniſtarum, qui Cataphrygæ & Pepuſiani dicebantur, à regione Phrygiæ, ex qua oriundus erat Sectæ hujus parens Montanus, & à Pepuſa illius regionis oppidulo, ubi frequentiores conventus habebant, tuebantur, teſte Tertulliano, l b. de præſcript. cap. 52. Chriſtum eſſe Filium ſimul & Patrem.

4to. Annô 196. Praxeas Aſiaticus Montaniſtis adhærens, primus omnium hanc hæreſimRomæ propugnavit: *Praxeas*, inquit Tertullianus lib. de præſcript. cap. ult. *hæreſim introduxit. Hic Deum Patrem omnipotentem JEſum Chriſtum eſſe dicit; hunc crucifixum paſſumque contendit & mortuum: præterea ſe ipſum ſibi ſedere ad dexteram ſuam.*

5to. Circa annum Chriſti 245. prodiit Noëtus, Anoëtus meritò dicendus, id eſt, mentis inops ac ſtolidus, ait S. Epiphanius Hæreſi 57. Is Epheſius fuit, ſi Epiphanio locô mox citatô credimus. Aſſerebat Patrem & Filium & Spiritum ſanctum non naturâ ſolùm, ſed etiam perſonâ unum & ſingularem eſſe Deum, iis Scripturæ fretus teſtimoniis, qui plures Deos planè rejiciunt; ipſumque adeò Patrem paſſum eſſe contendebat.

6to. Famoſiſſimus fuit Sabellius, à quo Sabelliani dicti quotquot poſt ipſum perſonarum realem in Deo diſtinctionem rejecerunt. Is Ptolemaïde in Lybia natus circa annum Chriſti 257. hæreſim ſuam propugnavit, nempe unam eſſe in Deo perſonam ſicut eſſentiam ſub triplici appellatione, Patris, & Filii, & Spiritus ſanct. Adversùs illius hæreſim nominatim ſcripſit S. Dionyſius Alexandrinus Epiſtolam ad Xiſtum Romanum Pontificem. Vid. Euſeb. edit. Valeſianæ lib. 7. Hiſt. c. 6.

Omnes hi Hæretici dicti ſunt Patripaſſiani, quia Patrem paſſum eſſe profitebantur.

Poſt Sabellium multi eodem errore infecti ſunt, ut Paulus Samoſatenus, Epiſcopus circa an. Chriſti 265. Photinus, Priſcillianiſtæ & alii. Hi ſunt præcipuè Hæretici, qui quantùm novimus, diſtinctas realiter perſonas in Deo negaverunt.

Qui verò divinarum SS. Trinitatis perſonarum conſubſtantialitatem, ſeu Eſſentiæ unitatem impugnârunt hi recenſentur. 304

1mo. Valentinus, de quo ſupra; hic enim Pleroma (*g*) inviſibile ac ſpirituale ex pluribus Æonibus (*h*) conſtituebat in Deo. Animô vix concipi poteſt, quot inſana deliria Valentinus iſte excogitaverit, de quibus S. Irenæus, & Tertullianus.

Cerdo Marcionis Magiſter duos Deos admiſit. Ex Tertulliano lib. 1. contra Marcionem c. 2.

Marcion totidem admiſit, alterum bonum, malum alterum. Ex eodem ibidem c. 15.

Appelles Marcionis diſcipulus docuit, teſte S. Epiphanio hæreſ. 44. *Unum eſſe bonum Deum, qui . . . alium produxit Deum à quo cælum & terra, cæteraque omnia, quæ in hoc mundo cernimus creata ſunt.*

Eundem errorem Appollinari tribuit S. Gregorius Nazianzenus Epiſt. 1. ad Cledonium Presbyterum.

Tritheitæ, quorum ſignifer fuit Joannes Philiponus, non infimi nominis Sæculô quintô Philoſophus; admittebant unam quaſi ſpecie tribus perſonis communem ac per omnia ſimilem & conſubſtantialem ſubſtantiam & naturam deitatis, tres verò in illis numerô diſtinctas ſubſtantias & naturas, eo ferè modo, quo una ſpecifica natura humana in multis hominibus, numerô tan. e. diſtincta, &, pro

(*g*) Cumulus ſeu multitudo. (*h*) Æone ſæculum item æternitatem ſignificat.

Digitized by Google

pro multiplici hominum numero, diviſa & multiplex eſt. Ex quo proclive erat inferre, tres eſſe deitates ac tres Deos numerô diſtinctos, ſicut Petrus v. g. Paulus & Joannes ſunt tres homines. Non auſi fuerunt tamen confiteri tres eſſe deitates ac tres Deos.

Abbas Joachim, cujus doctrina in Concilio Lateranenſi III. damnata fuit, ſtatuebat tres perſonas ſola collectione eſſe unum Deum, ſicut plurimi cives ſunt unus populus: per ſe ſe ergo nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum ſanctum eſſe Deum; ſed ex iis ſimul junctis Deum coaleſcere. Iis non multùm abſimilis hac in parte, quos jam recenſuimus.

305 Qui Verbi divini ac Chriſti divinitatem impugnárunt, ſunt

1mo. Cerinthus, qui docuit, Chriſtum Dominum ex Joſepho & Maria fuiſſe viâ ordinariâ genitum; Is Sæculô 1mô Eccleſiæ vixit.

2do. Eodem Sæculo Ebion, unde dicti Ebionitæ Cerinthi blaſphemiam imitatus, contendebat Chriſtum, utpote purum hominem, communi cæterorum more ex Joſepho & Maria ortum fuiſſe. Ita teſtatur Euſeb. lib. 6. cap. 17. Theodoretus, lib. 2. Hæretic. fabul. cap. 1. & alii.

3tio. Paulus Samoſatenus ita dictus, ait S. Epiphanius, Hæreſi 65. quia Samoſatis in Syria Euphrateſiâ natus eſt, circa annum 260. Epiſcopus Antiochenus creatus fuit. Aſſerebat, Chriſtum purum hominem eſſe. Ita Euſeb. lib. 7. cap. 28. 29. &c.

4to. Arius ex Lybia ortus, teſte S. Epiphanio, majori ad omne genus projectâ audaciâ Verbi ac Chriſti divinitatem oppugnavit, ac docuit eum eſſe meram creaturam in tempore à Deo creatam, initiô Sæculi 4ti. (*i*)

5to. Servetus natione Hiſpanus, profeſſione Medicus, annô 1531. Arianorum perfidiam renovavit, vel etiam auxit, editis ſeptem libris, quos inſcripſit, *De erroribus Trinitatis.* Genevæ combuſtus fuit promovente Calvino.

6to. Servetus impietatis ſuæ ſocium habuit Valentinum Gentilem, qui ſimiliter apud Helvetios eadem ex cauſa ſupplicio addictus eſt.

7mo. Lælius Socinus Fauſti patruus Sectæ totius caput, nobilis Senenſis, Calvinianæ doctrinæ placitis primùm innutritus, eò usque errando illa protendit, quò ipſa per ſe ſe ducunt, ad omnem ſcilicet, excuſſa Eccleſiæ auctoritate, Religionis ſubverſionem. Docuit 1mo tres in Deo non eſſe diſtinctas perſonas, ſed unum ſolummodò naturâ & perſonâ Deum. Idem docuerant Valentinus, Praxeas, Noëtus, Sabellius, &c. 2do. Solum Patrem eſſe Deum illum unum & ſummum, æternum & immutabilem, ut naturâ ſic & perſonâ unicum. 3tio. Verbum Patris ſeu Filium, meram eſſe creaturam ex non extantibus conditam, quamquam aliis creaturis nobiliorem. Erat hoc ipſummet Arianorum dogma. 4to. Chriſtum eſſe purum hominem

(*i*) Sectatores Arii poſt Concilium Nicænum in tres Claſſes diviſi ſunt, teſte S. Epiphanio hæreſ. 73. & 74. Alii nudè & planè Filium Patri diſſimilem profitebantur, hinc vocati ſunt Anomæi à nomine Græco, quod ſignificat *diſſimile.* Horum principes fuerunt Eunomius & Aëtius, à quibus Eunominiani & Aëtiani. Alii docebant Filium Patri ſubſtantiâ, æternitate, & per omnia eſſe ſimilem, ut patet ex eorum profeſſione in Concilio Antiocheno annô 341. Sed nolebant conſubſtantialem confiteri, contendentes, hanc vocem eſſe rejiciendam, utpote peregrinam & recèns inventam, ſcilicet in Concilio Nicæno, quamvis Patres antiquiores eâ uſi fuiſſent. Hi dicti ſunt Semi-Ariani, quorum Caput fuit Baſilius Ancyranus. Tertii inter Arianos & Semi-Arianos medii incedentes, nec ſimilem nec diſſimilem Filium docebant.

Digitized by Google

nem communi cæterorum more genitum ex Joſepho & Maria, qui proinde non extitit, antequam ex Maria naſceretur, niſi ſaltem in mente Dei per ideam atque præviſionem. Hoc ipſum docuerant Cerinthus, Ebion, Paulus Samoſatenus, Photinus. 5to. Chriſtum à Deo quidem ſuſcitatum & miſſum ad humani generis ſalutem, non tamen Deo pro eodem humano genere propriè ſatisfactionem obtuliſſe. 6to. Chriſtum appellari poſſe Deum, non quidem naturâ, ſed gratiâ & adoptione, ob excellentiam, poteſtatem ac virtutem, qua inſtructus à Deo Patre fuit.

Horum omnium agmen claudit Spinoſa, vir omnis expers Religionis & verè, ſi quis unquam fuit, Atheus. Adversùs Chriſtum & Spiritum ſanctum impietatem ſuam aperuit in Tractatu ſuo Theologico & in Miſcellaneis.

306 Quantùm ad Hæreticos, qui Spiritus ſancti divinitatem, & ipſius cum Patre & Filio conſubſtantialitatem impugnaverunt, omnium maximè famoſus fuit Macedonius; qui novam hæreſim circa annum Chriſti 360. condidit, qua Spiritum ſanctum divinitate ſpoliabat, affirmans, illum eſſe meram creaturam ſeu Dei miniſtrum naturâ, dignitate ac honore Deô longè inferiorem. Damnata fuit hæc hæreſis in multis Synodis, in Alexandrina poſt reditum S. Athanaſii annô 362. in duplici Romana ſub Damaſo; demum in Oecumenica ſecunda, quæ Conſtantinopolitana prima generalis fuit annô Chr. 381.

Sociniani, à Socino, de quo primùm egimus, ſic dicti, non ſecùs ac ipſe Socinus, bellum Spiritui ſancto indixerunt, quem non naturâ & ſubſtantiâ Deum agnoſcunt, ſed tantùm virtute & efficacia Dei miniſtrum. Contra hos omnes ponitur

CONCLUSIO. 307

Tres ſunt in Deo perſonæ realiter diſtinctæ in una eademque numerô divina ſubſtantia ſeu natura.

Prob. 1mo ex S. Scriptura. Ex veteri Teſtamento. 1mo. Geneſ. 1. c. 1. v. 26. Deus hominem conditurus ſic de ſe ipſo in plurali loquitur: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Verbum *faciamus* clarè ſignificat plurium inter ſe conſultationem: hæ verò voces, *ad imaginem & ſimilitudinem noſtram* deſignant unitatem naturæ, alioqui debuiſſet dici: *Ad imagines & ſimilitudines noſtras.* Ita Theodoretus quæſt. 19. in Gen. & ante ipſum Tertullianus Praxeam confutans.

Perperam hìc ajunt Sociniani, Deum in unica perſona, velut artificem ſeipſum ad opus excitantem; vel ob majeſtatem ſuam inſtar Regum aut Principum; vel Angelos alloqui, non ſe ipſum.

Nam quantùm ad primum, *Quis faber*, inquit S. Baſilius (*k*), *inter ſua artis inſtrumenta deſidens, ſibi ipſi admurmurat dicens, faciamus gladium?* Quantum ad ſecundum, equidem verum eſt, quòd Reges & Principes, cùm imperium aliquod exprimunt, in ſuis edictis in numero plurali loquantur, quia tunc repræſentant totam rempublicam: ſecùs verò, cùm in aliis circumſtantiis loquuntur. V. g. Rex non dicit, *Nos loquimur, Nos ambulamus, &c.* At hìc Deus loquitur in plurali, quamvis imperium nullum exprimat; ut cùm etiam ibidem ait: *Ecce Adam quaſi unus ex nobis.* Imò ubi auctoritatem ſuam commendat Deus ferè ſemper in ſingulari numero loquitur, ut cùm dicit: *Ego Dominus Deus veſter. Ego ſum Dominus.*

Quan-

(*k*) Hom. 9. in Hexameron adversùs Judæos diſputans.

Digitized by Google

Quantùm ad 3tium ex Judæis hauſtum, illud irrident ac refellunt Tertullianus lib. cont. Praxeam c. 12. S. Baſilius loc. cit. & Theodoretus loc. cit. Et verò Deus Pater hìc non alloquitur niſi illos, quibus dicit, *ad imaginem noſtram*, Angeli autem non habent unam eamdemque imaginem cum Deo, nec ad eorum, ſed Dei ſimilitudinem homo factus eſt.

2do. Ex variis Pſalmis, ut Pſal. 2. *Dominus dixit ad me: filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et Pſal. 109. *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis . . . . Ex utero ante luciferum genui te.* Ubi clarè exprimitur duplex perſona diſtincta in una natura. Nam Pater & Filius non poſſunt eſſe una eademque perſona: nemo enim ſeipſum generare poteſt. Pater autem non genuit filium niſi ex ſua ſubſtantia, communicando illi ſuam ſubſtantiam totam nempe divinitatem, non autem partem ſubſtantiæ, aut aliam ſubſtantiam divinam, cùm natura divina ſit indiviſibilis & numerô unica. Hos porro textus de Chriſto Dei filio intelligendos eſſe; ipſe ſacer contextus Novi Teſtamenti declarat, Matth. 22. v. 42. Act. 13. v. 33. Heb. 1. v. 5. & cap. 5. v. 5.

3tio. Iſaiæ 6. dicitur de Seraphim: *Clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus &c.* Ubi Trinitas Perſonarum in una natura non obſcurè indicatur: nam trina vocis *Sanctus* repetitio cum ſingulari nomine Domini & Dei ſignificat Trinitatem perſonarum in una ſubſtantia ſeu natura divina. Ita diſſerit S. Ambroſius, l. 2. de fide ad Gratian. c. 4. Et S. Fulgentius, de fide ad Petrum.

2do. Ex Novo Teſtamento. 1mo. Matth. 28. v. 19. Chriſtus Apoſtolos ſuos alloquens, *Euntes ergo*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Hìc profectò clariſſimè exprimitur myſterium SS. Trinitatis, atque realis perſonarum diſtinctio ſignificatur his vocibus *Patris, Filii, & Spiritus ſancti.* Filius enim diſtingui debet realiter à Patre, à quo gignitur: nam nemo poteſt eſſe ſui ipſius filius, & à ſe ipſo generari. Spiritus ſanctus verò annumeratur Patri & Filio velut ab utroque diſtinctus. Unitas autem naturæ earundem Perſonarum ſignificatur per vocem *nomine*, quæ indicat tres illas perſonas habere unicum nomen divinitatis, unicam proinde divinitatem & naturam. Et verò, ſi tres illæ perſonæ non eſſent Deus, ſequeretur, Chriſtum in forma baptiſmi, qui eſt profeſſio fidei, creaturas Deo ex æquo adjungere, & ſub eodem nomine, eademque auctoritate & virtute, qua à peccato mundamur, & ſanctificamur, illas exprimere. Atque hoc Scripturæ teſtimoniô uſi ſunt SS. Athanaſius, uterque Gregorius, Baſilius, Hilarius adversùs Arianos, aliique paſſim Patres.

2do. Joan. 1. v. 1. 2. & 14. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum: & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. . . . . Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Hoc textu clarè exprimitur diſtinctio perſonæ Verbi à perſona Patris. Nam dicitur, *Verbum erat apud Deum;* Et *vidimus gloriam ejus* (Verbi nempe) *quaſi unigeniti à Patre.* Nemo autem dicitur eſſe apud ſe ipſum, & nemo dici poteſt ſui ipſius filius à ſe ipſo unigenitus; ſed hæc neceſſariò conveniunt perſonis realiter diſtinctis. Deinde dicitur, *Deus erat Verbum*, & *Verbum erat in principio apud Deum*, id eſt, ab æterno Deus erat apud Deum. At nomen *Deus* ſignificat ens vivens & per ſe ſubſiſtens: ac proinde ſignificatur, Perſonam divinam, nempe Verbum eſſe apud aliam Perſonam divinam, nempe Patrem. Denique hæc verba: *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, &c.* Significant pro-

Digitized by Google

priam & diſtinctam Verbi hypoſtaſim, ſeu unionem illius cum humana natura: nam de ſolo ente per ſe ſubſiſtente dici poteſt quòd factum ſit homo. Hoc autem dicitur de Verbo, quod ſimul vocatur Unigenitus à Patre: ac proinde ſignificatur Verbum, ut eſt perſona diſtincta à Patre, ſuſcepiſſe naturam humanam. Ita ex hoc textu argumentantur Tertullianus, lib. cont. Praxeam, c. 21. & S. Athanaſius, oratione adversùs Sabellianos.

3tio. Ibid. c. 10. *Ego*, inquit Chriſtus ipſe, *& Pater unum ſumus.* Hæ voces, *Ego & Pater*, apertè exprimunt Perſonarum pluritatem, eadem enim Perſona non poteſt eſſe ſuî ipſius Pater: unde etiam additur verbum *ſumus* in plurali. Vox autem *Unum*, ſignificat unitatem naturæ: nam non dixit *unus*, ſed *unum*, quod ſignificat unam rem abſolutam, unam ſubſtantiam & naturam. Ita differunt S. Ambroſius, lib. 3. de Spiritu ſancto, & S. Auguſtinus, tract. 35. in Joan.

4to. Ib. c. 14. v. 16. &c. *Ego*, ait Chriſtus, *rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis. . . . Spiritum veritatis. . . . Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Et c. 15. v. 26. *Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.* Et c. 16. v. 24. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* In his textibus expreſſa habetur trium perſonarum diſtinctio: Filii rogantis, qui diſtinguitur realiter à Patre rogato, cùm nullus ſe ipſum roget, ſed alium à ſe ipſo realiter diſtinctum. Patris, quem Filius rogat. Et Spiritûs ſancti, qui mittendus eſt, cùm enim dicatur mittendus à Patre & dicatur alius à Filio, manifeſtè diſtinguitur realiter ab utroque. Diſtinctas porro eſſe inter ſe perſonas has nemo ſanus negaverit. Ita hos textus urgent SS. Athanaſius, uterque Gregorius, Baſilius, Hilarius, adversùs Arianos.

5to. 1mæ. Joan. c. 5. *Tres ſunt*, inquit Apoſtolus iſte, *qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt.* Hoc teſtimoniô nihil illuſtrius deſiderari poteſt, ad aſtruendum SS. Trinitatis myſterium, cùm ex una parte, Patris, Verbi, & Spiritus Sancti diſtinctio exprimatur; dicuntur enim eſſe tres: & ex altera parte eorumdem etiam conſubſtantialitas, ſeu naturæ unitas aſſeratur; dicuntur enim, eſſe unum quid inter ſe; adeò ut hic ſenſus ſit: hæ tres perſonæ ſunt una res, una ſubſtantia, una natura & divinitas, quamvis realiter inter ſe ſint diſtinctæ. Porro Tom. 1. Theologiæ noſtræ, Tract. 1. ſect. 2. c. 3. Tit. de Epiſtolis S. Joan. Apoſt. à pag. 220. Hunc modò adductum textum, & verè Joannis Apoſtoli eſſe, & partem S. Scripturæ eſſe, prout videri ibidem poteſt, oſtendimus.

Prob. Concluſio 2do. Ex conſtanti & perpetua Eccleſiæ Traditione. 1mo ex Baptiſmi ritu in Eccleſia Chriſti ſemper uſurpato. Sicut enim fideles Baptiſmi uſum ignorare non poterant, ita nec Myſterium SS. Trinitatis: ſemper enim in eo trium perſonarum diſtincta mentio facta eſt; atque in eo baptizandi ritu publica & ſolemnis continetur profeſſio fidei in tres perſonas divinas, & eſſentiæ unitatem; & ad expreſſionem ac clariorem Trinitatis ſignificationem olim trina etiam immerſio fuit in uſu. Ita Tertullianus, l. contra Praxeam, c. 26.

2do. Ex publico adorationis cultu, qui ubique terrarum Deo Patri, Deo Filio, Deo Spiritui ſancto impendebatur. Ubique terrarum Chriſto tanquam Deo thus adolebatur, Hymni ac Cantici canebantur, teſte Euſebio, ubique terrarum invocabatur, ut & Spiritus ſanctus, à quo gratia cæteraque cœleſtia chariſmata ſuppliciter exoraban-

bantur. *Patrem*, inquit S. Juſtinus (*l*), *& qui ab eo venit . . . . Filium & Spiritum ſanctum propheticum colimus & adoramus, cum ratione & veritate venerantes*.

3tio. Ex precibus publicis, quibus in conficienda Euchariſtia Eccleſia utebatur: *illas enim rerum univerſarum Patri per nomen Filii & Spiritus ſancti offerri*, teſtatur ſanctus Juſtinus Apologiâ mox laudatâ.

4to. Ex publicis fidei formulis, ſeu profeſſionibus, quæ in Symbolis Nicæno, Conſtantinopolitano, quæ quotidie recitabantur, contentæ ſunt, atque tres in Deo perſonas, & unam eſſentiam ſeu ſubſtantiam exprimunt: quæ quidem argumenta ex uſu & quotidiana Fidelium praxi deprompta eo majorem vim habent ad probandum, quòd ignorari penitùs non poſſint, nec iisdem æquivocationibus pateant, quibus patent teſtimonia ſcriptis exarata.

5to. Ex publica reclamatione ſeu contradictione fidelium ac Eccleſiæ totius adversùs novitatem, quoties error aliquis contra receptam & avitam fidem exortus fuit. Sic Ebioni, Artemoni, Paulo Samoſateno Arii Anteceſſoribus univerſa Chriſtianorum repugnavit Eccleſia, ut ſcribit Alexander Epiſcopus Alexandrinus ad Alexandrum Conſtantinopolitanum, apud Theodoretum lib. 1. Hiſt. c. 4. Neque enim patienter ferunt fideles, ſuam paternam & avitam fidei doctrinam impugnari.

Prob. 3tio. Teſtimoniis SS. Patrum; Et quia Hæretici non dubitant de ſententia Patrum ſæculi 4ti. & ſequentium ſæculorum circa hanc fidei veritatem, ſufficiet iſtud fidei dogma & religionis noſtræ fundamentum probare teſtimoniis Patrum priorum Eccleſiæ ſæculorum.

Primô itaque ſæculô Clemens Romanus in ſua ad Corinthios Epiſtola ſic loquitur: *An non unum Deum habemus, & unum Chriſtum, & unum Spiritum gratiæ effuſum in nos.*

Huic ſæculo ſicut & ſequenti accenſeri poteſt S. Polycarpus Martyr, in oratione, quam martyrium jam jam ſubiturus fudit, & quæ extat in actis martyrii ipſius apud Euſebium, l. 4. Hiſt. c. 14. hæc inter alia eloquitur: *Deus dilecti & benedicti Filii tui Jeſu Chriſti Pater . . . . . benedico te . . . . per æternum Deum & Pontificem Jeſum Chriſtum, dilectum filium tuum, per quem, & cum quo tibi cum Spiritu ſancto gloria, & nunc, & in futura ſæcula, amen.*

Secundô ſæculô S. Juſtinus Apologiâ 2dâ pro Chriſtianis primum citatâ, *Hunc Patrem*, inquit, *& qui ab eo venit, ... filium & Spiritum propheticum colimus & adoramus &c.*

Athenagoras Athenienſis Philoſophus Legatione pro Chriſtianis, *Deum aſſerimus*, inquit, *& ipſius Verbum, & Spiritum ſanctum, tria quidem ſecundùm potentiam, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum; actu verò & eſſentiâ unum.*

Sæculô tertiô Tertullianus lib. cont. Praxeam c. 5. ſic loquitur: *Duos quidem definimus Patrem & Filium, & jam tres cum Spiritu ſancto, ſecundùm rationem œconomiæ, quæ facit numerum. . . . Duos tamen Deos, & duos Dominos nunquam ex ore noſtro proferimus.*

Eodem ſæculô S. Gregorius Thaumaturgus, Neocæſarienſis Epiſcopus hanc fidei expoſitionem ſcriptô reliquit, quæ expreſſiſſimam SS. Trinitatis fidem continet. *Unus Deus Pater Verbi viventis...., Pater Filii unigeniti. Unus Dominus, ſolus ex ſolo, figura & imago deitatis, verbum perpetrans, ſapientia comprehendens omnia, & virtus, qua tota creatura fieri potuit, Filius verus veri, & inviſibilis ex inviſibili, & incorruptibilis ex incor-*

(*l*) *Apologiâ 2dâ. pro Chriſtianis.*

Digitized by Google

corruptibili, & immortalis ex immortali, & ſempiternus ex ſempiterno. Unus Spiritus ſanctus, ex Deo ſubſtantiam habens, & qui per Filium apparuit, imago Filii perfecti, perfecta viventium cauſa, ſanctitas ſanctificationis præſtatrix, per quem Deus ſuper omnia, & in omnibus cognoſcitur, & Filius per omnes. Trinitas perfecta majeſtate, & ſempiternitate, & regnó minimè dividitur, neque abalienatur. Igitur neque factum quid, aut ſerviens in Trinitate, neque ſuperinductum, tanquam antehac quidem non ſubſiſtens, poſteà verò ſuperingreſſum. Neque ita defuit unquam Filius Patri, neque Filio Spiritus ſanctus, ſed invertibilis, & immutabilis eadem Trinitas ſemper.

Prob. 4to. Ex Conciliis (*m*). Concilium Nicænum I. in Symbolo ait: *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem.... Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei, ex Patre natum Unigenitum .... Deum verum ex Deo vero, genitum non factum, conſubſtantialem Patri.... Et in Spiritum ſanctum.*

Concilium CPtanum I. in ſuo Symbolo: *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem .... Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum verum ex Deo vero... Credimus in Spiritum ſanctum Dominum & vivificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre & Filio adorandum & conglorificandum, qui locutus eſt per Prophetas.*

Concilium Epheſinum actione 6. poſt prolatum Symbolum Nicænum, ſic ait: *Huic ſanctæ fidei omnes conſentire convenit: continet enim pietatem &c.* Et poſteà vetat, ne quis contrariam huic Symbolo fidem proferat aut doceat. *His igitur perlectis*, inquit, *ſtatuit ſancta Synodus alteram Fidem nemini licere proferre aut conſcribere, aut componere, præter definitam à ſanctis Patribus, qui in Nicæa cum Spiritu ſancto congregati ſunt.*

Concilium Chalcedonenſe, Concilium CPtanum II. act. 6. & Conſtantinopolitanum III. act. 17. Symbolum Nicænum & Symbolum CPtanum approbant, & confirmant. Conc. Nicænum II. ſex priora Concilia confirmat.

Conc. CPtanum IV. Act. 10. ait: *Credimus in unum Deum in tribus conſubſtantialibus & divinis ac principalibus perſonis.... Unum quidem & ſingularem Deum ſecundùm rationem ſubſtantiæ, trinum autem vel tria, ſi eum ſecundùm rationem Perſonarum prædicamus.*

Concilium Lateranenſe IV. c. 1. ſic definit: *Firmiter credimus & ſimpliciter confitemur, quòd unus ſolus eſt verus Deus, æternus, & immenſus, omnipotens, incommutabilis, incomprehenſibilis, & ineffabilis, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus: tres quidem Perſonæ, ſed una eſſentia, ſubſtantia ſeu natura ſimplex omninò.*

Concilium Lugdunenſe II. Can. 1. & Florentinum, in decreto unionis, definiunt, *Spiritum ſanctum procedere à Patre & Filio, & non à ſolo Patre*: ac proinde manifeſtè ſupponunt Trinitatem Perſonarum.

Denique Concilium Tridentinum ſeſſ. 3. confirmat Symbolum Conſtantinopolitanum cum additione vocis *Filióque.*

His accedit Symbolum, quod S. Athanaſii nomen præfert, à tota Eccleſia uſu receptum & approbatum, quod ſic habet: *Fides Catholica hæc eſt, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur: neque confundentes Perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes. Alia eſt enim Perſona Patris, alia Filii, alia Spiritus ſancti, ſed Patris, & Filii & Spiri-*

(*m*) Hic ſolùm Oecumenica recenſentur, omnia enim particularia enumerare nimis longum foret.

Spiritus ſancti una eſt divinitas, æqualis gloria, coæterna Majeſtas.

Prob. 5to. Argumentô Theologicô (n). A tempore Apoſtolorum, qui negavit Trinitatem perſonarum, vel divinitatem Filii aut Spiritus ſancti, aut unitatem naturæ, ſtatim in Eccleſia habitus eſt ut Hæreticus, necnon velut talis damnatus, ut conſtat ex Hiſtoria Eccleſiæ. Ergo fides Trinitatis perſonarum in unitate naturæ ſemper fuit fides Eccleſiæ Catholicæ, & ab Apoſtolis tradita. Ergo fides Myſterii SS. Trinitatis eſt vera fides.

308 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. Verſiculus 7. c. 5. Ep. 1. Joannis, nempe, *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo &c.* quo præcipuè probatur Trinitas Perſonarum in unitate naturæ, non eſt Joannis, ſed poſteriori ætate ab incerto quodam librario ſeu amanuenſi eidem inſertus. Ergo perperam hic adducitur ad probandam Perſonarum divinarum Trinitatem in unitate naturæ.

Reſp. neg. ant. Vide, quæ ſup. cit. c. 3. tit. de Epiſt. S. Joan. part. & ſect. 2. Tract. noſtri de S. Script. hac de re diſſeruimus, ubi hanc objectionem fusè diluimus.

Inſt. Saltem in dicto v. 7. hæ voces, *& hi tres unum ſunt*, non ſignificant unitatem eſſentiæ & naturæ, ſed ſolùm teſtificationis (o), ſicut eam duntaxat ſignificant verba ſimilia ſequentis verſiculi 8. *Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & ſanguis: & hi tres unum ſunt.* Ergo &c.

Reſp. neg. ant. Nam 1mo. Verba Scripturæ ſumi debent pro ſubjecta materia: ex aliis autem textibus Scripturæ, & ex Traditione conſtat, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum habere unam eandemque naturam ac divinitatem. Unde cùm hic dicantur eſſe unum, vox *unum* ſignificat unitatem naturæ, conſenſûs, & conſequenter teſtificationis. At Spiritus, id eſt, anima humana Chriſti, & ſanguis ac aqua, quæ ex Chriſti mortui latere fluxerunt, non poſſunt eſſe niſi unum compoſitione & teſtimoniô. 2do. In omnibus Græcis Codicibus verba verſ. 8vi. leguntur cum præpoſitione *in*, hoc modô, *& hi tres in unum ſunt*, ſupple *teſtimonium:* quæ præpoſitio omiſſa eſt in codicibus latinis vel Scribarum incuriâ, vel Hæreticorum fraude. Unde ſenſus textûs latini ita explicari debet ac ſi in eo præpoſitio *in*, quæ ſubintelligitur, adeſſet, nempe in hunc modum: hæc tria in unam eandemque rem, humanitatis nimirùm à Verbo aſſumptæ veritatem teſtandam conſentiunt. E contrà in 7. verſiculo præpoſito *in* nullibi reperitur.

Ob. 2do. Iſaiæ c. 44. dicitur: *Ego* 309
ſum Dominus, faciens omnia, extendens cælos ſolus, ſtabiliens terram, & nullus mecum. Ergo unica eſt in Deo perſona.

Reſp. neg. conſ. Nam pronomen *ego* ſupponit pro tribus perſonis, quæ ſunt unus Dominus; & vox excluſiva *ſolus* excludit ſolùm cooperationem creaturarum in creando mundo.

Ob. 3tio. Illud Iſa. c. 45. *Ego ſum* 310
Deus, & non eſt alius præter me. Ergo unica eſt in Deo perſona.

Reſp. neg. conſ. Pronomen *ego* ſupponit pro tribus Perſonis divinis, nam ſupponit pro ea & omni perſona, quæ eſt verus Deus; tres autem perſonæ divinæ ſunt verus Deus, utpote habentes unam eandemque divinitatem; nec eas excludit, ſed ſolùm alium Deum præter ipſum.

(n) Simile argumentum ſup. prob. 2da. n. 5. attulimus.

(o) Id eſt, idem dant teſtimonium.

Digitized by Google

311 Ob. 4to. Primi Chriſtiani non crediderunt myſterium Trinitatis. Ergo non exiſtit. Prob. ant. Si priores Chriſtiani hoc Myſterium crediſſent, id non latuiſſet Gentiles, qui eis objeciſſent innumeras difficultates, quæ cuique illud conſideranti ſe ſe ſpontè objiciunt; & ex eo deſumpſiſſent argumentum pro pluralitate Deorum, quam illis paſſim Chriſtiani exprobrabant. At gentiles neutrum fecerunt: nam nec in illorum libris, nec in Chriſtianorum apologiis iſtæ objectiones reperiuntur. Ergo.

Reſp. 1mo. neg. ant. ad ejus prob. neg. maj. Nam quamvis Paſtores Eccleſiæ primis ſæculis diligenter Myſterium SS. Trinitatis Fideles explicitè docerent, nec baptizarent Catechumenos antequam Symbolum in quo continetur, memoriter tenerent, ac recitaſſent; tamen illud paſſim Gentilibus non vulgabant, ne projicerent Margaritas ante porcos, ac ne propter difficultates, quas continet, eorum animos exulcerarent, neve illud ob nonnulla, quæ rationem ſuperant, irriſioni exponerent. Quare Patres trium priorum ſæculorum de illo Myſterio aut ſcribentes, aut coram Gentilibus loquentes, oeconomiæ causâ, ſubobſcuris phraſibus uſi ſunt, quas tamen fidelibus poſteà clarè explicabant.

Reſp. 2do. neg. min. Quia 1mo. plurimi libri contra Religionem Chriſtianam ab Ethnicis ſcripti exciderunt partim injuriâ temporum, partim Chriſtianorum Principum & Prælatorum Eccleſiæ diligentiâ: multæ quoque Chriſtianorum apologiæ temporum injuriâ, atque etiam fidei hoſtium malitiâ. 2do. Plinius lib. 10. ep. 97. ad Trajanum, ait, à Chriſtianis carmina Chriſto tanquam Deo cantari ſolita. Et Juſtinus Martyr, in prima ſua pro Chriſtianis apologia refert, Chriſtianos ab Ethnicis inſipientiæ inſimulari, quòd Chriſtum tanquam Dei filium colant; divina autem Chriſti filiatio ſine Perſonarum pluritate cognoſci nequit. 3tio. Sub finem ſecundi ſæculi Praxeas ſcripſit contra Trinitatem, & ex ea Deorum pluralitatem adversùs Catholicos probare nitebatur. 4to. Celſus Gentilis Philoſophus, apud Origenem in lib. contra eundem Celſum, probare conatur, ex fide Trinitatis ſequi Deorum pluralitatem. His adde acta ſincera Martyrum, quæ innumera divinitatis teſtimonia continent, ut & filiationis divinæ Chriſti, quæ cognoſci non poteſt ſine pluralitate perſonarum in Deo.

Ob. 5to. Si eſſent tres Perſonæ in Deo, 312
eſſet compoſitio realis. Falſum conſequens. Ergo.

Reſp. neg. ſequel. maj. Nam compoſitio eſt unio multorum realiter diſtinctorum; at in Deo perſonæ divinæ non uniuntur ad invicem, ſed identificantur in natura. Unde Perſonæ divinæ non ſe habent ut plures unius totius partes, ſed ut una ſimpliciſſima entitas, & unaquæque Perſona cum natura ſibi realiter identificata conſtituit unam perſonam ſimplicem ab aliis Perſonis realiter diſtinctam? ita ut Deus ſit in natura ſimpliciſſimus & unicus, & tamen in perſonis trinus.

Inſt. 1mo. In Deo erit pluralitas ac diſtinctio realis. Ergo & compoſitio.

Reſp. neg. conſ. Nam ad compoſitionem non ſufficit pluralitas realis, ſed requiritur unio multorum inter ſe realiter diſtinctorum in ratione entitatis.

Inſt. 2do. Si daretur diſtinctio & pluralitas realis in attributis divinis, daretur compoſitio realis in Deo. Ergo à pari, ſi datur pluralitas realis Perſonarum in Deo, datur etiam compoſitio realis.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. neg. conſ. Diſparitas eſt, quia ſi attributa divina eſſent inter ſe realiter diſtincta, non eſſent in Deo ſimul niſi per unionem, & ſic facerent compoſitionem realem: nam non poſſunt eſſe in Deo per identitatem in natura, quin inter ſe identificentur, cùm inter illa non ſit oppoſitio realis, quæ conſiſtit in proceſſione unius ab alio. At tres Perſonæ realiter diſtinctæ ſunt in Deo per identitatem naturæ, ſeu identificantur eidem naturæ, & tamen ſunt realiter inter ſe diſtinctæ propter oppoſitionem realem, quam habent inter ſe per proceſſionem realem ſecundæ à prima, & tertiæ ab aliis duabus.

313 Ob. 6to. Aliqui Patres dicunt, eſſe in Deo unicam hypoſtaſim. Atqui hæc vox græca *hypoſtaſis* idem ſignificat ac *perſona.* Ergo in Deo eſt unica Perſona.

Reſp. Diſt. maj. Et illi Patres per vocem *hypoſtaſim* intelligunt naturam, conc. intelligunt Perſonam, neg. maj. &c. Hæc vox *hypoſtaſis* ab antiquis interdum pro natura, interdum pro perſona ac ſuppoſito uſurpata eſt, ſicut vox græca *ouſia* (*p*) promiſcuè pro ſuppoſito & etiam pro natura ab aliquibus Patribus uſurpata reperitur: unde ex aliis additis vocibus ejus ſignificatio determinabatur. Nunc autem uſus à multis jam ſæculis invaluit, ut *ouſia* ſolam naturam & ſubſtantiam, *hypoſtaſis* verò ſolam perſonam ſignificet. Imò ab aliquibus, ſed pauciſſimis, nomen *ſubſtantia* acceptum eſt pro perſona, & nomen *ſubſiſtentia* pro natura.

314 Ob. 7mo. Ex S. Gregorio Nyſſeno, lib. ad Ablavium. Perſonæ divinæ ſe habent reſpectu divinitatis, ſicut Petrus, Paulus & Joannes ſe habent reſpectu humanitatis. Atqui hi tres licet reſpectu humanitatis ſint unus homo logicè & ſecundùm ſpeciem duntaxat, ſunt tamen tres homines realiter inter ſe diſtincti, quia ſunt tres perſonæ. Ergo pariter tres perſonæ divinæ ſunt juxta hunc S. Patrem tres numerô Dii inter ſe realiter diſtincti, &c.

Reſp. diſt. maj. Perſonæ divinæ juxta S. Gregorium ſe habent reſpectu divinitatis &c. ſecundùm quid, conc. maj. ſecundùm omnia, neg. maj. Omnis paritas ſeu ſimilitudo, juxta communem paroemiam claudicat. S. Gregorius itaque non hîc intendit omnimodam inſtituere comparationem perſonarum divinarum cum perſonis humanis, ita ut non aliter tres Perſonæ divinæ ſint unus Deus, quàm tres perſonæ humanæ ſunt unus homo, ut patet ex ejuſdem Orat. catech. c. 3. ſed ſolùm vult ſignificare, quòd ſicut Petrus, Paulus, & Joannes ita ſunt unus homo, ut tamen ſint tres perſonæ humanæ: ſic Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſic ſunt unus Deus, ut tamen ſint tres perſonæ divinæ; & viciſſim, quòd, ſicut Petrus, Paulus, & Joannes ita ſunt tres perſonæ humanæ; ut tamen ſint unus homo: ſic Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ita ſunt tres perſonæ divinæ, ut tamen ſint unus Deus; cum hoc tamen diſcrimine, quòd plures perſonæ humanæ ſint unus homo logicè duntaxat & ſpecie, ſeu unus unitate convenientiæ & ſimilitudinis, quæ facit, ut à mente humana per abſtractionem velut unus homo concipi poſſint: tres autem Perſonæ divinæ ſint unus Deus phyſicè & numerô, ſeu unitate numericâ; quia plures perſonæ humanæ habent humanitates plures numerô, & realiter diſtin-

(*p*) *Ouſia* idem ſecundùm ſtrictam ſignificationem ſuam eſt ac *ſubſtantia*, quemadmodùm *hypoſtaſis* perſonam propriè ſignificat.

ſtinctas ; tres autem perſonæ divinæ habent unam eandemque numerô divinitatem.

315 Ob. 8. Si eſſent tres Perſonæ divinæ, tres eſſent Dii. Falſum conſequens. Ergo.

Reſp. neg. ſequel. maj. Quia tres illæ Perſonæ divinæ habent unam eandemque numerô divinitatem. Ad multiplicationem autem concreti ſubſtantivi requiritur tùm ſubjecti ſeu ſuppoſiti, tùm etiam formæ multiplicatio, ut docent Philoſophi, & conſtat ex uſu.

316 Ob. 9no. Ubi unica eſt natura, ibi non poſſunt eſſe plures perſonæ ; hoc eſt enim receptum apud omnes effatum : *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe.* Ergo ſi perſonæ divinæ ſint quid unum & idem cum natura, non poſſunt à ſe invicem diſtingui.

Reſp. neg. ant. ad ejus probationem petitam ex recepto Scholæ effato *Quæ ſunt &c.* Dicimus 1mo. effatum iſtud purè Philoſophicum eſſe, rebusque duntaxat creatis applicari debere, non divinis, quæ infinitô inter ſe diſtant intervallô. Et verò non minùs obtinet apud veteres Philoſophos illud aliud effatum : *Ex nihilo nihil fit.* Attamen ſuam exceptionem patitur, & in iis duntaxat locum habet, quæ naturaliter agunt, non in aliis, prout omnes Chriſtiani agnoſcunt, ne quidem exceptis Socinianis.

Dicimus 2do. Diſt. adductum axioma *Quæ ſunt &c.* reſpectu illius in quo conveniunt cum uno tertio, conc. reſpectu illius in quo non conveniunt, neg. Et ita quia perſonæ divinæ conveniunt in eſſentia divina, idem etiam ſunt inter ſe quoad eſſentiam divinam ; ac conſequenter rectè quidem dici poſſunt *idem*, ſed non *iidem* : quia verò non conveniunt ratione perſonæ, non poſſunt dici eædem perſonæ.

Dicimus 3tio. aliter diſtinguendo axioma iſtud : Quæ ſunt eadem uni tertio ſingulari & incommunicabili, ſunt eadem inter ſe, conc. uni tertio univerſali, vel ſaltem communicabili, neg. Sic v. g. Petrus & Paulus, prout in reſp. ad ob. 7mam adnotavimus, ſunt unum in natura humana ſpecificè ſumpta, ſed non ſunt unum inter ſe numericè ; quia natura humana communis & univerſalis eſt, quæ multis communicari poteſt. Ratio eſt, quia cùm natura multis communicatur, neceſſe eſt, ut inter eum, qui naturam communicat, & eum cui communicatur, relativa oppoſitio intercedat, adeoque & realis diſtinctio : quia ergo tres perſonæ divinæ conveniunt in una eſſentia, idem ſunt cum illa ; quia verò eſſentia illa communicatur à Patre Filio & Spiritui ſancto, neceſſe eſt, ut Pater realiter diſtinguatur à Filio & Spiritu ſancto.

4to. Aliter diſtingui adhuc poteſt iſtud axioma : Quæ ſunt eadem uni tertio adæquatè ſumpto, eadem ſunt inter ſe, conc. inadæquatè ſumptò, neg. Sic non concludit iſte Syllogiſmus, Petrus eſt homo, Paulus eſt homo ; ergo Petrus eſt Paulus, quia terminus *homo*, in quo ſunt quid unum adæquatè non ſumitur : at pariter cùm dicitur Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, terminus *Deus*, ſeu eſſentia divina non ſumitur adæquatè, nam ſemel ſumitur ſecundùm Paternitatem, & ſemel ſecundùm Filiationem duntaxat, adeoque non ſecundùm omnem entitatem relativam, cui ipſe identificatur.

5to. denique rursùs alio modo diſtingui poteſt iſtud axioma, *Quæ ſunt eadem &c.* ſi illud tertium non ſit virtualiter multiplex, conc. ſi ſit virtualiter multiplex, neg. tunc enim res eadem licèt ſimpliciſſima æquivalet pluribus ex natura rei diſtinctis. Porro natura divina ita ſimpliciſſima eſt, ut tamen virtualiter ſit multiplex. Scilicet continet omnes perfectiones tum abſolutas, tum

rela-

Digitized by Google

relativas: juxta id quod habet abſoluti, identificatur cum Patre; juxta verò id, quod habet relativi, ab ipſo diſtinguitur.

Inſt. Si tres perſonæ à ſe invicem realiter diſtinguerentur, & ſimul unum quid forent cum divina eſſentia, ſequeretur hoc abſurdum, unam ſcilicet & eandem rem ſimul diſtingui & non diſtingui; plures eſſe, & unum; communicari & non communicari, quæ certè manifeſtam contradictionem involvunt. Ergo.

Reſp. neg. ſequel. ant. id ſcilicet eſſe abſurdum & contradictionem involvere. Nam res eadem ſub vario reſpectu diſtinguitur & non diſtinguitur, communicatur, & non communicatur beneficiô ſcilicet diſtinctionis virtualis, qua fit, ut una eademque entitas Dei infinita multis rebus diſtinctis æquivaleat; atque quatenus abſoluta communicetur tribus perſonis una numerô & indiviſa remanens, quatenus verò æquivalet relativo, non communicetur: unde nulla propriè dicta hìc intervenit contradictio; hæc quippe, ut vera ſit,debet eſſe de eodem ſub eodem reſpectu: porro ſub diverſo reſpectu eadem Dei entitas communicatur & non communicatur. Infinita propemodùm hujuscemodi exempla occurrunt etiam in rebus creatis. Sic v. g. natura humana, quæ eſt in Petro, communicatur aliis hominibus, quatenus ſpecificè conſideratur, non communicatur, quatenus eſt ſingularis & individua. Pariter idem homo immortalis dicitur & mortalis, ratiocinari & non ratiocinari: immortalis eſt, & ratiocinatur ratione animæ ſeu mentis, mortalis eſt & non ratiocinatur ratione corporis.

317 Ob. 10mo. Si ſint in Deo tres perſonæ identificatæ divinitati, ſunt quatuor res in Deo. Ergo eſt quaternitas, non verò trinitas, nempe Divinitas & tres perſonalitates.

Reſp. neg. ant. Nam non ſunt quatuor inter ſe realiter diſtincta, divinitas enim identificatur tribus perſonalitatibus. Quamvis igitur ſint in Deo tres res relativæ, nempe perſonalitates, & una res abſoluta, nempe divinitas; tamen tres illæ res relativæ, cùm identificentur illi rei abſolutæ ſeu divinitati, non faciunt cum illa numerum: nam in omni numero unitas diſtinguitur realiter ab unitate quacum facit numerum. Sic corpus, & anima rationalis, & unio phyſica, & homo, qui ex illis conſtituitur, non faciunt quatuor, ſed duntaxat tria & unum, nempe unum hominem; quia homo, qui eſt totum ex anima & corpore unitis conſtitutum, cùm iis identificetur, non facit nec facere poteſt cum illis numerum. Igitur in Deo eſt Trinitas & unitas; Trinitas perſonarum, & unitas eſſentiæ: quare Deus eſt trinus & unus.

Ob. 11mo. Si Pater & Filius habeant 318
eandem divinitatem, valebit hic Syllogiſmus: hæc divinitas eſt Pater, hæc divinitas eſt Filius. Ergo Filius eſt Pater, ideoque ſunt una perſona. Ergo.

Reſp. neg. ſequel. ant. Syllogiſmus iſte eſt vitioſus; quia medius terminus nempe divinitas non ſumitur univerſaliter diſtributivè, prout ſumi deberet hoc modo, *quidquid eſt divinitas &c.* juxta regulam à nobis in Logica noſtra traditam; ſicque negabitur antecedens; non enim quiquid eſt divinitas eſt Pater &c. nam Filius eſt etiam divinitas, & tamen non eſt Pater, utpote ab ipſo diſtincta perſona &c.

Ob. 12mo. Ratione repugnat, quòd 319
una numerô natura tribus perſonis realiter inter ſe diſtinctis identificetur. Ergo rationi repugnat Myſterium SS. Trinitatis.

Reſp. neg. ant. Id quidem humanæ mentis captum ſuperat, & eſt ſupra non verò contra rationem naturalem. Imò ipſa naturalis ratio docet, eſſentiam di-

vinam ſeu *eſſe divinum*, utpote infinitum & incomprehenſibile, exiſtere poſſe variis modis, qui intellectûs finiti captum ſuperent, & ejus modum exiſtendi debere eſſe incomprehenſibilem cuilibet intellectui finito. Fides verò nos docet, quiſnam ſit ille incomprehenſibilis modus *eſſe divini*, quando eum in eo conſiſtere dicit, quòd una eademque natura divina tribus Perſonalitatibus realiter inter ſe diſtinctis, quatenus ſecunda à prima, tertia à duabus aliis procedit, identificetur.

320 Ob. 13tio. Myſterium Trinitatis hæc duo contradictoria admittit: *Deus eſt genitus*, *Deus non eſt genitus*, nam Pater eſt Deus, & Filius eſt Deus, & tamen Pater non eſt genitus, Filius verò eſt genitus. Ergo repugnat.

Reſp. neg. ant. Nam hæ duæ propoſitiones non ſunt contradictoriæ, non enim ſunt de eodem ſub eodem reſpectu; nam in prima *Deus* ſupponit pro Filio; in ſecunda verò pro alia Trinitatis perſona, vel, ſi utraque univerſalis ſit, nec in ea *Deus* ad unam determinatam divinitatis perſonam reſtringatur, utraque falſa eſt.

321 Ob. 14to. Tres perſonæ divinæ ſunt tres naturæ intelligentis ſubſiſtentiæ individuæ & incommunicabiles alteri ut ſuppoſito. Ergo ſunt tres Dii.

Reſp. neg. conſ. Quia tres illæ ſubſiſtentiæ ſunt ſubſiſtentiæ relativæ ejuſdem naturæ intelligentis illis abſque ulla ſuî multiplicatione identificatæ.

322 Ob. 15to. Perſona divina eſt infinita. Ergo unica; infinitum enim unicum eſt, atque hac ratione demonſtrant Theologi, Deum unum eſſe, quia infinitus eſt in omni genere perfectionis.

Reſp. neg. conſ. Quælibet perſona divina perfectione infinita eſt identicè ſeu ratione eſſentiæ, à qua non diſtinguitur; neque tamen inde licet concludere, unicam eſſe debere perſonam, ſicut unicum eſſe Deum ex ipſius infinitate probant Theologi. Diſparitatis ratio eſt, quia plures non poſſunt eſſe Dii, cùm duo non poſſint eſſe ejuſdem ordinis infinita; unum enim non includeret omnem alterius perfectionem. Non ita eſt de perſonis divinis: licèt enim inter ſe diſtinguantur, quia relativè ſibi invicem opponuntur; non tamen diſtinguuntur ab eſſentia, unde omnis perfectio emanat; ac conſequenter nulla eſt in una perfectio, quæ in alterea perſona non ſit.

§. II.

De unitate naturæ ſeu eſſentiæ in Trinitate. 323

Ex iis, quæ præcedenti §. diſſeruimus manifeſtum eſt tres Perſonas divinas eſſe unum verum Deum, adeo ut de earum naturæ unitate hîc plura adhuc eloqui ſuperfluum fortè videri poſſet. Quia tamen, ut ibidem adnotavimus Hæretici Filii & Spiritus ſancti divinitatem ſpeciatim impugnârunt; operæ pretium eſſe duximus, eandem ſpeciatim etiam probare. De Filii & Spiritus ſancti divinitate duntaxat agemus: enimverò de Patris divinitate nullum extat dubium, cùm ex Scriptura, Traditione, & Ratione conſtet eum eſſe ens à ſe, & à quo creata omnia pendeant: neque ejus divinitatem ſive Judæi, ſive Hæretici negarunt. Et certè qui unum Deum agnoſcunt, conſequenter admittere debent unam ſaltem perſonam in Deo, quæ poſſit vocari Pater, cùm Deus ſit rerum omnium principium. Patris tamen nomen, ut primæ perſonæ proprium, aliquid aliud ſignificat, nempe principium Filii conſubſtantialis: nam in ſcriptura Pater vocatur ſpecialiter & ſingulariter *Pater Domini noſtri JEſu Chriſti*, 1. Cor.

Digitized by Google

Cor. 5. v. 2. & *Filii unigeniti*, Joan. 3. v. 16.

Primò ergo de divinitate Verbi ſeu Filii, tum de Spiritus ſancti divina natura & conſubſtantialitate agemus. Sit

324 CONCLUSIO I.

Filius eſt verus Deus. Eſt de Fide & præcipuum Religionis Chriſtianæ fundamentum.

Prob. 1mo. Ex Scripturis. Ex Veteri Teſtamento. Jerem. 23. v. 5. & 6. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo David germen juſtum; & regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet judicium & juſtitiam in terra. In diebus illis ſalvabitur Juda, & Iſraël habitabit confidenter, & hoc eſt nomen quod vocabunt eum Dominus juſtus noſter.* In hebræo legitur: *Et hoc eſt nomen quod vocabit eum, Jehovah juſtitia noſtra.* Nomen verò *Jehovah* ſoli Deo eſt proprium nec alteri communicabile, illudque Deus ſibimet impoſuit ac ſæpè uſurpavit, Iſaiæ 24. v. 8. *Ego Dominus*, in hebræo, *Ego Jehovah, hoc eſt nomen meum: gloriam meam alteri non dabo.*

Porro egregium iſtud teſtimonium de Meſſia intelligi debere non diffitentur Judæi veteres, prout oſtendit Huetius (*q*). Nomen verò iſtud Jehovah 70. Interpretes, Apoſtoli, & Evangeliſtæ reddunt per Κυριον. *Dominum* ac Chriſto adaptant, qui centies *Dominus* appellatur antonomaſticè (*r*) ſeu per excellentiam.

Iſaiæ 6 v. 1. & ſeq. *Vidi Dominum*, ait Propheta; *ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum, & ea quæ ſub ipſo erant, replebant Templum*; & cætera, quæ de Deo ſummo intelligenda eſſe nemo ambigit. Atqui hæc de Chriſto dixiſſe Iſaiam teſtatur S. Joannes Evangeliſta c. 12. v. 41. ubi *Hæc dixit Iſaias*, inquit, *quando vidit gloriam ejus, & locutus eſt de eo*, nempe Chriſto.

Idem Propheta c. 9. v. 6. *Parvulus natus eſt nobis*, inquit, *& filius datus eſt nobis; & factus eſt principatus ſuper humerum ejus; & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Conſiliarius, Deus* (Hebræus habet *El*, quod propriè *Deus* interpretatur) *Fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis.* Nullum effugium admittere poſſe videntur hæc verba, adeò per ſe ſe clara & perſpicua ſunt: Et vel ipſimet veteres Judæi ac etiam Sociniani ea de Meſſia Chriſto dicta fuiſſe profitentur. Atqui ibidem dicitur Meſſias *Deus El*, & quidem *fortis*. Ergo, &c.

Ex Novo Teſtamento. Joan. c. 1. v. 1. & ſeq. *In principio erat Verbum*, inquit Evangeliſta, *& Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.* Hæc verba, *Et Deus erat Verbum*, clarè exprimunt divinitatem Verbi. Nam hic eſt ordo verborum ſecundùm ſenſum, *& Verbum erat Deus.* Præterea ſi Deus eſt Verbum, Verbum etiam eſt Deus: nam Deus non eſt creatura, & Deus ſecundùm ſe, & ſecluſa unione ſubſtantiali cum creatura, non eſt niſi Deus. Deinde omnia per Verbum ſeu Filium facta ſunt, ergo Filius non eſt factus, ergo non eſt creatura, nam omnis creatura facta eſt. Item omnia per Verbum ſeu Filium facta ſunt, quæ ſcilicet facta ſunt, id eſt, omnis creatura per Filium facta eſt. Ergo Filius non eſt creatura, alioqui Filius ſe ipſum fecit, quod repugnat. Atqui ſi Filius ſeu Verbum non eſt creatu-

(*q*) *Lib Demonſt. Evangelicæ propoſit* 7. *n.* 10.

(*r*) *Antonomaſia* figura, qua nomen appellativum ponitur pro nomine proprio.

ra, eſt Deus: nam omne ens verum vel eſt Deus, vel creatura.

Ulteriùs Joan. c. 10. v. 30. *Ego & Pater*, inquit Chriſtus, *unum ſumus.* Id eſt, una res, una ſubſtantia, natura & divinitas. Quibus verbis Chriſtus clarè exprimit ſuam cum Patre æqualitatem & unitatem in eſſentia; ita ut Judæi hoc ſtatim intellexerint, utpotè qui ſtatim ac Chriſtus hæc verba protuliſſet, lapides ſuſtulerint, ut eum lapidarent *de blaſphemia*, inquiunt, *& quia tu homo cum ſis, facis te ipſum Deum.*

Profectò ſi Chriſtus non eſſet Deus, debuiſſet hoc Judæis illis clarè ſignificare, & verba ſua explicare de unitate morali, ut tolleret ſcandalum, & Deo debitam gloriam redderet, quod tamen non fecit. Contra ad probandam veritatem verborum ſuorum ſenſumque, quo illa de unitate & identitate naturæ cum Patre Judæi intellexerant, provocat ad miracula, quæ coram iis patrarat. *Quem Pater. . . . miſit in mundum*, inquit, *vos dicitis, quia blaſphemas, quia dixi Filius Dei ſum? Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite; ut cognoſcatis & credatis quia Pater in me eſt, & ego in Patre*, per identitatem ſcilicet naturæ. Per hanc autem mutuam immanentiam clarè adhuc exprimit ſuam divinitatem: nam in Deo nihil eſt, quod non ſit Deus per identificationem divinitatis.

Ibid. c. 16. Chriſtus de ſe tanquam Dei Filio ait: *omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt.* Certè qui habet omnia quæcunque habet Deus verus, iſte eſt verus Deus, nam habet etiam divinitatem. Atqui Filius aſſerit, ſe habere omnia quæcunque habet verus Deus, ergo eſt verus Deus. *Nihil Patre minus habet ille, qui dicit: omnia, quæ habet Pater, mea ſunt. Æqualis eſt igitur*, inquit S. Auguſtinus (s).

Rom. 9. v. 5. *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.* Et, Philip. 2. v. 6. *Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto JEſu, qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo.* Et Heb. 1. v. 8. *Ad Filium autem* (dixit Deus Pater) *thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi.* Ubi Apoſtolus apertis verbis declarat Filium eſſe Deum.

Ex textu ad Philip. 2. v. 6. proinde hoc conficitur pro divinitate Chriſti argumentum. Ille verè Deus eſt, qui eſt in *forma*, hoc eſt, in natura Dei, quique non arbitratur rapinam eſſe, id eſt, rem à ſe alienam & externam, quòd ſit Deo æqualis. Atqui, ipſo pronuntiante Apoſtolo, talis eſt Chriſtus. Ergo Chriſtus eſt verus Deus naturâ & ſubſtantiâ.

Denique, ultra innumeros alios textus, qui Chriſti divinitatem manifeſtè declarant, 1. Joan. c. 5. v. 20. *Scimus, quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, ut cognoſcamus verum Deum* (Patrem) *& ſimus in vero Filio ejus. Hic eſt verus Deus, & vita æterna.*

Prob. Concluſio 2do ex Traditione, quæ clarè elucet in unanimi omnium Eccleſiæ Patrum conſenſu. Et cùm adverſarii ultrò fateantur, Patres, qui poſt tertium ſæculum floruerunt, pro Chriſti divinitate ſententiam tuliſſe, eorum duntaxat teſtimonia hìc referemus, qui ante exortam Arianam hæreſim & ante Concilium Nicænum I. ſcripſerunt, & à Græcis incipiemus.

Ex Græcis itaque 1mo. S. Ignatius * vir Apoſtolicus & martyr, necnon in Antiochena Sede S. Petri ſucceſſor, Chriſti divinitatem ſæpius adſtruit. Ep. ad Epheſ. *Nihil latet Dominum*, inquit, *ſed & arcana noſtra prope ipſum ſunt.* Omnia

(s) *Lib. 1. contra Maximum, c. 14.* * Obiit an. 108. Imperii Trajani 10mô.

Omnia igitur faciamus, ſicut ipſo in nobis habitante, ut illius ſimus templa, & ipſe (Chriſtus nempe) *ſit in nobis Deus noſter.* In eadem Epiſtola ſic Chriſtum deſcribit: *Unus medicus eſt, carnalis & ſpiritualis, genitus & ingenitus, in carne factus Deus, in morte vita vera, & ex Maria & ex Deo; primò paſſibilis, & tunc impaſſibilis.* Quem Ignatii locum citat Theodoretus Dialogô primô, & S. Athanaſius lib. de Synodis. Denique Ep. ad Magneſianos Verbi divini æternam generationem expreſſè docet: *Deus unus eſt*, ait, *qui manifeſtavit ſe ipſum per JEſum Chriſtum filium ipſius, qui eſt ipſius Verbum æternum non à ſilentio progrediens.*

2do. S. Polycarpus * S. Ignatii diſcipulus & Epiſcopus Smyrnenſis, & cum illo tota Smyrnenſis Eccleſia, in ea celebri epiſtola, quam ipſa ſcripſit ad Eccleſias Ponti apud Euſeb. lib. 4. Hiſt. c. 15. *Pater unigeniti*, inquit, *& benedicti Filii tui JEſu Chriſti. . . . benedico te. . . . . te laudo, te benedico, te glorifico per ſempiternum Pontificem JEſum Chriſtum unigenitum Filium tuum, per quem tibi unà cum ipſo in Spiritu ſancto gloria nunc & in ſæcula ſæculorum.* Ergo juxta S. Polycarpum tres divinæ perſonæ eâdem gloriâ ſunt honorandæ, adeoque inter ſe planè coæquales. JEſus Chriſtus eſt Filius Dei unigenitus, ac ſempiternus Pontifex, adeoque verè Deus, ab æterno ex ſubſtantia Patris genitus.

3tio. S. Juſtinus ** Philoſopus & Martyr, in cohortatione ad Græcos de Chriſto hæc ait: *Qui cùm Dei ſit Verbum, virtute ac potentia ab eo indiſcretum, homine. . . aſſumptô, ad memoriam nos priſcorum parentum religionis revocavit.* Et Apologiâ. 1mâ expreſſè dicit Verbum ſimul cum Deo Patre exiſtere ante creaturas. *Porro Filius ejus, qui ſolus propriè dicitur Filius, Verbum, ſimul cum illo ante creaturas, exiſtens & naſcens, quoniam primitùs per eum cuncta condidit.* Apologiâ verò 2dâ. *Qui enim*, ait, *Filium Patrem eſſe dicunt, comperiuntur neque Patrem ſcire, neque Filium eſſe Patri univerſorum noſſe: qui quòd Verbum & primogenitus Dei ſit, Deus etiam eſt*

4to. Athenagoras *** Philoſophus Athenienſis Chriſtianus, legatione pro Chriſtianis. *Unum*, inquit, *prædicamus Deum quin & Dei Filium mente complectimur. . . . . Filius Dei eſt Verbum Patris, in idea & efficacia. Ab ipſo enim & per ipſum facta ſunt omnia, cùm Pater & Filius unum ſint.* Et infra. *Nequaquam nos eſſe à Deo alienos, qui univerſitatis ejus opificem, ſimulque ejus Verbum, ſeu verum Deum, veneramur, demonſtratum eſt.* Superiùs autem clarè totam Trinitatem profitetur his verbis: *Deum aſſerimus, & Filium ejus Verbum, & Spiritum ſanctum. . . . eſſentiâ unum.*

5to. Theophilus **** Antiochenus Epiſcopus, lib. 4. Allegoriarum in Evangelium ſic ait: *Sciendum eſt, quòd Chriſtus Dominus noſter ita verus homo, & verus Deus eſt, de Patre Deo Deus, de matre homine homo.*

6to. S. Irenæus ***** S. Polycarpi Diſcipulus & Lugdunenſis Epiſcopus ac Martyr, lib. 3. cont. hæres. c. 6. *Neque igitur*, inquit, *Dominus, neque Spiritus ſanctus, neque Apoſtoli eum, qui non eſſet Deus, definitivè & abſolutè Deum nominaſſent aliquando, niſi eſſet verus Deus; neque Dominum appellaſſent aliquem ex ſua perſona, niſi qui dominatur omnium,*

* Obiit an. 167. ** Obiit an. 161. *** Floruit an. 170. **** Obiit an. 181. ſub Marco Aurelio Imperatore. ***** Obiit an. 201.

Deum Patrem & Filium ejus Citat ibidem inter alia illud Pſal. 44. *Unxit te Deus Deus tuus*, & addit, *Utroſque enim Dei appellatione ſignificavit Spiritus, & eum, qui ungitur, & eum qui ungit, id eſt, Patrem.... Hæc enim eſt Synagoga Dei, quam Deus, hoc eſt, Filius ipſe per ſemetipſum collegit. . . . Quis Deus ? de quo dixit, Deus manifeſtè veniet, Deus noſter & non ſilebit : hoc eſt Filius, qui ſecundùm manifeſtationem hominibus advenit, &c.*

7mo. Clemens Alexandrinus * Presbyter, in admonitione ad Græcos ſeu ad Gentes: *Nunc autem*, inquit, *apparuit hominibus hic ipſe Verbum, qui ſolus eſt ambo, Deus et homo. . . . Verbum divinum, qui re vera eſt Deus manifeſtiſſimus.* Et lib. Pædagogi c. 8. *Nihil ergo odio habet Deus, ſed neque Verbum: utrumque enim eſt unum, nempe Deus.* Et lib. 3. in fine : *Laudemus unum Patrem, & Filium... unacum ſancto Spiritu, qui unus eſt omnia &c.*

8vo. Cajus ** antiquus Theologus Romanæ Eccleſiæ Presbyter, Tractatum ſcripſit contra hæreſim Artemonis, qui Chriſti divinitatem impugnabat. De illo ſic habet Photius codice 48. *De Chriſto autem vero Deo aptiſſimè loquitur, &c.*

9no. S. Hippolytus *** Martyr & Epiſcopus Portuenſis, juxta nonnullos; juxta alios autem, Arabiæ Metropolita, Serm. 1. apud Anaſtaſium in Collectaneis ſic loquitur: (Chriſtum) *Deum immenſum ſimul, & circumſcriptum hominem.... ſcimus.* Et ibid. *Divinitas*, inquit, *ut erat ante incarnationem, eſt & poſt incarnationem, ſecundùm naturam inſinita, incomprehenſibilis, &c.*

10mo. Origenes **** Clementis Alexandrini Diſcipulus, Lib. 1. ubi de Magis loquitur, Chriſtum vocat Deum, cui eo nomine thus ipſi obtulerunt. Et lib. 3. contra Celſum. *Sciant*, inquit, *iſti criminatores, hunc JEſum, quem jam olim Deum Deique Filium eſſe credimus, ipſum eſſe Verbum, &c.*

11mo. S. Dionyſius Alexandrinus ***** Origenis Diſcipulus, in epiſtola contra Paulum Samoſatenum inter alia, *Unus eſt Chriſtus*, inquit, *qui eſt in Patre coæternum Verbum. . . . . Chriſtus æqualis Patri, nulla diſſimilitudine ſubſtantiæ.* Et in Apologia ſua apud S. Athanaſium, *Quibus*, inquit, *criminationem eorum depuli, mendacemque oſtendi, qua ajebant, me Chriſtum negare Deo eſſe conſubſtantialem.*

Ex Latinis. Tertullianus ******, Apologetici c. 21. ſic ait: *Hunc* (Dei Filium) *ex Deo prolatum didicimus, & prolatione generatum, & idcirco Filium Dei & Deum benedictum ex unitate ſubſtantiæ, &c.* Item lib. cont. Praxeam c. 19. *Dei non duo dicuntur*, inquit, *nec Domini, ſed qua Pater & Filius Duo; & hoc non ex ſeparatione ſubſtantiæ, ſed ex diſpoſitione, cùm individuum & inſeparatum Filium à Patre pronuntiamus.*

Cæteros Latinos Patres brevitatis gratiâ omittimus, quorum teſtimonia vel apud ipſoſmet, vel paſſim in Theologorum libris legi poſſunt, ut S. Cypriani, lib. 2. teſtimoniorum adversùs Judæos, c. 6. Dionyſii Romani, in Ep. adversùs Sabellianos, apud S. Athanaſium lib. de Decretis Synodi Nicænæ. Novatiani, lib. de Trinitate, c. 31. ad calcem Operum Tertulliani. Firmiliani Ep. ad S. Cyprianum. Arnobii, Lactantii, & aliorum.

Hac conſtanti & perpetua Eccleſiæ fide ac Traditione inſpecta & diligenter excuſſa, trecenti, & decem octo Patres

in

* Floruit an. 220. ** Floruit an. 215. *** Obiit an. 230. **** Obiit an. 254. ***** Obiit an. 265. ****** Floruit an. 215.

Digitized by Google

in Concilio Nicæno generali primo an. 325. ſub Sylveſtro ſummo Pontifice congregati, præſente, ac protegente Conſtantino Magno Imperatore, in ſolemni fidei Symbolo declarârunt, ac definierunt, *Credere ſe in unum Dominum JEſum Chriſtum Filium Dei, ex Patre natum unigenitum, id eſt, ex ſubſtantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero: natum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt.* Quam definitionem omnia deinceps Oecumenica & Legitima Concilia probaverunt & confirmaverunt.

His auctoritatibus addi poteſt iſtud præſcriptionis argumentum. Eccleſia initiô quarti ſæculi damnavit hæreſim Arianam aſſerentem Filium Dei eſſe creaturam, & definiit eum eſſe verum Deum, ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ. Ergo initiô quarti ſæculi Eccleſia credebat, Filium eſſe verum Deum. Ergo Eccleſia etiam tribus prioribus ſæculis credidit divinitatem Filii. Nam ſi prioribus ſæculis fuiſſet alia fides, doctrina Eccleſiæ mutata fuiſſet initiô quarti ſæculi, vel tertiô ſæculô. Atqui hoc dici non poteſt: etenim dici non poteſt, quo tempore, in qua regione, quo auctore hæc mutatio cœperit, quas contentiones excitarît, quos adverſarios habuerit, quibus promotoribus & quibus præſidiis omnes Eccleſias pervaſerit. Tantam enim doctrinæ Catholicæ ab Apoſtolis traditæ mutationem ac corruptionem in re tanti momenti factam eſſe incerto auctore & tempore, nemine reclamante & obſiſtente, conſentientibus omnibus Eccleſiæ Præſulibus & Doctoribus, prorſus eſt incredibile, & evidenter repugnat experientiæ cujuslibet mutationis, præſertim in re tam gravi, atque Chriſti promiſſionibus de conſervanda Eccleſia ſponſa ſua in vera fide ab ipſo & Apoſtolis ejus accepta. Patet igitur Patres Nicæni Concilii quando iſtud præcipuum fidei Chriſtianæ dogma definierunt, illud, prout diximus, tum in Scripturis ſacris, tum in Traditione Eccleſiæ, Sanctorumque Patrum Scriptis jam definitum inveniſſe, atque illud confirmaſſe.

CONCLUSIO II. 325

Spiritus ſanctus eſt verè Deus, Patri & Filio conſubſtantialis.

Prob. 1mo. Ex Scripturis. Ex Veteri Teſtamento. Iſai. 6. v. 9. Deus (*Jehovah:*) dicit Iſaiæ: *Vade & dices populo huic: Audite audientes & nolite intelligere, &c.* Atqui Act. 28. v. 25. Deus ille, (*Jehovah*) Spiritus ſanctus eſſe dicitur à S. Paulo: *Benè Spiritus ſanctus locutus eſt per Iſaiam ad Patres noſtros dicens: Vade ad populum iſtum, & dic ad eos: Aure audietis, & non intelligetis.*

Pſalm. 94. v. 8. & 9. *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra ſicut in irritatione ſecundùm diem tentationis in deſerto, ubi tentaverunt me Patres veſtri, &c.* Atqui Deus ille, cui obtemperandum eſt, & quem tentaverunt Iſraëlitæ, à Paulo dicitur eſſe Spiritus ſanctus, Heb. 3. v. 7. 8. & 9. *Quapropter ſicut dicit Spiritus ſanctus: hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione, ſecundùm diem tentationis in deſerto, ubi tentaverunt me Patres veſtri, &c.*

Plura item Scripturæ Veteris loca Spiritui ſancto attributa divina tribuunt, ut Geneſis 1. v. 2. Æternitatem: *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas*, ſeu, ut alii vertunt, *incubabat aquis*, fœcunditatem ipſis impertiens, adeoque jam ante mundi creationem extabat. Sap. 1. v. 7. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Et Pſal. 138. v. 7. *Quò ibo à Spiri-*

Digitized by Google

Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Quibus textibus ejus immenſitas & ubique præſentia deſignatur.

Pſal. 32. v. 6. *Verbo Domini Cœli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum* Quò ejus omnipotentia ſignificatur. Unde Lucæ 1. v. 31. Spiritus ſanctus dicitur *virtus Altiſſimi.*

Adde ex novo Teſtamento illud 1. Cor. 2 v. 10. *Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.* Et Joan. 16. v. 15. *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Quibus ipſius omniſcientia exprimitur. Ergo, &c.

2do. Ex Novo Teſtamento. Matthæi c. ult. v. 19. *Docete*, inquit Chriſtus Apoſtolis ſuis, *omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Ubi Spiritui ſancto tanquam Perſonæ à Patre & Filio diſtinctæ tribuitur idem nomen ſcilicet auctoritatis & virtutis cum Patre & Filio. Ergo Spiritus ſanctus tam eſt verus Deus, quàm Pater & Filius.

1. Joan. c. 5. v. 7. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus. Et hi tres unum ſunt.* Ergo Spiritus ſanctus eſt una res, una ſubſtantia ac natura cum Patre & Filio, proindeque eandem habet divinitatem cum utroque.

Act. 5. v. 3. Ananiam, qui agri divenditi pretium integrum ad Apoſtolos non detulerat, ſic Petrus alloquitur: *Cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui ſancto . . . .* Et verſu ſequenti addit: *Non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Ubi Spiritus ſanctus dicitur ſimpliciter & abſolutè Deus, & creaturis opponitur. Ergo eſt Deus.

1. Cor. 12. v. 16. Spiritus ſanctus ab Apoſtolo *Deus* appellatur. *Diviſiones operationum ſunt*, ait, *idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Porro Deus ille v. 11. dicitur Spiritus ſanctus: *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis, prout vult.* Ergo Spiritus ſanctus eſt verus Deus.

Ibid. c. 3. v. 16. *Neſcitis*, inquit idem Apoſtolus, *quoniam templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Et. c. 6. v. 19. *An neſcitis, quoniam membra veſtra templum ſunt Dei, qui in vobis eſt.* Atqui templum, ut & ſupremus adorationis cultus, ſoli Deo debetur. Ergo Spiritus ſanctus, cujus nos templum ſumus, Deus eſt.

Præterea in Scripturis Spiritui ſancto operationes tribuuntur, quæ ſoli Deo convenire poſſunt: ut Creatio, Geneſ. 1. v. 2. Pſal. 32. v. 6. ſupra laudatis. Conſervatio & gubernatio rerum. Pſal. 103. v. 30. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ.* Operatio Miraculorum, Matth. 12. v. 28. *In Spiritu Dei ejicio dæmones.* Et 1. Cor. 12. v. 4.

Opera gratiæ: Chriſti conceptio, Luc. 1. v. 35. Unctio & miſſio, Iſai. 61. v. 1. Peccatorum remiſſio, & regeneratio, 1. Cor. 6. v. 11. Regimen Eccleſiæ, Act. 13. v. 2. & c. 15. v. 28. Collatio donorum, 1. Cor. 12. v. 7. Illuminatio, Epheſ. 1. v. 17. & 18. Sanctificatio, 2. Theſſal. 2. v. 13. & 1. Petri 1. v. 2. Diffuſio charitatis, Rom. 5. v. 5. Reſurrectio mortuorum, Rom. 8. v. 11.

Ex quibus hoc conficit argumentum S. Fulgentius (*t*). *Dicatur igitur, ſi Cœlorum virtutem potuit firmare, qui non eſt Deus; ſi poteſt vivificare, qui non eſt Deus; ſi poteſt in baptiſmatis regeneratione ſanctificare, qui non eſt Deus; ſi poteſt charitatem tribuere, qui non eſt Deus; ſi poteſt gratiam dare, qui non eſt Deus;*

(*t*) *L. 3. ad Traſimund. c. 35.*

Digitized by Google

Deus ; ſi poteſt templum membra Chriſti habere, qui non eſt Deus ; & dignè Spiritus ſanctus negabitur Deus . . . . Si autem hæc creaturæ poſſibilia nunquam fuerunt, & inveniuntur in Spiritu ſancto, quæ tamen ſoli competunt Deo, non debemus naturaliter diverſum à Patre Filioque dicere, quem in operum potentia diverſum non poſſumus invenire. Ac ſic ex unitate operis unitas eſt agnoſcenda virtutis. Ex unitate autem virtutis agnoſci debet unitas naturæ & divinitatis.

Prob. 2do. Concluſio ex Traditione SS. Patrum.

1mo. Hæc traditio habetur ex forma Baptiſmi ; baptizamur enim ex æquo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Argumentum hoc ſæpiſſimè urgent SS. Patres, S. Athanaſius, lib. de Spiritu ſancto ad Serapionem. Didymus, lib. de Spiritu ſancto. Hilarius, lib. 2. de Trinit. (*u*) Theodoretus, lib. 5. cont. hæres. c. de Spiritu ſancto. S. Baſilius, lib. 5. cont. Eunomium. c. 10. S. Ambroſius, lib 1. de Spiritu ſancto c. 4. S. Auguſtinus, Tract. 6. in Joan.

2do. Ex precibus Eccleſiæ, quas Deo per Filium in Spiritu ſancto oblatas fuiſſe teſtatur S. Juſtinus, Apologiâ 2dâ

3rio. Ex illa celebri, & antiquiſſima glorificatione, qua Eccleſiæ Hymni claudabantur his verbis : *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto ;* ſeu, *Gloria Patri cum Filio & Spiritu ſancto*, vel, *per Filium in Spiritu ſancto*, utroque enim modo antiquitùs Doxologia (*x*) terminabatur. Argumentum illud adversùs Hæreticos imprimis urget S. Baſilius lib. de Spiritu ſancto c. 25.

4to. Unanimis illa Eccleſiæ fides vel ex eo maximè fit manifeſta, quòd ſtatim ac quis Spiritus ſancti divinitatem impugnare palam auſus eſt, pro hæretico habitus fuit, pulſus ab Eccleſia, nec alia via potuit Eccleſiæ communioni reſtitui, quàm ejuratâ hæreſi. Ita in Concilio Alexandrino anno 362. celebrato ab Hæreticis ad Eccleſiam redeuntibus poſtulabatur, ut Arianam hæreſim, & eos qui dicebant, Spiritum ſanctum eſſe creaturam execrarentur. Ita S. Baſilius Ep. 78. non priùs Euſtathium Sebaſtenum in communionem ſuam aſcivit, quàm Spiritus ſancti divinitati ſubſcripſiſſet. Idem erga Paulinum Antiochenum obſervavit S. Epiphanius hæreſi 77.

5to. Traditionem illam clarè demonſtrat multitudo SS. Patrum, quorum nonnulla teſtimonia proferimus duntaxat.

S. Juſtinus Apol. 2. *Filium*, inquit, *& Spiritum ſanctum propheticum colimus & adoramus, & Deum ſolum adoramus.*

S. Irenæus, lib. 5. c. 6. ubi ait *hominem factum eſſe ad ſimilitudinem Dei per manus Patris, id eſt, per Filium & Spiritum ſanctum.* Et lib. 4. c. 33. aliàs 53. Spiritum ſanctum eum eſſe ait, *qui ab initio in univerſis diſpoſitionibus Dei adfuit hominibus, & futura annuntiavit, & præſentia oſtendit, & præterita narrat.*

S. Cyprianus Epiſtola ad Jubaianum: *Cùm tres*, inquit, *unum ſint, quomodo Spiritus ſanctus placatus eſſe ei poteſt, qui aut Patris, aut Filii inimicus eſt.*

Superfluum eſt multos alios hîc congerere ejuſdem Traditionis teſtes poſt duo Concilia Generalia, Nicænum primum, & Conſtantinopolitanum primum, à quibus fides illa Eccleſiæ clarè & expreſſè cognita & declarata fuit.

(*y*) Nicænum in Symbolo fidei profitetur, *ſe credere in Spiritum ſanctum ;* eadem igitur fides in Spiritum ſanctum exigitur, quæ in Patrem & Filium : præcipuum autem Fidei noſtræ objectum, Deus eſt. Ergo Spiritus ſanctus, in quem credere tenemur, eſt verus & ſummus Deus.

(*u*) Et Comment. in Matth. (*x*) Glorificatio, ſeu collaudatio. (*y*) An. 325.

(z) Conſtantinopolitanum I. quod eſt Oecumenicum II. adversùs Macedonianos congregatum, expreſſiùs adhuc in Symbolo Fidei Spiritus ſancti divinitatem adſtruit his verbis: *Credimus in Spiritum ſanctum, Dominum & vivificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre & Filio adorandum, & glorificandum, qui locutus eſt per Prophetas.*

Quo autem tempore Orientales Conſtantinopoli congregati fidem divinitatis Spiritus ſancti adversùs Macedonii impietatem vindicabant, eandem & Occidentales ſub Damaſo Papa Romæ coacti prædicabant, & adſtruebant; & ita ex communi utriusque Eccleſiæ conſenſu verè Oecumenicum evaſit Concilium Conſtantinopolitanum, quod centum duntaxat & quinquaginta Epiſcopis conſtabat.

His argumentis addi etiam poſſunt ea omnia, quæ §. 1mô de Trinitate Perſonarum in unitate naturæ protulimus.

Quæ autem modò adduximus hoc unicô præſcriptionis argumentô velut concluduntur: Sæculô quartô Eccleſiam credidiſſe Spiritum ſanctum eſſe verum Deum, evidenter ex dictis conſtat: nam qui tunc Spiritus ſancti divinitatem negârunt, ab Eccleſia damnati ſunt ut Hæretici. Ergo etiam tribus aliis prioribus ſæculis fuit Eccleſiæ fides, quòd Spiritus ſanctus ſit Deus: nam dici non poteſt, quo tempore, ubi, à quo, quibus præſidiis, quibus obſiſtentibus mutata fuerit Eccleſiæ doctrina circa Spiritum ſanctum; cùm tamen hæc omnia in omni mutatione præſertim religionis aſſignari poſſint.

326 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo contra primam Concluſionem. Filius vocatur Deus in Scriptura figuratè tantùm, ſicut Moyſes dicitur Deus Pharaonis, Exod. 7. v. 1. *Conſtitui te Deum Pharaonis.* Et ſicut Judices ac Magiſtratus dicuntur Dii, Pſal. 81. v. 6. *Ego dixi Dii eſtis, & Filii Excelſi omnes.* Item non vocatur Filius Dei niſi per adoptionem. Ergo Filius non eſt verè Deus, ſed creatura licèt cæteris longè nobilior.

Reſp. neg. ant. Nam 1mo. Filius Dei dicitur Deus ſimplicitur & abſolutè, & in ſingulari. Nullus autem in Scriptura vocatur Deus ſimpliciter & ſine addito, & in ſingulari numero niſi verus Deus. At Moyſes dicitur tantùm Deus cum addito deſtruente veram Dei rationem, nempe dicitur conſtitutus Deus Pharaonis, id eſt, conſtitutus cum poteſtate Miniſtri Dei in Pharaonem. Judices verò dicuntur in plurali Dii, qui certè non poſſunt eſſe verè tales, ſed ſolùm in ſenſu metaphorico, quatenus ſunt Miniſtri Dei, & ejus vices gerunt erga alios. 2do. Filius dicitur in Scriptura, (a) *Deus ſuper omnia benedictus*, (b) *verus Deus*, (c) *unum cum vero Deo*; quæ omnia dici non poſſunt, niſi de vero Deo. 3tio. In Scriptura tribuntur Filio attributa & opera Dei propria, ut omnipotentia, æternitas, creatio, &c. (d) Et de eo ab Apoſtolis, prout ſupra oſtendimus, exponuntur plures textus Veteris Teſtamenti ſolum verum Deum ſpectantes. 4to denique, dicitur *proprius Dei Filius*, & *unigenitus*, ut Rom. 8. v. 32. *Proprio Filio ſuo non pepercit.* Et Joan. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret*, cùm tamen ſint multi adoptivi Dei filii, Epheſ. 1. v. 5. Item dicitur Filius per oppoſitionem ad Angelos, Heb. 1. v. 5. *Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus*

(z) An. 381 (a) *Rom. 9. v. 5.* (b) *1. Joan. c. 5. v. 20.* (c) *Joan. 10. v. 30.* (d) Vid. argumenta hic ex S. Scriptura adducta.

meus es tu, ego hodie genui te. Igitur eſt Filius Dei naturalis, ideoque ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ ac naturæ, & verus Deus ſicut ipſe Pater. Nam Dei Filius naturalis eſt ille, qui ex ſubſtantia Dei eſt, nempe divinitate: quæ cùm ſit unica & indiviſibilis, debuit tota communicari per generationem. Item Pater non genuit Filium niſi ex ſua ſubſtantia, communicando illi ſuam totam ſubſtantiam, nempe divinitatem, non verò partem ſubſtantiæ, aut aliam ſubſtantiam divinam, cùm natura divina ſit indiviſibilis, & unica etiam numerò.

Inſt. Cùm Judæi (e) Chriſto exprobrarent, quòd ſe Deum faceret, ipſe reſpondit: *Nonne ſcriptum eſt in Lege veſtra, quia ego dixi, Dii eſtis?* Ergo Chriſtus ſe dicebat Deum figuratè duntaxat, ſicut Judices dicuntur Dii.

Reſp. neg. conſ. Imò hac ſua reſponſione Chriſtus confirmat, ſe etiam verum hominem exiſtentem, eſſe etiam verum Deum, id eſt, ſe eſſe hominem ſimul & Deum, nam addidit: *Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolvi Scriptura; quem Pater ſanctificavit, & miſit in mundum, vos dicitis: quia blaſphemas, quia dixi; Filius Dei ſum; ſi non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio .... operibus credite, ut cognoſcatis & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre.* Hoc eſt, ſi Judices & Magiſtratus in Scriptura rectè vocantur Dii, quia nempe ſunt Vicarii Dei in judicando & regendo mundo; quo jure me blaſphemiâ arguitis, eò quòd me Filium Dei nominem, & unum cum illo me dicam, quem ipſe Pater ſanctificavit per communicationem divinæ ſuæ naturæ, & quem opera miraculoſa oſtendunt eſſe in Patre & Patrem in me eſſe per identitatem naturæ.

Ob 2do. Illud Joan. 17. v. 3. *Hæc* 327
eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti JEſum Chriſtum. Ergo ſolus Pater eſt Deus.

Reſp. neg. conſ. Quia Chriſtus ibi non vocat Patrem ſolum verum Deum cum excluſione eorum, qui eandem habent divinitatem cum Patre, nempe cum excluſione ſui & Spiritus ſancti, ſed duntaxat cum excluſione creaturarum, quibus Ethnici divinitatem affingebant, nempe falſorum Deorum. Quare ſenſus hujus textus eſt: hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te, ô Pater, qui es Deus ille, qui ſolus verus Deus eſt. Nam cùm aliqua Perſona divina dicitur eſſe Deus, non excluſiva cadit in vocem *Deus*, non in Perſonam, quæ dicitur Deus. Et certè excluſivæ particulæ *ſolus* vim eam non eſſe, ut omnes etiam coæquales perſonas excludat, multis demonſtratur Scripturæ teſtimoniis. Lucæ 9. v. 35. & 36. (f) vox facta eſt de nube dicens: *Hic eſt Filius meus dilectus, ipſum audite: Et dum fieret vox, inventus eſt JEſus ſolus.* Aderant tamen Petrus, Joannes, & Jacobus. Solus ergo dicitur, quia diſparuerant tunc Moyſes & Elias. Joan. 16. v. 32. cùm dixiſſet JEſus diſcipulis ſuis: *Me ſolum reliquiſtis,* ſtatim ſubjungit, *& non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt.* Quemadmodùm igitur Filius dicitur relictus ſolus, & non ſolus, ſolus reſpectu diſcipulorum, non ſolus reſpectu Patris; ita Pater dicitur verus Deus ſolus, & non ſolus; ſolus reſpectu idolorum, non ſolus reſpectu Filii & Spiritus ſancti. Et Matth. 11. v. 27. *Nemo novit Filium niſi Pater; neque Patrem quis novit, niſi Filius.* An idcirco Pater & Filius à ſua ipſorum cognitione excluduntur? Excluſiva igitur *ſolus* Patri adjuncta perſonas dunta-

(e) Joan. 10. (f) In transfiguratione Chriſti in monte Thabor.

Digitized by Google

duntaxat à ſe alienas & ſejunctas excludit, falſos ſcilicet Deos, non eas, quæ cum ipſo unius & ejuſdem ſunt naturæ: quo ſenſu Deuteronomii 32. v. 12. dicitur: *Dominus ſolus dux ejus fuit, & non erat cum eo Deus alienus.*

328 Ob. 3tio. Illud 1. Cor. 8. v. 4. & ſeq. ubi *Scimus*, ait Apoſtolus, *quia nihil eſt idolum in mundo, & quòd nullus eſt Deus, niſi unus. Nam etſi ſunt, qui dicantur dii, ſive in cœlo ſive in terra (ſiquidem ſunt dii multi, & domini multi) nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum; & unus Dominus JEſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum.* Ergo &c.

Reſp. neg. conſ. Pater ab Apoſtolo hìc unus Deus appellatur per excluſionem falſorum Deorum, quos vero & ſummo Deo opponit, ut ex ipſa textus lectione manifeſtum eſt. Et verò cùm Apoſtolus Patrem appellat *ſolum verum Deum*, non magis excludere voluit à conſortio divinitatis Filium & Spiritum ſanctum, quàm cùm ibidem Chriſtum appellat *unum Dominum*, voluit excludere Patrem. Imò ex eo, quòd Chriſtus dicatur unus Dominus, rectè infertur, illum eſſe unum Deum, ſicut ex eo, quòd Pater dicatur unus Deus, rectè infertur, cum etiam eſſe unum Dominum. Ideò autem, ut probè advertit S. Chryſoſtomus (*g*) Paulus ſolum Deum dicit Patrem in hac ſua ad Corinthios Epiſtola, quia ipſis nuper à gentili ſuperſtitione converſis loquebatur, ac timebat, ne ſi plures in Deo perſonas diſtinctè propoſuiſſet, plures illi Deos excogitaſſent, ac ſe ad priorem, unde receſſerant, ſuperſtitionem delapſos eſſe arbitrati fuiſſent. Itaque prudentiæ fuit Apoſtoli, ut illis tanquam infantibus lac doctrinæ propinaret, non ſolidiores cibos, ſicut loquitur ipſemet Paulus in eadem Epiſtola c. 3. v. 1. & 2. id eſt, ea ſumma Religionis capita, quæ captu diſficillima ſunt, ac firmiſſimam exigunt fidem, nonniſi obſcurè proponeret.

Ob. 4to. Illud Prov. 8. v. 22. *Dominus creavit me initiò viarum ſuarum.* Sapientia hìc loquitur, quam SS. Patres ajunt eſſe ipſummet Chriſtum Dei filium, ſeu Sapientiam incarnatam. Ergò Filius factus eſt ex nihilo, ergo eſt creatura. 329

Reſp. neg. conſ. Quia verbum *creare* ibi ſumitur latè, non ſtrictè. Nam creare in ſenſu lato eſt præciſè producere ſine ulla mutatione & diminutione producentis. Creare verò in ſenſu ſtricto eſt producere aliquid ex nihilo tum ſui, tum ſubjecti, ſine mutatione & diminutione producentis. Igitur Pater creavit Filium, quia produxit illum abſque ulla mutatione & diminutione ſui: nam illum produxit totam ſuam ſubſtantiam ei ſic dando, ut totam retineat. Unde non produxit Filium ex nihilo, ſed ex ſua ſubſtantia illum genuit, eam totam ei communicando. Certè hìc, & Eccli. 14. verbum *creare* impropriè, ut diximus, ſumitur, & idem eſt, quod generare. Apud Græcos enim *creare* & *gignere* promiſcuè ſumitur, ut conſtat ex Pſal. 89. verſ. 2. & Deuter. 32. v. 18. ubi apud Septuaginta idem verbum græcum *γίνομαι ſum* vel *gignor* uſurpatur ad generationem perinde ac cretionem ſignificandam. Quin etiam apud Latinos non raró *creare* ac *generare* promiſcuè ad idem ſignificandum ſumitur, ut obſervat S. Hieronymus (*h*) & S. Auguſtinus, lib. de Fide & Symbolo. Idque vel ex eo patet, quòd hoc locô ipſa Dei Sapientia loquatur, quæ profectò ab æterno cum ipſo fuit, nec primùm in tempore ab illo creata, niſi quis omninò veſanè dicere maluerit, fuiſſe tempus, quo Deus ſapientiâ

(*g*) *Hom. 20. in 1. Ep. ad Cor.* (*h*) In c. 4. Epiſt. ad Epheſ.

Digitized by Google

pientiâ caruerit. Cum igitur Dei Filius ſit Dei ſapientia, manifeſtum eſt, illum etiam ab æterno eſſe, nec à Patre creatum ſed genitum eſſe.

330 Ob. 5to. Illud Act. 2. v. 36. *Dominum eum & Chriſtum fecit Deus hunc JEſum, quem vos crucifixiſtis.* Ergò Chriſtus factus eſt.

Reſp. Diſt. conſ. Chriſtus factus eſt ſecundùm naturam humanam aſſumptam, ſeu factus eſt ut homo, conc. factus eſt ſecundùm Perſonam aſſumentem eandem naturam humanam, neg. conſ. Nam Perſona illa eſt æternum Dei Verbum, genitum non factum, conſubſtantiale Patri, quod in tempore homo factus eſt.

331 Ob. 6to. Joan. 1. v. 15. Joannes Baptiſta ait: *Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt.* Loquitur de Chriſto. Ergo, &c.

Reſp. neg. conſ. Chriſtus ante Joannem *factus* dicitur, id eſt, in majore dignitate & honore, quàm Joannes conſtitutus eſt, ut homo ſcilicet, ut nempe ſit Redemptor & Rex omnium, cùm Joannes eſſet Redemptoris Miniſter duntaxat. Quod patet ex ſequentibus verbis, *quia prior me erat:* id eſt natu major, non ſecundùm naturam humanam (nam Chriſtus poſt Joannem Baptiſtam conceptus & natus eſt) ſed ſecundùm naturam divinam, ſecundùm quam tota æternitate Joannem anteceſſit, & ſecundùm quam dicebat Judæis: *Amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego ſum.*

332 Ob. 7mo. Rom. 1. v. 4. De Chriſto ait Apoſtolus: *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei, in virtute ſecundùm Spiritum ſanctificationis.* At prædeſtinatio eorum eſt, quæ ſunt per gratiam, non per naturam. Ergo, &c.

Reſp. Id ab Apoſtolo dicitur de Chriſto ut homine, ſeu ſecundùm humanitatem, non ſecundùm Perſonam. Itaque Chriſtus ut homo prædeſtinatus eſt duntaxat ſecundùm humanitatem, ut eſſet Filius Dei; quia humanitati per ſe non competebat, ut uniretur Verbo in unitatem Perſonæ. At non eſt prædeſtinatus ſecundùm Perſonam; nam Perſona Chriſti eſt Perſona Verbi, quæ eſt tam neceſſaria, quàm Perſona Patris, cui conſubſtantialis eſt.

Ob. 8vo. Coloſſ. 1. v. 15. Chriſtus dicitur, *Imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ.* Ergo eſt creatura omnium excellentiſſima. 333

Reſp. neg. conſ. Chriſtus revera primogenitus appellatur omnis creaturæ, non quidem ratione creationis & ordinis, quaſi ipſe creatura foret, ſed ratione dignitatis & cauſalitatis, quia reipſa ante omnes creaturas ab æterno genitus fuit, quarum ipſe cauſa eſt, & principium: *Omnia per ipſum facta ſunt.* Hanc eſſe mentem Apoſtoli demonſtrant verba verſûs 18. *Ut ſit*, inquit, *in omnibus ipſe primatum tenens.* Et v. 16. *Primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipſo condita ſunt univerſa in cœlis & in terra.*

Hunc Apoſtoli textum Concilium Toletanum XI. etiam intellexit de Chriſto ut homine, & tunc ſenſus eſt, Chriſtum ut hominem eſſe excellentiorem omnibus creaturis.

Ob. 9no. Filius omnia accipit à Patre ex Matth. 11. v. 27. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo*, inquit. Ergo eſt Creatura. 334

Reſp. neg. conſ. Nam Filius quidem à Patre omnia, quæ habet accepit, ſed ſine ulla dependentia ac imperfectione, & ex ſumma ac neceſſaria exigentia ſuæ eſſentiæ, naturæ ſcilicet divinæ, omninò neceſſariæ, independentis, & infinitè perfectæ, quæ exigit ut à Patre Filio communicetur modô perfectiſſimô. Unde non eſt meliùs ſeu beatiùs Patri dare, quàm Filio accipere. Porro Pater omnia, quæ habet dedit Filio, excepta ſcilicet ſola proprietate Paternitatis, quæ ex his, quæ habet Pater,

ter, ſola eſt incommunicabilis Filio propter oppoſitionem realem, quam habet cum proprietate filiationis.

335 Ob. 10mo. Chriſtus Joannis 6. v. 38. *Deſcendi de cœlo*, inquit, *non ut faciam voluntatem meam, ſed ejus, qui miſit me.* Et 1. Cor. 15. v. 28. *Cùm ſubjecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe Filius ſubjectus erit ei, qui ſubjecit ſibi omnia.* Ergo Filius eſt ſubjectus & obedit Patri, ideoque non eſt Deus.

Reſp In his locis agitur de Filio ut homo eſt, non ut Deus eſt. Et revera Filius ut homo, eſt & erit ſubjectus Patri in æternum. Senſus autem primi loci eſt, filium Dei aſſumpſiſſe naturam humanam in utere Virginis ut voluntatem humanam ſuam ſubjiceret voluntati divinæ, quæ eſt voluntas Patris & ſua ut eſt Deus: nam hæc verba, *Deſcendi de cœlo*, idem ſonant, ac aſſumpſi naturam humanam; quia Filius Dei per aſſumptionem humanitatis fuit novô modô in terris, quo anteà non fuerat. In Filio autem Dei incarnato ſicut duæ naturæ, ita & duæ voluntates ſunt, una divina, quæ tribus Perſonis communis eſt; & altera humana, quæ propria eſt Filio ut homini facto, & ſubjecta eſt priori voluntati. Unde Filius ſecundùm unam ſui voluntatem ſibi ipſi & aliis Perſonis ſubjectus eſt.

336 Ob. 11mo. Ibid. c. 14. v. 28. *Pater major me eſt*, inquit Chriſtus. Ergo non eſt Deus.

Reſp. Patrem Filiô majorem eſſe ratione humanitatis, non autem divinæ eſſentiæ: *Ego* enim *& Pater unum ſumus*, ait ipſe Chriſtus. Solutio manifeſta fit ex ſcopo ipſo ſeu inſtituto Chriſti. Diſcipulos ob proximum ſuum è terris diſceſſum triſtes conſolatur, iſtô potiſſimùm motivô, quòd rediturus eſſet ad Patrem, & in gloriam ipſius recipiendus, unde gaudere magis, quàm triſtari deberent. Eâ ipsâ autem ratione Patrem ſe majorem dicit, qua erat ad ipſum rediturus, ratione ſcilicet aſſumptæ humanitatis, non autem divinæ naturæ, quam ſemper unam numerô cum Patre retinuit: *Pater in me eſt, & ego in Patre.*

Ob. 12mo. Quid me dicis bonum? inquit Chriſtus Marc. 10. v. 18. *Nemo bonus niſi unus Deus.* Ergo Chriſtus fatetur ſe non eſſe Deum. 337

Reſp. neg. conſ. Nam ibi Chriſtus hominem increpat, eò quòd ipſum appellaret ſingulariter bonum, & tamen non crederet Deum. Deus enim ſolus dignus eſt, qui ſingulariter dicatur bonus, cùm ipſe ſolus ſit bonus per eſſentiam & à ſe ipſo, creaturæ verò bonæ ſint contingentur & participatione, per bonitatem ſcilicet à Deo acceptam, atque limitatam. Quare ſenſus eſt: cur me vocas ſingulariter bonum, & non credis me eſſe Deum, cùm nemo ſingulariter bonus ſit niſi ſolus Deus?

Ob. 13tio. Joan. 5. v. 20. Chriſtus ait: *Pater diligit Filium, & omnia demonſtrat ei.* Et Marci 13. v.32. *De die autem illo vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, niſi Pater.* Ergo, &c. 338

Reſp. neg. conſ. ad 1. textum, ſenſus eſt, quòd Pater omnia demonſtret Filio, non docendo, ſed generando, & per generationem communicando ei naturam divinam primariò ut eſt ſcientia rerum omnium: unde Filius eſt Verbum Patris. Item cum Chriſtus Joan. 15. v. 15. dicit: *Quæcunque audivi à Patre, nota facio vobis.* Vel ibi loquitur de ſe ut homine; vel ſi loquitur de ſe ut Deo, audit à Patre non diſcendo, ſed naſcendo, nam rerum omnium ſcientiam per nativitatem accepit à Patre.

Ad 2dum. Chriſtus diem Judicii hoc ſenſu ignorat, quia ignorantes nos facit, ſeu non aperit nobis nec revelat: in phraſi quippe Scripturæ, Deus rem aliquam cognoſcere primùm dicitur, quando eam aliis manifeſtam facit; v. 9 Geneſ. 12. ad Abraham dicit: *Nunc cogno-* *vi,*

Digitized by Google

vi, quòd timeas Dominum. An id anteà ignorabat? non certè: ſed fidem illam apertô & publicô experimentô nondum comprobaverat.

339 Ob. 14to. Matth. 20. v. 23. *Sedere ad dexteram meam*, inquit Chriſtus ad Joannem & Jacobum fratres, *& ſiniſtram non eſt meum dare vobis, &c.* Ergo non habet plenam in res omnes poteſtatem, adeoque non eſt Deus.

Reſp. neg. conſ. Nam Matth. 28. v. 18. ipſe Chriſtus declarat, ſibi datam eſſe omnem poteſtatem: *Omnis poteſtas*, inquit, *data eſt mihi in cœlo & in terra;* ad mentem igitur interrogantium reſpondet, ſuum non eſſe, eas ſedes diſtribuere, quas poſtulabant filii Zebedæi. Petebant illi à Chriſto, tanquam ab homine ſibi affinitate ſanguinis conjuncto, & affectu quodam carnali, ut ipſis ſedes illas cœleſtes concederet: quibus meritò reſpondet, ſuum non eſſe, eo modo, quo illi cogitabant, ſedes illas diſtribuere; ſimulque tacitè illos admonet, priùs bibendum eſſe ipſis tribulationum calicem, quàm ſedes illas aſſequantur.

340 Ob. 15to. Illud Joan. 1. v. 3. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Ergo Filius fuit duntaxat inſtrumentum Patris in creatione mundi.

Reſp. neg. conſ. Nam Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt una cauſa principalis productionis mundi, cùm mundus ex nihilo conditus ſit per omnipotentiam communem & identificatam tribus Perſonis: præpoſito autem *per* hîc ſignificat cauſam principalem; ita ut cùm dicitur, *omnia per ipſum facta ſunt*, perindè ſit ac ſi diceretur, *omnia ab ipſo facta ſunt*: ſicut hæc propoſitio in multis aliis Scripturæ locis cauſam principem, non inſtrumentum ſignificat; ut Geneſ. 4. v. 1. *Poſſedi hominem per Deum*, & Prov. 8. v. 15. *Per me Reges regnant.* Sic etiam dicimus, omne opus ſalutare fieri per gratiam Dei. Scriptura autem, cùm de Filio loquitur ſæpè utitur præpoſitione *per*, ut indicet, Filium agere per potentiam acceptam à Patre, ſed abſque dependentia, & eandem numerô potentiam habet, quam ipſe Pater.

Ob. 16to. Nullus eſt alius Deus, quàm qui in Veteri Teſtamento dicitur Deus Abraham, &c. Atqui ſola perſona Patris eſt Deus Abraham, &c. Nam Deus Abraham, &c. in Scriptura opponitur Filio Act. 3. v. 13. ubi, *Deus Abraham*, inquit S. Petrus, *Deus Iſaac, & Deus Jacob, Deus Patrum noſtrorum glorificavit Filium ſuum JEſum, &c.* Et Hebr. 1. v. 1. & 2. *Deus Pater, qui olim in Prophetis locutus fuerat*, dicitur *noviſſimè locutus fuiſſe nobis in Filio.* Ergo ſola perſona Patris eſt verus Deus. 341

Reſp. neg. min. ad ejus probationem Diſt. Deus Abraham, &c. opponitur Filio, ut hic homo eſt, conc. Ut eſt Verbum, neg. Reſponſio patet ex paſſim dictis.

Ob. 17mo. Illud Joan. 5. v. 19. *Non poteſt Filius à ſe facere quidquam niſi quod viderit Patrem facientem.* Ergo Filius non eſt omnipotens. 342

Reſp. neg. conſ. Nam ſtatim Chriſtus ibidem ſubjungit: *Quæcunque enim ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit.* Itaque Filius dicitur nihil facere à ſe ipſo, tùm quia quidquid habet Filius, id à Patre accepit per generationem: tùm quia eadem eſt voluntas ac natura Patris & Filii.

Ob. 18vo. S. Juſtinus Dial. cum Tryphone ait 1mo. *Dici Deum et Dominum alium præter factorem omnium, qui & Angelus ſive nuntius vocatur, eò quòd annuntiet mortalibus, quæcunque annuntiari eis vult, univerſitatis fabricator, ſupra quem alius Deus non eſt.* 2do. *Filium factoris rerum omnium voluntati miniſtrare, & adminiſtrum eſſe.* 3tio. Deum ingenitum nec Moyſi, nec Patriarchis apparuiſſe, quia non poteſt alloqui ullo modo aliquem, nec conſpici, nec de cœlo deſcendere. 4to. Patrem eſſe Dominum 343

rerum

rerum univerſarum & ipſius Chriſti. 5to. Filium eſſe Deum juxta conſilium & voluntatem Patris. 6to. Patrem eſſe Filio cauſam ut ſit. 7mo. Apolog. 2dâ ait, Filium ſecundò locô, & Spiritum ſanctum tertio ordine à Chriſtianis cum ratione coli. Addit Patrem eſſe verum & ſingularem Deum.

Reſp. 1mo. S. Juſtinum iſta omnia in bono ſenſu intellexiſſe: nam certum eſt vel ex iis, quæ nos ſuprà concluſione 1mâ num. 324. ex ipſo adduximus, illum in mox citatis libris divinitatem Verbi docuiſſe & adſtruxiſſe, proinde & crediſſe.

Reſp. ergo 2do. Ad ſingula. Ad 1mum. Solùm vult Filium eſſe alium Deum ac Dominum ratione perſonalitatis, non ratione naturæ & divinitatis; id eſt, præter perſonam Patris, qui Deus eſt, eſſe aliam perſonam divinam, quæ ejus Filius eſt, ideoque Deus per eandem ſubſtantiam. Cùm addit ſupra Patrem non eſſe alium Deum, intelligit non eſſe aliam perſonam divinam, à qua Pater procedat, vel ſolùm excludit Deos Gentilium. Cùm autem vocat Filium Angelum vel nuntium Patris, loquitur de Filio ut homine, vel ſaltem impropriè. Patet ſolutio ex ſcopo S. Juſtini, qui ex profeſſo ibi probat, plures eſſe in Deo perſonas, non unam multiplici virtute & nomine inſtructam, ut nonnulli Hæretici dicebant, quos refellit.

Ad 2dum. Filius dicitur Patris adminiſter, non quidem inferior, neque ut merum inſtrumentum, quo Deus uſus fuit ad creandum mundum, ut delirabant Ariani; ſed Adminiſter ipſi Patri in omnibus æqualis, ac in poteſtate ſeu virtute omninò par: nihil quippe operatur Deus ſine intelligentia & ſapientia, Verbum autem eſt ſapientia & intelligentia Patris ſubſiſtens ac perſonalis. Cùm autem dicit, Filium non eſſe conditorem univerſorum Deum, ſolùm vult, Filium eſſe alterum à Patre, qui per appropriationem dicitur rerum omnium conditor, quatenùs eſt principium ſine principio, & omnia creavit per potentiam à nullo acceptam, cùm Filius & Spiritus ſanctus etiam omnia condant cum Patre per eandem potentiam, ſed acceptam à Patre.

Ad 3tium. Veterum hæc fuit opinio, Patrem eſſe inviſibilem, Filium verò à multis viſum fuiſſe in veteri Teſtamento: non quidem hoc ſenſu, quòd Filius non habet naturam divinam, quæ ex ſe tam eſt inviſibilis quàm natura Patris, ſæpiùs enim affirmat ſanctus Juſtinus locis citatis, eum, qui viſus eſt ab antiquis, Deum Iſraëlis eſſe; ſed quòd Filius ſolus deſtinatus ad humani generis reparationem Patris Legatus & Angelus, formam viſibilem olim aſſumpſerit, in qua jam cum hominibus converſari incipiebat. Quando igitur S. Juſtinus probat Patrem inviſibilem eſſe, quia de loco moveri non poteſt, neque ſpatiô circumſcribi, &c. Filium verò viſibilem eſſe, quia & moveri poteſt, & locô circumſcribi, attendit unicè S. Doctor ad humanam Chriſti naturam, vel ad eam ſpeciem viſibilem, in qua olim apparuit, non verò ad divinam, quam habet eſſentiam, ratione cujus æquè eſt motûs ac circumſcriptionis incapax, ac Pater ipſe. Quod autem ea ſit hìc mens S. Juſtini liquet ex ejus ſcopo. Ipſius ſiquidem propoſitum ibi eſt, ſolummodò probare adversùs Judæum Tryphonem, uti & adversùs Patripaſſianos, qui perſonas divinas confundebant, Filium Dei eſſe in perſona diſtinctum à Patre rerum omnium conditore. Hanc autem Perſonarum diſtinctionem ut evincat, hoc fermè utitur argumentô. Inviſibilis diſtinguitur ab eo, qui viſibilis eſt. Atqui Pater in Scripturis deſcribitur inviſibilis, Filius verò perhibetur viſus in terris, & cum hominibus converſatus. Ergo Pater eſt perſona à Filio diſtincta.

Ad 4tum. Loquitur hìc S. Juſtinus de Chriſto ut homine, vel nomen Domini impropriè uſurpat, nempe pro principio

cum

cum quadam dignitate relativa (*i*) ei conjuncta, quæ tamen perfectam in perfectionibus abſolutis (*k*) æqualitatem non impedit.

Ad 5tum. Cùm dicit Filium eſſe Deum voluntate Patris, intelligit voluntatem neceſſariam, quatenùs Pater voluntariè, non coactè, ſed neceſſariò generat Filium.

Ad 6tum. Pater dicitur Filii cauſa, non creatione, ſed generatione; non prioritate naturæ aut temporis, ſed originis. Idem eſt apud Veteres, Patrem eſſe Filii cauſam, ac eſſe principium. Unde Filius dicitur ab illis habere principium, aliquando etiam dicitur non habere: principium habet originis & proceſſionis, quia eſt à Patre; principium non habet durationis & temporis, quia eſt ſimul cum Patre, & ei coæternus. Tam autem apud Veteres Nicænô Conciliô priores Patres omni erroris ſuſpicione caret vox illa *cauſa*, ut etiam ab ipſis Patribus dictô Conciliô poſterioribus, quibus perſuaſum fuit, Filium verè ac propriè eſſe Deum, uſurpetur, ut à S. Baſilio, lib. 1. cont. Eunom. S. Gregorio Nazianzeno, Orat. 29. quæ eſt de dogmate. S. Joanne Damaſceno lib. 3. Orthodoxæ fidei, c. 5. Per *cauſam* igitur hìc S. Juſtinus intelligit *principium*.

Ad 7mum. S. Juſtinus ſolùm vult, Filium coli ut Perſonam ſecundam & poſteriorem origine, & Spiritum ſanctum, ut tertiam perſonam ab utroque productam. Item dicit Filium eſſe poſt Patrem primam poteſtatè ratione originis ſcilicet, quia nempe Filius eſt poſterior origine quàm Pater, à quo procedit. Rectè addit Patrem eſſe verum & ſingularem Deum; nam reipſa Pater cum Filio & Spiritu ſancto eſt unicus Deus.

Cæterum S. Juſtinus, prout jam adnotavimus, in his locis vult probare numericam divinarum Perſonarum in unitate naturæ diſtinctionem. Et ut hanc veritatem probet, multa durè, & parùm accuratè dixit, quæ benignè & juxta ejus mentem exponenda ſunt. Et ad ſummum vult Patrem, non quatenus eſt Deus, ſed quatenus eſt Pater, habere aliquam dignitatem ac prærogativam ſupra Filium, ſed relativam & duntaxat notionalem.

Ob. 19no. Athenagoras docuit, Ver- 344
bum fuiſſe per totam æternitatem *anypoſtaton*, id eſt, ſine propria hypoſtaſi: item non prodiiſſe ex Patre, niſi cùm voluit mundum condere.

Reſp. ad 1mum. Solùm vult, Verbum non habere hypoſtaſim, ſeu Perſonalitatem improductam ſicut Pater habet, vel non habere hypoſtaſim ſeparatam ab hypoſtaſi Patris, cùm ejus perſonalitas immaneat perſonalitati Patris propter identitatem naturæ. Nam docet, Verbum eſſe Filium Patris & genitum à Patre. Atqui eadem perſona non poteſt eſſe ſimul genitor & genitus ſeu Filius, & totalis terminus generationis debet eſſe aliqua hypoſtaſis.

Ad 2dum. Solùm vult Verbum in tempore prodiiſſe, non interiùs, cùm doceat Verbum eſſe æternum; ſed exteriùs, quatenus per ipſum conditum eſt hoc Univerſum; Unde in tempore prodiit, non ſecundùm ſe, ſed ſecundùm effectus ab ipſo productos.

Similiter Theophilus diſtinguit duplicem Verbi generationem ſeu prolationem, unam internam, qua Pater illud ab æterno immanenter & intrinſecùs produxit, protulit, genuit; & aliam externam, qua dedit eſſe creaturis per ipſum Verbum,

(*i*) Dignitas relativa idem eſt ac perſonalitas.

(*k*) Perfectiones abſolutæ ſunt attributa abſoluta, de quibus vid. c. 2. pag. 17. & ſeq.

per illud imperando, ut eſſent. Sed hæc valdè improprie dicuntur.

345 Ob. 20mo. S. Irenæus, lib. 2. c. 49. dicit, *ſolum Patrem ſcire diem judicii, & Patrem eſſe majorem Filiô.* Et lib. 3. c. 8. in hæc verba Pſalmi, *Ipſe præcepit, & creata ſunt, cui ergo*, ait, *præcepit? Verbo ſcilicet, per quod cæli firmati ſunt.* Et lib. 4. c. 17. Filium & Spiritum ſanctum vocat Dei miniſtros. *Miniſtrat ei ad omnia ſua progenies, & figuratio ſua.* Ergo, &c.

Reſp. ad 1mum. Loquitur de Filio ut homine facto: nam de ipſo loquitur, ut nos docente exteriùs, *ut diſcamus per ipſum*, inquit. Pater ergo eſt ſuper omnia, & major Filiô, ratione humanitatis, non ratione divinitatis, niſi ſaltem propter ſolam originis prioritatem, quæ majorem in Patre perfectionem non involvit.

Ad 2dum. Vult Patrem Filio præcipere impropriè tantùm & non tanquam inferiori dependenti, ſed tanquam æquali, & ſine quo nihil facere poteſt, nempe hoc ſenſu, quòd Pater voluerit mundum fieri per Verbum, ſed voluntate & potentia utrique communi & à Patre accepta. Id autem datâ operâ contra Gnoſticos probat S. Doctor, quòd docerent illi, hunc mundum ab inferioribus poteſtatibus conditum fuiſſe contra voluntatem ſupremi Dei.

Ad 3tium. Filius & Spiritus ſanctus dicuntur Miniſtri Dei impropriè tantùm non quidem extranei, & à Deo ſejuncti, ſed intranei & conjuncti; non ex indigentia ex parte Patris, aut dependentia ex parte Filii, ſed ex perfecta eorum æqualitate & neceſſaria actionis indiviſione.

346 Ob. 21mo. Clemens Alexandrinus l. 7. Stromat. dicit, *naturam Filii eſſe ſoli omnipotenti propinquiſſimam.* Et inferiùs dicit, *Filium omnipotentis Patris voluntati ſervire.*

Reſp ad 1mum. Ibi ſumit naturæ nomen pro perſona, & ſolùm vult, perſonam Filii eſſe perſonæ Patris conjunctiſſimam & immanentem. Quod minimè mirum videri debet: nam vox *phyſis* ſeu *natura* illis temporibus ſumebatur etiam pro perſona. Imò etiam poſt exortam Arianam hæreſim ſic uſurpata fuit à Catholicis, ut ab Alexandro Alexandriæ Epiſcopo, in epiſt. ad Alexandrum Conſtantinopolitanum.

Ad 2dum. Loquitur de Filio ut homo eſt. Præterea ſi id diceret de Filio ut Verbô, vox *ſervire* ſumeretur impropriè, nempe pro conſentire ſeu agere conformiter voluntati Patris, quæ eſt etiam Verbi, ſed accepta à Patre.

Ob. 22do. Origenes negavit divinitatem Verbi. Nam 1mo lib. 6. contra Celſum, Filium vocat *immediatum Mundi opificem*, cui Pater *opifex primarius* juſſit ut mundum crearet. 2do lib. 8. cont. eundem ait, nonnullos eſſe, qui Chriſtum illum *univerſorum Deum eſſe temerè affirmant; quod nos*, inquit, *certè non facimus, qui credimus ipſi dicenti: Pater, qui miſit me, major me eſt.* 3to. Tom. 2. in Joan. docet, Verbum à Deo eſſe factum & creatum; & ibidem obſervat, quoties in Græco Scripturæ contextu Dei nomini apponitur articulus ὁ Θεὸς, Deum Patrem ſeu ſummum Deum deſignari; cùm verò articulus ille non apponitur, Dei Verbum intelligi, & alios, qui participatione dii ſunt. Addit Deum Patrem eſſe, αὐτὸ Θεον, *Deum à ſe & per ſe;* ſecus verò Filium, quem Deum ſecundum alibi appellat. 4to lib. 1. Comment. in Job, ait tria cornua, quæ diabolus aſſumpſit, figuraſſe tres Trinitatis perſonas, *& typum atque figuram eſſe trionymæ illius ſectæ, triuſque deorum hæreſis, quæ Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum aliquando tanquam tres colit, nonnumquam unum adorat, &c.* 5to denique judicio ſanctorum Epiphanii, & Hieronymi ad minùs ſuſpecta valde debet 347

bet

bet eſſe fides Origenis circa Trinitatis Myſterium.

Reſp. ad ſingula. Ad 1mum jam ſupra, exponendo mentem S. Irenæi, diximus, quo ſenſu Filius ſit Patris miniſter & inſtrumentum; quomodò Pater ei aliquid imperet. Unde hîc ea repetere ſuperfluum eſt.

Ad 2dum. Ibi redarguit Origenes Hæreticos Noëtianos, qui Filium cum Patre confundebant, unamque eſſe perſonam temere affirmabant. Cùm igitur ait, Filium non eſſe illum ſummum Deum, Patris Perſonam intelligit ad mentem Hæreticorum, quos impugnat, non Patris naturam & eſſentiam: cùm verò Filium Patre minorem dicit, recto ſenſu exponendus eſt, nempe ratione vel humanitatis, vel divinitatis propter ſolam originis prærogativam, qua gaudet Pater, qui eſt origo totius divinitatis, principium ſine principio.

Ad 3tium: *Verbum* ab Origene dicitur aliquando genitum, & aliquando ingenitum, factum, & non factum, creatum & non creatum: verùm ſano ac recto ſenſu hæc intelligi poſſunt. Vario quippe reſpectu genitum dicitur & ingenitum: genitum, quia habet originis principium; ingenitum, quia nullum habet exiſtentiæ ſuæ initium, quia ſemper extitit; factum autem & creatum idem ſunt apud Origenem ac genitum. Quapropter ab Origene Verbum non dicitur αὐτὸ Θεὸς *Deus à ſe*, ſicut Pater, quia habet ſui originem, nempe Patrem: tametſi vox illa, αὐτὸ Θεὸς idem ſignificet apud Origenem, ac *Deus ipſe;* quo ſenſu Filius ab eodem appellatur, *ipſa vita*, *ipſa veritas*, *ipſa ſapientia*, &c.

Ad id, quod de articulo voci Θεὸς *Deus* præfixo notat Origenes, certè legenti Origenis textum Tom. 2. in Joan. videbitur, eum hoc unum velle, nempe præfixum articulum deſignare tùm Patrem eſſe veram perſonam à Filio diſtinctam, tùm eum eſſe totius divinitatis fontem & originem, à quo, quicunque Dii dicuntur, ſuam & naturam & appellationem habent acceptam; adeoque Filium Dei ex Patre habere, ut Filius ſit & verus Deus: alios verò, qui dii dicuntur impropriè & metaphoricè, à Deo etiam ſuam accepiſſe auctoritatem, propter quam dicuntur dii. Ita benignè explicari poteſt ac debet Origenes.

Ad 4tum. Quæ ex lib. 1. Comment. in Job. hîc objiciuntur, tam impia ſunt, & iis, quæ ex genuinis operibus ipſius, præcipuè autem ex libris contra Celſum pro divinitate Verbi laudari ſolent, atque etiamnum à S. Athanaſio adducta fuère contra Arianos, tam directè & manifeſtè contraria, ut neceſſe ſit agnoſcere, aut verba, quæ opponuntur, Ariana manu inſerta fuiſſe, aut Opus integrum, quale jam extat, Origenis non eſſe. Multi poſt Genebrardum, Sixtum Senenſum, Poſſevinum, Bellarminum, ex eo capite ſuppoſititium judicant, quod in eo mentio fiat nominis Ομουσίου *conſubſtantialis* longè poſt tempora Origenis nati, & Luciani martyris, quem conſtat Origene poſteriorem multis annis fuiſſe, ut rectè obſervat Genebrardus in Collectaneis de vita Origenis.

Ad 5tum dicimus, doctrinam Origenis non ex ſuffragiis aliquorum auctorum, à quibus vel damnata, vel probata fuit, eſſe æſtimandam, ſed ex genuinis, & indubitatis ejus Operibus. Hieronymo, Epiphanio, aliiſque Origenis cenſoribus opponimus Euſebium Cæſarienſem, Pamphylum martyrem, S. Athanaſium, Gregorium Thaumaturgum, Gregorium Nazianzenum, Baſilium, alioſque Origenis defenſores. Sed his externis motivis ſepoſitis, de Origene ex Origene ipſo, ut jam diximus, judicium ferendum eſt.

Ob. 23tio. Tertullianus multa do- 148
cet, quæ pugnant cum divinitate Filii. Nam 1mo lib. contr. Praxeam c. 6. docet, Filium eſſe à Patre ſeparatum; de *ſapientia* enim, *quæ eſt Filius*, ait: *adſiſtentem eam ipſa ſeparatione cognoſce.* 2do. Eodem

Digitized by Google

dem lib. c. 9. ait: *Pater tota ſubſtantia eſt, Filius verò derivatio totius, & portio, ſicut ipſe profitetur: Pater major me eſt.* 3tio. Ibid. c. 14. comparat Patrem Soli, Filium radio. 4to. Ibid. c. 14. & 15. docet Patrem inviſibilem, Filium verò viſibilem eſſe, & viſum fuiſſe etiam ante incarnationem. 5to lib. contra Hermogenem c. 3. ait: *Quia & Pater Deus eſt, & Judex Deus eſt: non tamen ideò Pater & Judex ſemper . . . . fuit autem tempus, cùm & delictum & Filius non fuit.* Ergo, &c.

Reſp. neg. ant. ad ejus probationem Reſp. ad Singula. Ad 1mum. Solùm vult Filium realiter eſſe diſtinctum à Patre, & per ſeparationem illam intelligit diſtinctionem realem. Nam Tertullianus duplicem diſtinguit ſeparationem, nempe unam latè & impropriè dictam, quæ ſolùm eſt realis perſonalitatum diſtinctio: alteram verò propriè ac ſtrictè dictam, quæ eſt realis tum perſonalitatum, tum ſubſtantiarum diſtinctio ac diverſitas, quam negat in Patre & Filio, ut patet ex c. 19. ſup. pag. 166. laudato.

Ad 2dum. Tertullianus intendit duntaxatat, totam divinam ſubſtantiam eſſe in Patre tanquam in fonte, unde profluit in Filium & Spiritum ſanctum: Filium verò eſſe veluti rivum ex hoc fonte profluentem, & veluti portionem illius, non quòd non habeat totam naturam ac ſubſtantiam divinam, ſed quia non habet id totum, quod eſt Pater, nempe non habet prærogativam notionalem Patris, poſitam in eo, quòd Pater ſit fons, unde profluunt aliæ perſonæ divinæ, ſive in eo, quòd Pater ſit principium ſine principio: propter quam prærogativam Filius dicit *Pater major me eſt.* Ita ſentire Tertullianum patet, quia eodem illo capite negat eſſe in Patre & Filio ſubſtantiarum diſtinctionem & diverſitatem: ac proinde in utroque admittit unitatem & identitatem ſubſtantiæ.

Ad 3tium. Hæc ſimilitudo apud ipſum non valet quoad omnia, ſed quoad hoc ſolum, ut indicet notionalem prærogativam, quam tribuit Patri ſupra Filium, eoquòd Pater ſit principium ſine principio; & vi cujus prærogativæ congruum fuit, ut Pater nunquam, Filius verò aliquando hominibus in aſſumpta forma viſibili appareret.

Ad 4tum. Docet Filium viſibilem eſſe, & viſum fuiſſe, non ſub propria ſpecie, ſed ſolùm ſub aſſumpta ſpecie ſenſibili, atque hominibus ante incarnationem apparuiſſe in corpore aëreo ad tempus aſſumpto, poſt incarnationem verò in carne vera & animata, quam ſibi perſonaliter univit in utero B. Virginis. Docet quidem, Patrem inviſibilem eſſe etiam in forma aſſumpta, ſed de lege ordinaria, quia nempe Pater ab æterno decrevit nunquam hominibus apparere in forma aſſumpta.

Ad 5tum Solùm vult, perſonam illam divinam, quam Pater ab æterno generat, & quæ fuit ab æterno *Sophia* ſeu ſapientia, non extitiſſe in nomine Filii, niſi poſtquam à Patre prolata eſt exteriùs per creaturarum productionem: tunc enim primùm juxta Tertullianum perfectè nata eſt, cùm exteriùs per creaturarum productionem ex utero paterno in quo ab æterno concepta eſt, exceſſit, & in lucem prodiit. Quare tunc primùm juxta illum ſecunda perſona Trinitatis cœpit exiſtere in nomine Filii propriè & ſtrictè, & Pater tunc denominatus eſt propriè & ſtrictè Pater. Quod quidem falſum eſt, cùm ſecunda perſona ab æterno ſit verè ac propriè Filius, & prima propriè ac ſtrictè Pater: ſed tamen hæc falſitas non evertit divinitatem Filii.

Ob. 24to. Non pauci Patres, ut Athanaſius, Orat. 2. contra Arianos. Baſilius, l. 1. contra Eunomium. Gregorius Nazianzenus, Orat. 4. de Theologia. Chryſoſtomus, Hom. 75. in Joan. Hilarius, 349

Googl

rius, l. 3. de Trinitate, dicunt Patrem eſſe majorem Filiô, quatenus Filius eſt, & non ſolùm ut homo eſt.

Reſp. Docuerunt quidem, Patrem eſſe majorem Filiô, ut Filius eſt, non ſecundùm naturam ab eo per generationem acceptam, ſed ſecundùm perſonalitatem; quia putarunt, rationem Patris ſeu paternitatem includere aliquam dignitatem, ſeu prærogativam relativam ac notionalem ſupra Filium ſeu filiationem: ſed ſimul docuerunt, Filium eſſe Patri naturâ, ſubſtantiâ, & divinitate omninò æqualem, & eſſe tam Deum verum ac perfectum quàm Patrem, ut conſtat ex eorum operibus. Nam dignitas, eminentia ſeu prærogativa relativa ac notionalis Patris ſupra Filium, cùm juxta Patres illos in eo duntaxat conſiſtat, quòd Pater generet Filium, & Filius quidquid habet à Patre accipiat, nullam in Filio imperfectionem, aut ſubjectionem connotat, nec impedit perfectam æqualitatem Filii cum Patre in natura, deitate, & perfectionibus abſolutis, ut rectè probat S. Auguſtinus, lib. 3. contra Maximum, c. 14. ubi ait: *Quidquid eum dicis à Patre accepiſſe, fatemur & nos: prorsùs Pater dedit, Filius accepit. Sed cùm Pater omnia, quæ habet, gignendo dederit, æqualem utique genuit, quoniam nihil minus dedit. Quomodò ergo tu dicis, quia ille dedit, ille accepit, æqualem Filium Patri non eſſe: cùm eum cui data ſunt omnia, & ipſam æqualitatem accepiſſe videas? ... Nihil enim Patre minus habet ille, qui dicit: omnia, quæ habet Pater, mea ſunt. Æqualis eſt igitur.*

350 Ob. 25to. Aliqui Patres, ut Baſilius, Chryſoſtomus, &c. dicunt, Patrem eſſe cauſam Filii. Ergo, &c.

Reſp. Sumunt cauſam latè, nempe pro principio & origine.

Ob. 26to. Patres Concilii Antiocheni 351
ſæculo 3tio in cauſa Pauli Samoſateni coacti proſcripſerunt vocem *conſubſtantialis* (*l*), utpotè ab Hæreticis adinventam ad ſuos errores diſſeminandos; atque definierunt Filium non eſſe *omouſion*, id eſt, conſubſtantialem Patri, ut teſtatur S. Athanaſius, lib. de Synodis. Ergo non cenſuerunt, Filium eſſe verum Deum.

Reſp. 1mo cum S. Hilario, lib. de Synodis, Patres Antiochenos hanc vocem ideo rejeciſſe, quia Sabelliani & Paulianiſtæ unam perſonam divinam confitentes, hac voce ſuum errorem tuebantur.

Reſp. 2do cum S. Athanaſio, lib. de Decretis Nicænæ Synodi, laudatos Patres hanc vocem, quæ in uſu apud Catholicos erat, ideò ſuſtuliſſe, quia Paulianiſtæ ex ea Catholicis exprobrandi occaſionem ſumebant, quaſi per illam ſignificarent, Filium & Spiritum ſanctum procedere ex Patre, tamquam ex præexiſtente ſubſtantia, & velut partes ab ipſo deciſas, ſicut in humanis filius ideò dicitur patri conſubſtantialis, quia ſubſtantia filii eſt ejuſdem ſpeciei cum ſubſtantia patris, à qua exit & derivatur. At verò Patres Nicæni Concilii, cùm nulla eſſet loquendi formula, quam Ariani non detorquerent, vocem *conſubſtantialis*, à veteribus uſurpatam Symbolo ſuo inſeruerunt, utpotè quæ omnia effugia intercluderet. Ita S. Athanaſius.

Quòd autem Patres Antiocheni idem de Verbi conſubſtantialitate, quod Nicæni, docuerint, liquet ex Epiſtola ad Paulum Samoſatenum, in qua teſtantur, ſe tradere fidem, quam acceperant per ſucceſſionem ab Apoſtolis, ſcilicet Chriſtum eſſe æqualem Patri, ante ſæcula exiſtentem, non ſolùm præſentiâ, ſed naturâ

(*l*) Omouſios.

& ſubſtantiâ Deum Dei Filium. Eadem repetunt in Epiſtola Synodica an. 272. ad Dionyſium ſummum Pontificem, & ad univerſi orbis fideles, qui proinde teſtes nobis ſunt, quòd eadem de Verbi divinitate fides obtinuerit usque ad finem tertii ſæculi; cùm plerique eorum quartum facilè ingreſſi fuerint. Id ipſum confirmant, quotquot inſurrexère adversùs novam Arii Presbyteri Alexandrini blasphemiam, qua Filium Dei creaturam aſſerere auſus eſt. Hos enim Magiſtros & antiquæ fidei defenſores peperit ſæculum tertium.

352 Ob. 27mo Liberius Papa qui an. 352. Julio in ſummo Pontificatu ſucceſſit, formulæ fidei ab Arianis oblatæ ſubſcripſit, & S. Athanaſium damnavit. Ergo, &c.

Reſp. neg. conſ. Liberius quidem Berææ, quò, quia nec minis, nec donis adduci potuiſſet, ut S. Athanaſium damnaret, atque cum Arianis communicaret, à Conſtantino Imperatore relegatus fuerat, tandem à Fortunatiano Aquileienſi ſollicitatus & fractus (*m*), biennis item exilii tædiô victus, mortis ab Arianis intentatæ minis territus (*n*), atque recuperandæ Sedis ſtudiô exæſtuans, primæ trium formularum, Sirmii conditarum, à Demophilo Epiſcopo Ariano ſibi oblatæ, nec non contra Photinum editæ (*o*) ſubſcripſit. Hæc autem formula Ariana non erat, tum quia S. Hilarius, in lib. de Synodis eam velut catholicam exponit; tum quia in illa Filius aſſeritur eſſe Deus ex Deo, ex Patre natus ante omnia ſæcula; & anathematizantur ii, qui dicunt, Filium de nullis extantibus, vel de altera ſubſtantia, & non ex Deo eſſe; quibus Ariana hæreſis continebatur.

Porro Liberium nec ſecundæ nec tertiæ formulis Syrmienſibus ſubſcripſiſſe liquet, quia tertia edita primùm fuit an. 359. Liberius verò jam anno ſuperiori, 358. ſcilicet, Beræâ Romam reverſus fuerat. Sed & nec ſecundæ ſubſcripſit; quia 1mo. Liberius Berææ ſubſcripſit formulæ, quæ Syrmii ab Orientalibus edita fuerat, ut conſtat ex ipſius Liberii epiſtola ad Epiſcopos Orientales. At ſecunda Syrmienſis formula non ab Orientalibus, ſed ab Occidentalibus compoſita fuit, Valente ſcilicet, Urſacio, & Germinio (*p*). 2do. Liberius Berææ exul ſubſcripſit formulæ, cui edendæ interfuit, vel etiam præfuit Baſilius Ancyranus. At Baſilius Ancyranus neque præfuit, neque interfuit condendæ ſecundæ Syrmienſi formulæ: nam eo abſente, & ignorante condita fuit anno 357. eamque annô ſequenti, cùm de ea admonitus fuiſſet, coactâ Ancyræ Synodô damnavit (*q*), continuoque Syrmium veniens poſtulavit à Conſtantio, ut diligenter provideret, *ut ea, quæ in Sardicenſi, Sirmienſi, aliisque Conciliis decreta fuerant, firma, ac ſtabilia permanerent: quibus in Conciliis definitum erat communi conſenſu, Filium Patri ſimilem eſſe ſecundùm ſubſtantiam* (*r*). 3tio. Secunda Syrmienſis formula repudiabat vocabula *uſiam*, *homoëuſion*, & *homouſion*, ſeu voces *ſimilis in ſubſtantia* & *conſubſtantialis*. At prorſus improbabile eſt, tali formulæ Liberium Berææ ſubſcripſiſſe; cum paulò pòſt Sirmii Imperatori ipſum ad *homouſion* rejiciendum urgenti conſtanter reſtiterit; nec ipſe Conſtantius ipſum ad illud repudiandum ſollicitaſſet, ſi jam paulò ante illud rejeciſſet. Prætereà ipſe Liberius in Epiſtola à ſe poſt ſubſcriptionem ſuam Beræâ ad Orientales

(*m*) *Hieron. in Catal. Script. Eccleſ. c.* 97. (*n*) *S. Athanaſ. Ep. ad Solitarios.* (*o*) An. 357. (*p*) *Hilarius in fragmentis, fragmentô* 6. (*q*) *Epiphan. hær.* 71. (*r*) *Sozomen. l.* 4. *Hiſt. c.* 13.

tales ſcriptâ teſtatur, ſe eorum fidem libenti animô ſuſcepiſſe, in nullo contradixiſſe, conſenſum accommodaviſſe. At Orientales *Uſiam* & *Omouſion* ſeu *ſimilem in ſubſtantia* profitebantur, & *anomoeon* ſeu *diſſimilem* execrabantur. Ergo Liberius primæ duntaxat Sirmienſi formulæ ſubſcripſit.

Athanaſium damnavit quidem, non quòd fidem Nicænam profiteretur, ac tueretur, & ex affectu Arianæ hæreſis, ut Ariani faciebant, ſed propter crimina ei falsò impoſita, & ut exilii ærumnis ac mortis ſibi intentatæ periculò liberaretur; prout ipſe S. Athanaſius teſtatur Ep. ad Solitarios.

Inſt. 1mo. Liberius communicavit cum homoëuſianis rejicientibus vocem *homouſion*, *conſubſtantialem;* imò cum Arianis videlicet Urſacio, Valente, & aliis. Ergo conſenſit hæreſi Arianæ.

Reſp. neg. conſ. Quia 1mo Homoëuſiani, ſeu ii, qui aſſerebant Filium eſſe Patri ſimilem in ſubſtantia, quales erant Orientales Epiſcopi, quibuſcum Liberius communicavit, non erant Ariani, quamvis communione conjuncti eſſent cum Arianis, & cum illis Athanaſium & alios Homouſianos inſequerentur, & vocem *Omouſion* pertinaciter rejicerent: nam admittebant divinitatem Verbi; ſed erant Schiſmatici, eoquòd Eccleſiæ in admittenda voce *omouſios* ſeu *conſubſtantialis* obedire renuerent. 2do. Liberius communionem ſuam non impertiit Arianis ex affectu Arianæ hæreſeos, ſeu quia illis in dogmate conſentire cœpit; ſed ſolùm pro bono pacis & concordiæ, ut ipſe teſtatur in ſua ad illos epiſtola. Adde etiam aliam cauſam, infirmitatem nempe humanam, qua diutiùs exilii tædium ac ærumnas pati noluit, & mortem intentatam timuit.

Inſt. 2do. S. Hilarius in fragmento 6. formulam Syrmienſem, quam Liberius ipſe ſcribens ad Orientales declarat ſe probaſſe, vocat Arianam perfidiam, & idcircò ter dicit anathema Liberio: *Hæc eſt*, inquit, *perfidia Ariana. Hoc ego notavi; Liberius ſequentia . . . Anathema tibi à me dictum, Liberi, & ſociis tuis. Iterum tibi anathema, & tertiò prævaricator Liberi.* Ergo cuicunque demum formulæ ſubſcripſerit Liberius, eam tamen Arianam hæreſim continentem, Liberiumque & ſocios Arianos cenſuit S. Hilarius.

Reſp. 1mo. Verba illa, quibus interrumpitur ſeries epiſtolæ Liberii ad Orientales in citato fragmento 6to relatæ, non ſunt S. Hilarii, ſed ab aliquo alio, qui librum fragmentorum exſcripſit, Liberii epiſtolæ ſunt inſerta. Nam 1mo. Verba illa intercalaria ſunt frigida, nugatoria, & Hilariô prorſus indigna. 2do. Librum fragmentorum, aut librum illum, ex quo fragmenta excerpta ſunt, non inchoavit, aut ſaltem non abſolvit Hilarius, niſi pluribus annis poſt reditum Liberii ab exilio. At probabile non eſt, S. Hilarium Sedis Apoſtolicæ obſervantiſſimum ſcripſiſſe aut permiſiſſe librum ſuum prodire in lucem cum tam diris conviciis contra ſummum Pontificem eo tempore, quo culpam ſuam emendaverat, Eccleſiam ſanctiſſimè adminiſtrabat, Nicænam Fidem acerrimè tuebatur, & Epiſcopos Arimini lapſos ad retractandam ſubſcriptionem ſuam, & Nicænam definitionem ſubſcribendam intentatis pœnis Eccleſiaſticis compellebat. 3tio. Ipſe Hilarius primam Syrmienſem formulam, cui certò ſubſcripſit Liberius, exponit ut Orthodoxam, & illius Auctores fratres appellat, lib. de Synodis. Quis autem ea animi levitate & inconſtantia fuiſſe Hilarium arbitretur, ut eum illam formulam modò excuſaſſe in libro de Synodis, & modò perfidiam Arianam appellaſſe in libro fragmentorum dicat; hoc certè de viro tam gravi ac ſapiente ſuſpicari nefas.

Reſp.

Reſp. 2do. Si hæc intercalaria verba ſunt S. Hilarii, ipſe, qui tunc in Phrygia exulabat, falſis rumoribus fuit deceptus, atque falsò putavit Liberium, ſecundæ Syrmienſi formulæ ſubſcripſiſſe, quæ Arianam continebat perfidiam.

Inſt. 3tio. S. Hieronymus in catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum c. 97. de Fortunatiano Aquileienſi Epiſcopo ait: *In hoc habetur deteſtabilis, qui Liberium Romanæ Urbis Epiſcopum, pro fide ad exilium pergentem primus ſollicitavit ac fregit, & ad ſubſcriptionem hæreſeos compulit.* Ergo Liberius ſubſcripſit hæreſi.

Reſp. neg. conſ. Liberius ab Hieronymo & aliis nonnullis hæreſeos accuſatus eſt, non quòd Arianæ cuidam formulæ ſubſcripſerit, aut Arianam hæreſim profeſſus fuerit, ſed quia ſubſcripſit condemnationi Athanaſii acerrimi Nicænæ fidei propugnatoris, & formulæ ſubſcriptæ ab Orientalibus Schiſmaticis cum Arianis communione conjunctis; & quia communicavit cum Arianis, ſicque hæreſis Arianæ fautoribus & ſectatoribus faverit.

353 Ob. 28vo. Patres Concilii Ariminenſis (*s*) vocem *uſia* ſeu *ſubſtantia* rejecerunt, atque fidei formulam ediderunt, in qua aſſerebatur Filius eſſe ſimilis Patri ſecundùm Scripturas, omiſſa voce *Conſubſtantialis*. Ergo, &c.

Reſp. Huic objectioni à nobis jam ſatisfactum eſſe Tom. 1. Theologiæ noſtræ Tract. 3tio de Eccleſia c. 3. §. 1. & §. 2. quos conſule. Patres, qui ambiguæ huic formulæ, quæque ad utrumque ſenſum Catholicum & Arianum inflecti poterat, in Concilio Ariminenſi, tædiô & minis victi ſubſcripſerunt, eam ſemper in ſenſu Catholico intellexerunt. Equidem graviter peccârunt, conſentiendo in ſuppreſſionem vocis *uſiæ* ſeu ſubſtantiæ, & ſuô factô contra ſuam intentionem Arianiſmo faverunt, & malam de ſe ſuſpicionem concitaverunt, ſcandalumque graviſſimum præbuerunt; tamen in hæreſim Arianam non conſenſerunt, ut qui ante eam ſubſcriptionem Arianos compulerint ad damnandum Arium & ejus doctrinam anathematizandam. Atque etiam in libertatem reſtituti, publicè id retractarint, quod vi & dolô malè egerant, necnon teſtificati ſint, ſe ſemper tenere & retenturos fidem Nicænam, atque veniam à Liberio Pontifice lapsûs ſui deprecati ſint, atque impetrarint; ut conſtat tum ex epiſtola Synodali Concilii Pariſienſis annô ſequenti ſcilicet 360to. celebrati, quæ extat apud S. Hilarium, fragm. 11. tùm ex Epiſtola Liberii Papæ apud eundem Hilarium: & ex alia ejusdem Liberii ad Orientales Epiſtola apud Socratem: tùm ex epiſtola Damaſi Liberii Succeſſoris ad Epiſcopos Illyrici ſcripta, apud Theodoretum lib. 2. Hiſt. c. 22. Unde patet, ineptè hîc nobis Ariminenſium Patrum auctoritatem objici.

Ob. contra ſecundam Concluſionem 354
1mo. illud Joan. c. 15. v. 26. *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Ergo Spiritus ſanctus mittitur. Sed qui mittitur minor eſt eo, à quo mittitur. Ergo, &c.

Reſp. diſt. primum conſ. Spiritus ſanctus mittitur per proceſſionem, conc. per imperium, neg. conſ. Spiritus ſanctus non mittitur à Patre & Filio per imperium, aut quovis modo imperfectionem indicante in miſſo; ſed mittitur duntaxat per proceſſionem, quatenus

(*s*) Celebratum fuit Concilium iſtud annô 359.

Digitized by Google

nus nempe ab utroque procedit, & incipit eſſe novô modô in creatura per effectum, qui ei per appropriationem tribuitur. Nam miſſio in divinis nihil aliud eſt, quàm perſona ab alia procedentis præſentia in creatura per effectum aliquem temporaneum, qui perſonæ procedenti ſpecialiter adſcribitur propter ſpecialem aliquam ejus notionem.

355 Ob 2do. Joan. c. 16. v. 13. De Spiritu ſancto, *Non loquetur*, inquit Chriſtus *à ſemetipſo, ſed quæcunque audiet, loquetur . . . Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Ergo, &c.

Reſp. neg. conſ. Spiritus ſanctus à Patre & Filio accipit ſcientiam rerum omnium, ſed abſque ulla ſubjectione, nec diſcendo, ſed procedendo, & per proceſſionem accipiendo naturam divinam, quæ ex ſe ipſa rerum omnium cognitio êſt. Item omnia, quæ habet, accipit à Patre & Filio ſine dependentia, indigentia, & imperfectione, verùm ex neceſſaria exigentia naturæ ſuæ, ſcilicet divinæ, quæ tam eſt Spiritus ſancti, quàm Patris & Filii natura.

356 Ob. 3tio Rom. c. 8. v. 26. *Ipſe Spiritus*, inquit Apoſtolus, *poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Ergo Spiritus ſanctus eſt capax gemituum, & orat ut inferior, ideoque non eſt Deus.

Reſp. neg. conſ. Senſus eſt: Ipſe Spiritus per interiorem gratiam facit nos poſtulantes gemitibus, qui enarrari nequeunt. Unde ibi metaphoricè ponitur verbum effectum ſignificans pro verbo cauſali. Sic 2. Cor. 2. v. 14. dicitur: *Deo autem gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto JEſu.* Id eſt, qui nos triumphare ſeu triumphantes facit per gratiam ex meritis Chriſti datam.

Inſt. *Si* ita eſt, tam Pater rectè diceretur poſtulare pro nobis: nam omnes effectus ad extra ſunt Trinitati communes.

Reſp. neg. ſequel. Quia invaluit uſus, Scripturarum conſuetudine confirmatus, ut quædam opera, licèt toti Trinitati communia, imò & perfectiones certo quodam modo, qui appropriatio dicitur, uni perſonæ non alteri tribuantur. Sic quia Pater eſt fons & origo Trinitatis, omnipotentia & creatio Patri tribuitur: quia Filius eſt Verbum Patris, & procedit per intellectum, dicitur Sapientia: denique quia Spiritus ſanctus per mutuum Patris & Filii amorem producitur, dona ſupernaturalia, quæ ſunt effectus ſpecialis Dei erga homines amoris ac benevolentiæ, ei ſpecialiter attribuuntur.

Ob. 4to. Omnia per Verbum facta 357
ſunt ex Joan. c. 1. v. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Ergo Spiritus ſanctus factus eſt, ideoque eſt creatura.

Reſp. Cùm dicitur, *omnia per ipſum facta ſunt*; intellige, quæ facta ſunt, ut patet ex integro textu: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.* At non omnia quæ ſunt, facta ſunt: alioqui Pater ipſe factus eſſet per Verbum, quod evidenter falſum eſt. Spiritus autem ſanctus non eſt factus, ſed ex Patre & Filio tanquam ex uno principio procedit abſoluta neceſſitate & ſine ulla dependentia.

Ob. 5to. Spiritus ſanctus frequen- 358
ter in Scripturis appellatur donum Dei. Ergo divina non eſt, nec eſſe poteſt perſona: nihil quippe poteſt eſſe ſui ipſius donum.

Reſp. Diſt. ant. Spiritus ſanctus dicitur donum Dei perſonale ac ſubſiſtens, conc. accidentale, neg. ant. Spiritus ſanctus eſt quidem auctor donorum accidentalium à quibus diſtinguitur; ipſe verò eſt donum Dei perſonale ac ſubſiſtens, quia à Deo Patre & Filio procedit. Ita Chriſtus, qui vera perſona

eſt divina, donum Dei dicitur Joan. 3. v. 16. imò & ſemetipſum donavit, ſeu obtulit in redemptionem & ſalutem omnium hominum.

359 Ob. 6to. Spiritus ſanctus in Scripturis nusquam appellatur Deus; nusquam adorandus & invocandus proponitur. Ergo revera non eſt Deus.

Reſp. 1mo trans. ant. neg. conſ. Nam ſolum ſcriptum Dei verbum non eſt principium, ex quo eruantur fidei veritates; id enim virtutis etiam habet Traditio, quæ eſt verbum Dei non ſcriptum, adeoque etſi præcisè ac directè Spiritus ſancti divinitas non memoraretur in Scripturis, inde tamen non ſequeretur, eum non eſſe Deum, quando id nobis Traditio re vera docet, eumque adorandum proponit.

Reſp. 2do neg. ant. Falſum namque eſt, Spiritum ſanctum in Scripturis expreſsè Deum non appellari. Act. c. 5. enim v. 3. *Anania*, ait S. Petrus, *cur tentavit Sathanas cor tuum mentiri te Spiritui ſancto? . . . non es mentibus hominibus, ſed Deo.* Spiritus ergo ſanctus, cui Ananias mentitus fuerat, verus Deus eſt, & appellatur, adeoque & adorandus; &c.

360 Ob. 7mo. Cùm Apoſtolus 1. Cor. 8. v. 6. enumerat beneficia Dei in homines, Patris & Filii duntaxat mentionem facit, nusquam Spiritus ſancti. Ergo, &c.

Reſp. neg. conſ. Cùm una vel altera perſona nominatur, alia non excluditur. Alibi paſſim Apoſtolus Spiritus ſancti meminit, ejusque beneficia recenſet.

361 Ob. 8vo. Veteribus Philoſophis incognitus fuit Spiritus ſanctus, imò & primis Chriſtianis: enimvero Act. 19. v. 2. cùm Paulus baptizatos interrogaſſet, an Spiritum ſanctum recepiſſent reſponderunt: *Ne quidem ſi Spiritus ſanctus eſt, audivimus.* Ergo.

Reſp. neg. conſ. Mirum videri non debet, ſi Spiritus ſanctus veteribus Philoſophis cognitus non fuerit, tametſi cum Chriſtianis commerciò juncti fuiſſent; ſolebant enim Chriſtiani obſcuriùs de altiſſimis fidei noſtræ myſteriis coram Paganis verba facere, ne fortè ab illis irriderentur. Illi verò, qui Paulo interroganti, an Spiritum ſanctum recepiſſent, reſponderunt, ſe ne quidem audiviſſe, an ſit Spiritus ſanctus; Baptiſmô duntaxat Joannis baptizati fuerant, non Baptiſmô Chriſti, unde nec etiam mirum, quod Spiritum ſanctum ignoraverint, quapropter jubet Apoſtolus eos baptizari Baptiſmô Chriſti, Act. 19. v. 5.

Ob. 9no. Quartô ſæculô adhibebatur hæc glorificationis formula: *Gloria Patri & Filio in Spiritu ſancto.* Ergo Spiritus ſanctus non annumerabatur ut æqualis Patri & Filio. 362

Reſp. neg. conſ. Quia 1mo quartô ſæculô, imò etiam tribus prioribus Eccleſiæ ſæculis, in Eccleſia tùm Orientali, tùm Occidentali uſitatiſſima fuit hæc glorificationis formula: *Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto*, ſeu, *cum Spiritu ſancto;* ut teſtatur S. Baſilius, lib. de Spiritu ſancto, c. 29. Porro præpoſitio *cum* idem plane ſignificat, quod conjunctio *Et*, ut idem S. Doctor notat c. 27. ejusdem libri. 2do. In iſta glorificationis formula, *Gloria Patri & Filio, in Spiritu ſancto*, quæ longè minus uſitata eſt, præpoſitio *in* eandem ſignificationem habet, quàm præpoſitio *cum*, ut probat idem S. Baſilius cit. lib. c. 25. Certè ubi in Scriptura de Patre dicitur *ex quo*, de Filio *per quem*, de Spiritu ſancto *in quo*, hæ voces idem ſignificant; de eo enim dicuntur in illa, ut Rom. 11. v. 36. *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: ipſi gloria in ſæcula.*

Ob.

Digitized by Google

363 Ob. 10mo. Dionyſius Alexandrinus, teſte S. Baſilio epiſt. 41. *Spiritum ſanctum creatæ ac ſervili creaturæ adnumeravit.* Ergo, &c.

Reſp. S. Baſilius, cùm hanc epiſtolam ſcriberet, non habebat præ manibus apologeticum à Dionyſio compoſitum, ut ipſe Baſilius ibidem teſtatur: unde Dionyſii mentem & doctrinam non ſatis perſpectam habuit. Quare anteponendum eſt teſtimonium S. Athanaſii, qui libros apologeticos à Dionyſio conſcriptos habuit, & eum hac hæreſi purgavit in epiſtola de ſententia Dionyſii, ubi ipſius verba refert, quibus expreſsè Spiritus ſancti divinitatem adſtruit. Ipſe Dionyſius in reſponſione ad propoſitiones Pauli Samoſatemi ſic ait: *Non impunè feret, qui adversùs Spiritum ſanctum blaſphemus eſt. Spiritus autem eſt Deus.*

364 Ob. 11mo. Aliqui item ex veteribus Patribus vix Spiritum ſanctum Deum appellare auſi ſunt. S. Hilarius in libris duodecim de Trinitate, à nomine Dei Spiritui ſancto tribuendo abſtinet. S. Baſilius non tantùm eum Deum non appellat, ſed Hom. 17. quæ eſt in ſanctum Baptiſma, negat Spiritum ſanctum Deum eſſe dicendum. Ejusque agendi rationem probat S. Gregorius Nazianzenus Orat. 20. quæ eſt funebris in laudem ſancti Baſilii.

Reſp. revera nonnullos è Veteribus ex oeconomia noluiſſe Spiritum ſanctum expreſsè Deum appellare, quòd in iis verſarentur temporum circumſtantiis, in quibus ob præpotentem Hæreticorum factionem periculum erat, ne Catholici Præſules è ſuis Sedibus per vim dejecti, eas Hæreticis occupandas relinquerent. Hinc enim furebant in Catholicos Ariani, inde Macedoniani, qui, ſi juncto inter ſe fœdere vires omnes ſuas in Catholicos ſimul convertiſſent, graviſſimum rei Catholicæ damnum intuliſſent: quapropter ex prudenti œconomia tempori cedendum eſſe judicarunt, donec ſedato admodùm animorum furore, liceret apertè quod ſentirent profiteri Interim tamen non diſſimulabant, imò palam in Scriptis ſuis declarabant, unam & eandem eſſe Spiritus ſancti cum Patre & Filio ſubſtantiam; eum inter creaturas non eſſe annumerandum; nos in nomine Spiritus ſancti, perinde ac Patris & Filii baptizari, quod certè idem eſt, ac Spiritum ſanctum Deum appellare, prout videre eſt apud S. Hilarium, lib. 2. de Trinit. (*t*) S. Baſilium, innumeris penè locis, præcipuè autem lib. de Spiritu ſancto, & lib. 5. adversùs Eunomium (*u*). Hancque horum SS. Patrum œconomiam in Baſilio laudat S. Gregorius Nazianzenus Orat. 20.

Ob. 12mo. Ipſum Concilium Nicænum non definiit Spiritum ſanctum eſſe Deum. Ergo non eſt Deus. 365

Reſp. Neg. conſ. Quia in Concilio Nicæno non erat controverſia, an Spiritus ſanctus eſſet Deus; quamquam Concilium ſatis per hæc verba, *Credo in Spiri-*

(*t*) *Et Comment. in Matth. ubi* Baptizamur, *inquit*, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut quorum una eſt Trinitas, ſit una largitio, nomenque Trinitatis eſt unus Deus.

(*u*) *Hæc cit. loc. tit. 1. S. Baſilius eloquitur:* Cùm quæ communia ſunt creaturis, Spiritui ſancto non communicentur; & quæ Spiritui propria ſunt, creaturæ non communicentur; colligitur hinc Spiritum non eſſe creaturam; quoniam quæ communia ſunt Patri & Filio, eadem communia ſunt & Spiritui. Nam quibus deſignatur in Scriptura Pater & Filius eſſe Deus, eisdem deſignatur & Spiritus ſanctus Deus. Ex quibus colligitur ejusdem Spiritum eſſe Deitatis cum Patre . . . . . Ex quo patet, Trinitatem eſſe conſubſtantialem. *Item Epiſt. 97. & 98. Spiritum ſanctum expreſſis verbis Deum profitetur.*

Spiritum ſanctum, notat, Spiritum ſanctum Deum eſſe credendum.

366 Ob. 13tio. In Concilio Conſtantinopolitano de Spiritu ſancto agebatur, nusquam tamen in eo appellatur Deus. Ergo, &c.

Reſp. neg. conſ. Etſi Patres Conſtantinopolitani Spiritum ſanctum Deum non appellaverint, ejus tamen divinitatem conceptis verbis profeſſi ſunt, *Credimus*, inquiunt, *& in Spiritum ſanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit* (contra Macedonianos, qui volebant eum eſſe creaturam ex nihilo factam) *qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas.*

367 Ob. 14to. Illa perſona non eſt Deus, quæ nec eſt genita, nec ingenita. At talis eſt Spiritus ſanctus. Ergo non eſt Deus.

Reſp. neg. maj. Nam inter genitum & ingenitum datur aliquod medium, ſcilicet procedens aliâ viâ quam per generationem.

§. III.

368 *Utrum Myſterium SS. Trinitatis cognoſci poſſit ſola naturali ratione duce?*

Cùm hîc quærimus, utrum Myſterium SS. Trinitatis cognoſci poſſit, idem eſt, ac ſi quæramus, num illud demonſtrari poſſit ſola naturali ratione duce, ſeu naturalibus rationibus. Quod enim cognoſci poteſt, illud & ea, qua cognoſcitur ratione, demonſtrari poteſt.

Claudianus Mamertus Eccleſiæ Viennenſis ſæculô quintô Presbyter; Petrus Abaëlardus, necnon Raymundus Lullius ſæculi duodecimi auctores tuiti ſunt, Myſterium hoc ſola ratione naturali cognoſci & demonſtrari poſſe; hi duo poſteriores autem fide quidem poſita & prælucente duntaxat, quod negabat Mamertus, id fieri poſſe aſſerebant. Hos ſecuti ſunt Neoterici quidam ſcioli, ſed prorsùs ineptè. Contra quos ſit

CONCLUSIO. 369

Myſterium SS. Trinitatis ſola ratione duce cognoſci aut demonſtrari non poteſt, ſuppoſita etiam fide illius.

Prob. 1mo. Ex Scripturis. Prov. 25. v. 27. *Qui ſcrutator eſt Majeſtatis, opprimetur à gloria.*

1. Cor. 2. v. 6. de Chriſtianæ Religionis Myſteriis loquens Apoſtolus, ait: *Sapientiam loquimur inter perfectos: ſapientiam verò non hujus ſæculi .... ſed Dei ſapientiam in myſterio quæ abſcondita eſt.*

2. Cor. 10. v. 4. *Arma militiæ noſtræ*, inquit, *non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe adversùs ſcientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.*

Matth. 11. v. 27. *Nemo novit filium niſi Pater, neque Patrem quis novit niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.*

Et c. 16. poſt celebrem illam, quam S. Petrus emiſit fidei in Chriſtum Deum profeſſionem, *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, ſtatim repoſuit Chriſtus v. 17. *Beatus es Simon Bar-jona, quia non caro aut ſanguis revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in Cœlis eſt.* Quibus verbis manifeſtè declarat Chriſtus hujusce myſterii notitiam non ex humana induſtria & ratione, ſed ex una revelatione divina proficiſci.

Prob.

Digitized by Google

Prob. 2do ex SS. Patribus. S. Athanaſius Ep. 1. ad Serapion. Arianos ſic inſequitur : *O ſtulti atque ad omnia audaces & præcipites. Quare non potiùs Sanctam Trinitatem curioſè ſcrutari deſinitis, eamque eſſe duntaxat creditis, magiſtrum Apoſtolum hac in re imitati, cujus hæc ſunt verba, Credere oportet primùm Deo, quia eſt.*

S. Ambroſius lib. 1. de fide ad Gratianum Auguſtum c. 10. *Impoſſibile eſt,* inquit, *generationis Verbi divini ſcire ſecretum, mens deficit, vox ſilet.*

S. Auguſtinus lib. 15. de Trinitate c. 9. *Deum eſſe Trinitatem credimus potiùs quàm videmus.*

Verbô, ut cæteros Patres taceamus, *hæc Philoſophia non ſapit*, inquit S. Hilarius (*x*).

Prob. 3tio. Ratione Theologica. Cognitio rei, quæ eſt omninò ſupernaturalis, & cujus nullum veſtigium, ſaltem quod prorsùs ſimile ſit, extat in rebus creatis, comparari non poteſt ſola ratione naturali: ſiquidem potentia cognoſcens & objectum cognitum debent eſſe ejusdem ordinis, cùm inter ea debeat eſſe proportio. Atqui myſterium SS. Trinitatis eſt omninò ſupernaturale, nullumque illius veſtigium, ſaltem quod omninò ſimile ſit, extat in rebus creatis. Ergo, &c.

2do. Prob. quòd ſcilicet myſterium hoc ratione naturali demonſtrari non poſſit. Omnis demonſtratio vel eſt à priori vel à poſteriori, ſeu per effectus. Atqui SS. Trinitatis exiſtentia probari non poteſt à priori, cùm nullam ſui cauſam agnoſcat : neque etiam à poſteriori; quia creaturæ non dependent à Deo quatenus Trinus eſt, ſed quatenus omnipotens : omnipotentia autem eſt attributum ad naturam divinam pertinens, nec minimam diſtinctionis inter perſonas ſuſpicionem ingerit. Ergo, &c.

Nihil tamen obeſt, quin, ſuppoſita 370
fide hujus myſterii, illud exemplis & ſimilitudinibus quibusdam utcumque ſuaderi, illuſtrari & confirmari poſſit; id declarant ſimilitudines illæ, quibus ad illud ſuadendum & illuſtrandum uſi ſunt SS. Patres, utque animos ei jam fide adhærentes in aſſenſu ſiſterent.

Prima eſt, intellectûs, voluntatis & memoriæ in una eademque anima. Ea comparatione plerumque utitur S. Auguſtinus multis in locis, maximè verò lib. 4. de Trinit. c. 8.

Secunda eſt Solis, radii, & ſplendoris ex utroque profluentis. Ita Tertullianus, & S. Athanaſius Orat. 4tâ cont. Arianos.

Tertia radicis, trunci, & rami in una & eadem arbore. Ita etiam Tertullianus lib. cont. Prax. & alibi frequentiſſimè. Porro quantùm hæc omnia exempla & ſimilitudines diſtent à diſtinctione reali trium perſonarum in unitate ejusdem eſſentiæ, nemo non intelligit.

Solvuntur Objectiones. 371

Ob. 1mo. Ut lumine naturali innoteſcat myſterium SS. Trinitatis, ſatis eſt, quòd ſola ratione absque beneficio revelationis cognoſci poſſit, Deum intelligendo & volendo producere terminos ſibi conſubſtantiales in natura, & diſtinctos in perſona. Atqui hæc tria ſola ratione innoteſcere poſſunt. Ac 1mo. Deum intelligendo & volendo producere

(*x*) *Lib. de Trinit.*

cere terminos ſuæ intellectionis & volitionis, conſtat, quia omne agens agendo producit aliquem terminum ſuæ actionis. Atqui Deus intelligendo & volendo agit, & quidem actione puriſſima, & perfectiſſima; Ergo.

2do. Quòd terminus intellectionis & volitionis in Deo, ſit Deo conſubſtantialis oſtenditur, quia terminus ille debet eſſe perfectiſſimus. Atqui non eſſet perfectiſſimus, niſi eſſet ejusdem naturæ cum ſuo principio, ipſique conſubſtantialis. Et verò terminus ille vel eſt accidens, vel ſubſtantia. Non poteſt eſſe accidens, quia omne accidens quamdam imperfectionem involvit: ſupereſt igitur, ut terminus ille ſit ſubſtantia, & quidem eadem numerô cum ſuo principio, Deo nempe; aliàs plures agnoſcendi forent numerô Dii, quod pugnat cum ipſo naturæ lumine.

3tio. Quòd termini illi realiter & perſonaliter diſtinguantur, facilè evincitur; ex eo nempe, quòd productum ſemper ſit à producente diſtinctum, nihilque ſe ipſum producat.

Ergo lumine naturali cognoſcitur, in Deo terminos intellectionis & volitionis conſubſtantiales eſſe, & perſonaliter diſtinctos, quo duplici capite ſtat myſterium SS. Trinitatis.

Reſp. neg. min. Nullum quippe ex his tribus ſola ratione naturali certò cognoſci poteſt. Non 1mum. Quia 1mo certò non conſtat utrum in creatis detur terminus ſeu ſpecies expreſſa intellectionis & volitionis ab ipſis diſtincta, licèt enim aliqui Philoſophi id exiſtiment, tamen multi contra reclamant. 2do. Plerique, qui ejusmodi terminos actionum intellectûs & voluntatis ab ipſis diſtinctos admittunt, fatentur non eſſe neceſſe, ut quicunque intelligit, is terminum ejusmodi, ſeu verbum aut ſpeciem expreſſam efformet. 3tio. Licèt certò conſtaret in creatis dari terminos intellectionis & volitionis, non ideò idem conſtaret in divinis; ſiquidem quòd intellectus creatus producat cognoſcendo terminum ſeu ſpeciem expreſſam, hoc videtur redolere quamdam imperfectionem, in eo nempe ſitam, quòd intellectus per ſe, & nonniſi beneficiô alicujus imaginis productæ poſſit objectum percipere. Omnis quidem actio, ſi vera eſt, terminum habet, quem vel producit, ſi ſit actio verè productiva, vel ad quem tendit: actio autem intellectûs & voluntatis in Deo naturaliter non cognoſcitur eſſe vera, multò minùs productiva.

Non etiam ſecundum ſolo naturali lumine poteſt innoteſcere, ſcilicet terminum intellectionis & volitionis in Deo eſſe conſubſtantialem. Namque ſubſtantia hæc numerô ſaltem, juxta naturæ legem, diſtincta eſſe deberet in tribus perſonis divinis; adeoque tres numerô Deos efficeret, quod cum naturæ lumine & recta ratione pugnare nemo non intelligit (*y*). Itaque concipitur terminus intellectûs divini eſſe perfectiſſimus in ratione imaginis & repræſentationis; terminus verò voluntatis in ratione ponderis & inclinationis: non verò concipitur eſſe perfectiſſimus in omni genere, quaſi eſſet Deus ipſe. Et certè in intellectu humano (*z*) verbum mentis non eſt homo; in intellectu Angelico verbum mentis non eſt Angelus; unde incomprehenſibile myſterium eſt, quòd verbum intellectûs divini ſit Deus. Idem dicendum de termino voluntatis divinæ.

Non

(*y*) Unum enim Deum eſſe & lumen naturæ & recta ratio dictat. (*z*) Verbum mentis eſt expreſſio imaginis objecti cogniti ab intellectu in ſe ipſo facta; alio nomine dicitur ſpecies expreſſa.

Non denique tertium. Quamvis enim per ratiocinium inferre poſſimus, terminum per intellectionem productum eſſe diſtinctum ab intelligente, eoquòd nihil ſe ipſum producat, nemo tamen inferet, terminum illum eſſe aliam perſonam ab intelligente.

Adde, quòd ſola ratione demonſtrari non poſſit, quare tres duntaxat ſint in Deo perſonæ, non plures; quare una potiùs quàm altera ſit & vocetur Filius; quare una ſit alterâ origine prior, cùm eodem temporis puncto natura in Deo intelligat & velit ſimul; quare una, nempe Spiritus ſanctus, à Filio ſimul & à Patre procedat: hæc & alia hujusmodi nusquam humana mens aſſequetur.

372 Ob. 2do. Naturaliter intelligimus, Deum eſſe ſummum & infinitum bonum ac fœcundum. Atqui hujusmodi bonum eſt diffuſivum ſui ipſius tam ad intra quàm ad extra. Ergo neceſſe eſt, ut infinitè ſe communicet. Atqui id non poteſt extra ſe, cùm creatura ſit incapax infinitæ participationis divinarum perfectionum. Ergo intra ſe: hæc autem infinita intra Deum communicatio non poteſt aliter fingi, quàm per productionem termini infiniti, qui Deus ſit; nihil quippe præter Deum infinitum eſſe poteſt.

Reſp. diſt. min. infinitum bonum eſt infinitè ſui communicativum in rei veritate, ac ſuppoſitâ fide, conc. Quoad nos, & quaſi fide ſepoſita, ſolo naturæ lumine id cognoſcamus, neg. min.. Ratio eſt, quia naturaliter explicari à nobis non poteſt, quibus & quomodò fieret illa naturæ ac ſubſtantiæ communicatio: cognoſcimus verò ſummum bonum ſe ſe ad extra poſſe communicare, & pro ſuo arbitrio, & pro capacitate creaturæ, quæ cùm eſſentialiter finita ſit, infinitæ communicationis recipiendæ incapax eſt.

Adde, quòd infinitus ille terminus à Deo productus, ſola ratione naturali dictante neceſſariò Deus ſupponeretur, ſicque Deus alium Deum ſibi ſimilem produceret: cùm autem rationi repugnet Deorum pluralitas, hinc eadem ratione naturali duce concludendum eſt, Deum non poſſe alium ſibi ſimilem producere.

Ob. 3tio. Vel poſſibile vel impoſſibile demonſtratur myſterium SS. Trinitatis. Atqui non poteſt demonſtrari impoſſibile; quod enim eſt verum, nunquam demonſtrari poteſt falſum. Ergo demonſtrari poteſt poſſibile. 373

Reſp. neg. maj. Sophiſma eſt, quod vocant, *à falſo ſupponente:* nempe myſterium iſtud poſſe aliquo modo demonſtrari vel poſſibile vel impoſſibile; quod falſum eſt, quia nulla illius idea, nulla notio ſola ratione & ante revelationem haberi potuit.

Inſt. Inter duo contradictoria non datur medium. Atqui poſſibile & impoſſibile ſunt duo contradictoria. Ergo.

Reſp. Quamvis poſſibile & impoſſibile ſint duo contradictoria, quia ſcilicet opponuntur ut ens & non ens; tamen demonſtrari poſſibile, & demonſtrari impoſſibile non ſunt duo contradictoria, quia utrumque poſitivum eſt, inter quæ aliquod medium aſſignari poteſt, nempe nullatenus demonſtrari. Adeoque quamvis non detur medium inter poſſibile & impoſſibile, poteſt tamen dari medius ſtatus inter duos de eadem re diſputantes, unum affirmantem, alterum negantem, ſcilicet dubius hærebit (quia neuter ex diſceptantibus profert efficax argumentum) homo ille, qui eos audit.

Ob. 4to. Demonſtrari poteſt, Religionem Chriſtianam eſſe divinam, & nonniſi vera docere. Ergo, cùm doceat 374

ceat myſterium SS. Trinitatis, certò concludetur illud eſſe veriſſimum.

Reſp. diſt. conſ. concludetur Theologica concluſione generali & extrinſeca atque ex principiis revelatis deducta, conc. ex principiis naturalibus & concluſione intrinſeca & propria ex rei ipſius viſceribus petita, neg. conſ.

375 Ob. 5to. Plures è Philoſophis Ethnicis Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium agnovêre; ut 1mo Plato, qui frequenter, ut Ep. 2. ad Dionyſium, quam Euſebius refert lib. 11. Præparat. Evang. c. 20. Et Epiſt. 6. ad Hermam, tribuit Deo Verbum æternum, per quod omnia creavit, vocatque illud mentem eximiam, ideam, lucem; & à Verbo tertium exiiſſe docet, qui eſt veluti anima mundi, ipſum vegetans & conſervans Hinc illius teſtimoniô nonnunquam uſi ſunt antiqui Patres contra Paganos myſterium iſtud deridentes.

2do. Zoroaſtres Bactrianus, quem Semiramidi coævum ferunt, in Magicis Deum Patrem & Filium agnovit.

3tio. Mercurius Triſmegiſtus, qui circa Moyſis tempora floruit, hæc habet apud Poemandrum: *Monas genuit Monadem, & ipſe ſuum reflexit ardorem.*

4to. Sybilla Erythræa prædixit JEſum Chriſtum Dei Filium Salvatorem, ex S. Auguſtino lib. 18. de Civ. Dei. c. 23.

Ergo ſola naturali ratione Myſterii SS. Trinitatis habuêre cognitionem; enimverò, cùm Ethnici fuerint, divinæ revelationis incapaces fuêre, &c.

Reſp. neg. conſ. Quod Platonem attinet, dicimus, eum diſcendi ſtudiô peregrinatum, & ex ſacris Judæorum libris nonnulla potuiſſe deſumere, quæ malè intellecta, & verbotenus fidei noſtræ affinia ſuis Scriptis inſeruit; nam tria illa recenſita nomina tanquam tres Deos proponit, quorum primus ſit major, ſecundus minor, tertius infimus, ut refert Macrobius, in Somnio Scipionis c. 14. Plautinus, Enneade 5ta lib. 1. c. 3. & ſeq. Euſebius, cit. lib. 11. Præp. Evang. S. Auguſtinus, lib. 13. de Civ. c. 16. & 17. S. Cyrillus Alex. lib. 3. in Julianum. Patres revera adversùs Gentiles, qui, ipſis prædicantibus Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum eſſe unum Deum, ſcandalum patiebantur, Platonem magni nominis Philoſophum hæc tria in Deo agnoviſſe reponebant. At ubi ipſis pugnandum fuit cum Hæreticis, qui ex Schola Platonis Patrem majorem, & Filium minorem aſſerebant, iidem Patres Platonis doctrinam & impietatem procul abjecerunt & amandârunt.

Quæ verò ex Zoroaſtre, Triſmegiſto & Sybillis aſſeruntur, ſuppoſititia ſunt, & primùm poſt Chriſti tempora conficta, ut inter alios obſervat Petavius, lib. 1. de Trinit. c. 2. Sed demus, genuina eſſe carmina Sybillina, identidem à Catholicis laudata; certè fœtus luminis naturalis dici nequeunt, cùm in illis multa de Chriſto canantur merè contingentia, qualis eſt ejus paſſio; unde neceſſe eſt Sybillis in præmium caſtitatis, ut nonnulli ſuſpicantur, hæc fuiſſe revelata, quemadmodum legitur Num. 23. Balaam divinitùs afflatum propheaſſe.

CAPUT II. 376

De Proceſſionibus Divinis.

Proceſſionis nomine non aliud intelligitur, quàm emanatio ſeu origo unius ab alio, ſic fluvius à fonte dicitur procedere, quòd ab eo emanet & oriatur.

Duplex

Digitized by Google

Duplex eſt, tranſiens una, altera immanens. Prior eſt ea per quam potentia extra ſe ipſam operatur, talis eſt proceſſio caloris, per quam calefit aqua, ignis enim, ex quo calor ille procedit, extra ſe ipſum, in aquam nimirum, operatur. Poſterior eſt ea, in qua potentia ſeu principium operatur in ſubjectum intra ſe poſitum; ſic viſio eſt actio immanens; nam ut oculus videat, non eſt neceſſe, ut extra ſe ipſum exeat, ſeu ut operetur in ſubjectum, quod extra ipſum oculum poſitum eſt.

De proceſſione immanente hîc inſtituitur quæſtio, num videlicet in Divinis reperiatur, non quidem quæ ſit tanquam à cauſa aliqua propriè tali, ſed à principio quodam duntaxat: item quotuplex illa ſit, ſeu quot in divinis numerentur: quænam illarum proprietates; principia; & denique quodnam inter eas ſit diſcrimen. Quæ omnia ſingulis paragraphis diſcutiemus.

§. I.

377 *De exiſtentia & numero proceſſionum divinarum.*

Proceſſionem divinam definiunt Theologi, quòd ſit *Æterna unius perſonæ divinæ ab altera ſeu duabus ſimul origo ac productio.*

Eſſe in Deo hujusmodi veras ex divina ſubſtantia proceſſiones negârunt Hæretici quotquot vel perſonarum diſtinctionem, vel earumdem unitatem naturæ impugnavêre, de quibus jam ſupra egimus. Contra quos ſit

378 CONCLUSIO I.

Datur in Deo vera & propriè dicta proceſſio.

Prob. 1mo ex Scriptura. Pſal. 109. v. 3. *Ex utero ante luciferum genui te.* Atqui generatio ſine aliqua proceſſione concipi nequit. Ergo, &c.

Joan. 8. v. 42. *Ego ex Patre proceſſi & veni*, inquit Chriſtus. Ubi per verbum *proceſſi* æternam ſuam generationem; per verbum autem *veni* temporalem in mundum miſſionem per ſuam Incarnationem deſignat.

Pariter de Spiritu ſancto dicitur Joan. 15. v. 26. *Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.*

Prob. 2do. ex Symbolo Nicæno in quo *Filius* dicitur *Deus de Deo*, & *Spiritus ſanctus de Patre procedere aſſeritur.*

Prob. 3tio. Quia ſunt in Deo plures perſonæ à ſe invicem diſtinctæ, ut mox dicemus. Atqui perſonarum diſtinctio fundatur in proceſſione originis unius ab alia, juxta illud Scholæ effatum, *Omnia in divinis ſunt unum & idem, ubi non obſtat relationis oppoſitio.*

CONCLUSIO II. 379

Duæ duntaxat, & non plures ſunt in Divinis proceſſiones.

Prob. 1mo ex citatis mox Scripturæ teſtimoniis, in quibus non modò Verbi divini, ſed etiam Scriptus ſancti proceſſio exprimitur.

Prob. 2do. Tot ſunt in Divinis proceſſiones, quot ſunt perſonæ procedentes. Atqui duæ duntaxat ſunt perſonæ divinæ procedentes; nempe Filius & Spiritus ſanctus: Pater enim à nullo procedit: hinc dicitur Deus à ſe à Scriptoribus Eccleſiaſticis, ingenitus, innaſcibilis, principium ſine principio, origo & fons totius divinitatis.

Digitized by Google

Prob. 3tio. Ut duæ ſint duntaxat in Deo proceſſiones, ſufficit, quòd in Deo ſint ſolùm duæ facultates immanenter operantes, & quòd illæ facultates ſemper ac neceſſariò agant. Atqui 1mo non ſunt plures quàm duæ facultates immanenter operantes, intellectus nempe & voluntas. 2do. Eæ facultates neceſſariò agunt: Deus enim neceſſariò intelligit, & amat eſſentiam ſuam. 3tio. Semper agunt, cùm Deus non poſſit ab agendo *ad intra* abſtincre. Ergo.

Prob. 4to. Quidquid eſt infinitum, unicum eſt in ſuo ordine. Atqui Verbum divinum, utpote terminus intellectionis divinæ, eſt infinitum; Spiritus ſanctus quoque, qui terminus eſt divinæ volitionis, eſt infinitus. Ergo unicum eſt in Deo Verbum, unicus Spiritus ſanctus. Ergo non plures ſunt, quàm duæ proceſſiones ex quarum una Verbum, ex altera Spiritus ſanctus procedit.

380 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo contra 1mam Concluſionem. Deus eſt ens à ſe, ſeu nullam ſui cauſam, nullum principium agnoſcit. Ergo procedere ab alio non poteſt.

Reſp. Diſt. ant. Deus eſt ens à ſe, ratione eſſentiæ ſeu naturæ, quæ nec ab alio procedit nec generat, nec generatur, conc. Eſt à ſe ratione perſonæ, iterum diſt. per excluſionem veræ cauſæ ac dependentiæ, conc. per excluſionem originis ſeu proceſſionis ab alio, adhuc diſt. Deus Pater, conc. ille quippe fons eſt & origo divinarum perſonarum, quæ ab ipſo procedunt, ipſe verò ab alio non procedit, unde per appropriationem appellatur *Deus à ſe.* Deus Filius, & Spiritus ſanctus, neg. Filius enim eſt à Patre, Spiritus ſanctus à Patre & Filio. Porro cùm Deus ſimpliciter dicitur ens à ſe, ſpectatur ratione eſſentiæ ſeu naturæ divinæ deſignatæ: ipſæ enim perſonæ Filii & Spiritus ſancti aliquam ſui originem, principium aliquod agnoſcunt.

Inſt. Multi Veteres dicunt, Patrem eſſe cauſam Filii, &c. Ut Juſtinus, in Dialogo cum Triphone, ubi ſcribit, Deum Patrem eſſe Filio *cauſam cur ſit.* Conſtantinus Magnus, in Oratione ad Sanctorum cœtum apud Euſebium ſic loquitur: *Pater quidem Filii cauſa eſt, Filius verò eſt cauſatum.* S. Baſilius lib. 1. contra Eunom. *Nos autem*, inquit, *ſecundùm cauſarum habitudinem ad ea, quæ ex illis oriuntur, Patrem collocari ante Filium aſſerimus.* Item ibid. *Vox ipſa Patris*, ait, *quid aliud ſignificat, niſi hoc, quod cauſa eſt & principium ejus, qui ex ipſo genitus eſt.* S. Gregorius Nazianzenus Orat. 29. ubi hæc ait: *Deus quidem* (de Patre loquitur) *eſt Deus, ſiquidem Filius & Spiritus ſanctus ad unam cauſam referuntur.* Ergo vel nulla datur in Deo proceſſio, vel ſi datur aliqua, tum eſt unius ab alio tanquam à vera cauſa duntaxat, non tanquam ab origine vel principio tantùm.

Reſp. Diſt. ant. Multi Veteres dicunt Patrem eſſe cauſam Filii impropriè ſumptam, conc. propriè ſumptam, neg. ant. Cauſa impropriè ſumpta eſt ſimplex communicatio eſſe, abſtrahendo, an per eam communicationem terminus pendeat à principio, aut ab eo minimè pendeat. Ita cauſam hìc intellexiſſe laudatos Veteres patet ex eo, quòd conceptis terminis docuerint, Verbum verè ac ſubſtantialiter eſſe Deum, ac proinde non eſſe terminum, qui à ſuo principio Patre nimirùm, tanquam effectus à cauſa pendeat. Uſi ſunt autem ea loquendi ratione, ut adversùs Sabellianos aliosque ſimiles hæreticos perſonarum diſtinctionem in Divinis adſtruerent.

Ob 2do contra 2dam Concluſionem. 381
Quod infinitum eſt, unicum ſit oportet. Hinc Dei unitatem probant Veteres, quòd

Digitized by Google

quòd ſit ens infinitum: Atqui duo eſſe non poſſunt ſimul infinita. Ergo cùm proceſſio in Deo ſit infinita, unica eſſe debet.

Reſp. diſt. maj. Quod eſt infinitum, unicum eſt in ſuo ordine, &, ut dicitur, intenſivè, conc. Ita quia proceſſio per intellectum infinita eſt, unica quoque eſt, & unicum producit Verbum: idem dicendum de proceſſione per voluntatem. Quod infinitum eſt, debet eſſe unicum extenſivè, & in alio quocunque ordine, neg. maj. Ita proceſſio per intellectum non excludit proceſſionem per voluntatem, imò hanc importat, & utraque in ſuo ordine, ac quaſi ſpecie infinita eſt.

Inſt. Prima proceſſio totam naturam communicat & exhaurit. Ergo alteri proceſſioni locum non relinquit.

Reſp. diſt. ant. totam exhaurit naturam, & non totaliter, ſeu non omni modo, neque in quolibet ordine, conc. Totam & totaliter, ac in quolibet ordine, neg. ant. Prima proceſſio totam naturam exhaurit in ordine intellectionis duntaxat, ſicut ſecunda eam exhaurit in ordine ſpirationis.

382 Ob. 3tio contra id, quod in eadem concluſione 2da aſſeritur, non plures ſcilicet eſſe, quàm duas, in Deo proceſſiones. Etſi vis ſpirandi in Patre ſit infinita & exhauſta per proceſſionem Spiritus ſancti, nihilominus tamen Filio communicatur, qui ſimul cum Patre Spiritum ſanctum producit. Ergo etſi vis intelligendi Patris exhauſta ſit per generationem Verbi, poterit nihilominus Verbum aliud Verbum producere, & ita in infinitum.

Reſp. neg. conſ. & paritatem. Diſparitas eſt, quòd Verbum accipiat intelligendi facultatem jam ſui ipſius productione exhauſtam; non autem accipiat voluntatem termini ſui proceſſione exhauſtam. Scilicet in illo priori inſtanti originis, quo Pater producit Filium, nondum (noſtrô concipiendi modô) intelligitur exhauſta ipſius vis ſpirandi; quia nondum intelligitur ſpiràſſe Spiritum ſanctum, qui cùm ſecundus ſit origine à Filio, ab ipſo ut & à Patre tanquam ab unico principio procedit. At intelligendi vis omnino exhauſta eſt per productionem termini infiniti, Verbi ſcilicet divini, quod unicum ſufficit, nec aliud eſt poſſibile.

Ob. 4to. Fœcunditas, quæ in generandi & ſpirandi facultate poſita eſt, ſumma eſt in Deo perfectio. Ergo ſi generandi facultate careat Filius, & utrâque Spiritus ſanctus, ipſis deerit ſumma aliqua perfectio. Atqui perſonis divinis nulla deeſſe poteſt perfectio. Ergo, &c. 383

Reſp. Diſt. ant. Summa eſt perfectio in natura divina, conc. in perſona divina, ſubdiſt. in perſona Patris, conc. in perſona Filii & Spiritus ſancti, neg. ant. Summa quidem eſt naturæ divinæ perfectio, quòd fœcunda ſit per intellectum & voluntatem, ſumma hæc etiam eſt in Patre perfectio; ſumma quoque eſt in Filio perfectio quòd ſpirandi vim habeat. Verùm in Patre utraque perfectio eſt relativa, ut & in Filio vis ſpirandi ipſi cum Patre communis: porro perfectiones relativæ nec poſtulant nec poſſunt eſſe omnes in ſingulis perſonis divinis; relata enim ſibi opponuntur, & ſe ſe invicem excludunt. Neque tamen exinde ſequitur, Patrem perfectiorem eſſe Filiô, & Filium Spiritu ſancto: non enim minor eſt perfectio Filio quòd generetur, quàm Patri, quòd generet; idem dicendum de Spiritu ſancto. Quam porro quævis perſona divina perfectionem relativam non habet *formaliter*, hanc habet *identicè*, propter naturæ ejuſdem communionem, ut infra exponemus. Quòd autem Filius Verbum aliud non generet, & Spiritus ſanctus alium volunta-

luntatis terminum non producat, id non ex defectu & impotentia oritur, imò potiùs ex ſumma & infinita eorum perfectione. Ideo enim Filius aliud Verbum non generat, quia ipſe eſt Verbum infinitum adæquans totam naturæ divinæ in eo genere fœcunditatem; ſic & Spiritus ſanctus cùm divinam exhauriat voluntatem, non poteſt alium producere ejuſdem voluntatis terminum. Ita ferè hanc objectionem ſolvunt SS. Patres (*a*) Gregorius Naz. & Auguſtinus (*b*).

384 Ob. 5to. Subſiſtentia Patris, imò & omnes ejus perfectiones ab ejus divina eſſentia profluunt. Ergo totidem ſunt proceſſiones diſtinctæ. Ergo longè plures ſunt in Deo proceſſiones, quàm duæ.

Reſp. diſt. ant. Subſiſtentia Patris & omnes ejus perfectiones fluunt à divina eſſentia, tanquam à radice & fundamento, per ſimplicem, ut ajunt, metaphyſicam, virtualem & impropriè dictam emanationem, quomodò proprietates ab eſſentia fluere ſeu emanare dicuntur, conc. fluunt ab eſſentia tanquam à principio productivo & per emanationem phyſicam ac propriè dictam, quomodò Filius & Spiritus ſanctus in Deo producuntur, neg. ant.

§. II.

385 *De divinarum proceſſionum proprietatibus.*

Proprium ſeu Proprietas, prout in Logica noſtra part. 1. c. 3. jam adnotavimus eſt attributum eſſentiale ſecundarium rei alicujus eidem ſoli & ſemper conveniens. Varia porrò hujuſmodi attributa Divinis proceſſionibus ineſſe dignoſcuntur.

1mo enim ſunt immanentes, quia earum termini, Filius ſcilicet, & Spiritus ſanctus, ſunt in ipſo Deo. Joan. 10. v. 38. *Pater in me eſt*, inquit Chriſtus, *& ego in Patre.* Ratio eſt, quia intellectus & voluntas facultates ſunt immanentes, quæ terminos habent internos & ſibi intimè conjunctos.

2do. Sunt æternæ, quia ipſi Deo coævæ. *Egreſſus ejus* (Filii) *ex diebus æternitatis.* Mich. 5. v. 2. Idem dicendum de Spiritu ſancto. Sicut enim Pater ſe ipſum ab æterno cognoſcendo, producit Verbum; ita Pater & Filius ſeu Verbum ſe ſe mutuo amore proſequendo producunt Spiritum ſanctum, qui amor eſt ſeu charitas increata ſubſtantialis.

3tio. Sunt ſubſtantiales, id eſt terminos habent ſubſiſtentes & perſonales, non verò accidentales & adventitios, quales ſunt in nobis termini intellectionis & volitionis; (*c*) in Deo quippe nihil eſt accidentale, nihil adventitium.

4to. Sunt neceſſariæ, quia ab illis temperare ſe non poteſt divina eſſentia; neceſſitate quippe naturæ Deus ſe ipſum cognoſcit & amat.

5to. Sunt metaphyſicæ, hoc eſt, citra omnem mutabilitatem, dependentiam aut naturæ diverſitatem: divinæ ſiquidem proceſſiones in ſuo conceptu important duntaxat originem unius perſonæ ab alia, abſque ulla mutatione ſive in ſubjecto, ſive in termino; abſque ulla prioritate temporis aut naturæ in una perſona; abſque ulla dependentia, diviſione, partitione, ſeparatione, ſectione eſſentiæ; uno

(*a*) *Orat.* 37. (*b*) *Lib.* 2. *adverſus Maximum.* (*c*) Termini intellectionis & voluntatis in nobis ſunt ea, quæ intelligimus & volumus ſeu amamus.

uno verbo, absque ulla earum imperfectionum, quæ phyſicam productionem ſemper comitantur.

§. III.

386 *De principiis divinarum proceſſionum.*

Duplex à Philoſphis diſtinguitur actionis principium, nempe principium *quod*, & principium *quo*. Prius eſt ſuppoſitum ipſum agens: alterum eſt forma ſeu virtus per quam principium *quod* agit, ſive eſt virtus à qua profluit actio productiva. Vocatur etiam principium formale, quia illius virtus eſt veluti forma, à qua eſt actio; quæ virtus cùm duplex ſit, remota nempe & proxima, duplex quoque diſtinguitur principium *quo*, remotum unum, proximum alterum; iſtud eſt per quod ſuppoſitum immediatè operatur, & eſt ipſa naturæ facultas aut potentia; illud verò eſt id ſeu virtus illa, per quam ſuppoſitum mediatè duntaxat operatur. Sic e. g. Petrus intelligens eſt principium *quod*, anima rationalis eſt principium *quo* remotum, & intellectus eſt principium *quo* proximum intellectionis.

Porro quamvis in Deo, utpote ſimpliciſſimo, perſona, natura, intellectus, voluntas, intellectio, volitio, ſint re ipſa quid unum & idem; nihilominùs tamen Theologi in ſubſidium infirmitatis noſtræ, atque ut myſterium SS. Trinitatis commodiùs exponant, ſingula hæc mente ſecernunt, idque cum fundamento in re (*d*), propter ſummam ſcilicet divinæ naturæ perfectionem, qua fit, ut etſi omninò ſimplex ſit, tamen pluribus diſtinctis æquivaleat. Et quamvis omnes conveniant inter ſe, principium *quod* proceſſionum divinarum eſſe ipſammet perſonam producentem; de principio tamen *quo* ſive proximo ſive remoto controverſia eſt inter ipſos: aliqui enim volunt, eſſentiam divinam ut præciſam ab operationibus vitalibus intellectûs & voluntatis; cæteri tamen communiùs tuentur, intellectum & voluntatem eſſe principium *quo* proximum & immediatum proceſſionum divinarum. Hoc etiamnum ab ipſis ſuppoſitô, quærunt adhuc ulteriùs per quos actus intelligendi & volendi perſonæ procedant: an per illos, qui eſſentiales appellantur, & communes ſunt tribus perſonis; an verò per actus, qui notionales dicuntur, ſeu perſonales, & perſonis ſunt proprii, qualis eſt actus paternitatis intelligendo Verbum producentis, &c.

Verùm hæc Theologorum lis intra 387 Scholaſticos hæret parietes nec ultrà protenditur, nec ad illuſtrandum quemdam circa Myſterium SS. Trinitatis fidei articulum quidquam confert; nec alio fine in Scholas invecta, quàm ad oſtentandam ingeniorum ſubtilitatem, videtur; unde meritò à nobis, quibus hujusmodi admodùm inutilia minimè ſunt ad palatum, negligi poſſe eam arbitramur; ut tamen circa eam aliquid ſaltem dixiſſe videamur, non improbabilem cenſemus opinionem illam, qua ſtatuitur, principium *quo* remotum eſſe naturam divinam, & principium *quo* proximum proceſſionis Filii intellectum notionalem ſeu paternitate affectum; proceſſionis verò Spiritus ſancti, voluntatem notionalem, ſeu cui adjuncta eſt ſpiratio. Quod explicari poteſt exemplô viſionis humanæ, cujus principium *quod* eſt homo, ab ea enim denominatur videns: principium *quo* remotum eſt natura humana, quia eſt radix facultа-

(*d*) Id eſt, inter illa ſtatuunt diſtinctionem virtualem.

cultatis viſivæ, & conſequenter viſionis: principium *quo* proximum eſt ipſa facultas viſiva, quia per eam homo proximè videt. Sic, à pari, Pater in divinis eſt principium *quod* generationis Filii: ab ea enim denominatur generans: natura divina principium *quo* remotum, eſt enim prima radix fœcunditatis paternæ: intellectus verò notionalis principium *quo* proximum; quia immediatè per intellectum notionalem generat Filium. Similiter per voluntatem notionalem, ſeu ſpirationem activam, Pater & Filius immediatè ſpirant Spiritum ſanctum. Ratio eſt, quia nec Filius diceretur Verbum, nec Spiritus ſanctus amor & donum, niſi ille procederet per intellectum, hic verò per voluntatem. Deinde ſi Filius & Spiritus ſanctus immediatè procederent per naturam divinam, unus eorum eſſet modus procedendi, ac proinde unica in Deo eſſet proceſſio.

Cæterùm quamvis hæc omnium penè Theologorum, ſi Durandum lib. 1. Sent. diſt. 6. excipias, ſit ſententia, non tamen cuiquam ſuccenſebimus, ſi aliam exponendi hanc quæſtionem iniri maluerit viam.

§. IV.

388 *De diſcrimine proceſſionis Filii à proceſſione Spiritus ſancti: Seu quare proceſſio Filii ſit & dicatur generatio, non autem proceſſio Spiritus ſancti.*

Ariani conſtanter negarunt Verbi proceſſionem nominari debere generationem: nec mirum; cùm enim nollent, Verbum eſſe verè Deum ac Patri conſubſtantiale, conſequens erat, ut aſſererent, ipſum vera generatione non produci: nempe quæ generatione producuntur, ejusdem, ſaltem ſecundùm ſpeciem, ſunt naturæ, ut videre eſt in homine, qui ab alio generatur: Econtra Catholici quovis ſæculo Verbi proceſſionem à Patre vocârunt veram ac propriè dictam generationem, indeque deſumpſerunt invictum argumentum pro conſubſtantialitate Verbi.

Generatio autem ſtrictiſſimè ſeu ſpecificè ſumpta, & prout ſolis viventibus convenit, communiter definitur: *Origo viventis à vivente tanquam à principio conjuncto in ſimilitudinem naturæ.*

Dicitur 1mo. *Origo*, id eſt, productio, proceſſio, emanatio, prolatio; hæc enim ſunt Synonyma. 2do. *Viventis à vivente*, quia generatio ſtrictiſſimè ſumpta eſt vitalis. 3tio. *Tanquam à principio conjuncto*, ſcilicet per participationem vel totalem, vel partialem ſubſtantiæ generantis: nam generans debet communicare genito aliquid, quod ſibi ſit vel fuerit conjunctum. Hinc creatura quantumvis vivens, & à Deo vivente producta, non eſt ſtrictiſſimè loquendo, genita a Deo. 4to. *In ſimilitudinem*, ita ut generatio per ſe, & non per accidens, tendat in ſimilitudinem geniti cum generante. Ex hujus defectu Eva non eſt filia Adami, licèt proceſſerit ab Adamo, quia nempe communicatio coſtæ non tendebat per ſe in ſimilitudinem Evæ cum Adamo, ſed tetendit ſolùm per accidens, quatenus Deus præter ordinem naturalem ex Adami coſta Evam efformavit. 5to. *In ſimilitudinem naturæ*, perfectam ſcilicet & adæquatam, niſi fortè per accidens impediatur. Unde generans & genitus debent habere eandem vel ſpecie vel numerô naturam. Hac ita præſuppoſita generationis definitione, ſit

CONCLUSIO. 389

In Divinis ſola Verbi proceſſio dicenda eſt generatio, non autem proceſſio Spiritus ſancti.

Prob.

Prob. 1mo. Ex S. Scriptura. Pſal. 2. v. 7. Pater æternus ſic Filium alloquitur: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* De eodem Filio Iſaias dicit. c. 53. v. 8. *Generationem ejus quis enarrabit.* Item Joan. 5. v. 18. *Unigenitus Filius; qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit.* Et priùs, nempe c. 3. v. 6. Chriſtus ipſe ad Nicodemum dixerat: *Sic Deus dilexit mundum ut Filium ſuum unigenitum daret.* Quæ Joannes ipſe repetit 1. Joan. c. 4. v. 9. Ex quibus ſic conficitur argumentum: Ea proceſſio ſola meritò dicitur *generatio,* cujus principium eſt *Pater,* terminus verò *Filius.* Atqui principium proceſſionis Filii eſt *Pater,* terminus verò *Filius.* Ergo, &c.

Inſuper Scriptura Verbo ſpecialiter tanquam aliquid ipſi proprium, ideoque conſtitutivum in ratione Filii tribuit rationem imaginis & figuræ Patris, ob ſpecialem ſcilicet ſimilitudinem, quam ex vi ſuæ proceſſionis habet cum Patre, ut Coloſ. 1. v. 15. *Qui eſt imago Dei inviſibilis* Et Heb. 1. v. 3. *Figura ſubſtantiæ ejus.*

Prob. 2do. Ex Conciliis generalibus Nicæno I. & Conſtantinopolitano I. in Symbolo definientibus ſecundam in Divinis perſonam eſſe Filium Dei unigenitum. Quibus accedunt Symbola Apoſtolicum & Athanaſianum, in quibus Verbum dicitur *Filius Dei unicus, unigenitus, &c.* Item plura Eccleſiæ Decreta, quibus confixi ſunt ii, qui plures Filios in Divinis admiſère; qua de re vide SS. Juſtinum, Apolog. 2. Athanaſium, in Sabellianos, Optatum lib. 4. &c.

Prob. 3tio. Unanimi Patrum conſenſu, quos latè refert Petavius, Tom. 2. lib. 7. c. 13. Unum & alterum hîc adduxiſſe ſufficiet. S. Athanaſius, lib. de Decret. Synod. Nic. *Si imaginem nomines,* inquit, *Filium eo ipſo indicaveris: quid enim eſt ſimile Deo, niſi ſua ipſius progenies.* S. Auguſtinus, lib. 7. de Trinitat. c. 2. *Eò Filius,* ait, *quò Verbum, & eò Verbum, quò Filius.* Et Tract. 48. in Joan. *Verbum Dei ſemper cum Patre, & ſemper Verbum; & quia Verbum ideò Filius.* S. Ambroſius, lib. de Incarnat. c. 3. *Si multa Verba,* inquit, *multi Filii.*

Prob. 4to. Ratione. 1mo. Quia definitio generationis à nobis adducta, ſecluſis omnibus imperfectionibus generationis creatæ, proceſſioni Filii rectè congruit. 1mo. Eſt origo, id eſt, emanatio, proceſſio. Joan. 8. v. 42. *Ego ex Deo proceſſi.*

2do. Eſt viventis à vivente. Joan. 5. v. 26. *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit Filio habere vitam in ſemetipſo.*

3tio. Eſt à principio conjuncto. Joan. 14. v. 10. *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt?*

4to denique, eſt in ſimilitudinem, imò in unitatem naturæ. Joan. 10. v. 30. *Ego & Pater unum ſumus.* Idque vi proceſſionis.

2do. Quia in Divinis Pater eſt propriè Pater, & Filius eſt propriè Filius: nam uterque ſic vocatur ſimpliciter in Scriptura, à Patribus & Conciliis: unde S. Gregorius Nazianzenus Tract. de Fide ait: *Quis Catholicorum ignorat, Patrem verè eſſe Patrem, Filium verè eſſe Filium.* Atqui nemo eſt propriè Pater, niſi generet, nec quis eſt propriè Filius niſi generetur. Ergo in Divinis Filius generatur à Patre, ac proinde proceſſio Filii à Patre eſt generatio. Eaque ſola ipſi convenit, prout hactenus adducta momenta evincunt, adeoque proceſſio Spiritus ſancti non eſt generatio, ſed ſpiratio activa Patris & Filii; cujus quidem diſcriminis rationem certam ſola fides nobis ſubminiſtrat.

Non

Digitized by Google

390 Non ignoramus Theologos inter alias rationes, hanc præcipuam hujus proceſſionum diſcriminis afferre cauſam: Verbum procedit à Patre per actum intellectûs, ſeu per actum, quo Pater æternus ſe ipſum cognoſcit, eſtque terminus divinæ cognitionis. Ideo enim *dicitur Verbum*, inquit S. Baſilius, Hom. in Evang. S. Joannis, *ut oſtendatur, ex mente proceſſiſſe.* Et S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 36. *Verbum*, inquit, *appellatur, quoniam ſic ſe habet ad Patrem, ut Verbum ad mentem.* Atqui talis actus eſt cauſa cur proceſſio Verbi à Patre dicatur generatio. Nam vi illius producitur in ſimilitudinem divinæ naturæ ſeu principii producentis, cùm intellectio divina ordinetur ac tendat ad exprimendum ſimilitudinem perfectam ſui objecti, nempe naturæ divinæ, imò ſit perfectiſſima repræſentatio & expreſſio naturæ divinæ. Unde proceſſio Verbi eſt origo viventis à vivente ut principiô conjunctô in ſimilitudinem naturæ, ideoque verè ac propriè generatio; & Filius procedit in ſimilitudinem naturæ Patris: nam vi ſuæ proceſſionis accipit naturam divinam per ſe primò, ut eſt ſimilitudo formalis ſeu repræſentatio & expreſſio ipſiusmet naturæ divinæ, quæ eſt natura Patris. At verò Spiritus ſancti proceſſio non eſt generatio, quia cùm procedat per actum voluntatis (*e*), ſeu per amorem, qui eſt quædam voluntatis ſpiratio ſeu impulſio in rem amatam, & à qua Spiritus ſanctus nuncupatur, quaſi *ſanctè ſpiratus;* ejus proceſſio non eſt per ſe primò ſecundùm rationem ſimilitudinis, ſed ſecundùm rationem vitalis impulsûs: nam amor non eſt per ſe ordinatus ad exprimendam ſimilitudinem ſui objecti, ſed eſt inclinatio ſeu propenſio vitalis in objectum, & motio amantis in amatum.

Hæc quidem Theologi communiter poſt S. Thomam 1. part. 9. 27. a. 1. & 2. & q. 34. a. 2. Verùm iſta ratio planè certa non videtur, ſed graviſſimis ſubjacet incommodis. 1mo. enim certum non eſt apud omnes, intellectum, cùm intelligit, producere ſeu efformare intra ſe ſpeciem quamdam ſeu Verbum mentis, quod ſit viva & formalis objecti repræſentatio. 2do. Non eſt de ratione intellectûs ut ſic, & prout abſtrahit à divino & humano, ut aſſimilet ſibi terminum in natura, ſed tantùm ut aſſimilet, ut vocant, intentionaliter. Ergo Verbum divinum ex eo præcisè, quòd procedat per intellectum, non habebit, quòd ſit Patri conſubſtantiale. 3tio. Ex adducta ratione videtur ſequi, Spiritum ſanctum vi ſuæ proceſſionis formaliter æquo jure dici debere Filium, ac Verbum ipſum; nam vi illius tam ſimilis eſt in natura divina quàm ipſum Verbum, eſt quippe vi ſuæ proceſſionis Deus unus cum Patre & Filio, adeoque ſimilis in natura cum illis, necnon perſona ſubſiſtens ac divina, utpotè quia procedit per voluntatem divinam, quæ ex ſe producit terminum ſubſtantialem, atque tendit ad unionem perfectiſſimam ſeu ſubſtantialem, conſequenter & ad ſimilitudinem: nihil quippe tam ſimile eſt alteri, quàm quod unam habet cum ipſo naturam. Patet igitur, quòd vi hujus Theologorum rationis, Spiritus ſanctus perindè dici poſſit ſimilis Patri, & conſequenter Filius ac ipſum Verbum.

Longè igitur tùm refellendis Hæreticorum cavillationibus, tùm dignitati & altitudini hujusce myſterii magis accommoda- 391

(*e*) Per actum voluntatis divinæ procedere Spiritum ſanctum oſtendunt paſſim Scripturæ & SS. Patrum textus, in quibus vocatur *charitas, donum, amor Patris ac Filii*: ii enim textus ſignificant, eum eſſe terminum charitatis & amoris, quibus Pater & Filius ſe ſe mutuò amant.

Digitized by Google

modatum videtur, ſi neglectis, quæ vulgò proferuntur, rationibus, ex una fide ſtatuamus, diſcrimen quidem eſſe inter generationem Filii, & proceſſionem Spiritus ſancti, cujus cauſam ac rationem certam, & quæ undequaque ſufficiat, planè ignoramus.

Certè SS. Patres ipſi, Macedonianis, qui, ut Spiritus ſancti divinitatem impugnarent, hoc argumento utebantur (*f*), *eum nempe, ſi à Patre procederet, æquè eſſe ipſius Filium ac Verbum*, reſpondentes, equidem quasdam diſcriminis inter generationem Verbi, & Spiritus ſancti proceſſionem cauſas aliquam præſeferentes veri ſimilitudinem afferre conabantur, ultrò tamen monuerunt, evidentem diſcriminis hujus rationem minimè reddi poſſe. *De Patre eſt Filius, de Patre eſt Spiritus ſanctus*, ait S. Auguſtinus (*g*), *ſed ille genitus, iſte procedens. Quid autem inter naſci & procedere interſit, de illa excellentiſſima natura loquens, explicare quis poteſt? Non omne quod procedit naſcitur, quamvis omne procedat quod naſcitur . . . . . Hæc ſcio. Diſtinguere autem inter illam generationem & hanc proceſſionem neſcio, non valeo, non ſufficio.*

392 ## (*h*) Caput III.

De Relationibus divinis.

Relatio, prout definivimus in noſtra Metaphyſica part. 1. c. 2. (*i*) *eſt ordo ſeu reſpectus vel habitudo unius ad aliud.*

Duplex generatim dicitur, rationis una, altera realis. Prior eſt, quæ fingitur ab humana mente inter ea, quæ ſuâpte naturâ ad invicem non referuntur, qualis eſt relatio generis & ſpeciei, prædicati & ſubjecti: relatio autem realis eſt, qua unum à parte rei ad aliud ordinatur nemine cogitante, ut relatio identitatis, æqualitatis, &c. Domini ad ſervum, quæ realis dici poteſt, quia re vera eſt, licèt non ſit eſſentialis ac neceſſaria.

Rursùs alia eſt relatio ſubjectio accidentalis, extrinſeca & adventitia, qualis eſt in creatis relatio hominis generantis ad filium, quem generat; neque enim eſſentiale eſt homini, ut filium habeat, ſeu generet: alia verò eſt eſſentialis & interna, cujusmodi eſt relatio creaturæ ad Creatorem.

Rurſus in omni relatione duplex *eſſe* diſtinguitur, unum quod vocatur *eſſe in*, ſeu ſubjectivum, ratione ſcilicet ſubjecti, in quo eſt relatio; alterum quod dicitur *eſſe ad*, ſeu terminativum, ratione termini, quem relatio reſpicit.

Quæritur ergo 1mo. An, quid, & quot ſint in Deo relationes, & an veræ ſint perfectiones? 2do. An & quomodò diſtinguantur tùm ab eſſentia, tum à ſe invicem. 3tio. Quodnam ſit earum in Deo officium, quænam partes. Quæ ſingulis paragraphis explicabimus.

§. I.

An & quid ſint in Deo relationes? Quot numero? An veræ perfectiones? 393

Conclusio I.

Sunt in Deo relationes veræ ac reales non modò tribus perſonis æquales, ut ſunt v. g. relatio identitatis, æqualitatis,

(*f*) *Apud S. Athanaſium Ep. ad Serapionem.* (*g*) *Lib. 3. cont. Maximinum c. 14.*
(*h*) Vid. inf. Exercit. Theolog. Exercit. 3. n. 42. & ſeq. (*i*) Adeunda ſunt ea, quæ ibidem de relationibus diſſeruimus.

tatis, ſimilitudinis, de quibus non eſt quæſtio; ſed propriæ & perſonales, quæ vulgò vocantur relationes originis, quia nempe fundantur in origine ſeu proceſſione unius perſonæ ab alia.

Prob. 1mo. Dantur in Deo veræ proceſſiones, prout cap. præcedenti demonſtravimus; Atqui illæ concipi non poſſunt ſine relationibus originis, per quas perſona producens refertur ad perſonam productam, &c. Pater ſcilicet ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus ſanctus ad Patrem & Filium.

Prob. 2do. Dantur in Deo Paternitas, Filiatio, & Spiratio. Atqui Paternitas, Filiatio, & Spiratio ſunt relationes reales originis, dicunt namque ordinem ſeu habitudinem ad ſe invicem independenter à mentis creatæ operatione; nempe Paternitas eſſentialiter refertur ad Filiationem, neque enim Pater concipi poteſt ſine Filio, neque Filius ſine Patre, nec Spiritus ſanctus ſine principio à quo realiter procedit; ac nemine cogitante in Deo ſunt Paternitas, Filiatio, & Spiratio, ſunt quippe formæ, per quas Pater, Filius, & Spiritus ſanctus conſtituuntur. Ergo, &c.

Prob. 3tio. Datur in Deo realiter fundamentum, per quod tres perſonæ realiter inter ſe diſtinguuntur. Atqui id aliud non eſt, quàm relationes originis, ſiquidem non poteſt eſſe natura, cùm omninò eadem ſit in ſingulis perſonis. Ergo tale fundamentum ſunt relationes originis ſeu proceſſionis.

Prob. 4to. Sunt in perſonis divinis proprietates quædam ſingulares ac peculiares, quibus illæ conſtituuntur ac diſtinguuntur, prout oſtendemus §. 3tio. Atqui proprietates illæ non ſunt communes & abſolutæ; Ergo ſunt relativæ. Ergo ſunt in Deo veræ ac perſonales relationes originis non tantùm ſecundùm *eſſe in* ſeu ratione ſubjecti in quo unaquæque earum eſt, ſed etiam ſecundùm *eſſe ad* ſeu ratione termini, quem unaquæque reſpicit, reales.

CONCLUSIO II. 394

Quatuor duntaxat ſunt in Deo relationes reales ſeu originis, ſcilicet Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, & Spiratio paſſiva.

Prob. Ex dictis cap. præced. §. 1. Concl. 2da duæ tantùm ſunt in Deo proceſſiones, una per intellectum, altera per voluntatem. Atqui ex duabus proceſſionibus neceſſariò reſultant quatuor relationes. Nam ubi ſunt duæ productiones, ibi ſunt duæ relationes perſonarum producentium, & duæ perſonarum productarum: ſic in Patre eſt relatio Paternitatis ad Filium; in Filio relatio Filiationis ad Patrem: in Patre & Filio relatio Spirationis activæ ad Spiritum ſanctum; & in Spiritu ſancto relatio Spirationis paſſivæ ad Patrem & Filium, per quas relationes divinas perſonæ in ſe conſtituuntur in ratione perſonæ, & à ſe invicem diſtinguuntur, prout infra oſtendemus. Ergo quatuor duntaxat ſunt in Deo relationes originis; tot enim ſunt in eo unius ad alium ordines ſeu reſpectus.

Quod ipſarum perfectionem ſpectat, certum eſt apud omnes Theologos, quòd, ſi conſiderentur ſecundùm *eſſe in* ſeu prout ſubjectum, in quo ſunt, afficiunt, ſint perfectiones. Sic enim conſideratæ ſumuntur, vel ut ſunt idem realiter actu cum eſſentia divina, vel prout ab ea virtualiter diſtinguuntur: at utroque modo ſpectatæ ſunt perfectiones; priori enim modô conſideratæ ſunt ipſa eſſentia divina; 2dô modô etiam ſunt ipſa eadem divina eſſentia ſecundùm noſtrum concipiendi duntaxat modum ad eſſe Patris aut Filii aut Spiritus ſancti ab ipſis coarctata, modificata, & determinata.

Contro-

Controverſia ergo inter ipſos eſt de relationibus divinis ſecundùm *eſſe ad*, ſeu prout terminum, ad quem referuntur, reſpiciunt.

395 CONCLUSIO III.

Probabiliùs Relationes divinæ formaliter ut relationes ſunt, ac ſecundùm *eſſe ad*, veræ ſunt ac reales perfectiones.

Prob. 1mo auctoritate S. Cyrilli, lib. 2. Theſauri c. 1. ubi, *Non poteſt*, ait, *eſſe perfecta divinitas, niſi Filium habeat, & fructum ex ſe pariat.* Ergo juxta ipſum Pater eſt perfectus non tantùm quia Deus eſt, ſed etiam quia Pater eſt.

S. Damaſcenus lib. 1. de Fide orthodoxa c. 11. exiſtendi modum perſonæ, id eſt, relationem, expreſsè perfectionem appellat.

S. Thomas q. 40. a. 3. a. 1. proprietates perſonales, quibus diſtinguuntur, perſonæ, ad dignitatem perſonæ conſtitutæ pertinere ait. Et Opuſculô 1. contra errores Græcorum c. 7. *Non poſſet*, inquit, *eſſe Pater perfectus, niſi Filium haberet, quia nec Pater ſine Filio eſſet, nec eſſet Deus perfectus, niſi haberet Verbum.*

Prob. 2do Ratione. Quidquid reale eſt in Deo, atque id omne habet, quod in ſuo gradu ſeu ordine poſtulat, & exigit, illud perfectum eſt, ut patet. Atqui ex dictis relationes originis in Deo ſunt reales, & id omne habent, quod ex ſua formali ratione poſtulant, & exigunt. Ergo.

Item: Quod divinam naturam certô modô ſeu certa quadam ratione afficit, terminat, complet, ac ultimò contrahit, quod divinas perſonas in ratione perſonæ conſtituit, illud in ordine ſuo & ſecundùm rationem formalem perfectum eſt. Atqui tales ſunt divinæ relationes originis. Ergo, &c.

Solvuntur Objectiones. 396

Ob. 1mo contra 1mam Concluſionem. Extrema, ſeu ſubjectum & terminus relationis à ſe invicem pendent. Atqui in Divinis perſonæ à ſe invicem non pendent, unaquæque enim perſona eſt eſſentialiter Deus, eſt autem de eſſentia Dei ut prorsùs à nullo alio pendeat. Ergo neque inter illas reperitur relatio realis.

Reſp. Diſt. maj. Extrema relationis à ſe invicem pendent per modum ſimplicis ſubjecti & termini, conc. Ex ſuppoſitione nimirùm, quòd inter duo ſit mutua relatio transcendentalis, unum non poteſt eſſe ſine alio. Pendent per modum effectûs, aut per modum cauſæ, neg. maj. Relationes, quæ reperiuntur in Divinis, efficiunt quidem, ut perſonæ, quæ ſunt earum termini, ſibi invicem coexiſtant: ſiquidem ex ſuppoſitione quòd Deus ſit Pater, neceſſe eſt, ut habeat Filium; ſed non efficiunt, ut perſonæ à ſe invicem pendeant tanquam effectus à cauſa, quia producuntur actionibus, per quas unicuique perſonæ productæ communicatur eadem numerò natura, quæ in Patre reperitur, ac proinde natura prorsùs independens.

Ob. 2do. Relatio realis præſupponit 397
extrema realiter diſtincta. Atqui relationes in divinis non præſupponunt extrema realiter diſtincta: nam illud non præſupponit extrema realiter diſtincta, quod efficit realem extremorum diſtinctionem. Atqui relationes in Divinis efficiunt extremorum à ſe invicem diſtinctionem, ſcilicet in Divinis extrema, ſeu perſonæ, non diſtinguuntur per eſſentiam, ſed tantùm per relationes Ergo &c.

Reſp. diſt. maj. Relatio in creatis præſupponit extrema realiter diſtincta, conc. In Divinis, neg. maj. Ratio diſparitatis eſt, quia relationes, quæ in creaturis reperiuntur, ſunt accidentia, ac proinde ſupponunt ſubjectum, cui inhærent, priùs exiſtens: è con-

contra in Divinis, relationes non ſunt accidens, ſed ſubſtantia; & conſequenter non ſupponunt ſuum ſubjectum præexiſtens; unde non per aliud, ſed per ſe ipſas à ſe invicem diſtinguuntur.

398 Ob. 3tio. Relatio eſt ordo unius ad aliud. Atqui in Deo non eſt ordo unius ad aliud; quidquid enim eſt in Deo Deus eſt. Ergo, &c.

Reſp. Diſt. maj. Relatio eſt ordo unius ad aliud, ſumpta voce vel adjectivè vel ſubſtantivè, conc. ſubſtantivè tantùm, neg. maj. Vox *aliud* accepta ſubſtantivè diſtinctam eſſentiam ſignificat, adjectivè verò ſumpta dicit diſtinctam perſonam. Priore ſenſu vox *aliud* admitti non debet in Divinis, ſed in eis locum habet accepta poſteriore ſenſu, nempe prout ſignificat perſonas à ſe invicem diſtinctas.

399 Ob. 4to. Relationes non poſſunt dici realiter de ſubjecto, niſi aut ſecundùm ſubſtantiam, aut ſecundùm accidens. Atqui neutro modo ſunt in Deo: non quidem ſecundùm ſubſtantiam; cùm enim relationes efficant diſtinctionem, efficerent, ut eſſentia Divina non eadem eſſet in ſingulis perſonis: non etiam ſecundùm accidens, quia accidentia locum non habent in Deo, alioquin non eſſet actus purus, non eſſet ens omninò ſimplex & immutabile.

Reſp. neg. maj. Ratio eſt, quia inter dici ſecundùm ſubſtantiam, aut dici ſecundùm accidens, datur medium, ſcilicet dici ſecundùm eſſe relativum: nam eſſe relativum præcisè ut relativum abſtrahit à ſubſtantia aut accidente. Quippe nihil aliud dicit in ſuo conceptu, quàm referre unum ad aliud. Hæc reſponſio eſt S. Auguſtini lib. 5. de Trinit. c. 3. ubi *Quamvis*, inquit, *diverſum ſit Patrem eſſe, & Filium eſſe, non eſt tamen diverſa ſubſtantia, quia hæc non ſecundùm ſubſtantiam dicuntur, ſed ſecundùm relativum, quod tamen relativum non eſt accidens, quia non eſt mutabile.*

Ob. 5to. Licet Deus creaturas produxerit, nullam tamen relationem realem ad eas habet. Ergo nec ad Filium à ſe genitum. 400

Reſp. neg. conſ. & paritatem. Diſparitas eſt, quòd actio, per quam Deus creaturas produxit, ſit Deo extrinſeca & tranſiens; unde extrinſecam duntaxat Creatoris denominationem ipſi infert; productiones verò divinarum perſonarum ſunt internæ, ſubſtantiales æternæ, & ejuſdem naturæ terminos habent.

Ob. 6to contra 2dam Concluſionem. Si plures admittantur in Deo relationes, quæ ſint formæ quædam internæ ac ſubſiſtentes, fatendum erit, plures quoque in Deo eſſe formas internas, ſpeciales ac proprias divinarum perſonarum; ac conſequenter aliquam eſſe in Patre, quæ non ſit in Filio, & viciſſim. Atqui utrumque iſtud pariter abſurdum videtur. Ergo, &c. 401

Reſp. Diſt. maj. Fatendum erit, plures eſſe in Deo formas internas & ſubſiſtentes, metaphyſicas & relativas, conc. Phyſicas & abſolutas, neg. maj. Relationes divinæ non ſunt, neque concipiuntur à nobis velut formæ ſeu entitates quædam ſuperadditæ, ab eſſentia realiter diſtinctæ, nam una eſt in tribus perſonis ac ſimpliciſſima divinæ naturæ entitas: ſed concipiuntur à nobis per modum formæ ſeu modi metaphyſici, quo natura ultimò terminatur ac contrahitur ad hanc vel illam perſonam; quæ formæ aut modificationes ab ipſa eſſentia realiter non diſtinguuntur, ſed virtualiter duntaxat ob ſummam Dei ſimplicitatem & infinitatem.

Ob. 7mo. Si eſſent in Deo quatuor relationes reales, eſſet in eo etiam quaternitas. Atqui hæc in Deo non eſt. Ergo. 402

Reſp. neg. maj. Ratio eſt, quia ſpiratio activa, quæ non eſt aliud, quàm actio

actio productiva Spiritus ſancti, non diſtinguitur realiter à paternitate aut filiatione; ae proinde quartam rem in Deo non conſtituit.

403 Ob. 8vo contra 3tiam Concluſionem. S. Auguſtinus lib. 7. de Trinit. c. 1. ſic loquitur: *Deus ad ſe dicitur magnus, & bonus, & juſtus.* Unde ſic conficitur argumentum: Ex Auguſtino, omnis perfectio in Deo eſt abſoluta, ad ſe enim dicitur. Ergo relationes, cum non ſint quid abſolutum, reduplicativè ſumptæ, & prout ſunt relationes, non ſunt perfectiones in Divinis.

Reſp. neg. ant. S. Auguſtinus eo loci loquitur tantùm de perfectionibus abſolutis, ut ſunt magnitudo, bonitas, juſtitia, quarum exemplum adducit, ut probet, in Divinis perfectiones dici ad ſe, non autem ad aliud.

404 Ob. 9no. Si relationes eſſent perfectiones plura ſequerentur abſurda: nam 1mo eſſentia ſola non eſſet infinitè perfecta, ei nimirum deeſſet perfectio relativa. 2do. Tres perſonæ ſimul ſumptæ plus continerent perfectionis, quàm una ſola perſona. 3tio. Filius eſſet perfectior Spiritu ſancto: nam ei duæ relationes conveniunt, ad Patrem nimirum, cujus eſt Filius, & ad ipſum Spiritum ſanctum, cujus eſt principium; cùm è contrà una tantùm relatio, paſſiva ſcilicet, Spiritui ſancto conveniat.

Reſp. neg. propoſitionem: & illius illata. Ratio eſt, quia infinita perfectio ſive trium relationum ſimul, ſive cujusque in particulari ſpectatæ continetur in eſſentia divina, eoquòd relationes ſint actu realiter idem cum ipſa; ita ut ſicut quælibet trium relationum eſt ipſamet eſſentia divina, ita etiam eſſentia divina ſit quælibet trium relationum. Eo principio nixus S. Auguſtinus, lib. 6. de Trinit. c. 8. docet, *tantùm eſſe ſolum Patrem, vel ſolum Filium, vel ſolum Spiritum ſanctum, quantùm tres perſonæ ſimul ſumptæ.*

Ob. 10mo. Ex Concluſione noſtra ſequitur, unamquamque perſonam aliqua carere perfectione, relatione ſcilicet oppoſita, quæ juxta nos eſt perfectio vera: ita Pater caret Filiatione, Filius Paternitate, Spiritus ſanctus Spiratione activa. Atqui, &c. Ergo. &c. 405

Reſp. 1mo neg. maj. Quia una eſt numerica in tribus perſonis divina eſſentia, cui omnes perfectiones tùm abſolutæ tum relativæ inſunt; ac conſequenter una perſona non eſt aliâ perfectior, neneque propriè aliqua caret perfectione, cùm eamdem habeat divinam eſſentiam, quæ omnem in ſe perfectionem continet.

Reſp. 2do. Diſt. maj. Sequitur, unamquamque perſonam aliqua carere perfectione relativa, trans. perfectione abſoluta, neg. maj. Licèt una perſona oppoſitâ ſibi perfectione relativâ careat, non tamen idcirco alterâ minùs perfecta dici poteſt: quia æquè ſummè perfecta eſt Filiatio v. g. in Filio, quàm Paternitas in Patre, propter ſummam divinarum relationum in eſſentia divina identitatem.

Reſp. 3tio. Singulas perſonas eſſe quid idem cum eſſentia divina, quæ viciſſim eſt quid idem cum ſingulis perſonis: atque adeò nulla eſt perfectio in ſingulis perſonis, quæ eadem non inſit naturæ. Porro tres perſonæ naturam eandem habent; ac proinde unaquæque perſona omnes habet aliarum perſonarum perfectiones, etiam relativas materialiter ſaltem & identicè, id eſt, quatenus cum eſſentia Divina identificantur.

Ob. 11mo. Si relationes ſint perfectiones, tres erunt res in Deo. Atqui in Deo non ſunt tres res, alioquin eſſent tres ſubſtantiæ, quod damnatum eſt in Ario. 406

Reſp. diſt. maj. Tres res relativæ erunt in Deo, conc. maj. nempe cùm tres perſonæ divinæ ſint realiter diſtinctæ, revera ſunt tres res relativæ. Erunt

tres res abſolutæ, neg. maj. Damnatus eſt Sabellius, quòd tres res relativas in Deo non admiſerit; Arius verò, quòd tres res abſolutas in eo aſſeruerit. *Cùm enim,* ait S. Auguſtinus, lib. 7. de Trinit. c. 4. *conaretur humana inopia loquendo proferre ad hominum ſenſus, quod in ſecretario mentis pro captu tenet de Domino Deo creatore ſuo, timuit dicere tres eſſentias, ne intelligeretur in illa ſumma æqualitate ulla diverſitas. Rurſus non eſſe tria quædam, non poterat dicere, quod Sabellius, quia dixit, in hæreſim lapſus eſt.*

407 §. II.

An & quomodò relationes Divinæ tùm ab eſſentia tùm à ſe invicem diſtinguantur.

Relationes divinæ comparari poſſunt vel cum eſſentia, vel inter ſe. Si inter ſe, vel comparantur cum relationibus oppoſitis, v. g. paternitas cum filiatione; ſpiratio activa cum paſſiva; vel cum relationibus (*k*) diſparatis & minimè oppoſitis, qualis eſt ſpiratio activa comparata cum paternitate & filiatione.

Suppoſitis etiam hîc iis, quæ tùm ſupra part. 1. c. 2. tùm in Metaphyſica noſtra de varia diſtinctionis rei alicujus diviſione expoſuimus. Ponitur

408 CONCLUSIO I.

Relationes divinæ ab eſſentia divina; uti & ſpiratio activa à paternitate & filiatione realiter non diſtinguuntur.

Prob. 1ma pars ex Conc. Generali Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. anno 1215. celebrato, ubi c. 2. *Credimus*, inquiunt Patres, *& confitemur cum Petro, quòd una quædam ſumma res eſt, incomprehenſibilis quidem & ineffabilis, quæ veraciter eſt Pater & Filius, & Spiritus ſanctus; tres ſimul perſonæ ac ſingulatim quælibet earumdem. Et ideò in Deo Trinitas eſt ſolummodò, non quaternitas; quia quælibet trium perſonarum eſt illa res, videlicet ſubſtantia, eſſentia ſeu natura divina, quæ ſola eſt Univerſorum principium, præter quòd aliud inveniri non poteſt. Et illa res non eſt generans, neque genita, neque procedens; ſed eſt Pater, qui generat, & Filius, qui gignitur, & Spiritus ſanctus, qui procedit: ut diſtinctiones ſint in perſonis, & unitas in natura. Licèt igitur alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus, non tamen aliud; ſed id, quod eſt Pater, eſt Filius, eſt Spiritus ſanctus idem omninò: ut ſecundùm Orthodoxam & Catholicam fidem conſubſtantiales eſſe credantur.*

Prob. 2do. Ex vulgato Scholæ pronuntiato, *omnia in divinis ſunt quid unum & idem, ubi non obviat relationis oppoſitio.* Atqui nulla occurrit oppoſitio eſſentiam inter & relationes divinas. Ergo nec inter ſe realiter diſtinguuntur.

Prob. 3tio. Si relationes realiter ab eſſentia divina diſtinguerentur, in Divinis non eſſet trinitas tantùm, ſed etiam quaternitas, nimirum tres perſonæ, ſeu tres relationes, & eſſentia divina. Atqui in Divinis eſt trinitas tantùm, ut primùm ex Concilio Lateranenſi IV. vidimus. Ergo, &c.

Prob. 2da pars 1mo. Ex laudato Concilio Lateranenſi IV. cap. *Damnamus.* Extra. *De ſumma Trinitate.* Ubi adverſùs Abbatem Joachimum ſtatuitur, non eſſe

(*k*) Diſparata dicuntur ea, quæ de ſe invicem prædicari non poſſunt.

eſſe in Deo rerum quaternitatem, prout patet ex adducto illius textu. Atqui ſuppoſita reali diſtinctione inter activam ſpirationem & paternitatem ac filiationem, eſſet vera rerum quaternitas in Deo, ſcilicet paternitas, filiatio, ſpiratio paſſiva, & ſpiratio activa.

2do. Ex ſæpiùs dictis nulla eſt in divinis diſtinctio, niſi ubi eſt oppoſitio relativa. Atqui nulla eſt oppoſitio relativa inter ſpirationem activam, & paternitatem & filiationem: diſparatæ quidem illæ ſunt, ac diverſæ relationes, ſed non oppoſitæ. Ratio eſt, quia oppoſitio in Divinis fundatur in reali proceſſione originis unius ab alio. Atqui ſpiratio activa realiter ac per veram originem non procedit à paternitate & filiatione, ſicut procedit ſpiratio paſſiva, ſeu Spiritus ſanctus; unde conſequenter realis eſt diſtinctio inter ſpirationem activam & paſſivam, ſeu meliùs inter Patrem & Filium ſpirantes, & Spiritum ſanctum ſpiratum ſeu productum, non autem ſpirationem activam, & paternitatem ac filiationem. Itaque ſpiratio activa ſe habet ad Patrem & Filium, ſicut divinitas ad tres perſonas: nam eſt una & eadem numerò per identitatem in Patre & Filio, ſicut natura divina eſt in tribus Perſonis. Item per eam Pater & Filius ſunt unus ſpirator, ſicut per naturam divinam tres Perſonæ ſunt unus Deus.

Supereſt igitur, ut dicamus, Relationes divinas ab eſſentia, ſicut & ſpirationem activam à paternitate & filiatione diſtingui ſaltem ratione ratiocinata ſeu virtualiter, quemadmodum cit. p. 1. c. 2. hujus tractatus, num. 33. de attributis abſolutis tùm ad eſſentiam divinam tùm inter ſe invicem comparatis aſſeruimus. Quia rebus realiter diſtinctis æquivalent; atque de una affirmatur aliquid, quod negatur de alia cum fundamento in re; in quo conſiſtit diſtinctio rationis ratiocinatæ ſeu virtualis. Nam de paternitate & ſpiratione activa affirmatur, quod producant; de filiatione & ſpiratione paſſiva, quòd producantur: ſimiliter paternitas generat, ſpiratio activa non generat; filiatio producitur, ſpiratio activa non producitur; ſpiratio activa ſpirat, paternitas & filiatio non ſpirant: hæcque omnia verò de eſſentia divina negantur. Ergo, &c. Vide ea, quæ cit. loc. de Attributis abſolutis expoſuimus.

Concluſio II. 409

Relationes originis, quæ ſibi mutuò opponuntur, paternitas ſcilicet, filiatio, & ſpiratio activa comparata cum paſſiva, realiter inter ſe invicem diſtinguuntur.

Prob. 1mo. Quia relationes illæ mutuam inter ſe dicunt oppoſitionem: neque enim fieri poteſt, ut qui Pater eſt, idem ſit ſui Filius; aliàs ſuimet ipſius foret Pater, quod planè abſurdum eſt. Et ſic de reliquis relationibus divinis.

2do. Divinæ perſonæ plures ſunt, & ab invicem realiter diſtinctæ per relationes originis, ut conſtat ex dictis. Ergo illæ relationes originis realiter inter ſe etiam diſtinguuntur, ſunt enim formæ, per quas perſonæ à ſe invicem realiter diſtinguuntur, propter quod autem unumquodque tale, & illud magis tale.

3tio. Relationes, quæ ſe habent ut quid realiter producens & productum diſtinguuntur inter ſe realiter: nam nihil poteſt ſe ipſum producere realiter. Atqui paternitas & filiatio, item ſpiratio activa & ſpiratio paſſiva ſe habent inter ſe invicem ut producens & productum. Ergo diſtinguuntur realiter inter ſe.

Solvun-

Digitized by Google

410 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. contra 1mam partem 1mæ Concluſionis. Relativum & abſolutum non minùs diſtinguuntur, quàm relativum & relativum, imò videtur, quòd magis debeant diſtingui, cùm non ſint ejuſdem ordinis. Atqui relativum & relativum in Divinis diſtinguuntur realiter, ut concluſione 2da probatum. Ergo etiam relativum & abſolutum, ſeu relationes ab eſſentia divina, quippe quæ quidpiam abſolutum eſt.

Reſp. neg. maj. Ratio eſt, quia licèt abſolutum & relativum ſint ordinis diverſi, tamen ſibi invicem non opponuntur: è contra relativum & relativum in divinis ſibi invicem ita opponuntur, ut unum excludat aliud: nempe qui Patrem dicit, dicit Filium ab eo diſtinctum; qui dicit principium, dicit terminum à principio diſtinctum.

Confirmatur reſponſio 1mo ex eo, quòd eâ uſi ſint Patres, ut adversùs Sabellianos realem perſonarum diſtinctionem in Divinis adſtruerent. 2do ex celebri hoc Theologorum effato: *Omnia ſunt unum in Divinis, ubi non obviat relationis oppoſitio.*

411 Ob. 2do. Illa diſtinguuntur realiter, quibus conveniunt prædicata contradictoria. Atqui eſſentiæ divinæ & relationibus conveniunt prædicata contradictoria: nam eſſentia communicatur Filio, Paternitas non communicatur Filio: Paternitas generat, eſſentia non generat: Filiatio, & Spiratio paſſiva producuntur, eſſentia non producitur. Ergo eſſentia divina & relationes inter ſe diſtinguuntur realiter.

Reſp. 1mo neg. maj. Nam ad verificanda prædicata contradictoria ſufficit diſtinctio virtualis, quæ æquivalet quoad hoc diſtinctioni reali, quamvis tamen non ſit verè & abſolutè contradictoria.

Reſp. 2do neg. min. Nam eſſentiæ divinæ & relationibus non conveniunt prædicata verè, ſed apparenter tantùm contradictoria. Non enim tunc idem affirmatur & negatur de eodem ſecundùm idem, ſeu ſecundùm eandem conſiderationem; ſed reſpectu eſſentiæ & relationum idem affirmatur & negatur de eodem ſecundùm diverſas conſiderationes ſumptô. Sic cùm dicitur: eſſentia divina communicatur Filio, paternitas non communicatur; ſenſus eſt: entitas divina ſumpta quatenus eſt cumulus omnium perfectionum abſolutarum communicatur Filio; & ſumpta quatenus eſt paternitas non communicatur Filio, quod verum eſt, & ad quod ſufficit virtualis amplitudo in entitate divina, & diſtinctio virtualis inter paternitatem & eſſentiam. Vide quæ cit. c. 2. part. 1. hujus Tractatus, pag. 22. ad reſp. ad ob. 3. diſſeruimus.

Ob. 3tio. Tritum eſt apud Veteres 412 axioma, naturam & perſonam in Divinis idem non eſſe, dicit enim Theodoretus: *Qui naturam & perſonam idem eſſe intelligit, in diviſionem Arii incidit, aut in confuſionem Sabellii.* Item S. Hilarius *Non eſt idem*, inquit, *natura quod res naturæ* (*l*). Ergo natura ſeu eſſentia & relationes realiter diſtinguuntur.

Reſp. diſt. ant. Idem non eſſe virtualiter, conc. realiter actu, neg. ant. Hoc unum laudato axiomate Patres volunt, quòd conceptus naturæ prout eſt conceptus naturæ, non ſit idem cum conceptu perſonæ prout eſt conceptus perſonæ. Nec mirum: ſiquidem cùm natura divina ſit infinita, præbet intellectui fundamentum eam attingendi modò ſub

(*l*) His horum Patrum auctoritatibus opinionem ſuam tueri conabatur Gilbertus Porretanus.

ſub conceptu naturæ, modò etiam ſub conceptu perſonæ; utroque nimirùm officio, naturæ & perſonæ, ſed ſub diverſis reſpectibus conſiderata, fungitur.

413 Ob. 4to contra ſecundam partem ejusdem Concluſionis 1mæ. Ea diſtinguuntur realiter, quæ diſtinctos producunt terminos, quorum unum perſonam conſtituit, alterum non conſtituit; quorum unum eſt communicabile, alterum verò incommunicabile. Atqui ſic ſe habet paternitas & filiatio comparata cum ſpiratione activa. Nam 1mo. Paternitas alium habet terminum, quàm ſpiratio activa: hæc enim habet Spiritum ſanctum pro termino, illa verò Filium. 2do. Paternitas conſtituit perſonam Patris, non ita ſpiratio activa, unde perſonalis dici non ſolet. 3tio. Paternitas eſt incommunicabilis, ſpiratio autem activa communicatur Filio.

Reſp. neg. maj. Diſtinctio quippe virtualis fundata in ſumma perfectione & eminentia divinæ naturæ ſufficit ad ſolvenda tria hæc propoſitæ difficultatis capita. Ad 1mum. Una & eadem res in ſe indiſtincta poteſt diſtinctos terminos ſeu effectus producere. Unus & idem Sol diverſos ac diſtinctos effectus producit, una & eadem arbor diſtinctos fructus, unus & idem homo diſtinctos filios: quidni ergo una & eadem entitas divina, quæ ſimul & paternitas eſt & ſpiratio activa, diſtinctum terminum habere poterit? Scilicet tanta non requiritur in principiis diſtinctio, quanta reperitur in terminis.

Ad 2dum. Qua ratione concipimus unam & ſimpliciſſimam in ſe Dei eſſentiam, propter ſuam eminentem perfectionem pluribus diſtinctis æquivalere, adeoque eam communicari prout abſoluto æquivalet, non communicari prout relativo æquivalet; eadem ratione dicimus, paternitatem, etſi indiſtinctam realiter à ſpiratione activa, conſtituere Patrem in ratione perſonæ, ſpirationem verò non conſtituere. Ratio eſt, quia juxta noſtrum intelligendi modum Pater priùs intelligitur pater generans filium, quàm Spirator producens Spiritum ſanctum; Filius enim per intellectum, Spiritus verò ſanctus per voluntatem procedit: at noſtrô intelligendi modô prior eſt origine proceſſio per intellectum, quàm proceſſio per voluntatem.

Ad 3tium. Ideò paternitas eſt incommunicabilis Filio, quia ipſi oppoſita eſt relativè; at ſpiratio activa non opponitur Filio: unde cùm Pater Filium producendo id totum ipſi communicet, in quo nulla eſt inter ipſos oppoſitio, neceſſe eſt, ut vim ſpirandi ſeu producendi Spiritum ſanctum communem cum illo habeat.

Ob. 5to. Spiratio activa, quæ eſt in Filio, eſt à Patre, ergo à paternitate diſtinguitur. 414

Reſp. diſt. ant. Spiratio activa, quæ eſt in Filio, & à Patre per communicationem, quemadmodùm eſſentia Filii eſt quoque à Patre per communicationem & ſimplicem, ut vocant, emanationem, conc. Eſt à Patre tanquam ab origine & principio producente, neg. ant.

Inſt. 1mo. Spiratio paſſiva nullam habet oppoſitionem cum paternitate & filiatione, & tamen ab iis realiter diſtinguitur. Ergo etiam ſpiratio activa etſi nullam habeat oppoſitionem inter paternitatem & filiationem, tamen ab ipſis diſtincta erit.

Reſp. diſt. ant. Spiratio paſſiva nullam habet immediatam oppoſitionem cum paternitate ac filiatione, conc. nullam habet oppoſitionem mediatam, neg. ant. Nam paternitas & filiatio adjunctam habent ſpirationem activam, qua mediante opponuntur relativè Spiritui ſancto.

Inſt. 2do. Tam ſpiratio activa in Patre mediante paternitate opponitur filiationi, quàm filiatio mediante ſpiratione activa opponitur ſpirationi paſſivæ. Ergo, &c.

Reſp. neg. ant. & paritatem. Diſparitas eſt, quod Filius, mediante ſpiratione activa producat Spiritum ſanctum: contra verò Pater, mediante ſpiratione activa non producat Filium; atque ita nulla inter relationes illas eſſe poteſt oppoſitio nec immediata, nec mediata.

§. III.

415 *Quodnam ſit relationum in Deo officium, quæ partes? An & quomodò divinas perſonas conſtituant, & à ſe invicem diſtinguant?*

Ad meliorem dicendorum intelligentiam ſequentia ſunt obſervanda: 1mo. In Patre Filium generante hæc conſiderari poſſunt: 1mo Eſſentia, quæ eſt principium *quo* remotum generationis. 2do. Intellectus, qui eſt principium *quo* proximum. 3tio. Intellectio, quæ eſt ipſa actio generans, ſeu ipſa generatio. 4to. Perſona Patris, quæ eſt principium *quod*. 5to. denique, relatio Patris ad Filium, quæ & ipſa duobus modis ſpectari poteſt, nempe vel ut eſt formaliter & explicitè relatio referens Patrem ad Filium, vel ut eſt forma (*m*) hypoſtatica conſtituens Patrem in ratione commmuni perſonæ.

Obſervandum 2do. Relationes, cum perſonis inhæreant ſimul, eaſque referant ad alias perſonas, ſub duplici reſpectu concipi poſſe, 1mo ſecundùm *eſſe in*, ſeu quatenus inhærent. 2do ſecundùm *eſſe ad*, ſeu quatenus alias reſpiciunt, prout jam alibi diximus (*n*).

Obſervandum 3tio. Relationes divinas, ſi ut in ſe re ipſa ſunt, conſiderentur, eaſdem tribus ſimul officiis fungi. 1mo. conſtituunt divinas perſonas. 2do. actus notionales determinant ad productionem, & ad eam requiruntur. 3tio perſonas ad ſe invicem referunt, v. g. Paternitas 1mo. Patrem conſtituit. 2do. Patris intellectionem ad generationem determinat. 3tio. Patrem refert ad Filium.

Verùm cùm hæc omnia per mentem diſtingui poſſint ac debeant, hinc relationes illæ juxta noſtrum concipiendi modum per inadæquatos conceptus ſpectantur, 1mo. ut formæ quædam hypoſtaticæ, ſeu quatenus perſonas conſtituunt. 2do. ut origines; ſeu quatenus actus notionales ad productionem determinant. 3tio. ut ſunt *formaliter* relationes; ſeu quatenus actu perſonas ad ſe invicem referunt.

Obſervandum denique, nomine proprietatis perſonalis nihil alind hîc intelligi, quàm ſpecialem ac ſingularem formam, quæ cuilibet divinæ perſonæ ineſt, eamque in ſe conſtituit, & ab alia relativè oppoſita diſtinguit.

His prænotatis, duo hîc in quæſtionem apud Theologos veniunt, 1mum. An ſint in divinis perſonis proprietates quædam ſpeciales ac perſonales, quibus illæ in ſe conſtituantur, & ab aliis diſtinguantur: an abſolutæ ſint, vel relativæ. 2dum. Quomodo relationes divinæ conſtituant perſonas; an quatenus ſunt formæ hypoſtaticæ, & ſecundùm *eſſe in*: an quatenus ſunt formaliter relationes, & ſecundùm *eſſe ad*?

Quamvis pro ſtabilita hactenus à nobis circa hujuſmodi Scholæ controverſias in Theologia noſtra agendi ratione 416
nulli

(*m*) Hypoſtaſis idem eſt ac ſubſiſtentia ſeu ſuppoſitum. Vide dicta in noſtra Metaphyſica, part. 1. c. 3. (*n*) Initiô hujus cap. num. 392.

nulli hîc parti ſubſcribere animus ſit, ne tamen omninò ſilentes abire videamur, juvabit, paucis, quid nobis probabilius videatur, aperire, cuique liberum facientes, ut eam, quam maluerit viam ſectetur.

Quod 1mum quæſitum ſpectat, videtur nobis, quòd proprietates in Deo perſonales, quibus perſonæ divinæ conſtituuntur relativæ duntaxat ſint. Eaque Veterum ſententia eſſe videtur, utpote qui id, per quod perſonæ divinæ diſtinguuntur, vocant formas, notiones, characteres, proprietates, perſonarum qualitates. Ita Tertullianus lib. contra Praxeam, c. 2. *Tres eſſe in Deo non ſtatu, ſed gradu, non ſubſtantiâ ſed formâ*, ait. S. Baſilius lib. 2. contra Eunomium ſic illas proprietates deſcribit: *Proprietates*, inquit, *quæ veluti quidam charactares ac formæ in ſubſtantia conſiderantur, id quod commune eſt diſtinguunt quidem propriis characteribus; at ſubſtantiæ communitatem non dirimunt.* Ipſa quoque Eccleſia in ſolemni præfatione Miſſæ de Trinitate ſic canit: *Ut in perſonis proprietas, in eſſentia unitas, & in majeſtate adoretur æqualitas.*

Ratio eſt, quia debet aliquid admitti, quo perſona in eſſe perſonæ conſtituatur, & diſtinguatur à qualibet alia. Sed id, quod conſtituit & diſtinguit rem aliquam, ejus proprietas ſolet appellari, quia illius propria eſt ac ſingularis. Ergo admitti debent in Deo proprietates perſonales, quibus perſonæ divinæ conſtituuntur, & diſtinguuntur.

417 Quantùm ad 2dum videtur dicendum, quòd Perſona divina in ratione communi & quaſi generica perſonæ conſiderata conſtituatur per relationem ut eſt forma quædam hypoſtatica; ſeu per relationem ſecundùm *eſſe in* ſpectatam: at verò conſiderata in ratione quaſi ſpecifica talis perſonæ conſtituatur per relationem formalem, quatenus reſpic't terminum, ſeu per relationem ſecundùm *eſſe ad* ſpectatam. v. g. Pater in ratione communi perſonæ concipitur à nobis conſtitui per paternitatem, quatenus eſt forma hypoſtatica; Pater verò in ratione explicita & ſingulari Patris conſtituitur per reſpectum ad Filium.

Ratio 1mi eſt, quia ratio perſonæ generatim ſpectata, & præciſivè à perſona divina vel creata formaliter non ſonat quid relativum, ſed tantùm naturam rationalem individuam ſubſiſtentem. Ergo perſona divina v. g. Pater in ratione communi & quaſi generica perſonæ conſideratus, non conſtituitur formaliter per relationem paternitatis ut Filium reſpicit, ſed per paternitatem, quatenus eſt forma hypoſtatica.

Deinde ſecundùm noſtrum concipiendi modum priùs intelligimus perſonam conſtitui, quàm agere vel ad aliam referri. Ergò priùs conſtituitur perſona in ratione confuſa & quaſi generica perſonæ per relationem, quatenùs eſt forma hypoſtatica, quàm per eandem, quatenùs eſt formaliter relatio terminum reſpiciens.

Ratio 2di eſt, quia perſona divina diſtinctè in ratione ſingulari & quaſi ſpecifica talis perſonæ conſiderata, per id conſtituitur, quod ipſi proprium eſt ac ſingulare, à quo ſuam habet denominationem. Atqui relatio ſecundùm ſuam formalem rationem, quatenùs terminum reſpicit, propria eſt, & maximè ſingularis cuilibet perſonæ, quæ ab ea denominatur talis. v. g. relatio paternitatis, prout Filium reſpicit, ſoli Patri propria eſt, eumque Patrem denominat. Ergo perſona divina conſtituitur in ratione explicita & diſtincta talis perſonæ, per relationem formaliter ſpectatam, quatenùs reſpicit terminum. Hæc ita nobis equidem videntur.

418

Caput IV.

De Perſonis in communi.

(*o*) Perſona, ex Boëtio, definitur, *naturæ rationalis individua ſubſtantia*, ſeu *ſubſiſtentia*.

Dicitur 1mo *Subſtantia*, ſeu *ſubſiſtentia*, id eſt aliquid per ſe ſubſiſtens. Ex quo patet, nomen *perſonæ* accidentibus non competere. 2do. *Individua*, id eſt, ſingularis, completa, & alteri tanquam ſuppoſito incommunicabilis. 3tio. *Naturæ rationalis*, id eſt, intelligentis ſeu ratione præditæ. Nam *perſonæ* vocabulum eſt nomen honoris & dignitatis iis duntaxat ſubſtantiis tribui ſolitum, quæ rationis ſunt participes; aliæ verò ſubſtantiæ ſingulares, ſuppoſita vocari ſolent, non perſonæ.

Porro circa divinas perſonas generatim & in communi ſpectatas hæc veniunt exponenda: 1mo. An in Deo ſint tres ſubſiſtentiæ relativæ, & una abſoluta tribus perſonis communis. 2do. An ſint ac dici poſſint in Deo tres exiſtentiæ relativæ, & una abſoluta. 3tio. An quæcunque in Deo ſunt abſoluta, tribus perſonis ſint communia; an verò per quamdam appropriationem etiam inter abſoluta Dei attributa, quædam ſint perſonis propria. 4to. Quædam de divinarum perſonarum notionibus, miſſione ac circuminſeſſione diſſeremus.

§. I.

419 *An ſint in Deo admittendæ tres ſubſiſtentiæ relativæ & una abſoluta tribus perſonis communis.*

Tota ferè de nomine eſt præſens controverſia, quæ pendet ex varia nominis *ſubſiſtentiæ* ſignificatione.

(*p*) Subſiſtentia igitur ſumitur 1mo pro ea ſubſtantiæ modificatione, qua fit, ut ſubſtantia ſit ens per ſe ſubſiſtens, diſtinctum ab accidente, quod per ſe non ſubſiſtit, ſed indiget ſubjectô, cui inhæreat. 2do. pro rei totalitate, ſi abſtractè; vel pro toto, ſi concretè accipiatur: hoc eſt, vel pro perſonalitate; quod nomen abſtractum eſt; vel pro perſona tota & integra, quod nomen concretum dicitur: atque hoc ſenſu concreto ſola hominis anima ſubſiſtens non eſt, quia pars eſt duntaxat hominis, non totus homo; nec humana pariter in Chriſto natura eſt ſubſiſtens, quia pars eſt Chriſti, non totus Chriſtus. 3tio. Communi ac recepto apud Theologos uſu, ſubſiſtentia ſignificat modum, ſeu formam quamdam, quæ naturam ultimatò complet ac terminat, eamque reddit alteri tanquam ſuppoſito incommunicabilem.

His de natura ſubſiſtentiæ ſuppoſitis, 420
quæritur 1mo. ſintne in Deo tres relativæ ſubſiſtentiæ, hoc eſt, tres modi, ſeu rationes & formæ ſubſiſtendi relativæ, quibus perſonæ ſubſiſtunt, ac à ſe invicem realiter diſtinguuntur; an verò unica duntaxat communis quædam detur ſubſiſtentia, qua ſingulæ perſonæ divinæ ſubſiſtant: quemadmodum una & ſingularis eſt in tribus perſonis natura divina, qua fit, ut tres perſonæ ſint unus Deus? 2do. Utrum in Deo, præciſis per mentem relationibus, & perſonalitatibus, detur ſingularis aliqua perfectio abſoluta, ac proinde tribus perſonis communis, per quam divina natura ſit ſubſiſtens.

Tres numerantur circa hanc difficultatem Theologorum diverſæ ſententiæ. Sunt, qui unicam agnoſcunt ſubſiſtentiam abſolutam; nullam verò relativam. Alii

(*o*) Vide à nobis dicta in Metaphyſica noſtra, part. 1. c. 3.

Alii è contra contendunt, tres eſſe duntaxat ſubſiſtentias, easque relativas; nullam verò abſolutam. Denique alii quatuor omninò ſubſiſtentias admittunt, unam ſcilicet abſolutam, & tres inſuper relativas. Quænam ex his opinionibus nobis probabilior videatur, ſequentes aperient Concluſiones.

421 CONCLUSIO I.

Tres ſunt in Deo ſubſiſtentiæ relativæ.

Prob. 1mo. Quia ſunt in Deo tres perſonæ. Ergo etiam tres ſubſiſtentiæ relativæ, per quas, veluti totidem formas aut modificationes, perſonæ conſtituuntur in ratione perſonæ, & à ſe invicem diſtinguuntur. 2do. Quia quod eſt in Deo abſolutum, unum eſt, & non multiplicatur; *omnia quippe in Deo ſunt unum & idem*, ait commune Scholarum effatum, *ubi non obviat relationis oppoſitio.* Sed ſubſiſtentia multiplicatur in Deo pro numero perſonarum. Ergo, &c. 3tio. In myſterio Incarnationis ſubſiſtentia Verbi cum humanitate conjungitur. Sed illa ſubſiſtentia Verbi divini propria eſt, ac maximè ſingularis, & conſequenter relativa; aliàs vix exponi poſſet, quomodò ſolus Filius ſit incarnatus, non Pater, non Spiritus ſanctus: ſiquidem in adverſa ſententia, ſubſiſtentia relativa non eſt, ſed abſoluta & communis. Ergo, &c.

422 CONCLUSIO II.

Nulla eſt in Deo ſubſiſtentia communis & abſoluta.

Prob. Ea ſubſiſtentia non eſt in Deo admittenda, quæ inutilis eſt, noxia, & contradictionem involvit. Atqui talis eſt ſubſiſtentia abſoluta. Ergo in Deo non eſt admittenda.

Prob. min. 1mo. Eſt inutilis; neque enim ſatis intelligitur, ad quem uſum utilis eſſe poſſit ſubſiſtentia illa communis & abſoluta: illud enim omne præſtant ſubſiſtentiæ relativæ, quod in adverſa ſententia præſtat ſubſiſtentia communis & abſoluta. Scilicet tres ſubſiſtentiæ relativæ, quas admittendas eſſe mox probavimus, tres divinas perſonas conſtituunt, easque complent, & per oppoſitionem ſuam easdem incommunicabiles reddunt.

2do. Noxia eſt, quia ſi hujusmodi abſoluta ſubſiſtentia admitteretur, admittenda quoque foret in Deo perſona quædam communis & abſoluta, ac conſequenter non tres tantùm, ſed quatuor perſonæ in Deo eſſent; quod certè Catholica fides non patitur: ſubſiſtentia enim generatim, ubicumque occurrit, ſuppoſitum efficit, quando autem in natura intelligente reperitur, perſonam conſtituit; is enim eſt ejus formalis ac neceſſarius effectus.

3tio. Subſiſtentia illa abſoluta contradictionem involvit. Omnis enim ſubſiſtentia ultimum eſt naturæ complementum, eam reddens alteri tanquam ſuppoſito incommunicabilem: porro talis nec eſt, nec eſſe poteſt in Deo ſubſiſtentia abſoluta. 1mo. Non eſt ultimum naturæ divinæ complementum; ſiquidem illi ultra accedit relativa ſubſiſtentia, qua completur ac terminatur. 2do. Non eam reddit alteri tanquam ſuppoſito incommunicabilem; natura enim divina, præciſis per mentem relationibus, incommunicabilis non eſt; imò non ſolùm communicabilis eſt, ſed etiam re ipſa à Patre communicatur Filio & Spiritui ſancto. Ergo, &c.

Digitized by Google

Confirmatur. Illud divinis perſonis commune eſſe non poteſt, per quod perſonæ in ſe ipſis conſtituuntur, & à ſe invicem diſtinguuntur. Atqui per ſubſiſtentias perſonæ in ſe ipſis conſtituuntur, & à ſe invicem diſtinguuntur. Ergo communes eſſe non poſſunt tribus divinis perſonis. Ergo nulla datur abſoluta & communis ſubſiſtentia. Unde meritò Sophronius Act. 11. Synodi VI. dicebat, *in Deo neque ſubſtantiam confundi, neque ad unam ſubſiſtentiam poſſe deduci.*

423 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo contra 1mam Concluſionem. Relatio ſupponit naturam jam conſtitutam ac ſubſiſtentem tanquam ſui fundamentum. Ergo ſubſiſtentia relativa eſſe non poteſt.

Reſp. diſt. ant. Relatio accidentalis & categorica (*p*), conc. Eſſentialis ſeu ſubſtantialis, quales ſunt relationes divinæ, neg. ant. Vide quæ ſupra c. 3. §. 1. pag. 203. in reſponſ. ad ob. 2. diximus.

424 Ob. 2do. Spiratio activa eſt etiam relatio ſubſiſtens. Ergo ſicut quatuor ſunt in De relationes, ita & quatuor ſubſiſtentiæ, non verò tres tantùm, ut fert concluſio.

Reſp. Diſt. ant. Spiratio activa eſt relatio etiam ſubſiſtens, indiſtincta à paternitate & filiatione, conc. diſtincta, neg. ant. Etſi Spiratio activa ſit vera relatio, non tamen perſonam conſtituit, quia unius perſonæ propria non eſt, nec incommunicabilis, cùm Patri & Filio conveniat, qui noſtrô concipiendi modô jam in ratione perſonæ conſtitui intelliguntur, cùm ſpirant Spiritum ſanctum. Unde Spirator non eſt perſona à tribus aliis diſtincta, ſed duæ primæ perſonæ ſunt Spirator, & tertia terminus Spiratoris.

Ob. 3tio contra Concluſionem 2dam. 425
Subſiſtentia abſoluta eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, ut vocant Theologi. Atqui perfectio ſimpliciter ſimplex Deo convenit, etiam abſtractis relationibus ſeu relativis ſubſiſtentiis. Ergo ſubſiſtentia communis & abſoluta admittenda eſt in Deo, præciſis etiam relationibus.

Reſp. neg maj. Perfectio enim ſimpliciter ſimplex, ſecundùm Theologos, dicitur ea, quæ melior eſt ipſa, quàm non ipſa (*q*), nec eſt incompoſſibilis cum alia perfectione majori vel æquali. Atqui ſubſiſtentia abſoluta & communis incompoſſibilis eſt cum alia Dei perfectione, nempe cum fœcunditate, & communicabilitate; redderet enim naturam divinam alteri incommunicabilem, cùm ſit ultimus naturæ terminus, ſeu ultimum complementum.

Inſt. 1mo. Quòd natura (*r*) præintellecta relationibus per ſe ſubſiſtens ſit ac completa, id dicitur perfectio ſimpliciter ſimplex. Atqui natura divina præintellecta relationibus (*s*), completa ac per ſe ſubſiſtens eſſe non poteſt, niſi dependenter à ſubſiſtentia abſoluta. Ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Perfectio eſt ſimpliciter ſimplex, quòd natura ſit per ſe ſubſiſtens & completa, complementô eſſentiæ & exiſtentiæ independentis ab alio tanquam à ſubjecto inhæſionis, conc. Com-

(*p*) Relatio cathegorica eſt quæ ſub genere aliquo continetur, in ſolis creatis invenitur Vid. quæ de Categoriis in Logica noſtra diximus, part 1. c. 5. Et de relatione accidentali in Metaphyſica noſtra, part. 1. c. 2. (*q*) Id eſt, quam habere melius eſt, quàm eam non habere. (*r*) Id eſt, à nobis intellecta & concepta ante relationes. (*s*) Id eſt Paternitate, Filiatione, &c.

Complementò, quod reddat naturam alteri incommunicabilem, neg. maj. Aliàs aut Deus ſua fœcunditate privaretur, aut perſona quædam in Deo communis & abſoluta admittenda foret; ac conſequenter quatuor, non tres duntaxat forent in Deo perſonæ. Ut enim jam diximus, ſubſiſtentia ubicumque reperitur, ſuppoſitum facit; quando autem occurrit in natura intelligente perſonam conſtituit.

Inſt. 2do. Deus præintellectus ſuis relationibus operatur, intelligit, vult, creat, conſervat, &c. Ergo ſubſiſtit.

Reſp. neg. ant. Deus enim non operatur aut ad intra aut ad extra, niſi quatenus ſubſiſtit in tribus perſonis ſeu ſubſiſtentiis relativis, neque enim natura divina re ipſa ac de facto aliter ſubſiſtit, quàm in his tribus ſubſiſtentiis relativis, nec alius Deus eſt quàm Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Revera mens noſtra, præciſis relationibus, Deum concipit tanquam ens abſolutum & ſubſiſtens; attamen non ſubſiſtit re ipſa niſi in tribus ſubſiſtentiis confusè ſaltem conceptis: abſtractio mentis noſtræ verò nihil in re ponit; atque tum ex infirmitate noſtræ mentis, tum ex ſublimitate inacceſſa myſterii, fit, ut Deum concipiamus ſine tribus perſonis, qui tamen non agit, nec operatur, niſi prout in tribus perſonis ſubſiſtit.

Inſt. 3tio. Priùs concipi debet Deus exiſtens, quàm operetur, vel ad Filium v. g. referatur; operatio enim ut & relatio ſequitur eſſe. Ergo, &c.

Reſp. neg. ant. Hujuſcemodi ratiocinia locum habere poſſunt in creatis, ubi operatio & relatio ad naturam ipſam non pertinent: at in Deo actio eſt ipſamet ejus entitas ſeu natura. Neque in divinis proceſſionibus datur prius aut poſterius ſive temporis, ſive naturæ, ſed tantùm rationis quoad nos, & originis quantùm ad perſonas: eodem enim inſtanti reali Deus Pater intelligit, & intelligendo producit, ac producendo intelligit, & ad Filium refertur; ac conſequenter actio Dei per mentem abſtracta à relationibus, non ſupponit in ipſo ſubſiſtentiam revera abſolutam, ſicut nec perſonam abſolutam ſed ſubſiſtentias duntaxat relativas, non quidem clarè ac diſtinctè expreſſas & cognitas, ſed implicitè ſaltem ac confusè: ſubſiſtentia quidem in creatis prior eſt facultate & operatione, non verò in divinis, ubi eſſe, ſubſiſtere, & agere, idem eſt.

Inſt. 4to. Actiones, ut vulgò ajunt, ſunt ſuppoſitorum. Ergo ſuppoſitum, ac conſequenter ſubſiſtentia prior eſt operationibus. Atqui nulla poteſt eſſe in Deo ſubſiſtentia prior operationibus, niſi abſoluta; relativæ ſiquidem ex ipſis operationibus exurgunt. Ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. Actiones, quibus aliquid ab alio procedit, ut à principio productivo & emanatione reali, ſicuti Filius procedit à Patre, conc. Ut à radice, idque emanatione duntaxat virtuali, quomodò attributa divina, ipſaque primæ perſonæ paternitas, ex divina eſſentia procedunt, neg. ant. Porro ſi actiones ſpectentur in Deo, quatenus iis aliquid producitur ut à principio reali, iis priùs intelligitur ſuppoſitum: ſic cùm Pater æternus generat Filium, ſupponitur perſona Patris conſtituta per paternitatem, non quidem ut eſt relatio, ſed ut eſt forma hypoſtatica.

Inſt. 5to. Deus, præciſis relationibus, eſt aliquid ſubſiſtens; non enim eſt accidens. Atqui in eo ſtatu non eſt ſubſiſtens ſubſiſtentiâ relativâ, à qua abſtrahitur; ergo abſolutâ.

Reſp. diſt. ant. Deus, præciſis etiam relationibus, ſubſiſtens concipitur, hoc eſt, per ſe exiſtens, conc. Hoc eſt incommu-

Digitized by Google

communicabilis alteri tanquam ſuppoſito, neg. ant. Hîc, prout jam monuimus, nomen ſubſiſtentiæ uſurpamus, non pro natura per ſe ſubſiſtente, quatenus accidenti opponitur; ſed pro ultimo complemento naturæ, quo ipſa redditur incommunicabilis alteri tanquam ſuppoſito: hoc verò ſenſu, nulla extat in Deo communis & abſoluta ſubſiſtentia.

Inſt. 6to. Natura divina, præciſis etiam relationibus, eſt incommunicabilis ſuppoſito creato. Atqui hanc incommunicabilitatem habet à ſubſiſtentia quadam abſoluta. Ergo, &c.

Reſp. neg. min. Natura divina ex ſe ipſa præcisè quia divina natura eſt, non quatenus terminatur perſonalitate, habet, quòd ſuppoſito creato communicari non poſſit: pugnat enim in terminis, naturam infinitam & increatam ſuppoſito creato neceſſitate naturæ communicari.

Inſt. 7mo. Licèt de relationibus non cogitetur, tamen concipitur Deus: porro vox iſta, *Deus*, eſt concreta, quæ proinde non ſolùm formam, divinitatem ſcilicet ſignificat, ſed etiam ſubjectum, ſeu habens divinitatem. Atqui ſubjectum illud habens divinitatem eſt aliquid ſubſiſtens. Ergo antecedenter ad relationes eſt aliqua in Deo ſubſiſtentia.

Reſp. Nomen iſtud *Deus* formam & ſubjectum ſignificare; ſed diverſa ratione: formam, divinitatem nempe, clarè & diſtinctè; confusè autem & indirectè ſubjectum divinitatis, ſeu eas perſonas, quibus divinitas competit; id eſt, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum. Et verò ſubjectum hoc vel eſt triplex divina perſona, vel perſona quædam communis. Atqui nulla eſt in Deo perſona communis: aliàs in Deo jam non tres, ſed quatuor perſonæ forent admittendæ, quod pugnat contra fidem. Ergo, &c.

Unde diſtingui poteſt maj. Licèt de relationibus non cogitetur, ut tamen confusè & implicitè intelligantur, concipitur Deus, conc. ut nullatenus intelligantur, neg. maj.

426 Ob. 4to. Etſi ſupponeretur in Deo abſoluta ſubſiſtentia, non idcircò tamen natura redderetur incommunicabilis: nam in ipſo Patre divino natura haud dubiè eſt ſubſiſtens ſubſiſtentiâ relativâ Patris, attamen ulteriùs communicatur Filio & Spiritui ſancto. Ergo pariter dici poterit, naturam divinam non reddi incommunicabilem ſubſiſtentiâ abſolutâ, quæ in ipſa ſupponeretur adeſſe antecedenter ad ſubſiſtentias relativas.

Reſp. neg. ant. ad illius probationem diſt. ant. Natura divina Patris communicatur Filio, quatenus abſoluta eſt, nec affecta ſingulari ſubſiſtentiâ ſeu relatione paternitatis, conc. Sub illa formali paternitatis ratione, neg. ant. aliàs Pater cum Filio confunderetur, & induceretur error Sabellii. At verò, in hypotheſi adverſariorum, natura divina formaliter ut ſubſiſtens ſubſiſtentiâ abſolutâ communicaretur tribus divinis perſonis, quod omninò repugnat.

427 Ob. 5to. Nonnulli ex SS. Patribus, ut Auguſtinus, lib. 7. de Trinit. c. 4. Hieronymus, Ep. 57. ad Damaſum. Agatho Papa in Ep. Synodica relata Act. 4tâ. Synodi VI. Oecumenicæ, unam in Deo ſubſiſtentiam ſeu hypoſtaſim agnoſcunt; haud dubiè non relativam. Ergo abſolutam.

Reſp. Illos ſubſiſtentiæ ſeu hypoſtaſis nomine naturam ipſam ſeu ſubſtantiam intellexiſſe; quo ſenſu certiſſimum eſt, unam eſſe in Deo ſubſiſtentiam, hoc eſt, naturam.

Porro

Digitized by Google

Porro circa uſum & ſignificationem vocum *hypoſtaſis* & *eſſentiæ*, ſeu *οὐσίας* acres ac moleſtæ fuerunt inter Veteres diſſenſiones (*t*), quibus tandem feliciter ſopitis, uſus fixus ac determinatus invaluit, ut nomine *hypoſtaſis* & *ſubſiſtentiæ perſona* intelligeretur; nomine verò *οὐσίας natura* ſeu *ſubſtantia*.

428 §. II.

An ſint ac dici poſſint in Deo tres exiſtentiæ relativæ, & una abſoluta.

Profectò, ut paucis hîc mentem noſtram aperiamus, nihil obeſſe nobis videtur, quin præter abſolutam & communem exiſtentiam, etiam tres relativas admittere poſſimus. 1mo enim abſolutam quamdam eſſe in Deo exiſtentiam probat vel ipſamet nobis ingenita exiſtentiæ Dei notio & idea: non poteſt enim ab idea Dei ſeparari entis infiniti ac ſummè perfecti neceſſitas: implicat concipere ens ſummè perfectum, & concipere non exiſtens, cùm exiſtentia ſit prima perfectio, ac cæterarum baſis & fundamentum. 2do. Tres exiſtentias relativas admittere nihil vetat, imò expedit. Nam 1mo relationes, quatenus a natura diſtinctæ, ſunt aliquid reale. Ergo propriam habent exiſtentiam: quid enim eſt exiſtentia, niſi ipſum ens in actu, aut ſaltem actualitas ipſa rei? Sed relationes prout ab eſſentia diſtinguuntur, ſunt verè in actu. Ergo, &c. 2do. Cùm Pater Filium producit, neceſſe eſt aliquam produci exiſtentiam; omnis quippe productio terminatur ad exiſtentiam. 3tio. Unaquæque res ſuam habet exiſtentiam. Atqui divinæ perſonæ ſunt res a ſe invicem diſtinctæ. Ergo, &c.

Objicitur 1mo. Non datur in divinis 429
ſubſiſtentia communis & abſoluta. Ergo nec exiſtentia.

Reſp. neg. conſ. Diſparitas eſt, quòd exiſtentia abſoluta nec inutilis ſit, nec periculoſa, nec contradictionem involvat: è contra verò ſubſiſtentia abſoluta & communis, uti conſtat ex dictis.

Ob. 2do. Ubi eſt una & ſimplex na- 430
tura, ibi una debet eſſe exiſtentia, quæ eſt appendix naturæ. Atqui una & ſimplex eſt in Deo natura. Ergo, &c.

Reſp. Diſt. maj. ubi eſt una & ſimplex natura, ſine relationibus ac perſonis à ſe invicem realiter diſtinctis, conc. cum relationibus ac perſonis realiter à ſe invicem diſtinctis, neg. maj. Unaquæque perſona, cùm ſit aliquid reale, propriam habere debet exiſtentiam: eſt quidem in Deo una & ſimplex natura, ſed ſunt etiam tres perſonæ realiter diſtinctæ.

Ob. 3tio. Tres divinæ perſonæ ab eſ- 431
ſentia divina realiter non diſtinguuntur. Ergo illis ſufficit una eſſentiæ ſeu naturæ abſoluta exiſtentia.

Reſp. neg. conſ. Nam cùm tres illæ divinæ perſonæ ab eſſentia realiter non diſtinguantur, neceſſaria ipſis ſub eo reſpectu non eſt exiſtentia ſingularis abſoluta, ſed ſufficit communis naturæ exiſtentia: quia verò realiter à ſe invicem diſtinguuntur, & inter ſe opponuntur, neceſſe eſt, ut habeant exiſtentias ſibi proprias & ſingulares, quæ relativæ dicuntur.

(*t*). Patres Latini contendebant hypoſtaſim idem ſignificare ac naturam ſeu eſſentiam: contra Græci tuebantur vocem *hypoſtaſim* verè ac propriè ſignificare perſonam, hique, utpote vocum Græcorum ſignificationem veram meliùs intelligentes, quàm Latini, tandem vicerunt.

Digitized by Google

§. III.

432 ***An per quamdam appropriationem inter abſoluta Dei attributa, quædam ſint perſonis propria.***

Appropriatio nihil aliud eſt, quàm modus loquendi, quo quædam attributa & quædam operationes uni perſonæ potiùs quàm alteri tribuuntur.

Quamvis igitur omnia, quæ in Deo ſunt abſoluta, tribus divinis perſonis ſint communia: *omnia, quæcunque habet Pater, mea ſunt*, ait Chriſtus (*u*), cujus quoque ratio eſt, quia ubi eſt eadem ſingularis ac numerica eſſentia, ibi ſunt omnes illius eſſentiæ proprietates eſſentiales. Atqui ex dictis hactenus, una & eadem eſt ſingularis ac numerica eſſentia in tribus divinis perſonis. Ergo & in iis ſunt omnes eſſentiæ proprietates. Inde vulgatum Scholæ effatum, *omnia in divinis ſunt unum & idem, ubi non obviat relationis oppoſitio.*

Nihil tamen officit, quin Appropriatio in perſonis divinis locum habeat, id eſt, quin nonnulla attributa ſeu proprietates abſolutæ certis perſonis ſpeciali quadam ratione tribuantur & accommodentur: v. g. Patri omnipotentia: Filio ſapientia: Spiritui ſancto bonitas & charitas.

Id probatur 1mo ex Scripturis. Joan. 14. v. 10. Creatio Patri à Chriſto tribuitur. *Pater autem in me manens, ipſe facit opera.* Hinc etiam 1. Cor. 8. v. 6. Deus Pater dicitur is eſſe *ex quo omnia.*

Similiter Filius, qui à Patre per intellectum procedit, non ſolùm proprio nomine *Verbum* nuncupatur, ſed etiam ſpeciali titulô *Dei virtus & ſapientia.* 1. Cor. 1. v. 24.

Spiritui ſancto etiam, qui tanquam amor ſubſtantialis Patris & Filii ab utroque per voluntatem procedit, charitas, ejusque in nos diffuſio accommodatur, Rom. 5. v. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Idem & c. 2. 2. ad Theſſal. v. 12. & 1. Petri 1. v. 2.

Prob. 2do. ex Traditione Eccleſiæ. In Symbolis fidei Deus Pater dicitur Omnipotens, Creator Cœli & terræ; Chriſtus verò, is per quem omnia facta ſunt; Spiritus ſanctus, per quem locuti ſunt Prophetæ.

Id ipſum docet ac exponit S. Auguſtinus, lib. 15. de Trinit. c. 15. Idem etiam fusè ac egregiè proſequitur S. Thomas 1. parte q. 39. art. 8.

Prob. 3tio Ratione. Quia id fit accommodatè ad perſonas earumque origines, necnon ad earumdem perſonarum manifeſtationem conducit, ut obſervat laudatus S. Thomas art. 8. cit. q. 39.

§. IV.

De Divinarum perſonarum notionibus, miſſione ac circuminſeſſione. 433

Circa perſonas divinas in communi ſpectatas hæc adhuc nobis veniunt examinanda; nempe quot ſint in iis notiones; utrum in iis ſit miſſio aliqua, & circuminſeſſio. Quæ breviter expedire animus eſt.

Notionis nomine intelligunt Theologi *characterem & formam quamdam peculiarem qua perſonæ divinæ dignoſcuntur & ab invicem diſtinguntur*; ſic Paternitas, Filiatio, & Spiratio paſſiva dicuntur

(*u*) Joan. 16. v. 15.

Digitized by Google

cuntur notiones, quia exprimunt characteres & formas, quæ non ſunt communes tribus perſonis, ſed cuique perſonæ propriæ.

Porro rectè à Theologis poſt S. Thomam quinque aſſignantur in divinis notiones, ſcilicet *innaſcibilitas* ſeu *improducibilitas*, *paternitas*, *filiatio*, *ſpiratio activa*, & *ſpiratio paſſiva* ſeu *proceſſio*.

Prob. 1mo. Quia notiones duplici de cauſa admittuntur à Theologis, 1mo ut per eas perſonæ ab invicem diſtinguantur. 2do ut certus earum numerus contra Hæreticos definiatur. Ad primum quatuor notiones ſunt neceſſariæ, nempe paternitas, qua Pater à Filio; filiatio, qua Filius à Patre; ſpiratio activa, qua Pater & Filius à Spiritu ſancto; & ſpiratio paſſiva, qua viciſſim Spiritus ſanctus ab utroque diſtinguitur.

Ad ſecundum, addi debet neceſſariò innaſcibilitas. Nam ne plures in Deo cogitentur proceſſiones quàm duæ, ac proinde plures perſonæ quàm tres, neceſſe eſt intelligere, unam è tribus perſonis divinis eſſe improductam, & primum aliarum principium: cùm verò id non ſatis declaretur per paternitatem, quia qui pater eſt, non eo præciſè eſt improductus, ſed alium patrem habere poteſt; idcircò neceſſe eſt aliam ſpecialem ſupponere notionem, nimirum innaſcibilitatem, per quam Pater à nullo eſſe intelligitur.

Prob. 2. Conditiones ad notionem requiſitæ hæ ſunt, 1mo Ut notio non ſit perfectio communis tribus divinis perſonis. Unde attributum abſolutum non dicitur notio, quia perſonæ dignoſcuntur & diſtinguuntur per notiones, non verò per attributa abſoluta. 2do. Ut ad originem pertineat; nihil enim in divinis eſt diſtinctivum & ſpeciale, niſi id, quod ad originem pertinet. 3tio. Ut perfectionem & dignitatem perſonæ importet. Hujus conditionis defectu, improductivitas & ingenerabilitas in Spiritu ſancto, ratione cujus aliam perſonam non poteſt producere, non eſt notio, quia ad perfectionem & dignitatem non pertinet, quòd non poſſit perſonam producere; perſona enim nomen eſt dignitatis & honoris, conſequenter notio alicujus perſonæ ad dignitatem pertinere debet. 4to. denique, ut proprietas per notionem expreſſa non ſignificetur per modum viæ ac tendentiæ ad aliud, ſed per modum formæ permanentis. Hujus conditionis defectu, actus notionales ſeu originis non ſunt notiones, quia exprimuntur per modum viæ & tendentiæ ad terminum; actus enim notionalis idem eſt ac perſonæ productio, quæ duplex eſt, generatio ſcilicet & ſpiratio activa. Nam notio eſt perſonæ character, quo illa conſtituitur ac dignoſcitur; unde exprimi debet nomine ſignificante formam permanentem ac ſtabilem.

Atqui ſingulæ & ſolæ mox recenſitæ notiones his omnibus conditionibus ſunt munitæ; nulla enim eſt ex iis, quæ non ſit propria; nulla, quæ ad originem non pertineat, & dignitatem non ſonet; nulla denique, quæ permanens & ſtabilis non ſit. Ergo, &c.

Miſſio in divinis definiri poteſt, ***unius*** 434
perſonæ divinæ ab alia proceſſio, adjunctum habens effectum temporalem aliquo modo pertinentem ad ordinem gratiæ.

Dicitur 1mo. *Unius perſonæ divinæ ab alia proceſſio*, juxta illud S. Auguſtini lib. 3. cont. Max. c. 14. *Non enim*, inquit, *genitorem ab eo, quem genuit, ſed genitum à genitore mitti oportebat. Verùm non eſt inæqualitas ſubſtantiæ ſeu ordo naturæ: non quòd alter eſſet prior altero, ſed quòd alter eſſet ex altero.*

Digitized by Google

Dicitur 2do. *Adjunctum habens effectum temporalem*, juxta illud Galat. 4. v. 4. *At ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere.* Unde ſic concludit S. Auguſtinus lib. 4. de Trinitate c. 20. *Non ergo eo ipſo, quòd de Patre natus eſt, miſſus dicitur Filius, ſed vel ex eo, quòd apparuit huic mundo Verbum caro factum; unde dixit: Exivi à Patre, & veni in mundum, vel ex eo quòd cujusquam mente percipitur, ſicut dictum eſt, mitte illam* (ſapientiam) *ut mecum ſit, & mecum laboret.* Ergo miſſio eſt temporalis, proceſſio verò æterna, ergo duæ tantùm perſonæ propriè mittuntur, ſcilicet Filius & Spiritus ſanctus; quia ſolæ procedunt: Pater autem non mittitur, ſed ſe ipſum dat.

Filius quidem à Patre mittitur. Joan. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret . . . Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum &c.* Et c. 6. v. 58. *Sicut miſit me vivens Pater &c.*

Spiritus ſanctus autem à Patre & Filio. Joan. 14. v. 26. *Hæc locutus ſum vobis*, ait Chriſtus, *apud vos manens. Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Et c. 15. v. 26. *Cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Atque his Scripturæ teſtimoniis Veteres demonſtrabant adversùs Sabellianos realem in Deo perſonarum diſtinctionem: nemo quippe ſe ipſum mittit; unde neceſſe eſt eum, qui mittit, diſtinctum eſſe ab eo, qui mittitur.

Dicitur denique 3tio *aliquo modo pertinentem ad ordinem gratiæ.* Propriè enim perſona divina non dicitur mitti ad opera naturæ.

Porro Miſſio iſta, prout jam ex S. Auguſtino animadvertimus, dependentiam & inferioritatem non arguit in eo, qui mittitur, ſicut objiciebant Ariani, ſed tantùm originem & emanationem unius perſonæ ab alia: miſſio quippe illa non ex imperio fit, ſed ex communicatione ejusdem naturæ. *Non quia ille major eſt*, ait S. Auguſtinus (*x*), *ille minor, ſed quia ille genitor, ille genitus, ille, à quo eſt, qui mittit, ille, qui ab eo eſt, qui mittitur . . . . quid ergo mirum, ſi mittitur, non quia inæqualis eſt Patri, ſed quia eſt emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei ſincera?*

Cæterùm duplex eſſe dignoſcitur Miſſio divina, una viſibilis, inviſibilis altera. Viſibilis dicitur, quando perſona miſſa in ſigno quodam ſenſibili exteriùs apparet, qualis fuit miſſio Verbi in Incarnatione, & miſſio Spiritus ſancti in Chriſti baptiſmate, & die Pentecoſtes.

Inviſibilis verò miſſio appellatur, quando perſona mittitur ad collationem alicujus doni interni & occulti, ut cùm mittitur Spiritus ſanctus ad collationem gratiæ ſanctificantis. Sic Galat. 4. v. 6. dicitur, *Miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra.*

Circuminſeſſionis nomine intelligitur 435
mutua perſonarum in invicem inexiſtentia, immeatio, & penetratio, ſeu *mutua unius perſonæ in alia inhabitatio*, qua fit ut Pater ſit in Filio, Filius in Patre, Spiritus ſanctus in utroque, ita ut nulla prorsùs ratione divelli unquam aut ſeparari poſſint. Inde Chriſtus Joan. 14. probat ſe eſſe unum cum Patre, & eadem facere cum Patre, quia in Patre eſt: *Non creditis*, inquit v. 11. *quia ego in Patre, & Pater in me eſt.* Et v. 10. dixerat: *Pater in me manens, ipſe facit opera.*

Hæc

(*x*) *Lib. 4. de Trinit. c. 20.*

Digitized by Google

Hæc circuminſeſſio divinarum perſonarum neceſſariò ſequitur ex unitate naturæ ſeu ſubſtantiæ, quæ eſt in tribus perſonis. Neque obſtat oppoſitio relativa perſonarum ad invicem: non enim in ſe invicem eſſe dicuntur ratione relationum in quibus opponuntur; adeoque paternitas formaliter non eſt in Filio, nec vice verſa filiatio in Patre; ſed cùm paternitas ſit in eſſentia divina ſicut & filiatio, dici poteſt, paternitatem identicè & quaſi materialiter eſſe in Filio, & filiationem in Patre, ratione ſcilicet eſſentiæ divinæ, quæ una & eadem eſt numerô in utroque: atque inde fit, ut quidquid perfectionis paternitas habet, ſit etiam in Filio, in quo eſt divina eſſentia, quæ eſt omnis perfectio.

436

CAPUT V.

De divinis perſonis in particulari.

POſtquam de perſonis divinis in communi ſufficienter, quantùm arbitramur, diſſeruimus, ſupereſſe videtur, ut de iis ſingillatim ſumptis agamus, atque ea, quæ de ipſis tradunt Theologi, expendamus. Id autem ſecundùm divinarum perſonarum numerum tribus §§. exequimur.

§. I.

437

De perſona Patris.

Nullæ in Scholis circa perſonam Patris controverſiæ moventur. De nomine duntaxat & proprietatibus Patris hîc paucis dicemus.

Prima igitur SS. Trinitatis perſona variis nominibus deſignatur. 1mo dicitur *Pater*, quod nomen duplici ſenſu de Deo intelligitur, eſſentialiter nempe, & notionaliter. Priori modô Patris nomen commune eſt tribus perſonis, reſpectu ſcilicet creaturarum, quas communi ac planè eadem potentia & auctoritate creant, conſervant, gubernant, moderantur, &c. Poſteriori autem modô, prima perſona dicitur Pater reſpectu Filii, quem ex utero ante luciferum genuit ſibi in omnibus ſimilem ſeu conſubſtantialem. *Nec enim*, inquit S. Gregorius Nazianzenus (y), *eſſentiæ nomen eſt Pater, nec actionis; ſed relationem eam indicat, quam Pater habet erga Filium.*

Dicitur 2do ingenitus, innaſcibilis, ſeu non natus. De hoc *ingeniti* vocabulo mirum quot rixas & cavillationes excitaverint Aëtius & Eunomius. 438

Hæretici per *ingenitum* eum intelligebant, qui nullum prorsùs haberet ſui principium, nullam exiſtendi cauſam, qualis ſolus Deus eſt; ex quo inferebant, Filium & Spiritum ſanctum Deum non eſſe, cùm uterque à Patre productus eſſet.

E contra Catholici nomen *ingeniti* Patri quidem tribuebant ſecundùm omnem ſuam ſignificationem, tam pro negatione principii creationis, quàm cujuscunque proceſſionis, productionis, ſeu emanationis, & originis unius perſonæ ab alia, quia Pater à nullo eſt, principium eſt ſine principio: è contra Filius à Catholicis *genitus*, *natus*, dicebatur, non quidem ſenſu hæreticorum, quaſi creatus ſeu ex non extantibus factus eſſet; ſed quia per æternam generationem procedit à ſubſtantia Patris ipſi omnino æqualis & conſubſtantialis. Idem dici debet de Spiritu ſancto, qui à Patre & Filio procedit. Hac igitur remota nominis æquivocatione, evaneſcunt

(y) *Orat.* 35.

Digitized by Google

ſcunt omnes illæ veterum Hæreticorum argutiæ & cavillationes.

439 Dicitur 3tio. Principium Filii & Spiritus ſancti, non quidem creationis, ſed proceſſionis & originis, hoc enim duntaxat importat *principii* nomen, id nempe à quo aliquid profluit, procedit, producitur. Quapropter immeritò prorſus eo nomine abutebantur Ariani, ut inde efficerent, Filium creatum ſeu factum eſſe à Patre.

Inter Græcos nonnulli Patrem dixêre Filii cauſam: quo nomine principium duntaxat originis ſeu proceſſionis intelligebant, interprete Cardinali Beſſarione ſeſſ. 25. Concilii Florentini.

Eodem etiam ſenſu nonnulli è Latinis Patrem dixere Authorem Filii. Vid. S. Auguſt. lib. 3. cont. Maximin. c. 14.

Alia, quæ ad Patrem ſpectant, nomina, ut ſunt nomina fontis, originis, capitis, initii, &c. prætermittimus; cùm ex dictis, quo ſenſu accipi debeant, facilè innoteſcat.

§. II.

440 *De perſona Filii.*

Poſt ea, quæ jam de Filio diſſeruimus, pauca duntaxat ſuperſunt, quæ de perſona ipſius expendamus: nempe quæ ſint ejus nomina, & ex quarum rerum cognitione procedat.

Igitur 1mo dicitur *Filius*, quia ex propria ſubſtantia Patris ab æterno eſt genitus. 2do dicitur *Verbum*, id eſt, terminus cognitionis Patris, ſeu formalis repræſentatio objectorum, quæ à Deo cognoſcuntur, *formata quippe cogitatio*, inquit S. Auguſtinus (z), *ab ea re, quam ſcimus, verbum eſt, quod in corde dicimus.* Hinc propriè 3tio. *Patris ſapientia*, 4to. *doctrina*, 5to. *ratio*, 6to. *ſermo* dicitur. Dicitur 7mo *imago Patris*, Coloſſ. 1. v. 15. *Qui eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ.* 8vo dicitur *ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus*, Hebr. 1. v. 3. &c. &c.

Ex his nata eſt in Scholis quæſtio, 441 ex quarum rerum cognitione Verbum procedat. Communis tamen Theologorum opinio eſt, quòd Verbum à Patre procedat per cognitionem ſuæ eſſentiæ & creaturarum poſſibilium: quia procedit à Patre per cognitionem perfectiſſimam. Atqui cognitio perfectiſſima complectitur cognitionem tum eſſentiæ divinæ, tum omnium creaturarum poſſibilium, ut patet. Ergo, &c.

Præterea, Verbum procedit per cognitionem intuitivam, quam Pater habet de ſua eſſentia, quæ non poteſt haberi ſine cognitione creaturarum poſſibilium: ſiquidem eſſentia non eſt quid realiter actu diſtinctum ab omnipotentia, proinde comprehenſivam omnipotentiæ cognitionem complectitur: at comprehenſiva omnipotentiæ cognitio includit cognitionem omnis termini, ad quem omnipotentia ſe extendere poteſt. Ergo Verbum producitur tum per cognitionem divinæ eſſentiæ, ejusque attributorum, & perſonarum, tum per cognitionem omnium omninò creaturarum poſſibilium.

§. III.

De perſona Spiritus ſancti. 442

Pluribus nominibus tertia SS. Trinitatis perſona in Scripturis deſignatur. 1mo

(z) *Lib.* 15. *de Trinit. c.* 10.

1mo dicitur præcipuè *Spiritus ſanctus*, non tantùm eo ſenſu, quòd ſit immaterialis, cujusmodi etiam ſunt Pater & Filius, ſed ex ſpeciali quadam cauſa; quia cùm ſit terminus amoris mutui Patris & Filii, atque amoris proprium ſit, impelli, moveri & inclinari in rem amatam, impulſus ille ſubſiſtens eſt ac perſonalis in Deo Spiritus. Additur per quamdam appropriationem, *Sanctus*, quia ſanctitas Spiritui ſancto accommodatur, ſicut potentia Patri, & Filio ſapientia.

443 Dicitur 2do. *Amor*, & quidem ſecundùm perſonalem & notionalem proproprietatem: tum quia principium, à quo procedit, eſt amor: tum quia ipſe terminus eſt, vi proceſſionis formaliter, ſubſiſtens ac perſonalis mutui amoris Patris & Filii. Hinc à SS. Patribus ſolet appellari charitas, Patris & Filii unio, communio, unitas, amplexus, oſculum, nexus utriusque.

444 Dicitur 3tio. *Donum*, & quidem perfectiſſimum: ratio eſt, quia, ut aliqua è divinis perſonis ſit perſonale donum, requiritur 1mo ut ſit res alicui data. 2do. ut ab aliquo detur. 3tio ut ex ſe ac proprio charactere ſit ipſamet ad dandum ſeu donandum inclinatio. Hæc autem tria Spiritui ſancto, qui ex divina voluntate procedit, apprimè conveniunt.

445 Denique 4to dicitur *Paracletus*, id eſt, *Conſolator*, quòd nempe conſolatoris vices obeat, ac gratiam diffundat in cordibus, quæ interiùs nos ſolatur, reficit ac ſuſtentat.

446 Porro unicum hîc adhuc, illudque gravis ſanè momenti, de Spiritu ſancto expendendum nobis ſupereſt: an videlicet à Filio æquè ac a Patre procedat?

De proceſſione Spiritus ſancti à Patre nullum inter Catholicos usquam diſſidium fuit: ſoli Macedoniani & Ariani iſtud fidei caput in controverſiam adduxerunt. *Eunomius*, ait S. Baſilius (*b*), *ut Spiritum aufert à Patre, ita eum unicè Unigenito attribuit.* Quippè cùm exiſtimarent, Filium & Spiritum ſanctum meras eſſe creaturas, Filium à ſolo Patre, Spiritum verò à Filio factum aſſerebant (*c*) Errorem hunc ut confoderet Concilium Conſtantinopolitanum Oecumenicum, Symbolo Nicæno poſt iſtas voces, *Et in Spiritum ſanctum*, addidit, *qui ex Patre procedit.* Brevi extinctus jacuit error iſte, qui tam diſertis Chriſti verbis evertitur, Joan. 15. v. 26. *Cùm venerit Paracletus quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.*

Verùm diuturnior longè & acrior exarſit Latinos inter & Græcos de proceſſione Spiritus ſancti à Filio controverſia, negantibus Græcis, Latinis affirmantibus. 447

Primum hujus erroris auctorem ac parentem ſæculô quintô fuiſſe Theodoretum multi autumant, quòd in confutatione anathematiſmi noni S. Cyrilli Alexandrini in Neſtorium aſſeruerit, impium & blaſphemum eſſe dicere, quòd Spiritus ſanctus etiam ſit ex Filio. Sed alii Theodoretum ab hoc errore purgare conantur aſſerentes, verbis illis ſolùm intellexiſſe, Spiritum ſanctum non eſſe ex Filio ut facturam ſeu creaturam Filii. Ut ut ſit, certum eſt, Theodoretum ea omnia, quæ contra S. Cyrillum ſcripſerat, in Concilio Chalcedonenſi damnâſſe.

Sæculô octavô ſub Imperatore Conſtantino Copronymo Græcos inter & Latinos hac de re gravis exarſit concertatio; unde factum, ut circa negotium iſtud ſub Pipino & Carolo Magno ejus filio

(*b*) *Lib. 2. adv. Eunom.* (*c*) *S. Baſilius cit. lib. & S. Epiphanius hæreſi 76.*

filio variæ Synodi in Gallia, Italia, & Germania habitæ fuerint. 1ma. Gentiliacenſis ad Lutetiam, annô 767. cui, teſte Addone in Chronico, Græci interſuêre. 2da Forojulienſis, annô 791. 3tia. Francofordienſis, eodem exeunte ſæculo. 4ta. Aquisgranenſis, annô 809. ex qua Carolus Magnus celebrem ſcripſit epiſtolam de hac lite. 5ta. denique Arelatenſis, annô 813.

448 Nullus autem majori audaciâ errorem iſtum propugnavit, quàm Photius versùs finem noni ſæculi, id eſt, aliquot poſt hujus ſæculi medium annis. Invaſerat Sedem Conſtantinopolitanam vivente adhuc S. Ignatio legitimo Patriarcha, annô 858. atque luctuoſi illius Schiſmatis, quod Græcam à Latina ſejunxit Eccleſiam, auctor necnon tot malorum ac diſſidiorum, quibus univerſa turbata eſt Eccleſia, ſeminarium fuit. Damnatus ille fuit à Nicolao I. S. Pontifice annô 863. Cæco inde percitus furore, viciſſim ipſum S. Pontificem damnavit; atque in Romanam Eccleſiam inverecundè debacchatus, inter alia multa, Latinos ex eo præſertim capite redarguebat, quòd affirmarent, Spiritum ſanctum à Filio procedere.

Photio ſtrenuè pro ſua auctoritate reſtitit Nicolaus I. qui datis ad Hincmarum Rhemenſem Archiepiſcopum, aliosque Gallicanos Præſules litteris, hortatus eſt, ut dogma catholicum adversùs perduellem Schiſmaticum tuerentur (*d*).

Photium tamen, qui gratia & auctoritate plurimùm apud Imperatorem valebat, omnes ferè Græci ſecuti ſunt: identidem tamen ad unitatem & concordiam cum Latinis reverſi, poſteà pro ſua innata animi levitate, ad priſtinum errorem relapſi.

Sæculô undecimô tota recrudult diſputatio operâ præſertim Michaelis Cærularii Patriarchæ Conſtantinopolitani, favente Conſtantino Monomacho Imperatore. 449
Schiſmaticus Epiſcopus iſte contra Eccleſiam Latinam adeò debacchatus eſt, ut promulgare haud vereretur, Romanum Pontificem omnesque Latinos excommunicatos eſſe, quòd, contra decretum Concilii Epheſini has voces, *Filioque* Symbolo addidiſſent. Unde varia ſubinde coacta ſunt Concilia. Ac 1mo. Barenſe ſub Urbano II. annô 1097. ubi S. Anſelmus Cantuarienſis Epiſcopus Catholicam de proceſſione Spiritus ſancti à Filio ſententiam ſtrenuè adversùs Græcos propugnavit. 2do. Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. annô 1215. cui unacum aliis non paucis Græcis Præſulibus interfuerunt duo Patriarchæ, Conſtantinopolitanus, & Hieroſolymitanus: in eo Concilio Orientales cum Latinis conſenſerunt, atque ad Eccleſiæ Romanæ communionem redierunt. Sed brevî pòſt pro ſua levitate ad ſuum erorrem reverſi ſunt. Unde

3tiò. Rurſus ſub Gregorio X. habitum eſt annô 1274. Concilium Lugdunenſe II. ubi, annitente potiſſimùm Michaele Palæologo Græcorum Imperatore, ſolemnis pax Græcos inter & Latinos redintegrata fuit; miſſi ad S. Pontificem nomine Imperatoris ac Eccleſiæ Græcæ Legati errorem palam ejurârunt, ac Symbolum, cui inſertæ erant voces iſtæ, *Filioque*, unacum Latinis inter ſacra ſolemnia decantarunt. Verùm nec iſta utriusque Eccleſiæ pax & concordia diuturna fuit: interfecto enim Michaele Palæologo, Beccoque, qui Joſepho, quem Sede Conſtantinopolitana, quòd Schiſmaticus eſſet, atque mox dictæ cum 450

(*d*) Calumnias & mendacia Photii repreſſerunt Òdo Bellovacenſis, teſte Hincmaro Epiſt. 5. ad ipſum. Æneas Pariſienſis, cujus Opus extat Tom. 7. ſpicilegii. Et Ratramnus Corbejenſis Monachus, libris quatuor, qui extant Tom. 2. ejusdem ſpicilegii.

cum Latinis concordiæ moras injicere cum aliis nonnullis tentaſſet, Imperator dejecerat, ſuffectus fuerat, exauctoratô, Joſephus ille reſtitutus eſt, atque Græcos ad vomitum redire impulit.

451 4to. tandem annô 1439. imperante Conſtantinopoli Joanne Palæologo in Concilio Florentino ſub Eugenio Papa IV. poſt diuturnas ex utraque parte diſſertationes, pax ſolemniter inita eſt, Græcique errores ſuos iterum ejurarunt; necnon communis fidei ſancita profeſſio, cui omnes ſubſcripſerunt, exceptô Marcô Epheſinô, qui in errore ſuo pertinax remanſit; cujus deinde operâ cæteri Græci errores ſuos denuò amplexi ſunt. Unde fors factum, ut poſt quatuordecim annos, juſtô Dei judiciô, Græcorum Imperium à Turcis funditùs everſum ſit die ſolemni Pentecoſtes. Solâ penè Latinâ Eccleſiâ Dogmatis veritatem particulamque *Filioque* Symbolo ab ipſa additam & à ſummis Pontificibus confirmatam retinente.

452 Quo autem tempore hæc particula *Filioque* Symbolo Conſtantinopolitano adjecta fuerit, diſſentiunt inter ſe Scriptores Eccleſiaſtici. Nos relictis illorum opinionibus, qui arbitrantur eam juſſu Damaſi Papæ, qui ab anno 367. usque ad annum 385. rebus Eccleſiæ præfuit; aut in numeroſa Synodo circa tempora Concilii Oecumenici VI. quod celebratum fuit annô 680. vel etiam in Synodo VII. annô 787. utriusque Eccleſiæ conſenſu, Symbolo additam fuiſſe; utpote quarum opinionum nullum extat apud illorum temporum Scriptores veſtigium. Probabilior nobis videtur illorum ſententia, quæ ſtatuit, additionem illam primò in Hiſpaniæ Eccleſiis ineunte ſæculo quinto obtinuiſſe; enimverò in Conciliis Toletano I. Bracarenſi I. & Hiſpalenſi eadem extat. Tùm in Galliam & Germaniam ſæculô ſaltem octavô dimanaſſe, prout patet ex Conciliis Francofordienſi annô 794. & Forojulienſi, in quibus additio recepta & probata fuit. Ibi poſtquam obſervata fuêre ea, quæ Patres Conſtantinopolitani Symbolo Nicæno addidêre, dicitur: *Sed & poſtmodum, propter eos videlicet Hæreticos qui ſuſurrant, Spiritum ſanctum ſolius eſſe Patris, & à ſolo Patre procedere, additum eſt, Qui ex Patre Filioque procedit.* Ac tandem à ſummo Pontifice Nicolao I. confirmatam fuiſſe; cùm antea Sancta Sedes, quamvis & illius & totius Eccleſiæ Latinæ fides eſſet, Spiritum ſanctum æquè à Filio ac Patre procedere, hanc additionem Symbolo fieri non conſenſiſſet, ex prudenti Oeconomia, ne videlicet Græci ab ipſa contemni ſe quererentur, atque in apertum Schiſma erumperent; prout re ipſa poſt Nicòlai I. confirmationem additionis hujus factum, auctore Photio Patriarcha Conſtantinopolitano, qui eam additionem Nicolao I. objicit, tanquam enorme crimen, quam criminationem diluit Ratramnus Corbejenſis lib. 2. c. 2. Eam quoque additionem à Nicolao I. confirmatam fuiſſe memorat S. Antoninus part. 3. tit. 22. Quæ deinde in Concilio Lugdunenſi II. annô 1274. & in Florentino annô 1439. utriusque Eccleſiæ conſenſu promulgata & acceptata fuit; quibuscum ſit

CONCLUSIO. 453

Spiritus ſanctus etiam ex Filio procedit.

Prob. 1mo. Ex Scriptura. Joan c. 16. v. 7. Chriſtus ait: *Si non abiero Paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Ergo Spiritus ſanctus mittitur à Filio, ergo ab illo procedit. Nam Filius non mittit Spiritum ſanctum, neque per imperium, ſicut Dominus mittit ſervum: neque per conſilium, ſicut Sapiens mittit eum, quem

quem inſtruit : neque per impetum ſicut Sagittarius mittit ſagittam ; nam verus Deus nullis his modis mitti poteſt. Ergo Filius mittit Spiritum ſanctum per productionem naturalem , ſicut planta mittit flores & folia , ſecluſis imperfectionibus : neque enim ſunt alii mittendi modi.

Eodem cap. v. 14. Sic Chriſtus de Spiritu ſancto loquitur : *Ille me clarificabit , quia de meo accipiet , & annuntiabit vobis. Omnia quæcunque habet Pater , mea ſunt. Propterea dixi , quia de meo accipiet , & annuntiabit vobis.* Ergo Spiritus ſanctus à Filio accepit : non aliter autem una perſona in divinis accipit ab alia , quàm viâ originis & proceſſionis ; ita Filius accipit à Patre , & ea loquitur , quia à Patre audivit , quia nempe à Patre procedit per æternam generationem ; ergo eadem ratione , cùm Spiritus ſanctus à Filio accipere dicitur ea , quæ nos docet , hanc divinam ſcientiam à Filio ſimul cum eſſentia divina vi proceſſionis & originis accipere dicendus eſt. Item ex eodem textu Filius habet omnia , quæ habet Pater , excepta ſcilicet proprietate paternitatis ei oppoſita , ut exponunt Patres & Concilia. Sed Pater habet virtutem ſpirandi ſeu producendi Spiritum ſanctum , ergo etiam eam habet Filius. Ita S. Ambroſius argumentatur lib. 2. de Spiritu.

Galat. 4. v. 6. *Miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra.* Et Matth 10. v. 20. *Non vos eſtis qui loquimini , ſed Spiritus Patris veſtri , qui loquitur in vobis.* Ergo Spiritus ſanctus eſt Spiritus Patris & Filii. At non eſt Spiritus Patris , niſi quia à Patre procedit. Ergo nec eſt Spiritus Filii , niſi quia à Filio procedit. Ita S. Auguſtinus , tract. 99. in Joan. ubi ait : *Cur non credamus , quòd etiam de Filio procedat Spiritus ſanctus , cùm Filii quoque ipſe ſit Spiritus.*

Prob. 2do. Ex Patribus Græcis. S. Athanaſius , epiſt. ad Serapion. *Filius , inquit , à Patre mittitur . . . . Filius Spiritum mittit . . . . Spiritus à Filio accipit . . . . Cùm igitur iſtiusmodi ordinem & naturam habeat Spiritus ad Filium , qualem Filius habet ad Patrem , qui fieri poteſt , ut qui Spiritum creaturam dicit , non illud idem neceſſariò & de Filio ſentiat ? Si enim Filii Spiritus creatura eſt , conſequens eſt , ut dicant , etiam Verbum Patris creaturam eſſe.* Ergo juxta hunc S. Doctorem , Filius Spiritum mittit , ſicut ipſe Filius mittitur à Patre. Atqui Filius mittitur à Patre per proceſſionem , ergo & Spiritus ſanctus à Filio mittitur per proceſſionem. Item Spiritus ſanctus eam relationem habet ad Filium , quam Filius habet ad Patrem. Atqui Filius habet relationem producti ad Patrem. Ergo Spiritus ſanctus habet relationem producti ad Filium.

Idem , Serm. 4. contra Arianos , ſic ait : *Non . . . . tria principia , aut tres Patres introducimus , ſicut Marcioniſtæ ; cùm non tres Soles ad comparationem adducamus , ſed unicum Solem , ejusque ſplendorem , unicamque ex ambobus lucem : ita unum principium agnoſcimus , &c.* Ubi comparat Patrem Soli , qui nec eſt à ſplendore , nec à luce ; Filium ſplendori , qui eſt à Sole ; & Spiritum ſanctum luci , quæ eſt ex ambobus , id eſt , ex Sole & ſplendore. Ergo ſenſit Spiritum ſanctum à Patre & Filio procedere.

S. Baſilius , lib. 2. contra Eunomium docentem Spiritum ſanctum à ſolo Filio eſſe , probat , Spiritum ſanctum non ſolùm à Filio , ſed etiam à Patre procedere ; ſic enim ait : *Illud verò , cui non paret , quòd nulla Filii operatio à Patre diviſa eſt ? Nec eſt aliquid in rebus , quod Filio inſit , & à Patre alienum ſit ? Omnia , inquit , mea tua ſunt , & tua mea. Quomodò ergo Spiritûs cauſam & originem Unigenito ſoli attribuit* (Eunomius)

Digitized by Google

nomius) *& ad ejus accuſandam naturam, hujus creationem accipit?* Ubi manifeſtè ſupponit, & indicat Spiritum ſanctum eſſe à Filio; imò id expreſsè ſignificat, cùm aſſerit, actionem productivam omnem eſſe communem Patri & Filio, quia omnia, quæ habet Filius ſunt communia Patri & viciſſim.

S. Gregorius Nazianzenus, Orat. in Pentecoſt. *Omnia*, inquit, *quæcumque Pater habet, ſunt Filii, præterquàm quòd ingenitus non eſt.* Ergo ex S. Gregorio Filius habet vim ſpirandi ſicut Pater, ergo ſpirat ſeu producit Spiritum ſanctum ſicut Pater. Et Orat. 5. de Theologia, docet, Spiritum ſanctum non eſſe Filium, & tamen nihil eſſentiale deeſſe ei, ut ſit Filius, cùm habeat totam eſſentiam divinam, ſicut totam habet Filius; ſed non eſſe Filium propter differentiam relationum, ſcilicet producti & producentis: ſicut Filius non eſt Pater propter differentiam relationum, quamvis Filio nihil deſit eſſentiale ut ſit Pater, cùm totam eſſentiam divinam habeat, ſicut Pater habet.

S. Chryſoſtomus, Hom. 1. de Symbol. *Iſte*, ait, *eſt Spiritus procedens de Patre & Filio, qui dividit ſingulis propria dona prout vult.* Et Hom. 2. *Iſtum Spiritum ſanctum dicimus Patri & Filio coæternum, & procedentem de Patre & Filio.*

S. Epiphanius, hæreſ. 74. *Dei Spiritus à Chriſto, utpote qui ab utroque procedit; id quod Chriſtus ipſe teſtatur: qui à Patre procedit, inquit, &, hic de meo accipiet. . . . Spiritus adoptione ſunt, aut vocatione complures, qui & in peccatum proni ſunt ac proclives. At Spiritus ſanctus ſolus à Patre & Filio, Spiritus veritatis, & Dei Spiritus, & Spiritus Chriſti, & Spiritus gratiæ nominatur.*

S. Cyrillus Alexandrinus, Theſauri lib. ſeu aſſertione 34. *Cùm igitur*, ait, *Spiritus ſanctus nobis immiſſus, conformes nos Deo efficiat, procedat verò is à Patre & Filio; manifeſtum eſt, ex divina eſſentia ipſum eſſe.*

Prob. 3tio. Ex Patribus Latinis. S. Hilarius, lib. 2. de Trinit. num. 29. *De Spiritu ſancto autem*, inquit, *nec tacere oportet, nec loqui neceſſe eſt: ſed ſileri à nobis, eorum causâ, qui neſciunt, non poteſt. Loqui autem de eo non neceſſè eſt, qui Patre & Filio auctoribus confitendus eſt.*

S. Ambroſius, lib. 1. de Spiritu ſancto, c. 10. *Spiritus ſanctus cùm procedit à Patre & Filio, non ſeparatur à Patre, non ſeparatur à Filio.*

S. Auguſtinus ſupra pag. 226. cit. tract. 99. in Joan. Et lib. 4. de Trinitat. c. 20. *Nec poſſumus dicere*, inquit, *quòd Spiritus ſanctus & à Filio non procedat: neque enim fruſtra idem Spiritus & Patris & Filii Spiritus dicitur. . . . Neque enim flatus ille corporeus ſubſtantia Spiritus ſancti fuit, ſed demonſtratio per congruam ſignificationem, non tantùm à Patre, ſed à Filio procedere Spiritum ſanctum . . . . Qui ergo à Patre procedit & Filio, ad eum refertur, à quo natus eſt Filius.*

S. Leo Epiſt. 93. c. 1. *Demonſtratur*, inquit, *quàm impiè ſentiant de Trinitate divina, qui & Patris, & Filii, & Spiritus ſancti unam atque eamdem aſſerunt eſſe perſonam: tanquam idem Deus, nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus ſanctus nominetur: nec alius ſit, qui genuit; alius, qui genitus eſt; alius, qui de utroque proceſſit.*

S. Fulgentius, lib. de Fide, c. 2. *Nec natus eſt ipſe* (Spiritus ſanctus) *nec genuit, ſed ſolus de Patre Filioque procedit.*

Prob. 4to. Ex Conciliis Generalibus. Concilium Epheſinum, Chalcedonenſe, & Conſtantinopolitanum II. & III. approbârunt Synodicam S. Cyrilli Alexandrini epiſtolam, in qua dicitur: *Spiritus appellatus eſt veritatis, & veritas Chriſtus eſt. Unde & ab iſto ſimiliter ſicut ex Patre procedit.*

Concilium Lateranenſe IV. conſentientibus Græcis, ſic definit, c. 1. *Pater à nullo, Filius autem à ſolo Patre, ac Spiritus ſanctus ab utroque pariter, abſque initio ſemper ac ſine fine.*

Concilium Lugdunenſe II. conſentientibus quoque, qui aderant, Græcis, ſic definit. *Fideli ac devota profeſſione fatemur, quòd Spiritus ſanctus æternaliter ex Patre ab Filio, non tanquam ex duobus principiis, ſed tanquam ab uno principio: non duabus ſpirationibus, ſed unica ſpiratione procedit.*

Concilium Florentinum, in fidei definitione per Eugenium IV. ſic loquitur: *Ut hæc fidei veritas ab omnibus Chriſtianis credatur & ſuſcipiatur, ſicque omnes profiteantur, quòd Spiritus ſanctus ex Patre & Filio æternaliter eſt, & eſſentiam ſuam ſuumque eſſe ſubſiſtens habet ex Patre & Filio, & ex utroque æternaliter tanquam ab uno principio & una ſpiratione procedit .... Definimus inſuper, explicationem verborum illorum, Filioque, veritatis declarandæ gratiâ, & imminente tunc neceſſitate, licitè ac rationabiliter Symbolo fuiſſe appoſitam.* Huic definitioni omnes Græci, uno, prout jam ſupra diximus, excepto Marco Epheſino Epiſcopo, conſenſerunt, ea tamen lege, ut quamvis faterentur, particulam *Filioque* rationabiliter à Latinis inſertam fuiſſe Symbolo, eam tamen ipſi non inſererent.

His adde Concilium Tridentinum, quod Seſſ. 3. recitat & approbat Symbolum Conſtantinopolitanum cum additione *Filioque*.

Prob. 5to denique triplici ratione Theologica. Prima, Filius accipit à Patre omnem perfectionem compoſſibilem cum filiatione, juxta illud Chriſti, Joan. 16. v. 14. *Omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt.* Atqui virtus ſpirandi eſt compoſſibilis cum Filiatione: nam non habet cum illa relativam oppoſitionem producentis & producti. Ergo Filius accipit à Patre virtutem ſpirandi, ergo Filius cum Patre ſpirat ſeu producit Spiritum ſanctum.

2da. Filius accipit à Patre voluntatem fœcundam necdum terminô exhauſtam; proceſſio enim Filii prior eſt proceſſione Spiritus ſancti à Patre. Atqui ſi accipit voluntatem fœcundam, profectò debet non ſecus ac Pater Spiritum ſanctum ex ea producere. Ergo, &c.

3tia. Si Spiritus ſanctus non procederet à Filio, non diſtingueretur realiter ab illo. Falſum conſeq. Ergo. Prob. ſequela Maj. *In divinis*, juxta ſæpiùs jam à nobis laudatum axioma Theologicum, *omnia ſunt communia ſeu unum, ubi non obviat relationis oppoſitio*, quod axioma conſtat tùm ex communi conſenſu Patrum, tùm quia in enti in omni perfectione infinito & ſimpliciſſimo ea omnia neceſſariò idem & unum ſunt realiter ac eſſe debent, quæ inter ſe non opponuntur, & in tali ente nulla alia oppoſitio excogitari poteſt, quàm relativa. Atqui ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, non haberet cum eo relationis oppoſitionem: nam in Deo nulla alia oppoſitio relativa, quæ non adverſetur infinitæ ejus perfectioni, eſſe poteſt præter eam, quæ fundatur in origine ſeu proceſſione unius ab alio. Ergo ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, eſſet una & eadem cum ipſo perſona, & ſic non diſtingueretur realiter ab illo.

Solvun-

Digitized by Google

454 ### *Solvuntur Objectiones*

Ob. 1mo. Scriptura declarat tantùm Spiritum ſanctum procedere à Patre, nec ullam facit mentionem proceſſionis illius à Filio. Joan. 15. v. 26. *Cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Ergo, &c.

Reſp. 1mo. Scripturam non expreſſis quidem, ſed æquivalentibus ſeu idem ſonantibus verbis, adſtruere Spiritus ſancti à Filio proceſſionem, prout, præter ea, quæ inter probationes Concluſionis noſtræ adduximus, ex adducto textu patet, ubi dicitur Spiritus ſanctus mitti a Filio. Miſſio autem in divinis eſt proceſſio unius ab alio, quemadmodum expoſuimus c. 4. §. 4. Certè in Scriptura ſæpè uni tribuuntur, quæ pluribus perſonis ſunt communia, ſed non cum aliarum excluſione, & ſæpiſſimè quidem Patri, eoquòd ſit fons Trinitatis, & principium ſine principio, à quo aliæ perſonæ accipiunt, quidquid habent.

Reſp. 2do. Traditionem eſſe alteram fidei noſtræ regulam: at verò perpetua & conſtans Eccleſiæ Traditio clarè & apertè docet, Spiritum ſanctum à Filio procedere.

455 Ob. 2do. In Conciliis generalibus Nicæno I. & Conſtantinopolitano I. in quibus divinitas Spiritus ſancti aſſerta & definita fuit, altum ſilentium de ipſius à Filio proceſſione etiam fuit. Ergo, &c.

Reſp. Eccleſiam in Conciliis ſuas circa fidem definitiones ſeu decreta non condere, niſi occaſione ſubnaſcentium errorum: cùm igitur ætate Conciliorum Nicæni I. & Conſtantinopolitani I. à nemine impugnaretur proceſſio Spiritus ſancti à Filio, de illa etiam ſiluêre illorum Conciliorum Patres. Cùm verò Eunomiani & Macedoniani negarent, Spiritum ſanctum Deum eſſe, eumque à Patre procedere, Concilium Conſtantinopolitanum I. diſtinctè ac expreſsè definivit, Spiritum ſanctum verum eſſe Deum, & à Deo Patre procedere; accommodatè ſcilicet ad errorem, quem damnandum habebat, & urgentem tunc temporis Eccleſiæ neceſſitatem.

Ob. 3tio. (*e*) In Concilio Epheſino à Chariſio Presbytero publicè lectum fuit Symbolum Neſtorii cùm libro Theodoreti contra Anathematiſmos S. Cyrilli, in quorum utroque expreſsè negabatur proceſſio Spiritus ſancti à Filio, & tamen Concilium id non damnavit. Neque etiam ipſemet S. Cyrillus in ſuis adversùs Neſtorium Capitulis; neque Cœleſtinus S. Pontifex ſcribens ad Neſtorium & ad Clerum Conſtantinopolitanum, vitio vertunt Neſtorio, quòd de proceſſione Spiritus ſancti à Filio nihil planè dixiſſet, quia nempe receptum non erat dogma proceſſionis Spiritus ſancti à Filio. Imò Concilium ipſum Act. 6. ſeverè prohibet, ne altera fides proferatur, ſeu quidquam Symbolo addatur, in quo tamen nihil de proceſſione Spiritus ſancti a Filio continetur, ſed à Patre duntaxat procedere dicitur. Unde cùm Latini in Epiſtola Synodica dixiſſent, Spiritum ſanctum è Filio procedere, idque Græcis diſplicuiſſet, S. Maximus Martyr in Epiſtola ad Marinum Latinos excuſat, quia etſi aſſerant, Spiritum è Filio procedere, non idcircò tamen ſentiunt, ipſum eſſe principium Spiritus ſancti, quod ſolus eſt Pater. Ita S. Maximus. Ergo, &c. 456

Reſp. Symbolum Neſtorianum in iis Capitibus rejectum fuiſſe, in quibus à Catho-

(*e*) Celebratum fuit annò 431. tertium Generale, poſt Nicænum I. & *Conſtantinopolitanum I.* communiter nuncupatur.

Catholica fide aberrabat: caput verò quod ſpectat proceſſionem Spiritus ſancti, idcircò rejectum non fuiſſe, quòd poſſet in rectum ſenſum adduci, nempè Spiritum ſanctum à Filio creatum ſeu factum non eſſe, ut dicebant Macedoniani & Eunomiani; & quòd propter aliud dogma congregatum eſſet, nempe ut contra Neſtorium unam in Chriſto perſonam aſſereret. Porro ſæpe Concilia, ut omninò incumbant ſcopo, quem ſibi proponunt, quæſtiones incidentes, licèt graviſſimas, omittunt. Et ſanè quamvis Concilium iſtud errorem proceſſionis Spiritus ſancti à ſolo Patre ob allatas rationes expreſsè non damnaverit, eundem ſaltem implicitè damnaſſe videtur, cùm epiſtolam à S. Cyrillo & à Synodo Alexandrina ad Neſtorium ſcriptam velut Catholicam approbavit, in qua dicitur Spiritus ſanctus etiam à Filio procedere.

Cœleſtinus & Cyrillus Neſtorii ſilentium circa proceſſionem Spiritus ſancti à Filio ideò non culpârunt, quia, ut jam dictum, de illa proceſſione nullatenùs tunc agebatur, atque intempeſtiva omninò fuiſſet tunc temporis eam in rem cenſura.

Quòd autem eadem Epheſina Synodus prohibuerit, ne Symbolo quidquam adderetur, aut, prout ſonant Canonis verba, *altera fides* ſeu fidei profeſſio *proferatur*. Reſp. diſt. Synodus iſta prohibuit, ne altera fides ſeu fidei profeſſio proferatur; id eſt fides altera, ſeu contraria iis, quæ à Patribus Nicænis definita fuerant, conc. fides altera, id eſt, altera ejusdem fidei expoſitio, declaratio, & explanatio, neg. Hunc unum lati Decreti finem ac ſcopum eſſe, apertè demonſtrat 1mo occaſio qua illud conditum fuit, occaſione ſcilicet Symboli Neſtoriani, quod Chariſius Presbyter & Philadelphiæ Oeconomus obtulerat, quodque à ſuis ſubſcribi volebat Neſtorius, & quod re ipſa multi deluſi ſubſcripſerant. Novitatem hanc audaciæ, temeritatis, ac erroris plenam meritò repreſſit Epheſina Synodus, prohibuitque omnem additionem & explicationem avitæ fidei contrariam; eam verò, quæ fidei conſona eſt ac conformis, approbat & confirmat. Vocem, *Deipara*, ad conſtringendum Neſtorium proponit & exigit; eam quidem Symbolo non inſeruit, tum quia illius additio neceſſaria haud fuit, quippe expreſsè ſatis & explicitè B. Virgo *Deipara* ſeu Dei Mater declarabatur in duobus Articulis clarè & explicitè in Symbolo Conſtantinopolitano contentis; nempe Chriſtum verum eſſe Deum Patri conſubſtantialem, eumque *incarnatum & natum eſſe ex Maria Virgine.* Tum quia Synodus Epheſina novum non condidit Symbolum, ſed novum duntaxat Neſtorii errorem damnavit: ſi tamen expedire judicâſſet, etiam pro auctoritate ſua potuiſſet vocem, *Deipara*, Symbolo adjicere; quemadmodùm Nicæna Synodus, Symbolo Apoſtolico adjecit vocem, ὁμόσιον, *Conſubſtantialem.* 2do. Idem patet ex eo, quòd profeſſionem fidei, quam in ſignum concordiæ Joannes Antiochenus poſt reſtitutam pacem miſit ad S. Cyrillum, tametſi multa Symbolo adderet majoris explicationis gratiâ, benigne tamen & cum laude ſuſcepit S. Cyrillus, quam utique non ſuſcepiſſet ac laudâſſet, ſi omnis & quælibet etiam Catholicæ fidei nova expoſitio fuiſſet à Patribus Epheſinis prohibita. 3tio. Synodus Chalcedonenſis paulò poſt Epheſinam annô 451. (*ſ*) videlicet coacta, poſtquam Symbolum Nicænum, & Conſtantinopolitanum recitavit, Act. 5. prolixam adjecit fidei expoſitionem adversùs peculiares Eutychetis errores; ergo non exiſtimavit Synodus Chalcedonenſis nihil

(*ſ*) Sub Leone I. Papa.

hil adjici licere, quod conſentaneum foret. 4to denique, Canon Epheſinus iſte, qui objicitur, ad privatos ſpectat, non ad ipſam Eccleſiam. Id patet 1mo ex occaſione, qua latum eſt illud decretum, ut modò notavimus. 2do. ex ipſis verbis decreti, *hos, ſi quidem ſunt Epiſcopi aut Clerici, &c.* 3tio ex pœna depoſitionis aut anathematis adjuncta, neque enim Synodus Epheſina aut voluit, aut potuit univerſam Eccleſiam anathemati ſubjicere.

At quod additur de Latinis, quos S. Maximus dicit non ſentire Filium eſſe principium Spiritus ſancti, Reſp. diſt. Latini non ſentiunt Filium eſſe principium, id eſt, primum fontem, conc. non eſſe principium ſimpliciter, neg. Obſervandum, quòd hæc principii pro primo fonte notio apud Græcos ſit pervulgata.

457 Ob. 4to. S. Dionyſius, de divinis nominibus c. 2. ait: *Solus fons ſuperſubſtantialis deitatis eſt Pater.*

S. Athanaſius, in quæſt. *Quid eſt Deus?* ait: *Deus & Pater ipſe ſolus eſt cauſa duobus.* S. Baſilius, epiſt. 43. dicit, Filium ſecundùm propriam notionem nullam habere communionem cum Patre. Ergo ſpiratio activa non communicatur Filio.

S. Gregorius Nazianzenus Orat. ad Epiſcopos Ægypti ait: *Omnia quæ habet Pater, Filii ſunt præter principium.*

S. Damaſcenus lib. 1. de Fide, c. 11. ait: *Ex Filio Spiritum non dicimus, ſed eum Filii Spiritum nominamus.* Et c. 13. *Filii Spiritus eſt, non tanquam ex ipſo, ſed quòd per ipſum ex Patre procedat.* Ergo, &c.

Reſp. neg. conſ. Ad horum Græcorum Patrum teſtimonia dicimus 1mo. ad S. Dionyſii teſtimonium, ſolus Pater dicitur fons deitatis, quia aliæ perſonæ ab ipſo procedunt, & ipſe non procedit ab alia perſona, & ſic eſt principium ſine principio: Filius verò eſt principium de principio, quia Filius producit, & producitur.

2do. S. Athanaſius ſolùm vult, unum Patrem eſſe principium duarum aliarum perſonarum, quamvis Filius ſit etiam principium unius perſonæ.

3tio. S. Baſilius ſolùm vult, Filium ſecundùm filiationem realiter diſtingui à Patre, & filiationem nullatenus identificari Patri. Quamvis autem Filius cum Patre non conveniat ratione filiationis, cum eo tamen convenit ratione Spirationis activæ.

4to. S. Gregorius, intelligit duntaxat, Filium non eſſe primum fontem, ſeu principium ſine principio, ſicuti eſt Pater. Nam, ut jam obſervavimus, Græci nomine principii communiter intelligunt primum fontem.

5to. Mens S. Damaſceni hæc eſt, Spiritum ſanctum è Filio non procedere, ut primùm de S. Gregorio annotavimus, tanquam ex primario originis ſuæ fonte, qui Pater eſt; unde etiam dicit, Spiritum ſanctum procedere à Patre *per Filium*, quem loquendi modum probat S. Thomas, 1. p. q. 36. a 3. *Cum enim*, inquit, *Filius à Patre habeat, quòd ab eo Spiritus ſanctus procedat, Pater per ipſum Filium ſpirare Spiritum ſanctum dicitur.* Quare cùm Damaſcenus dicit, Spiritum ſanctum procedere per Filium, non ex Filio; ſolùm vult, eum non procedere à Filio ut à principio, quod ab alio ſuum eſſe & virtutem producendi non acceperit; ſed procedere à Filio tanquam à principio, quod ab alio ſuum eſſe, & ſuam virtutem producendi accepit: ita ut præpoſitione *per* ſignificare velit principium agens per virtutem ab alio acceptam, & præpoſitione *ex* principium ſine principio; adeoque ut Spiritus ſanctus tamen æquè à Filio ac à Patre ſuô modô procedat. Et verò hanc eſſe S. Damaſceni mentem colligitur ex eo, quòd ibidem comparet Patrem

Soli,

Soli, Filium radio, Spiritum ſanctum verò ſplendori, qui ex radio oritur; & c. 18. ſtatuat Spiritum ſanctum eſſe imaginem Filii, ſicut Filius eſt imago Patris. *Imago Patris*, inquit, *eſt Filius*, *ac Filii Spiritus*. Per præpoſitionem *per* igitur, idem intelligit, ac quod ſignificatur per præpoſitionem *ex*: nam præpoſitio *per* ſæpè ſignificat actionem principii, ut cùm Joan. 1. v. 3. dicitur: *omnia per ipſum facta ſunt*.

458 Ob. 5to. Pater eſt ſufficiens principium Spiritus ſancti. Ergo ſolus producit Spiritum ſanctum.

Reſp. diſt. ant. E virtus ſpirandi, quæ ineſt Patri, eadem ineſt Filio, conc. Et eadem virtus non ineſt Filio, neg. ant. Quamvis Pater ſit principium ſufficiens Spiritus ſancti, tamen non producit ſolus Spiritum ſanctum, ſed cum Filio, eò quòd Filius eandem habeat ſpirandi virtutem quam habet Pater. Sic quamvis Pater ſit ſufficiens principium creationis mundi, tamen non ſolus creat mundum, ſed cum Filio & Spiritu ſancto, quia potentia creandi eſt communis tribus Perſonis.

459 Ob. 6to. Si Spiritus ſanctus procederet à Patre & Filio, vel procederet ab illis tanquam duobus principiis, vel tanquam unico principio. Neutrum dici poteſt. Ergo.

Reſp. neg. min. Et dicimus, Spiritum ſanctum procedere à Patre & Filio tanquam uno principio, & unica ſpiratione ſeu actione productiva. Quia 1mo ita expreſsè definiunt Concilia Lugdunenſe II. & Florentinum ſupra laudata. 2do. Quia Pater & Filius producunt Spiritum ſanctum una ſpiratione per unam eandemque ſpirandi virtutem (*g*). Concreta autem ſubſtantiva non multiplicantur niſi multiplicatô formali eorum ſignificatô, ſeu formâ per illa ſignificatâ: unde ad multiplicitatem principiorum præter multiplicitatem ſuppoſitorum requiritur multiplicitas actionum. Sic Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt unicum principium mundi, quia producunt mundum una actione per unam eamdemque potentiam agendi ad extra

Reſponſionem noſtram præter adducta Concilia Lugdunenſe II. & Florentinum confirmant SS. Patres. S. Baſilius, lib. 2. cont. Eunom. diſertè affirmat, Patrem & Filium duo non eſſe, ſed unum Spiritus ſancti principium.

S. Auguſtinus, lib. 5. de Trinit. c. 14. *Fatendum eſt*, ait, *Patrem & Filium principium eſſe Spiritus ſancti*, *non duo principia*. Idem conceptis verbis aſſerit S. Anſelmus, lib. de proceſſione Spiritus ſancti, c. 18.

Inſt. 1mo. Principium *quod* proceſſionis, eſt perſona. Ergo cùm Pater & Filius duæ ſint perſonæ, duo quoque ſunt principia Spiritus ſancti.

Reſp. 1mo. Simili argumentô probari poteſt, tres eſſe in Deo creatores. Nam principium *quod* creationis eſt perſona. Atqui ſunt in Deo tres perſonæ. Ergo ſunt tria principia creationis. Quod eſt abſurdum dicere.

Reſp. 2do. Diſt. ant. Principium *quod* proceſſionis, eſt perſona, ſimul cum proprietate relativa, conc. ſine illa, neg. ant. Re vera principium *quod* perſonam denotat; at non ſolam, ſed ſimul proprietatem relativam, ſeu formam, per quam perſona agit, & aliam producit. Porro cùm forma illa in Patre & Filio reſpectu Spiritus ſancti una ſit, nempe ſpiratio activa, conſe-

(*g*) Filius enim id omne habet, quod Patris eſt, in quo ipſi non opponitur. At Pater non opponitur Filio in eo quòd vim habeat ſpirandi Spiritum ſanctum. Igitur non ſunt duo ſed unum Spiritus ſancti principium.

conſequenter Pater & Filius unum ſunt principium Spiritus ſancti.

Inſt. 2do. Proprietas relativa in Deo una eſſe non poteſt in duabus perſonis, ſi quidem perſonæ à ſe invicem diſtinguuntur per illas proprietates relativas. Ergo una eſſe non poteſt in Patre & Filio.

Reſp. diſt. ant. Proprietas relativa perſonalis, ſeu quæ perſonam conſtituit, non poteſt eſſe in duabus perſonis, conc. Proprietas relativa non perſonalis, ſed quæ ſecundùm noſtrum intelligendi modum perſonæ jam conſtitutæ advenit, neg. ant. Spiratio activa non eſt proprietas relativa perſonalis, neque enim conſtituit perſonam Patris, aut perſonam Filii: Pater quippe per paternitatem, Filius verò per filiationem conſtituitur. Ergo conſtitutis jam perſonis Patris & Filii accedere à nobis intelligitur activa illa ſpiratio; ergo non poteſt eſſe perſonalis, nec multiplex, ſed una & indiviſa in Patre & Filio.

Inſt. 3tio. Nonnulli ex Veteribus, qualis eſt imprimis S. Hilarius, lib. 2. de Trinit. Patrem & Filium vocant auctores Spiritus ſancti. Ergo ſunt duo illius principia.

Reſp. diſt. ant. Pater & Filius ſunt auctores Spiritus ſancti, adjectivè, id eſt, ſunt duæ perſonæ producentes Spiritum ſanctum, conc. ſubſtantivè ac propriè, neg. ant. *Dicendum*, inquit S. Thomas (*b*), *quòd quia ſpirans adjectivum eſt, ſpirator verò ſubſtantivum, poſſumus dicere, quòd Pater & Filius ſunt duo ſpirantes, propter pluralitatem ſuppoſitorum; non autem duo ſpiratores propter unam ſpirationem. Nam adjectiva nomina habent numerum ſecundùm ſuppoſita, ſubſtantiva verò à ſeipſis ſecundùm formam ſignificatam. Quod vero Hilarius dicit, quòd Spiritus ſanctus eſt à Patre & Filio auctoribus*, ex*ponendum eſt, quòd ponitur ſubſtantivum pro adjectivo.* Ita S. Thomas; unde patet ſolutio illius, quod objicitur, nempe Patrem & Filium eſſe duos ſpirantes, ergo etiam duos ſpiratores

Reſp. enim neg. conſ. Diſparitas eſt, quia nomina adjectiva multiplicantur pro multiplicate ſuppoſitorum. At nomina ſubſtantiva non multiplicantur, niſi etiam multiplicetur forma illis ſignificata. Forma autem per nomen ſpiratoris ſignificata eſt virtus ſpirandi ſeu producendi Spiritum ſanctum, quæ una & eadem numerô eſt in Patre & Filio; ac proinde non facit duos ſpiratores: quemadmodum divinitas, quæ eſt una & eadem numerô in tribus Perſonis, non facit tres Deos.

Inſt. 4to. Multi ex Veteribus aſſerunt, Spiritum ſanctum eſſe à Patre mediatè, Filium verò proximè ac immediatè. Ita S. Gregorius Nyſſenus, epiſt. ad Ablavium, & lib. 1. contra Eunom. Cyrillus Alexandrinus, lib. 1. Theſauri, &c. Ergo Pater non eadem ratione, qua Filius, eſt principium Spiritus ſancti; atque adeò non unum ſunt principium.

Reſp. Multi ex Veteribus aſſerunt, Filium eſſe proximè à Patre, Spiritum ſanctum autem mediatè, hoc ſenſu, quòd Filius ſit prima, Spiritus verò ſanctus ſecunda perſona, quæ interpoſitô Filiô à Patre procedit, conc. Hoc ſenſu, quòd Filius non unam & eamdem habeat cum Patre vim ſpirativam, neg. ant.

Inſt. 5to. S. Auguſtinus lib. 15. de Trinit. c. 17. & 27. Item Tract. 99. in Joan. ait, Spiritum ſanctum principaliter procedere à Patre; ergo non eſt unum & idem cum Filio principium.

(*b*) 1. p. q. 36. a 6. ad 7.

Reſp. diſt. ant. Principaliter eſt à Patre, hoc ſenſu, quòd Pater ſit fons & origo totius divinitatis, principium ſine principio, Deus à ſe, conc. Hoc ſenſu, quòd non ſit una & eadem in utroque Patre & Filio vis ſpirandi, neg. ant. *Ideo addidi principaliter*, ait S. Auguſtinus, *quia . . . . Filio . . . . hoc quoque Pater dedit.*

Inſt. 6to. Si Pater & Filius ſunt unum principium *quod*, propter unicam virtutem ſpirandi, Pater eſt duplex principium *quod* propter duplicem virtutem, unam ſcilicet generandi, & alteram ſpirandi. Atqui hoc eſt falſum. Ergo.

Reſp. neg. ſequel Maj. Quia ut ſit duplex principium *quod*, requiritur non ſolùm duplex virtus producendi, ſed etiam duplex ſuppoſitum. Ratio eſt, quia nomina ſubſtantiva non multiplicantur, niſi multiplicetur non ſolùm forma illis ſignificata, ſed etiam ſuppoſitum habens talem formam. Porro nomen *Spirator* præſcindit ab hoc vel illo ſuppoſito in particulari, & ab uno vel duobus ſuppoſitis. Unde accipi poteſt & accipitur modò pro unico modo pro duobus, modò pro pluribus ſimul & uno. Hinc veræ ſunt iſtæ propoſitiones : *Pater & Filius ſunt Spirator : Pater eſt Spirator : Filius eſt Spirator : Pater & Filius ſunt Spirator, qui eſt Pater.* Nam ſenſus eſt : Pater & Filius ſunt ſuppoſita habentia ſpirationem activam, quam re vera habet Pater.

460 Ob. 7mo. Cùm vox *Filioque*, jam addita eſſet Symbolo in Hiſpaniarum Eccleſiis, Leo III. Papa Symbolum Conſtantinopolitanum in tabula argentea deſcribi juſſit ſine illa additione, & poni in altari poſt Corpus S. Pauli. Ergo additionem illam improbavit, &c.

Reſp. neg. conſ. Nam Leo hoc fecit, ut hujus Symboli, quale fuerat à Concilio Conſtantinopolitano conditum, memoria honorificè in Eccleſia conſervaretur, & ut Græcis tolleret occaſionem exiſtimandi, hoc Symbolum à Latinis contemni.

Inſt. Concilium Aquiſgranenſe, poſtquam additionem *Filioque* approbaſſet, miſit Legatos ad eundem Leonem, qui eum rogarent, ut illam approbaret, & Symbolum cum hac additione juberet cantari in Eccleſia Romana : Pontifex verò utrumque negavit. Ergo, &c.

Reſp. neg. conſ. Leo neutrum præſtare voluit, ne Græcis videretur contemnere Symbolum Conſtantinopolitanum, quale primùm conditum fuerat, & quia nondum in Eccleſia Romana cantatum fuerat cum hac additione. Sed ſimul ipſemet palam profeſſus eſt, Spiritum ſanctum procedere etiam à Filio, prout Acta Legationis, quæ adhuc extant, teſtantur.

Ob. 8vo. Etiamſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, adhuc tamen diſtingueretur realiter ab eo. Ergo ratio quam hac de re ſupra attulimus nulla eſt. 461

Reſp. neg. ant. Nam Patres diſtinctionem perſonarum repetunt à ſola proceſſione unius ab alia. *Diſtinguitur Spiritus à Filio, quòd per ipſum eſt*, inquit S. Gregorius Nyſſenus lib. ad Ablavium. Et S. Auguſtinus Tract. 39. in Joan. *Hoc ſolo*, inquit, *numerum inſinuant, quòd ad invicem ſunt.* Item S. Damaſcenus lib. 1. de fide, c. 11. *In ſolis*, ait, *autem proprietatibus, nimirùm paternitatis, filiationis, & proceſſionis ſecundùm cauſam & cauſatum diſcrimen advertimus.* Concilium denique Toletanum XI. c. 1. (*i*). *In relatione perſonarum*, inquit, *numerus cernitur. Hoc ſolo numero inſinuant, quòd ad invicem*

(*i*) Annò 675.

vicem ſunt, id eſt, ad invicem opponuntur.

Inſt. 1mo. SS. Athanaſius, Auguſtinus, & Anſelmus dicunt, ideò Spiritum ſanctum non eſſe Filium, & viciſſim, quia Filius per viam intellectûs, & Spiritus ſanctus per viam voluntatis procedit. Ergo Filius & Spiritus ſanctus diſtinguerentur realiter inter ſe, etiamſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio; quia adhuc unus per intellectum & alter per voluntatem procederet.

Reſp. neg. conſ. Hoc unum intendunt laudati SS. Patres, nempe inter Filium & Spiritum ſanctum aliquam quidem oppoſitionem, nempe ad ſummum virtualem eſſe, ex eo, quòd unus per intellectum, alter verò per voluntatem procedat: at oppoſitionem illam non ſufficere ad realem inter illos diſtinctionem, niſi interveniat unius ab altero proceſſio originis, ex qua una naſcitur realis diſtinctio. Certè hanc fuiſſe mentem S. Anſelmi inde liquet, quòd lib. de proceſſione Spiritus ſancti, commune hoc Scholæ effatum, *In divinis omnia ſunt unum ubi non obviat relationis oppoſitio*, approbet, cujus ipſe auctor & parens eſt.

Inſt. 2do. Si Spiritus ſanctus non produceretur à Filio, adhuc Filius & Spiritus ſanctus procederent per diverſa principia formalia, intellectum ſcilicet & voluntatem. Ergo adhuc eſſent duæ productiones totales, ut nunc ſunt. At eadem perſona non poteſt procedere per duas productiones totales: nam alioqui una ex illis eſſet ſuperflua; omnis autem ſuperfluitas in divinis implicat. Ergo adhuc eſſent duæ perſonæ realiter diſtinctæ.

Reſp. neg. conſ. Nam tunc eſſet unica realiter productio totalis; ſicut enim duo principia formalia, intellectus & voluntas ſcilicet, non diſtinguuntur realiter, ſed ſolùm logicè & virtualiter ob defectum oppoſitionis relativæ: ita duæ productiones, ob eundem defectum non diſtinguerentur realiter, ſed per identitatem conflarent unicam productionem totalem, cujus terminus totalis eſſet una perſona per intellectum & voluntatem producta, & quæ proinde ſimul eſſet Filius & Spiritus ſanctus: ſicut reipſa eadem perſona eſt Pater & Spirator, quia producit per intellectum & voluntatem.

Inſt. 3. In allata hypotheſi Spiritus ſanctus eſſet cum Filio reſpectu Patris terminus diſparatus (*k*). Ergo adhuc opponeretur Filio.

Reſp. trans. ant. diſt. conſ. Opponeretur diſparatè, conc. relativè, neg. conſ. Equidem in creatis termini diſparati diſtinguuntur realiter, ſed non in divinis. Diſparitas eſt, quia in creatis unum diſparatum, cùm ſit finitum & limitatum, non habet entitatem vel perfectiones alterius. At in divinis, terminus, qui ſupponitur diſparatus, adhuc eſſet infinitus, proindeque contineret tum entitatem, tum perfectiones alterius termini diſparati. Nam infinitum in entitate & perfectione includit omnes entitates & perfectiones, quæ ſe ſe invicem non excludunt, quales ſunt eæ, quæ inter ſe non habent rationem producentis & producti.

Inſt. 4to. In allata hypotheſi Filius haberet id omne, per quod in ſe conſtituitur ac diſtinguitur à Spiritu ſancto, nempe filiationem. Ergo pariter in eo caſu Filius diſtingueretur à Spiritu ſancto:

(*k*) Termini diſparati Logicis dicuntur illi, qui de ſe invicem non poſſunt prædicari.

cto : ibi enim remanet eadem perſonarum diſtinctio , ubi idem adhuc ſupereſt earumdem perſonarum diſtinctivum ac conſtitutivum.

Reſp. neg. ant. Equidem in adducta hypotheſi Filius haberet Filiationem, ſed non eamdem omninò qualem jam habet, id eſt , junctam cùm ſpiratione activa. Porro Filius non conſtituitur ac diſtinguitur à Spiritu ſancto per filiationem præcisè , ſed per filiationem, quatenus adjunctam habet, aut habere poſtulat ſpirationem activam.

Inſt. 5to. Si Spiritus ſanctus produceretur à ſolo Filio, tamen adhuc diſtingueretur à Patre : Ergo ſimiliter diſtingueretur à Filio , etiamſi à ſolo Patre procederet.

Reſp. neg. conſ. Equidem ſi Spiritus ſanctus à ſolo Filio procederet , nihilominùs à Patre diſtingueretur , quia mediatè ſaltem cenſeretur ab illo procedere , quia Filius ipſe vim ſpirandi Spiritum ſanctum à Patre accepiſſet. At ſi Spiritus ſanctus à ſolo Patre procederet, dici non poſſet , nec etiam mediatè à Filio procedere. Nam in eo caſu Pater non produceret Spiritum ſanctum per vim aliquam ſibi à Filio datam.

Inſt. 6to. Filius non procedit à Spiritu ſancto , & tamen ab eo diſtinguitur. Ergo pariter Spiritus ſanctus ab eo diſtingui poſſet , etſi ab eo non procederet.

Reſp. neg. conſ. Inepta ſanè ac ridicula eſt iſthæc arguendi ratio, & perinde eſt ac ſi quis diceret , Pater diſtinguitur à Filio, & tamen ab ipſo, non procedit. Igitur ſicut Pater à Filio diſtinguitur , quia Filium producit, ita etiam Filius à Spiritu ſancto diſtinguitur , quia illum producit, ac neceſſe eſt, mutuam oppoſitionem intercedere inter perſonam producentem ac perſonam productam.

Inſt. 7mo. In creatis Amor diſtinguitur realiter à Verbo, quamvis non producatur ab illo. Ergo idem in divinis eſſe poſſet.

Reſp. neg. conſ. Diſparitas eſt, quia in creatis diſtinctio realis repetitur non ſolùm ab oppoſitione relativa, ſed etiam à limitatione: nam in creatis multa ob ſolam limitationem diſtinguuntur realiter inter ſe , quamvis nullam habeant oppoſitionem. At in divinis propter infinitatem & ſummam identitatem ea omnia ſunt unum realiter, quæ non habent inter ſe relationem producentis & producti , in qua conſiſtit oppoſitio relativa.

Igitur Spiritus ſanctus æquè à Filio procedit ac à Patre , hi quippe ſe ſe mutuò amantes producunt perſonam , quæ vi ſuæ proceſſionis per ſe primò eſt amor ille , quo ſe ſe mutuò redamant , ideoque per identitatem illud omne divinum eſt , cui identificatur amor ille , & quocum ipſa perſona non habet oppoſitionem relativam : ſicque Spiritus ſanctus totam habet Patris & Filii ſubſtantiam.

Atque hiſce de auguſtiſſimo SS. Tri- 462
nitatis myſterio tractationem noſtram concludimus ; quæ non nimis prolixa duntaxat , quin potiùs admodum anguſta videri debet ei , qui novit , quantùm hujus admirandi & Sacratiſſimi myſterii notitia cuique ad ſalutem ſit omninò neceſſaria. Miramur proinde, quòd quidam Theologi, aut potiùs Theologaſtri Batavi Remonſtrantes dicti duce Epiſcopio (*l*) , in tantùm cùm Socinianis hujus-

(*l*) Lib. 4. Inſtitut. Theologic. Sect. 2. c. 24.

hujuſce adorandi myſterii fidem abjicientibus ſocietatem inire maluerint, ut quamvis de Trinitate rectè ſentiant, tamen negent, illud fundamentalem eſſe fidei Chriſtianæ articulum, quem de neceſſitate ſalutis quisque credere debeat; ſatisque eſſe, aſſerant, ad ſalutem, Deum unum & Chriſtum tanquam ejus Legatum credere, ac eis ſub utroque nomine debitum honorem & obedientiam exhibere.

At Orthodoxorum omnium certa & conſtans atque vera eſt ſententia, absque ſalutis diſpendio non modò negari, ſed nec ignorari poſſe iſtud Myſterium, quod totius Religionis Chriſtianæ caput eſt ac fundamentum.

Id apertè ipſa Scriptura ſacra declarat, Joannis 3. v. 18. *Qui credit in eum, non judicatur; qui autem non credit jam judicatus eſt; quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei.* Et v. 36. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.* 1. Joan. c. 5. v. 20. *Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, ut cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio ejus. Hic eſt verus Deus, & vita æterna.* Ex quibus patet, ad ſalutem obtinendam imprimis requiri, ut cognoſcatur Filius Dei, non ſolùm tanquam Patris Legatus, ſed etiam ut Unigenitus, ut verus Deus, ut vita æterna; hoc eſt, ut ſummum Bonum.

Prætereà Chriſtus Dominus Matth. 28. v. 19. alloquens Apoſtolos ait: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Addit Marci 16. v. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Nihil certè diſertius his Chriſti verbis. Unde Apoſtolus Act. 19. v. 3. obſtupeſens, quòd Epheſii dicerent ſe neſcire, an eſſet Spiritus ſanctus, reſpondit, *in quo ergo baptizati eſtis?* Quæ verba innuunt notitiam trium perſonarum velut neceſſariam baptiſmo præire. Enimverò initiandus Patri, Filio, & Spiritui ſancto in baptiſmo conſecratur, illis fidem & obſequium pollicetur: noverit ergo neceſſe eſt, quæ ſit cujusque natura & dignitas, ne cultum divinum ad creaturam transferat, vel debitum honorem vero Deo deneget.

Id etiam ultrò declarat conſtans Traditio & uſus Eccleſiæ, quæ ab initiandis expreſſam Sanctiſſimæ Trinitatis fidem ſemper exegit, *Si baptizari apud hæreticos potuit*, inquit S. Cyprianus, Epiſt. 73. ad Jubajanum, *templum Dei factus eſt, quæro cujus Dei? Si Creatoris; non potuit, qui in eum non credidit: ſi Chriſti; nec hujus fieri poteſt templum, qui negat Deum Chriſtum: ſi Spiritus ſancti; cùm tres unum ſint, quomodò Spiritus ſanctus placatus ei eſſe poteſt, qui aut Patris, aut Filii inimicus eſt?* Quæ, inquam, è ſinu ſuo ſtatim omnes eos ejecit, qui vel perſonarum trinitatem, vel earum conſubſtantialitatem negarunt.

Denique Innocentius XI. annô 1679. damnavit hanc propoſitionem, *Abſolutionis capax eſt homo, etiamſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini.* Porro ſi incapaces ſunt abſolutionis, qui ineffabile illud myſterium ignorant, profectò illius cognitio ad ſalutem erit neceſſaria. Caveant ergo fidelium Paſtores & Parochi, ne ipſorum ſilentiô & incuriâ, animæ ipſorum curæ demandatæ adorandum iſtud ignorent myſterium, ſicque miſerè pereant.

Digitized by Google

Id etiamnum ratio ſuadet. Enimverò nullam omninò communionem, nullamve ſocietatem habere licet cum iis, qui vel creaturam pro Deo colunt, eique adhærent tanquam primo principio, & ultimo fini: vel ſupremum cultum vero Deo impendere detrectant; hæc eſt enim ſumma impietas, ad quam expugnandam primùm inſtituta eſt vera Religio. Atqui Sociniani, Chriſtum aſſerentes creaturam, vel creaturam pro Deo colunt, vel ſupremum honorem vero Deo abjudicant. Ergo cum illis nulla communio, nulla ſocietas eſt habenda. Unde S. Joannes Epiſt. 2dâ. v. 10. ſcribens de illis, qui negant Chriſtum vel eſſe Filium Dei, vel veniſſe in carnem, ſic habet: *Nolite recipere eum in domo, nec Ave ei dixeritis; qui enim dicit illi, Ave, communicat ejus operibus malignis.*

Finis Tractatus primi.

Digitized by Google

TOMI SECUNDI
TRACTATUS
SECUNDUS
DE
ANGELIS ET HOMINE,
SEU
DE DEO CREATORE.

Digitized by Google

INDEX

Tractatûs de Angelis & Homine.

Proœmium - - *Num.* 1.

Cap. I. De Angelis. - - - 3.

§. I. *De exiſtentia & natura Angelorum.* - - - 4.

§. II. *De Angelorum Auctore.* 24.

§. III. *De proprietatibus Angelorum.* - - - 39.

§. IV. *De merito Angelorum.* 50.

§. V. *De primo peccato Angelorum.* - - - 52.

§. VI. *De variis Angelorum effectibus.* - - 69.

§. VII. *De variis Angelorum ordinibus.* - - - 73.

Cap. II. De aſpectabili Mundi hujus productione. 76.

§. I. *Utrum Mundus ſit ab æterno.* - - - 77.

§. II. *Quonam ordine cuncta viſibilia condita ſint.* - 79.

Cap. III. De creatione primi Hominis. - 83.

§. I. *De iis, quæ ad hominis creationem pertinent.* - 84.

§. II. *De gratia primi hominis.* 91.

§. III. *De lapſu & peccato primi hominis.* - - 93.

TOMI

Digitized by Google

TOMI SECUNDI
THEOLOGIÆ UNIVERSALIS
TRACTATUS SECUNDUS
DE
ANGELIS ET HOMINE.

Proœmium.

POſtquàm ſufficienter, quantum arbitramur, ea præcedenti Tractatu expendimus, quæ Deum prout in ſe eſt, atque ad intra ſeu immanenter operatur, atque adeò etiam divinarum perſonarum proceſſiones ſpectant; Doctrinæ ordo poſtulare videtur, ut modò de iis agamus, quæ ipſe ad extra ſeu tranſeunter operatur, nempe de creaturarum à Deo proceſſionibus diſſeramus.

Operationes autem Dei ad extra tres omninò numerantur, ſeu tripliciter creatura à Deo procedere intelligitur, creatione ſcilicet, conſervatione & immediato concurſu ad ſingulas cauſarum ſecundarum actiones, quem Thomiſtæ præmotionem divinam cauſas ſecundas ad agendum applicantem, nuncupant.

Creatio dupliciter ſumitur. 1mo. Latiùs & impropriè pro qualibet productione, quo ſenſu Sapientia de ſe ipſa dicit Eccli. 24. v. 14. *Ab initio & ante ſæcula creata ſum.* Et Epheſ. 4. v. 24. *Induite novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt.* 2do. Strictiùs & propriè pro productione ex nullo præjacente ſubjecto, quo ſenſu hîc accipitur, atque definitur, *productio totius entis ex nibilo.* De qua intelligenda ſunt hæc Moyſis verba Gen. 1. v. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram*, ut conſtat ex cap. 7. v. 28. lib. 2. Machab. *Peto, nate, ut aſpicias ad cœlum & terram, & ad omnia, quæ in eis ſunt, & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus.* Unde Concilium Lateranenſe IV. cap. *Firmiter* ait: *Utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem & corporalem.*

Conſervatio eſt *continuata rei productio*, ſeu *continuus influxus in effectum.* Quòd autem creaturæ continuo influxu à Deo pendeant declarat Scriptura, Pſal. 103 *Auferes Spiritum eorum, & deficient, & in pulverem ſuum revertentur:* emittes

emittes Spiritum tuum, & creabuntur. Act. 17. v. 28. *In ipſo ... vivimus.* Heb. 1. *portans ... omnia verbô virtutis ſuæ.*

Concurſus eſt ipſa creaturæ actio, prout eſt à Deo tanquam primo motore, & cauſa univerſali rerum omnium, ſive præmoveat, & applicet cauſas ſecundas ad opus, ſive cum illis ſimultaneè concurrat. Hujus divini concursûs neceſſitatem & exiſtentiam declarat Scriptura, Act. 7. v. 28. *In ipſo ... vivimus, & movemur, & ſumus.* Et Luc. 4. v. 30. Judæis concurrentibus, ut Chriſtum Deum præcipitarent ex ſupercilio montis, ipſe *tranſiens per medium illorum ibat*, inviſibilis nimirùm factus, Deo concurſum denegante eorum oculis alioquin apertis. Habetur etiam ex celebri Philoſophorum effato, operari ſequitur eſſe: atqui, ex dictis, creaturarum eſſe abſolutè indiget continuo & immediato Dei influxu: ergo & earum operari. Deinde, omnis creatura eſſentialiter pendet à Deo immediatè influente: ergo & ejus productio; nam productio creaturæ eſt ipſamet creatura in motu imperfecto, ſeu tranſiens à non eſſe ad eſſe; ergo ſi creatura in nullo ſtatu poſſit eſſe ſine Dei influxu, ſequitur Deum influere ad ejus productionem, ſeu ad ea, quæ ipſa producit. De creaturis ergo ſecundùm ſe ſpectatis ita nobis hîc diſſerendum, ut non tam ipſas, quàm Deum in ipſis operantem, & quidem pleniùs, quàm anima in corpore quod vivificat, intuentes, illum ſolum miremur & adoremus in operibus ejus, ſive adverſa, ſive proſpera videantur.

2 Porro fide tenemus, creaturas generatim dividi in inviſibiles ſeu ſpirituales, & viſibiles ſeu corporeas: prioris generis ſunt Angelus & anima humana, quibus, ut jam in Metaphyſica noſtra adnotavimus (*a*), nonnulli recentiores Philoſophi belluæ animam adjungunt; ſecundi generis ſunt omnia quæ corporea ſunt & materialia. Ex quo patet, quòd inter creaturas nonnullæ ſint, quæ omninò ſpirituales eſſe dignoſcuntur, ut Angeli; aliquæ prorsùs materiales, ut corpora; aliæ verò ex ſpiritu & corpore conſtantes, ut homo; de quibus ſingillatim præſenti Tractatu agemus, quem, quia inter illas creaturas præcipuæ & primæ ſunt Angeli, ab illorum nomine cum plerisque Theologis nuncupavimus; quamvis non modò de illis, ſed & de aſpectabilis hujus univerſi productione; necnon de homine, ad cujus uſum condita ſunt omnia, quæ ſub ſenſus cadunt, ſimus acturi, non quidem more Philoſophorum, qui naturam ducem curioſè ſequuntur; ſed Theologorum, qui, juxta Tertullianum, plura ſcire non ambiunt, quàm quæ à Deo revelante didicerunt; cùm alia ad ſalutem minimè ſint neceſſaria.

Tribus porro Capitibus hunc Tractatum concludemus, in quorum primo ea de Angelis expendemus, quæ poſt illa, quæ de ipſis in Metaphyſica noſtra adnotavimus, adhuc expendenda ſupereſſe videntur. In ſecundo de aſpectabilis hujus univerſi productione tractabimus; & in tertio denique de homine diſſeremus.

(*a*) *Part. 2. cap. 4.*

CAPUT

Digitized by Google

3 Caput Primum.

De Angelis.

ANgelorum nomine intelligimus ſubſtantias, quarum ſpecies inter Deum & hominem media ſit: ita ut Deô ſit inferior, & homine ſuperior. Quæ autem circa hujuſmodi ſubſtantias conſiderari poſſunt, hæc ſunt, ſcilicet eorum exiſtentia, natura, auctor, proprietates, meritum, peccatum, effectus, ordines; de quibus ſequentibus Paragraphis agemus.

§. I.

4 *De exiſtentia, & natura Angelorum.*

Angelus ſecundùm vim nominis, prout in Metaphyſica noſtra part. 2. c. 2. §. 1. jam indicavimus, idem eſt ac *Nuntius*, hinc *Evangelium* latinè ſignificat *bonum nuntium. Angelorum vocabulum*, inquit S. Gregorius, Hom. 34. in Evang. *nomen eſt officii, non naturæ ... tunc ſolùm ſunt Angeli* (cœleſtes Spiritus) *cùm per eos aliqua nuntiantur.*

Generatim ergo dicuntur Angeli, qui à Deo mittuntur ad aliquod munus implendum. *Nec novum eſt Spiritui ſancto*, inquit Tertullianus, lib. cont. Jud. c. 9. *Angelos appellare eos, quos miniſtros virtutis ſuæ Deus præfecit.* Hoc ſenſu Sacerdotes Malach. 2. Angeli vocantur, *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam ... quia Angelus Domini exercituum eſt.* Joannes Baptiſta Angelus à Chriſto dicitur Matth. 11. v. 10. Quin & ipſe Dominus à Patre miſſus appellatur *Angelus Teſtamenti*, Malach. 3. v. 1. *Magni conſilii Angelus*, Iſaiæ 9. juxta 70. Interpretes.

Vox igitur Angeli, ſi vocabuli vis ſpectetur, nomen eſt muneris ac officii, non naturæ. *Angelus officii nomen eſt*, inquit S. Auguſtinus (*b*), *non natura &c.*

Speciatim autem apud Scriptores ſacros & Eccleſiaſticos, adeoque & Theologos, nomine Angeli intelligitur, *Spiritus quidam creatus ſuô modô completus.* Seu, *Angelus eſt ſubſtantia creata, omnis materiæ expers, completa & intellectualis, cujuſcunque ſit ordinis.* (*c*)

Dicitur *ſubſtantia creata*, ut diſtinguatur à Deo. *Omnis materiæ expers*, quo differt ab homine, qui eſt ſpiritualis ſimul & corporeus. *Completa* in quo diſcrepat ab anima humana, quæ quidem eſt omninò ſpiritualis, ſed incompleta, utpote pars hominis, qui & corpore, altera ſui parte eſſentiali, conſtat. *Intellectualis*, & tanta vi intelligendi prædita, ut Angeli ſimpliciter vocentur Intelligentiæ, vel Dæmones, id eſt, ſcientes. Hinc *Eudæmonis*, id eſt, boni Angeli, & *Cacodæmonis*, ſeu mali Angeli nomina. Attamen in Scriptura ſacra Dæmon in malam partem accipi ſolet, *in nomine meo Dæmonia ejicient*, Marci ultimô.

Igitur generatim duplicis ſpeciei ſunt 5
Angeli, mali nempe, *Diſcedite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus*, Matth. 25. v. 41. Et boni, *Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei &c.* Matth. 18. v. 10. Quanquam Theologi poſt S. Gregorium in ſtrictiori ſignificatione ſolos beatos ſpiritus *Angelos* vocitare ſolent; quorum etiam, ut ſuô locô exponemus, varii ſunt ordines.

De Angelis igitur generatim quæritur 1mo an exiſtant? 2do an ſint meri Spiritus, immortales, necnon ſpecie diverſi?

Plures è veteribus Philoſophis, Epi- 6
curei præſertim, Angelorum exiſtentiam

(*b*) *In Pſal.* 101. *Serm.* 1. *n.* 15. (*c*) Vid. in Metaphyſica noſtra, loc. cit.

contra Platonicos, & Peripateticos (*d*), negârunt. Enimverò *ignorantes*, inquit S. Thomas (*e*), *vim intelligendi, & non diſtinguentes inter ſenſum & intellectum, nihil eſſe exiſtimaverunt in mundo, niſi quod ſenſu & imaginatione apprehendi poteſt. Et quia ſub imaginatione non cadit niſi corpus, exiſtimaverunt, quòd nullum ens eſſet, niſi corpus.* In eundem errorem impegerunt inter Judæos Sadducæi, quorum hæreſis tempore Machabæorum, ut fertur, exorta ſic prævaluit in Judæorum Republica, ut quidam ex illis ſummum Sacerdotium, & alias primarias dignitates fuerint adepti. De iis frequens fit mentio in Evangelio, & illorum errorem S. Lucas deſcribit Act. 23. v. 8. his verbis: *Sadducæi enim dicunt, non eſſe reſurrectionem, neque Angelum neque ſpiritum.* Nomine autem Angelorum, quod ſæpè in Scripturis occurrit, intelligebant divinas quasdam inſpirationes, & impreſſiones, quibus Deus ſuam voluntatem aut declarat, aut exequitur.

Hunc Sadducæorum errorem magna ex parte denuò exſuſcitârunt hodie Anabaptiſtæ, qui omnia Scripturæ teſtimonia, in quibus aſſeritur Angelorum cuſtodia & dæmonum tentatio, de ſolis bonis vel malis cogitationibus interpretantur. Nulli tamen poſt Chriſtum natum Hæretici leguntur eò progreſſi, ut cum Sadducæis angelicam naturam prorsùs negarent.

7 Quod naturam Angelorum ſpectat, præcipuè hîc quæritur, an Angeli ita ſint ſpirituales, ita ut nullum per ſe ordinem ad corpus dicant, adeoque nec ſint ejus forma ſeu cum eo tanquam materiâ compoſitum aliquod efficiant, neque eo tanquam inſtrumentô, ad ſuas operationes indigeant?

Certè apud veteres Eccleſiæ Scriptores non perinde ac hodie omnibus probata fuit ſententia, Angelos eſſe incorporeos. Quidam enim Platonem ſecuti, tradiderunt, Angelos tam bonos quàm malos eſſe corporeos, aut corpora ſibi naturaliter unita habere, non quidem craſſiora ac palpabilia, ſicuti ſunt noſtra, ſed valde ſubtilia, tenuia, aëris inſtar, unde in Scripturis paſſim *Spiritus*, plerumque *aëreæ poteſtates* appellantur. Ita ſenſiſſe S. Irenæum, Tertullianum, Origenem, S. Hilarium, & nonnullos alios refert Petavius Tom. 3. Theologicorum dogmatum cap. 2. quibus annumerantur, quotquot illud Geneſ. 6. *Videntes Filii Dei*, juxta ſeptuaginta Interpretes, *Angeli Dei filias hominum quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores*, intellexerunt de Angelis, qui genuerunt gigantes, ut S. Juſtinus, Apol. 1. *Victi fœminarum amore, ſuſceperunt ex eis progeniem, quam vulgus genios vocat.* S. Clemens Alexandrinus, lib. 3. Strom. *Angeli cùm fuiſſent incontinentes, victi cupiditate, &c.* Athenagoras in Apol. S. Cyprianus, lib. de habitu Virginum, *ad terrena contagia à cœleſti vigore receſſerunt.* S. Ambroſius, lib. de Noë & Arca, cap. 4. & lib. 1. de Virginibus, cap. 8. Euſebius Præparat. Evang. lib. 5. c. 4. Sulpitius Severus, hiſt. Eccleſ. lib. 1. (*f*) Lactantius, lib. 2. inſt. c. 15.

Ad quorum opinionem ex Recentioribus acceſſerunt Eugubinus, lib. 8. De perenni philoſophia, c. 27. Cajetanus, ad cap. 2. Epiſt. ad Epheſ. ubi putat Dæmonem appellari ab Apoſtolo, *principem tenebrarum & aëris*, quia ejusmodi habet corpus tenue & ſubtile. Rupertus lib. 1. de Victoria Verbi, cap. 26. peculiarem tradit hac de re ſententiam: ait enim, Dæmones ante transgreſſionem quidem

(*d*) Vid. in Metaphyſica noſtra loc cit. (*e*) 1. *Part. quæſt.* 50. *art.* 1. (*f*) Vid. ſup. Tom. 1. Theol. noſtræ Tract. 4. de SS. PP. cap. 1. §. 2.

Digitized by Google

quidem cœleſtia corpora geſſiſſe, lapſos verò per ſuperbiam in aëream qualitatem eſſe converſos.

8 Nonnulli verò circa præſentem quæſtionem in ancipiti verſati ſunt, atque de ea tanquam re dubia locuti ſunt. Ita imprimis S. Auguſtinus multis in locis. Lib. 83. quæſt. q. 47. tribuit Angelis ſubtiliſſima corpora aërea. Lib. 1. de Geneſ. ad litt. cap. 18. Et lib. 9. de Civ. cap. 13. vocat Angelum *animal rationale & immortale.* Epiſt. 115. *animal aëreum.* Enchiridii cap. 19. difficillimam eſſe dicit quæſtionem de corporibus Angelorum. Item lib. 21. de Civ. cap. 11. dubiam relinquit quæſtionem, an Dæmones habeant corpora necne. Librô autem Retract. 1. cap. 26. revocat, quod dixerat, ſummos nempe Angelos ſpiritualiter vivere, infimos verò animaliter. Et lib. 2. Retract. cap. 14. improbat Angelos à ſe aliquando animal vocatos, cùm dicendi ſint ſpiritus.

In eadem dubitatione verſatum fuiſſe S. Bernardum, non obſcurè colligitur ex lib. 5. de Conſid. cap. 4. & Serm. 5. & 6. in Cant. iis enim in locis contendit Angelos ſua miniſteria exequi non poſſe ſine corporibus: an autem ea corpora ad eorum ſubſtantiam pertineant, ipſiſque naturaliter uniantur, ita ut ſint animalia ſicut homines; an verò ea pro nutu ſuo aſſumant aut deponant, ignorare ſe confitetur.

9 Quantùm ad Angelorum immortalitatem, ſeu incorruptibilitatem & indefectibilitatem, quæſtio vertitur, imò an Angeli ſive boni ſive mali ſemper ſint futuri, nec unquam interituri, & proinde immortales ſeu incorruptibiles hoc ſenſu dici debeant, quòd nunquam eſſe deſituri ſint, idque habeant ex ſua natura, an verò ex ſola gratia, favore, ac liberalitate Dei; quamvis nemo neget, eos abſolutè, & ita ut nec à Deo deſtrui & ad nihilum redigi poſſint, immortales non eſſe.

Hæretici quidam, quos *Libertinos* vocant, ſicut animas hominum, ita & Angelos immortales eſſe negant, ſed volunt, ut ſicut initium, ſic & exitum ſint habituri; ſolius quippe Dei propriam eſſe immortalitatem, cujus res creatæ participes eſſe nequeant.

Præterea ad Angelorum naturæ quæſtionem pertinere videtur ea, quæ inter Scholaſticos viget controverſia, num videlicet ſint unius & ejuſdem ſpeciei necne. Quid hac in re ſentiendum ſit, paulò inferiùs exponemus. His ita prælibatis ſit

Conclusio I. 10

Angeli verè exiſtunt. Eſt de fide.

Prob. 1mo ex Scripturis, in quibus frequentiſſima & evidentiſſima occurrunt de Angelis teſtimonia, Geneſ. 22. *Angelus Domini de cœlo clamavit dicens, Abraham &c.* Exodi 23. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te . . . . Audi vocem ejus.* Tobiæ 12. *Ego ſum Raphaël Angelus, unus ex ſeptem qui aſtamus ante Dominum.* Pſalm. 8. *Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis* Matth. 18. *Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris.*

Prob. 2do ex Conciliis, maximè Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. an. 1215. cap. *Firmiter. Unum eſt*, inquit, *univerſorum principium, Creator omnium, viſibilium & inviſibilium, ſpiritualium & corporalium, qui ſua omnipotenti virtute, ſimul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam, & deinde humanam quaſi communem, & ſpiritu & corpore conſtitutam.*

Prob. 3tio ex SS. Patribus. S. Dionyſius, lib. de cœleſti Hierarchia paſſim, ac maximè c. 14. Angelorum hierarchias, ordines

ordines, officia deſcribit, ſicut ab Apoſtolo fuerat edoctus. (*g*)

S. Auguſtinus, in Pſal. 102. ſic ſcribit: *Angelos novimus ex fide, & multis apparuiſſe ſcriptum legimus & tenemus, nec inde dubitare fas nobis eſt.*

S. Gregorius, Hom. 34. in Evang. *Angelos*, inquit, *& Archangelos penè omnes ſacri eloquii paginæ teſtantur.*

Prob. 4to ex conſenſu totius Eccleſiæ, quæ Angelos ut perſonas naturâ valdè excellentes veneratur & invocat, tanquam Dei miniſtros & hominum cuſtodes beatifica Dei viſione fruentes.

Prob. 5to Rationibus Theologicis. Prima eſt ea, quam in Metaphyſica noſtra ſæpè jam citata part. 2. cap. 2: §. 2. adduximus, deſumpta ex miris quibusdam ac ſtupendis energumenorum effectibus, qui nonniſi in aliquam intellectualem ſubſtantiam refundi poſſunt &c. Quam vide.

2da: Ornatus & perfectio mundi poſtulat, ut dentur ſubſtantiæ purè ſpirituales & intellectuales; cùm dentur & merè corporeæ, ut ſunt lapides, arbores, &c. & partim corporeæ partim ſpirituales, ut ſunt homines, & juxta nonnullos, bruta. Atqui ſubſtantiæ purè ſpirituales & intellectuales ſunt Angeli. Ergo, &c.

3tia. Oportet eſſe aliquas creaturas, quæ Deo aſſimilenter ſecundùm illud, per quod Deus mundum creavit, id eſt, ſecundùm intellectum & voluntatem. Atqui ſic Deo aſſimilantur naturæ purè intellectuales & incorporeæ. Ergo oportet eſſe tales aliquas creaturas, id eſt, Angelos. Major habetur ex eo, quia id quod Deus præcipuè in rebus creatis intendit, eſt ipſum bonum quod conſiſtit in aſſimilatione ad Deum. Minor verò conſtat. Quamvis enim anima humana ſit etiam purè intellectualis & incorporea, non tamen eſt natura aliqua totalis, ſicut Angelus, ſed pars tantùm naturæ hominis, quæ corpus ſimul & animam connotat.

Verùm hæ rationes, quamvis probabiliſſimæ videantur, non tamen omninò convincunt, cùm non evidenter Angelorum exiſtentiam demonſtrent, ut patet: Si quæ enim dari poſſet evidens ac demonſtrativa ratio exiſtentiæ Angelorum, vel illa ſumeretur ex natura & eſſentia Angelorum, vel ex cauſa productiva, vel denique ex eorum effectibus & operationibus. Atqui nullum ex his tribus demonſtrativè probat Angelorum exiſtentiam. Non 1mum quia non eſt de eſſentia Angelorum, ut actu exiſtant: hoc enim ſoli Deo competit. Non 2dum quia conſtat, Angelos à Deo liberè creatos fuiſſe; ac proinde cauſa Angelorum productiva nullam habet neceſſariam connexionem cum ipſorum exiſtentia. Non denique 3tium nulli enim proferuntur effectus, qui, licèt ſtupendi ſint & mirabiles, ad alias tamen cauſas abſolutè loquendo referri non poſſint, quàm ad Angelos, putà in Deum ſolùm, vel in animas corporibus ſolutas.

CONCLUSIO II. 11

Angeli ſunt ſubſtantiæ merè ſpirituales & corporis omninò expertes.

Prob. 1mo ex Scriptura, quæ Angelos ſive bonos ſive malos conſtanter vocat *Spiritus.* Sic Pſal. 103. *Qui facit Angelos ſuos Spiritus;* hoc eſt, qui eos, quorum natura & ſubſtantia ſpiritualis eſt, miniſtros ſuos, & nuntios, necnon mandatorum ſuorum executores inſtituit, prout explicat S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 34. & S. Damaſcenus, lib. 2. de Fide, c. 3. Matth. 8. *Ejiciebat Spiritus.* Ibid.

(*g*) Quidam eruditi dubitant, num S. Dionyſius hujus libri auctor ſit.

Digitized by Google

Ibid. cap. 10. v. 1. *Dedit illis poteſtatem Spirituum immundorum, ut ejicerent eos.* Lucæ 10. v. 20. *Spiritus ſubjiciuntur vobis.* Et c. 11. v. 24. & 26. *Cùm immundus Spiritus exierit de homine . . . . . . tunc vadit & aſſumit ſeptem alios Spiritus nequiores ſe.* Act. 8. v. 39. *Spiritus Domini rapuit Philippum.* Heb. 1. v. 14. *Nonne omnes ſunt adminiſtratorii Spiritus.* Apocal. 5. v. 6. *Qui ſunt ſeptem Spiritus Dei.*

Ex quibus ſic argumentamur. 1mo. Si Angeli non eſſent merè ſpirituales, ſed compoſiti ex corpore & ſpiritu, non appellarentur ſimpliciter ſpiritus, ſed dicerentur habere ſpiritus & corpora; quemadmodùm homo nusquam ſimpliciter dicitur corpus aut ſpiritus, ſed habens corpus, habens ſpiritum ſeu animam. Atqui Scriptura ubique Angelos vocat Spiritus ſimpliciter, æquè ac Deum, & animam rationalem. Ergo Angeli nullatenus corpore conſtant, ſicut nec anima rationalis, nec ipſemet Deus.

2do. Scripturæ cùm Angelos vocant Spiritus, de iis eodem modo loquuntur, quo de hominibus, nempe hos Spiritus nobis exhibent tanquam perſonas, quæ Dei nomine quibusdam miniſteriis funguntur. Ergo ſicut hominis nomine Scripturæ completam ſubſtantiam intelligunt; ita & nomine Spiritûs, cùm Angelos eo nomine deſignant.

3tio. Si Spiritus eſſet una Angelicæ ſubſtantiæ pars, & corpus altera, Scriptura alicubi proprio nomine expreſſiſſet completam illam ſubſtantiam ex ſpiritu & corpore conſtantem, ſicut innumeris in locis, ubi de homine loquitur, aſſerit, eum ex anima & corpore conſtare. Atqui Scriptura cum de Angelis loquitur, nullibi proprio nomine expreſſit completam illam ſubſtantiam, quæ ex ſpiritu & corpore conſtet: Ergo *Spiritûs* nomen ſumpſit pro completa & integra Angelorum natura.

In profeſſione fidei Synodi VII. generalis, ſeu Nicænæ II. Act. 4. ſancti Angeli vocantur incorporei. *Veneramur*, inquiunt Patres, *imagines Sanctorum, & incorporeorum Angelorum, utpotè qui tanquam homines figurâ humanâ juſtis apparuerunt.* Porro qua ratione Patres Nicæni Angelos ſimpliciter & absque reſtrictione *incorporeos* appellaſſent, ſi ex corpore partim & ſpiritu conſtituerentur? Ergo, &c.

Concilium Lateranenſe jam primùm Concluſione 1ma à nobis laudatum, *Creator omnium*, inquit, *ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis utramque condidit creaturam, ſpiritualem & corpoream, Angelicam videlicet & mundanam, ac deinde humanam, quaſi communem ex corpore & ſpiritu conſtitutam.* Quibus verbis Concilium docet 1mo Angelos eſſe creatos ex nihilo. Ergo non ſunt formati ex ſubſtantia aëris, neque ex alia quadam materia. 2do. Aſſerit Angelos eſſe ſpiritus, quemadmodùm anima hominis ſpiritus dicitur. Atqui anima hominis eſt omninò ſpiritualis & incorporea. Ergo Angeli ſunt purè ſpirituales & incorporei. 3tio denique affirmat, hominem ſubſtantiam eſſe mediam inter Angelicam & corporalem creaturam. Atqui homo conſtans corpore & ſpiritu non alia ratione poteſt eſſe media ſubſtantia inter Angelicam & corporalem, quàm quòd illa neque ex toto neque ex parte corporea ſit, ſed tota ſpiritualis; hæc verò neque ex toto neque ex parte ſpiritualis ſit, ſed tota corporea.

Prob. 3tio ex Patribus tum Græcis tum Latinis. Ex Græcis quidem ſanctus Ignatius in Epiſtola ad Trallenſes vocat Angelos *incorporeas naturas.*

S. Ba-

Digitized by Google

S. Baſilius lib. de Spiritu ſancto c. 1. ait, Angelum eſſe *ſubſtantiam incorpoream.*

S. Gregorius Nyſſenus Orat. 4. in Orat. Dominicam: *Omnis*, inquit, *natura rationalis dividitur in corpoream & incorpoream naturam: incorporea porro eſt angelica creatura, altera nos ſumus.*

S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 34. Angelos dicit eſſe *incorporeos & ad Deum proximè accedentes.*

S. Joannes Damaſcenus, lib. 2. de Fide, cap. 3. Angelum definit, *ſubſtantiam intelligentem atque corporis expertem.*

S. Chryſoſtomus, Hom. 22. in cap. 6. Geneſ. ſæpiùs repetit, *Angelorum naturam eſſe incorpoream, quæ corporis complexum non fert ad generandum.*

Euſebius Cæſarienſis lib. 4. de demonſt. Evang. cap. 1. ſcribit, *incorporeas quaſdam & intelligentes ac divinas virtutes eſſe Angelos, & Archangelos materiâ carentes, & puros omninò ſpiritus.*

Theodoretus, quæſt. 20. in Geneſ. hanc affert rationem cur homo ideò non ſit imago Dei, quòd ſub ſenſus non cadat, *Alioquin*, inquit, *potiùs imagines Dei vocarentur Angeli & Archangeli, & omnes incorporea, utpote corporibus vacuæ, & ſine ulla mixtione minimè aſpectabiles.*

Auctor de divinis nominibus cap. 4. locuples eſt teſtis, hanc ſententiam fuiſſe quinti Sæculi, Angelos eſſe ſubſtantias *incorporales, atque materiâ carentes.*

Ex Latinis, S. Hieronymus, Epiſt. 59. ad Avitum, refellit Origenem, quòd dixiſſet, *Dæmones ob delicta aëris corporibus eſſe veſtitos.*

S. Leo Epiſt 93. ſic loquitur: *Fides vera, quæ eſt Catholica, omnium creaturarum, ſive ſpiritualium, ſive corporalium, bonam confitetur eſſe ſubſtantiam.*

S. Gregorius Magnus lib. 4. moral. cap. 19. conceptis verbis aſſerit, Angelos cujuſque corporis eſſe expertes: *Angelus namque*, ait, *ſolummodò Spiritus eſt: homo verò & ſpiritus & caro.* Et lib. 4. Dialogorum, cap. 29. probat, *Angelos etſi incorporeos, igne tamen cruciandos eſſe.*

Idem docent in illa verba capitis 1. Epiſt. ad Heb. *Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus*, Julius Africanus, lib. 11. c. 11. S. Fulgentius, lib. de Fide cap. 3. & alii plerique.

Ex his verò tum Græcorum, tum Latinorum Patrum textibus ſic conficimus argumentum. Illi cenſuerunt, Angelos non eſſe ſubſtantias ex ſpiritu & corpore conſtantes, qui eos vocârunt incorporeas naturas; qui dixerunt eos carere materiâ; corporibus eſſe vacuos; materiæ & corporis expertes; eos eſſe merè ſpirituales. Atqui Patres iſti ſic Angelos vocârunt, atque ejuſmodi eſſe dixerunt. Ergo cenſuerunt eos non eſſe ſubſtantias ex ſpiritu & corpore conſtantes.

Prob. 4to ex unanimi & conſtanti omnium Theologorum conſenſu, qui omnes, præſertim, qui poſt Concilium Lateranenſe ſcripſerunt (ſi unum Cajetanum excipias) docent, Angelos tam bonos, quàm malos, cujuslibet corporis eſſe expertes. Nemo autem ignorat, quanti in rebus Theologicis momenti ſit concors ac conſtans Scholaſticorum Theologorum ſententia.

Prob. 5to rationibus Theologicis. Prima eſt, quia Angeli ſunt naturæ præſtantioris, quàm animæ humanæ, ſive adhuc conjunctæ ſint corporibus, ſive ab iis jam ſeparatæ; ut enim ait S. Auguſtinus, lib. 11. de Civit. Dei, cap. 5. *Angelica natura, omnia cætera, quæ Deus condidit, naturæ dignitate præcedit.* Atqui animæ humanæ corporibus ſolutæ, ſeu etiam iis conjunctæ ſunt purè ſpiri-

Digitized by Google

ſpirituales & incorporeæ, prout in Metaphyſica noſtra part. 2. cap. 3. §. 1. demonſtravimus. Ergo & Angeli ſunt purè ſpirituales, & omninò incorporei.

Secunda eſt, quia ſi Angeli conſtant ex ſpiritu & corpore, erunt ejusdem naturæ cum hominibus, atque re vera homines; ſive craſſum ſive ſubtile corpus habeant, ſive alimentis egeant, ſive non, ſive immortales ſint necne, propterea à ratione hominis excludi non poterunt, id enim accidens quoddam eſt, quod ſpecificum in natura diſcrimen inducere non valet, ut manifeſtè patet exemplô hominis, qui poſt futuram reſurrectionem non ſecus homo erit, ac antea fuit. Atqui. Ergo.

Tertia eſt, Quia ſi Angeli corpus habent, tunc quoties è cœlo in terram mittuntur, aut aliàs moventur, quod fit in inſtanti, aut ſaltem motu maximè celeri, tunc neceſſe eſt, ut aër, quem pertranſeunt, maxima celeritate dividatur, & poſteà claudatur. Atqui nec dividitur, nec poſteà clauditur: id enim fieri non poſſet ſine magno ſonitu, & ingenti ſibilo, quem tamen nusquam percipimus, quamvis Angelorum & Dæmonum motus frequentiſſimè contingant. Ergo, &c.

Quarta ratio ſumitur ex eo, quòd *Lucæ* 8. tota legio Dæmonum unum hominem obſediſſe legatur. Atqui vix concipi poteſt, quomodò integra Dæmonum legio, ſi ſint corporei, in uno & eodem homine ſtare potuerit. Quamvis enim corpus in infinitum, ſi ita loqui fas eſt, ſit diviſibile, ideoque maxima corpuſculorum multitudo in uno homine contineri & concludi poſſit, quia tamen qui Dæmones corporeos exiſtimant, non corpuſcula, ſed corpora eis tanquam animalibus tribuunt, contra eos probabile hinc efficitur, Dæmones ex corpore & ſpiritu non conſtare.

12 Ex hactenus dictis patet etiam, quòd Angeli non indigeant corpore tanquam inſtrumentô per quod ſuas naturales operationes eliciant, id eſt, intellectionem & volitionem. Non enim minùs independenter à corpore duplicem illum actum eliciunt, quàm animæ à corporibus poſt mortem ſeparatæ, quæ etiam intellectionem & volitionem eliciunt. Unde Concluſio noſtra per totum probata manet.

13 Cæterum, quamvis poſt adducta à nobis pro ſpiritualitate & incorporeitate Angelorum argumenta, præſertim illud, quod à definitione Concilii Lateranenſis IV. petitur, omninò temerarium videtur, tueri eos corporibus eſſe inſtructos, attamen noſtram ſententiam omninò de fide eſſe non audemus pronuntiare, quia id ab Eccleſia definitum fuiſſe, & proinde ad fidem ſpectare negant ferè omnes Scholaſtici, etiam ii qui poſt Concilium Lateranenſe IV. ſcripſêre, ut poſt ſanctum Thomam, De Malo quæſt. de Dæmonibus, artic. 1. Sixtus Senenſis, lib. 5. Biblioth. Sanctæ, Annot. 3. Bartholomæus Carranza Collector Summæ Conciliorum, in Annot. ad Act. 5. Synodi VII. Cajetanus adeò non putat id fidem tangere, ut Scribens ſuper illud Epheſ. 2. *Secundùm principem poteſtatis aëris hujus*, affirmet, Dæmones eſſe ſpiritus aëreos. Idem docent, nempe quæſtionem hanc fidem non tangere, Dominicus Bannes in primam part. quæſt. 51. art. 1. Salmanticenſes, Eſtius, Sylvius, Meratius, & alii.

Ad laudatum à nobis Concilii Lateranenſis IV. decretum dicunt memorati Scholaſtici, Angelos eſſe ſpirituales & incorporeos, non ex profeſſo & definitivè aſſertum fuiſſe ab hujus Concilii Patribus, ſeu ex intentione definiendi, ſed enuntiativè duntaxat, & obiter ac quaſi

per tranſennam ſupponendo. Eorum ſiquidem intentio erat unicè definire, quòd Deus ſit auctor & creator omnium rerum, tam earum quæ dicuntur corporeæ, quàm illarum, quæ dicuntur ſpirituales: idque appoſitè ad errorem Albigenſium, contra quos agebatur, qui hac in parte ſecuti Manichæos, contendebant, Deum non eſſe rerum omnium principium, ſed quaſdam eſſe corporeas, ſcilicet à principio nequam, alias verò à bono principio, quod quidem Deum eſſe fatebantur.

14 CONCLUSIO III.

Angeli ſunt immortales, atque in perpetuum ſunt extituri, nullique interitui unquam ſubjacebunt; idque ex natura ſua ac principiis ſuis intrinſecis: non tamen ita abſolutè, ut à Deo deſtrui, & ad nihilum redigi ex potentia ipſius extraordinaria, qua præter exigentiam cauſarum naturalium agit, non valeant. Tres ſunt hujus Concluſionis partes, quarum prima eſt de fide.

Prob. 1ma pars. 1mo ex Scriptura, qua conſtat Angelos bonos æternùm perſeveraturos in gloria, malos verò in pœna. De bonis quidem habetur Luc. 20. ubi nobis promittitur æqualitas cum Angelis, cùm vitam poſſidebimus æternam: *Illi verò, qui digni habebuntur Sæculô illô & reſurrectione ex mortuis, neque nubent . . . . neque ultrà mori poterunt: æquales enim Angelis ſunt.* Cùm ergo æterna futura ſit juſtorum hominum beatitudo, idem judicandum eſt de ſanctorum Angelorum præmio ac beatitudine.

De malis autem expreſſa eſt Scripturæ doctrina, Matth. 25. *Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus.* Et in Epiſt. S Judæ, v. 6. dicitur, *Angelos, qui non ſervaverunt ſuum principium, eſſe vinculis æternis ſub caligine reſervatos.* Angeli itaque ſive boni ſive mali nunquam deſinent, ſed æternùm vivent.

Prob. 2do ex ſenſu totius Eccleſiæ animas humanas immortales definientis, quem Eccleſiæ ſenſum confirmat Concilium Lateranenſe ſub Innocentio X. *Sacro approbante Concilio damnamus*, inquiunt Patres, *& reprobamus omnes aſſerentes animam intellectivam mortalem eſſe; cùm illa non ſolùm verè & per ſe, & eſſentialiter humani corporis forma exiſtat, verùm & immortalis.* Atqui Angeli animas humanas perfectione antecellunt, 2. Pet. 2. & Heb. 2. Ergo & ipſi immortales erunt.

Prob. 3tio ex SS. Patribus, qui conſtanter aſſerunt, *Angelos eſſe ſubſtantias incorporeas, intellectuales & immortales.* Ita S. Athanaſius, lib. de communi eſſentia divinitatis. S. Baſilius, in Pſalm. 44. S. Cyrillus Alexandrinus, lib. 8. Theſauri, cap. 2. Idemque ſenſus eſt aliorum omnium Patrum, & omnium Fidelium, quem Sophronius Patriarcha Jeroſolymitanus expreſſit in Epiſtola, quæ lecta eſt in ſexta Synodo Act. 11. approbata verò à Patribus ejuſdem Synodi, Act. 13. in ea enim tam Angelos, quàm animas hominum incorruptibiles & immortales eſſe docet.

Prob. 4to Ratione Theologica, qua ſimul probatur 2da pars Concluſionis.

Subſtantia omninò incorporea & purè ſpiritualis dici debet intrinſecè & per naturam incorruptibilis ac immortalis; illud enim eſt ab intrinſeco, ſeu ex natura ſua incorruptibile adeoque immortale, quod intrinſecè non conſtat materiâ, quæ eſt unicum corruptionis principium, qua ſubſtantia purè ſpiritualis & incorporea non conſtat. Atqui ſubſtantia Angelica omninò incorporea eſt & ſpiritualis, prout Concluſione præcedenti demonſtravimus. Ergo, &c.

Confir-

Digitized by Google

Confirmatur. Nihil corrumpitur, niſi in quantùm vel forma ejus ſeparatur à materia, vel partes diſſolvuntur, vel denique propter pugnam contrariæ qualitatis. Atqui ſubſtantia omninò ſpiritualis non eſt compoſita ex materia & forma; non habet partes, quæ diſſolvantur, nihilque habet ſibi contrarium. Ergo, &c.

Prob. 3tia pars Concluſionis ex SS. Patribus, qui expreſsè docent, Deum abſolutè & ex potentia ſua extraordinaria Angelos poſſe deſtruere & ad nihilum redigere, ut Sophronius, Epiſt. ſupra Concluſ. 1mâ prob. 2dâ cit. S. Hilarius, in Pſal. 148. S. Auguſtinus, lib. 5. de Geneſi ad litt. cap. 2. S. Cyrillus, lib. 8. Theſauri, cap. 2. S. Gregorius, lib. 12. Moralium, c. 18.

Ratio eſt etiam, quia ſicut Deus Angelos liberè produxit, ut & alias res omnes creatas, ita productos liberè conſervat. Ergo ſicut potuit non producere, ita poteſt non conſervare, & ſi non conſervaret, in nihilum abirent; ſicut ſi non produxiſſet, extra nihilum nunquam fuiſſent. Ergo Angeli dici non poſſunt immortales, incorruptibiles abſolutè & reſpectu extraordinariæ Dei potentiæ.

Utrum denique Angeli ſolo numero, an etiam ſpecie differant, neque ex Scriptura neque ex Traditione, neque ratione certò conſtat. Eos ſolo numero differre inter ſe, cenſent Baſilius, lib. 3. contra Eunom. Gregorius Nyſſenus, Orat. 6. contra eundem Eunom. Gregorius Nazianzenus, in carmine de Virginitate. S. Maximus Martyr, Dialog. 1. de Trin. Nam illis locis docent, Angelos ejuſdem eſſe naturæ ac eſſentiæ. S. Auguſtinus verò fatetur, ſe neſcire, in quo Angeli inter ſe differant.

S. Thomas, 1. part. quæſt. 50. art. 4. ad 1. docet, omnes Angelos inter ſe differre ſpecie ſecundùm diverſos gradus naturæ intellectivæ. Nos in noſtra Metaphyſica, part. 2. cap. 2. §. 1. diximus probabile videri, diverſas Angelorum ſpecies à Deo procreatas fuiſſe; nam, ajebamus, Seraphini, Cherubini, Throni, & cæteri Angelorum ordines, ſpecie inter ſe differre videntur. Addebamus, nihil tamen vetare, quin in unoquoque ordine plures eſſe poſſint Angeli ſolo numero diſtincti. Nihilominùs candidè fateri nos oportet cum S. Auguſtino, nos neſcire, in quo Angeli inter ſe differant.

Solvuntur Objectiones. 15

Ob. 1mo contra 1mam Concluſionem. Si exiſterent Angeli, tunc Moyſes non utique prætermiſiſſet eorum creationem; cùm præcipuum locum obtineant inter Opera Dei, quæ ex profeſſo & ſpeciatim deſcribit, Geneſ. 1. & ſeq. Atqui. Ergo.

Reſp. Neg. maj. Moyſes initiô Geneſis creationem Angelorum variis de cauſis prætermiſit, 1mo. Quia ſolam rerum corporearum originem & ſeriem deſcribendam ſuſceperat. Ita S. Hieronym. Ep. 139. 2do. Quia propoſitum ipſi erat, ea ſola exprimere, quæ facta erant in obſequium hominum. Ita S. Cyrillus, lib. cont. Julian. 3tio par fuit, ut Moyſes apud Judæos merè carnales de ſpiritualibus, ut ſunt Angeli ſaltem initiò ſileret. Ita S. Chryſoſtomus, Hom. 2. in Geneſ. Porro quamvis Moyſes initiô Geneſis de Angelis non meminerit, meminit tamen eorum poſteà & in contextu Operis ſui frequenter, tanquam Dei miniſtrorum & nuntiorum, qua declaratione illorum exiſtentiam comprobavit.

Ob. 2do. Nomen Angelorum non eſt nomen naturæ, ſed muneris tantùm ac 16
officii ſignificans nuntium & legatum,

Digitized by Google

juxta illud S. Auguſtini, lib. 5. de Geneſ. ad litt. cap. 19. *Nuntii, græcè Angeli dicuntur.* Ergo in Scripturis per Angelos non deſignantur ſpiritus & perſonæ, ſeu ſubſtantiæ intellectuales per ſe ſubſiſtentes; ſed occultæ duntaxat inſpirationes, quibus quaſi Dei nuntiis homines admonentur voluntatis divinæ.

Reſp. Quòd etſi *Angelus* officii nomen eſſe ſupponatur, inde tamen colligi non poſſit, Angelum non eſſe perſonam, ſicuti ex Legati aut Oratoris nomine inferri non poteſt, eum, qui Oratoris vel Legati munere fungitur, non eſſe perſonam, aut ſubſtantiam, quæ per ſe ſubſiſtat.

Adde, quòd quamvis Græcè Angelus ſit nomen officii, apud Hebræos tamen ei ſubſtantiæ ac perſonæ nomen reſpondeat. Imò tam in Scripturis ſacris, quàm apud Scriptores Eccleſiaſticos Græcos atque Latinos uſurpatur hoc nomen *Angelus* pro ſubſtantia ſpirituali, vocabulò officii ad naturam ſignificandam translatô.

17 Ob. 3tio contra ſecundam Concluſionem. Generatio ſenſibilis & corporea corpus ſupponit. Atqui corpoream generationem tribuit Angelis Scriptura, Geneſ. 6. *Videntes filii Dei filias hominum, quòd eſſent pulchræ acceperunt ſibi uxores ex omnibus, quas elegerant &c.* Quo loci, ubi noſtra verſio habet particulam *filii Dei*, ſeptuaginta Interpretes legunt, *Angeli Dei.* Ergo eos corpus habere ſupponit.

Reſp. neg. min. In textu hebraico, & in 70. ſicut & in vulgata legitur *filii*, non *Angeli Dei* ut videre eſt in exemplaribus correctioribus, ſicut obſervat S. Auguſtinus, lib. 15. de Civit. cap. 23. & S. Cyrillus, lib. 9. adversùs Julian. Quòd autem per hæc verba Geneſ. 6. *Filii Dei* Angeli non intelligantur, manifeſtum eſt 1mo quia intelligi non poſſunt Angeli ſancti: Ii enim *neque nubunt neque nubentur*, Matth. 22. 2do. Non poſſunt quoque Dæmones intelligi, quia Dæmones nusquam vocantur in ſacris Litteris *filii Dei*, ſed *adverſarii*, *inimici.*

Dicendum igitur vocibus iſtis *Filii Dei* Geneſ. 6. intelligi filios Seth & Enos, ſive propter præſtantiam corporis non enervati libidinibus, ſive potiùs propter animum in pietate & veri Dei cultu conſtantem; filias verò hominum eſſe filias Cain, quia tanquam caro & ſanguis nihil niſi humana & terrena cogitabant. Hi ergo, cùm hactenus cognationi Cain velut à Deo maledictæ permixti non fuiſſent, pulchritudinis libidine victi, deſertaque avita pietate, acceperunt ſibi uxores ex omnibus quas elegerant, id eſt, quascunque ſibi placuiſſet accipere, quo indicari videtur, eos nec à violentia abſtinuiſſe. Unde cùm earum quoque perverſiſſimos mores didiciſſent, ſicut Iſraëlitæ Madianitarum, hinc ſtatim ſubdit textus (*b*), *Videns autem Deus, quòd multa malitia hominum eſſet in terra & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum, quòd hominem feciſſet in terra. Et tactus dolore cordis intrinſecus: delebo*, inquit, *hominem, quem creavi, à facie terræ.* Nempe aquis diluvii.

Alii dicunt, nomine *Filiorum Dei* intelligi poſſe homines ſtaturâ proceros, juxta Scripturæ conſuetudinem, quæ res celſiſſimas nomine Dei appellat phraſi hebraica, ut *cedri Dei*, *montes Dei.* Vel etiam filios Magnatum & Principum, juxta

(*b*) Verſ. 5.

juxta hebræum *elohim*, quod non ſolùm Deo, ſed etiam Principibus ac Judicibus Scriptura ſacra tribuit, Exod. 7. & Pſal. 81. quorum filii commixti cum filiabus plebis & ignobilibus genuerunt gigantes, hoc eſt, homines cæteris robuſtiores, & ad libidinem promptiores. Ita interpretantur SS. Chryſoſtomus, Auguſtinus, Cyrillus Alexandrinus, &c. Sed quicunque demum hac voce *Filii Dei* intelligantur, certum eſt, Angelos intelligi non poſſe, tum ob rationes à nobis primùm allatas, tum quia iſtorum Dei filiorum, quos Scriptura commemorat, peccata cauſa fuerunt diluvii, quod ſubſecutum eſt, atqui tunc Angeli Dei peccare non potuerunt, &c.

18 Ob. 4to. In Concilio Nicæno II. Act. 5. lectus eſt Dialogus Joannis Epiſcopi Theſſalonicenſis cum Gentili aliquo diſputantis, in quo dicitur, *Angelos tenui corpore aëreo, ſive igneo præditos eſſe, & in proprio corpore aliquando viſos eſſe*, unde poſtea concludit, *Angelos meritò depingi poſſe.* Quæ cum lecta fuiſſent ex memorato Dialogo, Taraſius Patriarcha Conſtantinopolitanus & Concilii Præſes, ſic locutus eſt: *Oſtendit Pater* (prædictus Joannes ſcilicet) *etiam Angelos oportere pingi, quoniam circumſcripti ſunt, & hominum ſpecie multis apparuerunt.* Reſponditque ſtatim univerſa Synodus: *Etiam Domine.* Atqui hac acclamatione ſententiam Joannis Concilium approbaſſe ac ſuam feciſſe videtur. Ergo, &c.

Reſp. neg. min. Equidem Joannes Theſſalonicenſis in ea ſententia fuit, *Angelos eſſe corporeos;* verùm hanc ejus ſententiam non probavit aut ſuam fecit Synodus, ſed id duntaxat, quod ex ea velut conſequens idem Epiſcopus deducebat, videlicet *Angelos rectè poſſe pingi.* An verò eſſent corporei in medio reliquit Concilium, qua de re nulla tunc quæſtio movebatur; ſed de uſu imaginum adversùs Iconomachos duntaxat; atque hoc unum contra ipſos intendebant Patres Nicæni, ſcilicet, licitum eſſe Angelos pingere. Et profectò Concilium id tantùm approbavit, quod ex libro Joannis Theſſalonicenſis excerpſit, & propoſuit Taraſius: at ille prudenter, prætermiſſa de Angelorum corporeitate opinione, de qua tunc, ut jam diximus, non erat quæſtio, propoſuit tantùm Angelos poſſe depingi, juxta ſententiam Joannis Theſſalonicenſis, eo quòd in ſpecie humana apparuerint. *Oſtendit Pater*, inquit, *etiam Angelos oportere pingi, quoniam circumſcripti ſunt, & hominum ſpecie multis apparuerunt.* Quibus auditis ſtatim ſubjecit Synodus: *Etiam Domine.* Ergo approbatio Concilii cadit tantùm in iſtud, nempe *Angelos poſſe depingi, quia ſunt circumſcripti*, id eſt, *definiti certô locô, & humanâ formâ apparuerunt*: neutiquam verò ſpectat alteram rationem à Joanne prolatam, quam conſultò prætermiſit Taraſius, nempe, *quia corporei ſunt, & quia in propriis corporibus apparuerunt.*

Denique Concilium Actione 4. refert & approbat ſententiam ſancti Athanaſii aſſerentis, Angelos eſſe incorporeos; quin & ibidem hæc fidei profeſſio habetur: *Veneramur imagines Sanctorum & incorporeorum Angelorum &c.* Ex his omnibus patet, nihil erui poſſe ex hoc Concilio adversùs noſtram Concluſionem.

Ob. 5to. Illi ſunt corporei, qui ſub ſenſibili ſpecie multoties hominibus apparuerunt; qui cum eis ſunt collocuti; cum illis manducârunt ac biberunt. Atqui hæc omnia præſtiterunt Angeli, ut patet ex variis Scripturæ textibus, Gen. 18. 19. & 28. Tob. 6. &c. &c. Ergo Angeli ſunt corporei. 19

Reſp. diſt. Maj. Illi ſunt corporei, qui ſub ſenſibili, & propria ſpecie apparuerunt, conc. Qui ſub aliena ſpecie, neg. maj. Angeli non apparuerunt in propria ſpecie, ſeu in corpore ſibi proprio, ſed in alieno, humano nimirum: formârunt autem ſibi corpus humanum ex aëre circumſtante, quem virtute, qua pollent inter res creatas, in oſſa, carnem, aliaſve corporis humani partes condenſârunt. Si quis verò quærat, quas operationes Angeli exercuerint in corporibus aſſumptis, dicimus, quòd licèt reales fuerint, verè enim cibum inſuderunt ori, digeſſerunt in ſtomachô; vitales tamen non fuerint, eo quòd profectæ non fuerint à principio vitali, quod quidem in homine non aliud eſt, quàm anima, quæ verè ac ſubſtantialiter unitur corpori, cùm è contrà Angeli accidentaliter tantùm, hoc eſt, per quasdam exteriores operationes, ut nauta navi, corporibus aſſumptis uniti fuerint.

20 Ob. 6to. Illi non ſunt purè immateriales ac incorporei, qui habent aliquam cum quibusdam rebus corporeis ſympathiam & antipathiam. Atqui Angeli, præſertim mali, habent hujusmodi antipathiam & ſympathiam. Sic 1. Reg. 16. refertur, ad pulſum citharæ Davidis Dæmonem à Saule receſſiſſe. Sic etiam Tobiæ 6. v. 8. & cap. 8. v. 2. legitur, fumô jecoris piſcis cujusdam fugatum fuiſſe Dæmonem, ejusque maleficium depulſum. Eandem Dæmones exagitandi & expellendi vim quibusdam rebus corporeis ineſſe liquet ex variis ritibus in exorciſmis obſervari ſolitis. Item, ut produnt S. Auguſtinus lib. 8. de Civ. cap. 16. & alii, Dæmones delectantur rebus quibusdam ſenſibilibus, v. g. odoribus, nidoribus, & fumô, quæ delectatio, utpote ſenſitiva, non poteſt eſſe niſi alicujus ſentientis, & proinde corporei. Ergo Angeli non ſunt purè immateriales & incorporei.

Reſp. Neg. min. Suprà dicti effectus non oriuntur ex vi nativa & oppoſitione inter res ipſas & Dæmones; ſed ex eo, quòd Deus interdum rebus naturalibus & corporeis ad Dæmones expellendos veluti inſtrumentis ad hoc aſſumptis utatur, ut patet exemplis allatis. Nec proinde Dæmones nidoribus & fumô propriè delectantur, quaſi ex illis voluptatem corporalem percipiant; ſed dicuntur iis delectari, quatenus eis placent oblationes & ſacrificia à perditis hominibus, qui ſe ipſis devoverunt, exhibita, quorum ſigna ſunt nidor & fumus, &c.

Ob. 6to. Ea ſententia non videtur admittenda, quæ communi ac conſtanti ſanctorum Patrum doctrinæ adverſatur. Atqui talis eſt ſententia, quæ docet, Angelos eſſe incorporeos, prout adductis à nobis initio hujus Paragraphi variis Patrum teſtimoniis patet. Ergo, &c. 20

Reſp. neg. min. Equidem, ut ibidem annotavimus, antiquì Patres de hac quæſtione variè ſenſerunt. Nonnulli Platonicis principiis imbuti, Angelos crediderunt ſubſtantias eſſe, quæ ſicut homo, ex ſpiritu & corpore conſtarent: Aliqui dubitarunt. Verùm alii, & quidem numerô longè plures noſtram ſententiam tuiti ſunt, quæ ſucceſſu temporis ita invaluit, ut poſt Concilium Lateranenſe IV. nulli inventi ſint, ſi Eugubinum, & Cajetanum excipias, qui eam non tuerentur, adeò ut modò contraria opinio, ſi non contra fidem, ſaltem omninò temeraria ab omnibus cenſeatur.

Ob. 7mo contra 3tiam Concluſionem. In Scripturis Deus ſolus dicitur immortalis, 1. Timoth. 6. *Qui ſolus habet immor-* 21

immortalitatem. Ergo immortalitas non competit Angelis.

Reſp. diſt. ant. Solus Deus dicitur immortalis, immortalitate abſoluta, eſſentiali & independente, conc. participata & dependente. neg. ant. Solus Deus ex ſe & per ſe ac independenter ab omni alio eſt abſolutè immortalis, utpote qui eſſentialiter eſt vita: Angeli autem, ſicut & animæ rationales, participativè ſolùm ac dependenter ſunt immortales, cùm hoc à Deo acceperint.

22 Ob. 8vo contra ſecundam partem ejusdem Concluſionis. Multi è SS. Patribus aſſerunt, Angelos non naturâ, ſed gratiâ tantùm eſſe immortales; ut S. Ambroſius, lib. de Fide ad Gratian. cap. 2. S. Damaſcenus, lib. 2. cap 3. Sophronius, in Epiſtola ſupra memorata, & in Synodo generali VI. approbata, & plures alii. Ergo.

Reſp. diſt. ant. Patres aſſerunt, Angelos eſſe immortales non naturâ, ſed gratiâ, & nomine gratiæ intelligunt donum creationis, conc. intelligunt donum ſupernaturale, neg. ant. Patres eam Dei gratiam per quam, ut docent, Angeli ſunt immortales, non minùs damnatis, quàm beatis Angelis communem faciunt. Hic igitur eſt eorum ſenſus, Angelos non à ſe, ſed à Deo per creationis donum immortalitatem habere; illud verò donum nomine gratiæ inſigniunt, quòd creaturæ nondum exiſtenti minimè debeatur.

Inſt. Quod naturâ ſuâ in nihilum tendit ac inclinatur, non poteſt dici incorruptibile ſecundùm inclinationem & exigentiam naturalem. Atqui SS. Patres mox laudati aſſerunt, Angelos eſſe naturâ corruptibiles & mortales, quia ex nihilo ſunt formati, & ad nihilum naturâ ſuâ propendent & inclinantur. Ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Quod ad nihilum naturâ ſuâ inclinatur, id eſt ex aliquo principio intrinſeco corruptioni & defectui obnoxio, poteſtque vel à cauſis corruptivis deſtrui, vel deſinere per negationem ulterioris concurſus Dei agentis ſecundùm potentiam ordinariam, illud dici nequit immortale, incorruptibile ſecundùm exigentiam & inclinationem naturalem, conc. Quod ad nihilum naturâ ſuâ tendit, hoc ſolùm ſenſu, quòd deſtrui poſſit per extraordinariam & abſolutam Dei potentiam, utentis ſcilicet ſuô ſupremô in creaturas dominiô, etiam contra earum naturalem ordinem & exigentiam, illud dici nequit immortale & incorruptibile ſecundùm inclinationem & exigentiam naturalem, neg. maj. &c. Fatemur, quòd Angeli naturâ ſuâ ſint in potentia obedientiali, ut à Deo poſſint deſtrui: at negamus, quòd hæc deſtructio foret eis connaturalis ac conformis eorum principiis intrinſecis; adeoque revera ſemper dicendi ſunt intrinſecè & naturâ ſuâ incorruptibiles.

Ob. 9no. Illi non ſunt intrinſecè & ex natura ſua immortales, qui à Deo in nihilum redigi poſſunt. Atqui Angeli, ſicut & cætera omnia creata, à Deo in nihilum redigi poſſunt. Ergo non ſunt intrinſecè, & ex natura ſua immortales. 23

Reſp. neg. maj. Ut enim obſervat S. Thomas hìc ad 3. *Non per hoc dicitur aliquid eſſe corruptibile, quòd Deus poſſit illud in non eſſe*, id eſt, ad nihilum, *redigere, ſubtrahendo ſuam conſervationem; ſed per hoc, quòd in ſe ipſo aliquod principium corruptionis habet, vel contrarietatem, vel ſaltem potentiam materiæ.* Porro Angeli, utpote purè immateriales & incorporei, his omnibus carent. Ergo ſunt intrinſecè incorruptibiles, & immortales.

Inſt. 1mo.

Digitized by Google

Inſt. 1mo. Quod eſt alicui connaturale & intrinſecum, infert ſecum in eo repugnantiam ad oppoſitum. Atqui Angeli non habent repugnantiam ad non exiſtendum, cùm poſſint per abſolutam Dei potentiam deſtrui, & annihilari. Ergo.

Reſp. diſt. maj. Quod eſt alicui naturale infert ſecum in eo repugnantiam ad oppoſitum, quod ei accidat per cauſas agentes juxta naturæ ordinem & exigentiam, conc. Quod accidat per abſolutam & extraordinariam Dei potentiam, neg. maj. Immortalitas, quæ eſt Angelo connaturalis, infert in eo repugnantiam ut deficere poſſit, vel à ſe, vel per cauſas extrinſecas naturaliter illius corruptivas: non tamen dicit repugnantiam, ut à Deo præter naturam agente deſtrui poſſit & annihilari.

Inſt. 2do. Angeli non habent repugnantiam, ut à Deo annihilentur per extraordinariam ſaltem Dei potentiam. Atqui hæc non repugnantia eſt vera potentia naturalis ac poſitiva ad *non eſſe.* Ergo ex natura ſua poſſunt deficere, adeoque non ſunt naturaliter indefectibiles.

Rep. neg. min. Hæc non repugnantia non eſt vera, naturalis ac poſitiva potentia ad *non eſſe:* neque enim ulla res ſuâpte naturâ poſitivè fertur & inclinatur in malum ſuum, quale eſt ſui ipſius deſtructio; ſed ſolùm infert potentiam obedientialem, qua quælibet creatura ſubditur Deo ad hoc, ut in ea vel ex ea faciat, quidquid contradictionem non implicat.

§. II.

24 *De Angelorum Auctore.*

Fide certum eſt, Angelos ſive bonos ſive malos Deum habere Auctorem, adeoque ab ipſo creatos fuiſſe. *In ipſo*, ait Apoſtolus Coloſſenſium 1. *condita ſunt univerſa in cœlis & terra, viſibilia, & inviſibilia, &c.* Hinc ſæpè jam laudatum Concilium Lateranenſe IV. cap. *Firmiter* expreſsè definit, Deum *utramque de nihilo condidiſſe creaturam, angelicam videlicet, & mundanam, ac deinde humanam.*

Quæſtio igitur hîc inter Theologos duntaxat movetur, quandonam, ubi, & in quo ſtatu creati fuerint. Sit

CONCLUSIO I. 25

Angeli neque ante mundum viſibilem, neque poſt, ſed ſimul cum illo creati fuerunt.

Prob. 1mò ex Scripturis. Geneſ. 1. *In principio* (id eſt, primum omnium) *creavit Deus cœlum & terram.* Exod. 20. *Sex diebus fecit Deus cœlum & terram, & omnia quæ in eis ſunt.* Pſal. 10. *Initiò tu Domine terram fundaſti.*

Ex quibus locis ſic conficimus argumentum. Si in principio, id eſt, primum omnium, ſeu ante omnia, Deus cœlum & terram condidit, ſi ſex dierum ſpatiô Deus cœlum & terram necnon omnia quæ in eis ſunt, condidit; tunc Angeli, qui omnium illorum partem faciunt, atque iis continentur, neque ante illa, neque poſt ſed ſimul cum illis ſeu cum hoc mundo viſibili creati fuerunt. Atqui. Ergo.

Prob. 2do ex Patribus. Epiphanius hæreſi 65. num. 4. & 5. *Illud enim*, ait, *evidenter divinus ſermo declarat, neque poſt ſidera productos Angelos, neque ante cœlum terramque conſtitutos, &c.*

Theodoretus quæſt. 3. propoſita ſibi quæſtione, utrum Angeli creationem cœli & terræ præcedant, an verò unà cum eis creati ſint? reſpondet, eos ante cœlum corporeum creatos non eſſe, tum quòd

quòd cœlo circumſcripti ſint, tum etiam, quòd cùm ad hominum tutelam deſtinati ſint, inutilis fuiſſet eorum ante mundi creationem productio.

S. Auguſtinus, lib. 11. de Civit. cap. 6. ad hæc Geneſis verba *In principio &c. Hoc potiùs*, inquit, *in principio Deus feciſſe dicitur, ut nihil anteà feciſſe intelligatur.* Si ergo nihil antea fecit, tunc nec Angelos antea fecit.

Idem docent S. Gregorius Magnus, lib. 23. Moral. cap. 9. Beda in Hexameron.

Accedit denique ſæpe laudatum Concilium Lateranenſe IV. cap. 1. ubi aſſerit, Deum *ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidiſſe creaturam ſpiritualem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam.* Quibus Concilii hujus verbis permoti quidam Theologi, ut Gregorius Ariminenſis, Ferrarienſis, Melchior Canus, & alii hanc noſtram ſententiam ad fidem pertinere & ab Eccleſia definitam putant. Alii verò certam quidem aſſerunt, ſed de fide eſſe negant, ut Cajetanus, Bannes, Sixtus Senenſis, &c. fortè propter reverentiam Veterum quorumdam Patrum, qui putarunt Angelos productos fuiſſe ante mundum corporeum. At certum eſt, eos eſſe lapſos in hoc, & nunc aliter utique ſentirent poſt expoſitionem Concilii generalis. Fatendum tamen, Patres & Doctores, qui ante Concilium Lateranenſe floruerunt, hanc quæſtionem neutiquam ad fidem pertinere arbitratos eſſe, ut S. Auguſtinus, lib. de Geneſ. ad litt. cap. 3. Theodoretus, loc. ſup. cit. Magiſter Sentent. lib. 2. Sent. diſt. 2. Hugo Victorinus cap. 5. Annotat. In Geneſim. Imo poſt Concilium iſtud S. Thomas, part. 1. quæſt. 61. art. 3. in Corp. *Non eſt igitur probabile*, inquit, *quòd Deus creaturam Angelicam ſeorſim ante alias omnes creaturas creaverit. Quamvis contrarium non ſit reputandum erroneum.*

26 De loco, in quo creati ſunt Angeli ſilet Scriptura, ſilent & SS. Patres ferè omnes, proinde de eo non conſtat. Non tamen improbabile eſt, eos in aliqua ſuperiori mundi parte creatos fuiſſe. S. Thomas, 1. part. quæſt. 61. a. 4. docet, Angelos in Cœlo Empyreo, quod ſupremum eſt, creatos fuiſſe; quia conveniens fuit, ut in loco nobiliori crearetur nobilior creatura, quæ ſanè eſt Angelica; Unde Venerabilis Beda in 1. Geneſ. aſſerit ſupremum cœlum, cùm primùm creatum fuit, Angelis repletum fuiſſe.

Nec obſtant, quæ leguntur apud Iſai. cap. 14. *In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum.* Hæc enim verba, quæ vulgò Sathanæ tribuuntur, ad litteram de Rege Babylonis ſunt intelligenda; ipſi enim propter inſignem ſuperbiam iſte ſermo hyperbolicus attribuitur. Quòd ſi hæc verba de diabolo quis vult exponere, nomine cœli intelligenda eſt metaphoricè Dei celſitudo & majeſtas, quam appetebat Sathan: unde ſubjungitur, *& ero ſimilis altiſſimo.* Unde hunc locum exponit S. Thomas de cœlo SS. Trinitatis, non de cœlo aliquo corporeo. Innuunt S. Auguſtinus, lib. 14. de Civit. cap. 13. & Ambroſius, Epiſt. 84.

Circa ſtatum, in quo creati fuerunt Angeli, quo beatitudo & gratia continetur, duo quæruntur, 1mo. Utrum Angeli in primo ſuæ creationis inſtanti fuerint beati. 2do. Utrum gratiam habuerint. 27

Quoad 1mum. Nota, quòd duplex ſit Beatitudo, naturalis una, altera ſupernaturalis. Prior poſita eſt in ea perfectione, quæ omnem omninò miſeriam excludat; altera addit intuitivam Dei viſionem.

Quantum ad 2dum. Nota etiam, quòd duplex quoque ſit gratia, ſanctificans ſeu habitualis, & actualis. Illa ſe habet per modum rei permanentis, & ſubjectum reddit Deo gratum; iſta è contra ſe habet per modum tranſeuntis, & movet ſubjectum ad eliciendum actum ſupernaturalem. His prænotatis, ſit

28 CONCLUSIO II.

Angeli creati ſuerunt beati beatitudine naturali, non autem beatitudine ſupernaturali.

Prob. 1ma pars. Beatitudo naturalis poſita eſt in perfectione, quæ omnem omninò miſeriam excludat. Atqui Angeli creari ſunt in illa perfectione, tum quòd miſeria ſit pœna peccati, quia ſub Deo juſto nemo poteſt eſſe miſer, niſi mereatur ſuam miſeriam, Angeli autem in ipſo creationis ſuæ inſtanti nullum peccatum habuerunt: Tum quia Patres id expreſsè docuerunt: *Diabolus & Angeli ejus*, inquit S. Auguſtinus, lib. de Corrept & Grat. cap. 10. *beati erant antequam caderent.*

Prob. altera Concluſionis pars. Illi non fuerunt creati beatitudine ſupernaturali beati, qui creati ſunt viatores, atque ut per merita ſua beatitudinem ſupernaturalem tanquam præmiũ conſequerentur. Atqui ſic creati ſunt omnes Angeli; prout eventus docuit, aliqui eorum enim aſſumpti fuêre ad gloriam, cæteri rejecti ab ea, hi propter demerita ſua, illi propter merita. Ergo. Ita etiam S. Auguſtinus mox cit. loc.

CONCLUSIO III. 29

Angeli creari fuerunt in ſtatu gratiæ ſanctificantis. (*i*)

Prob. 1mo ex Scripturis. Ezechiel. 28. ſub figura Regis Tyriorum de Lucifero dicitur: *Perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inventa eſt iniquitas in te.* Et ſub figura Regis Babylonis Iſai. 14. *Quomodò cecidiſti de cælo Lucifer qui mane oriebaris* Joan. 8. de diabolo ait Chriſtus, *ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit.* Ergo priùs fuit in veritate, hoc eſt, in juſtitia, quàm mortem primis parentibus inferret.

Prob. 2do ex SS Patribus. S. Auguſtinus, lib. de Civit. cap. 9. dicit, *Angelos cum bona voluntate, id eſt, cum amore caſto, quo illi adhærerent, Deum creaſſè, ſimul in eis condendo naturam, & largiendo gratiam.*

SS. Ambroſius, lib. de Paradiſo c. 2. Hieronymus, in cap. 28. Ezech. Gregorius, lib. 22. Moral. cap. 18. Adducta à nobis veteris Scripturæ loca de Lucifero interpretantur, nec non de donis gratiæ illi à Deo conceſſis. *Quid*, inquit S. Gregorius, *boni non habuit, ſi ſignaculum Dei ſimilitudinis fuit.*

Prob.

(*i*) Communis Theologorum ſententia eſt, non eſſe dogma fidei, quòd Angeli in ſtatu gratiæ ſanctificantis creati fuerint Quia nec Scripturà nec traditione explicitè continetur, nec uſquam Eccleſia definiit illud in ſacris illis fontibus vel implicitè contineri. Plures quoque ex antiquioribus Scholaſticis contrarium docuerunt, ſcilicet Angelos omnes non in ſtatu gratiæ ſanctificantis, ſed tantùm in juſtitia quadam naturalis ordinis conditos fuiſſe, à qua Lucifer cum ſociis exciderit, & in qua è contrario alii ſtantes, donati ſint poſteà gratia ſanctificante & auxiliis actualibus, quibus intuitivam Dei viſionem conſecuti ſunt. Ita Hugo Victorinus, lib 1. de Sacram. part. 5. cap 19. Magiſter Sentent. lib. 2. diſt. Rupertus, lib. 13. in Matth. Alenſis, Bonaventura, Scotus, multique alii, verbò, teſte S. Thoma, in hanc diſt. tum temporis communior hæc fuit Theologorum opinio, quamvis noſtram velut probabiliorem tueatur, 1. part. quæſt. 62. art. 3. in Corp.

Prob. 3tio Ratione. Angeli non fuerunt creati in minori perfectione quàm primus homo; non enim potior ratio eſt de homine, quàm de Angelis, ſive bonis ſive malis. Atqui, ut communiter docent Theologi, noſque infra Cap. 3. hujus Tractatus oſtendemus, protoparens noſter in juſtitia & ſanctitate originali fuit conditus, *Deus enim*, ut teſtatur Eccleſ. cap. 7. *fecit hominem rectum.* Ergo & Angeli.

30 CONCLUSIO IV.

Angeli ſive boni ſive mali, receperunt gratiam actualem ad benè agendum & perſeverandum.

Prob. Creaturæ innocentes, in primo inſtanti ſuæ creationis, receperunt gratiam neceſſariam, ut poſſent vitare quodcunque peccatum: *Si autem*, ait S. Auguſtinus, lib. de Corrept. & Grat. cap. 11. *hoc adjutorium vel Angelo, vel homini, cùm primum facti ſunt, defuiſſet, non utique ſuâ culpâ cecidiſſent.* Atqui Angeli in ſua creatione erant innocentes, ac ſtatim indiguerunt gratiâ actuali, ut poſſent vitare peccatum, omiſſionem nimirùm actûs amoris in Deum, ad quem eliciendum eodem, quo ratione frui cœperunt, inſtanti tenebantur. Ergo etiam eam receperunt.

Ita argumentatur S. Auguſtinus, cit. loc. *Quoniam*, inquit tam de Angelo quàm de homine, *non talis natura facta erat, ut ſine divino adjutorio poſſit permanere, ſi vellet. . . . Namque ut reciperet bonum, gratiâ non egebat, quia nondum perdiderat: ut autem in eo permaneret, egebat adjutoriô gratiæ, ſine quo id omninò non poſſet.*

31 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo contra Concluſionem 1mam. Job. 40. dicitur de Behemoth, id eſt, Lucifero, *ipſe eſt principium viarum Dei.* Ergo conditus eſt ante omnem creaturam.

Reſp. neg. conſ. Namque primo per Behemoth, non intelligitur Lucifer, ſed Elephas, juxta communem Interpretum ſententiam. 2do. Quamvis eo loci figuratè deſignetur Lucifer, dicitur principium viarum Domini ordinis prælatione, non temporis quantitate, ait Beda q. 9. ex variis.

Ob. 2do. Apoſtolus ad Tit. cap. 1. 32
ſcribit myſterium Incarnationis fuiſſe promiſſum ante tempora ſæcularia. Ergo ante tempus erant creaturæ, quibus promitteretur.

Reſp. Neg. conſ. Verbum enim *promiſit*, uſurpatur pro, *prædefinivit*, ex SS. Chryſoſtomo, & Anſelmo in hunc locum.

Ob. 3tio. Plures è Patribus expreſsè 33
docent, Angelos fuiſſe creatos ante mundum, ut S. Hieronymus, in cap. 1. ad Tit. S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 38. & 42. S. Joannes Damaſcenus, lib. de Fide. S. Ambroſius, lib. 1. in Hexameron, c. 5. S. Hilarius, præfat in Pſal. & lib. cont. Auxentium. Beda, lib. quæſtionum, quæſt. 9. S. Baſilius, Hom. 1. in Hexameron ſcribit, Angelos temporis conditione eſſe anteriores, & æternos. Ergo, &c.

Reſp. Patres laudatos fuiſſe re vera in illa ſententia; ſanctum Baſilium autem benignè eſſe intelligendum de æternitate imperfecta, quæ dicitur ævum, hoc eſt, longiſſima duratio, quæ ſecundùm illum cœpit ante tempora ſæcularia, ſeu motum naturæ corporalis, & nunquam deſinet. Porro ut jam ſupra adnotavimus errarunt hi Patres, eorumque opinio poſt Concilium Lateranenſe IV. antiquata eſt.

Ob. 4to contra Concluſionem 2dam. 34
Illi creati non ſunt beati, etiam beatitu-

 dine

Digitized by Google

dine naturali, qui certi non erant, ſe nunquam futuros eſſe miſeros: illa quippe incertitudo, cùm animum excruciet, non levis eſt miſeria. Atqui Angeli certi non fuerunt, ſe nunquam futuros eſſe miſeros: non enim ſciebant, an eſſent perſeveraturi in ſtatu, in quo conditi fuerant. Ergo Angeli non fuerunt creati in beatitudine etiam naturali.

Reſp. diſt. maj. Illi creati non fuerunt beati, etiam beatitudine naturali, qui certi non erant, ſe nunquam futuros eſſe miſeros, ſimulque certò non ſciverunt, ſe habere media, quibus in ſtatu, in quo conditi fuerant, perſeverare poſſent, conc. Simulque id pro certo ſciverunt, neg. maj. Angeli certò cognoverunt, ſe per liberum arbitrium adjutum gratiâ, quam experiebantur præſentem, quamque ſciebant, ſibi non defuturam, poſſe, ſi vellent, in ſtatu, in quo conditi fuerant, perſeverare: *Si autem*, inquit S. Auguſtinus, loc. ſupra cit. *hoc adjutorium vel Angelo, vel homini, cùm primùm facti ſunt, defuiſſet .... non utique ſuâ culpâ cecidiſſent.*

35 Ob. 5to contra Concluſionem 3tiam. Job. 4. legitur, quòd *Deus in Angelis repererit pravitatem*; in hebræo habetur, *in Angelis ſuis non poſuit laudem vel lucem.* Atqui gratia & juſtitia in ſacris Litteris appellantur lumen & lux, juxta illud 1. Petri 2. *Vocavit eos in admirabile lumen ſuum.* Et Epheſ. 5. *Eratis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate.* Ergo, &c.

Reſp. neg. conſ. Quamvis adductus textus de laude vel luce intelligeretur, nihil tamen Concluſioni noſtræ obeſt, ſiquidem hoc unum ſignificat, ſcilicet Angelos non habuiſſe laudem, vel lucem conſumatam & perfectam, qualem habent beati Angeli beatitudine ſupernaturali fruentes, qui ideò ibidem cap. 38. dicuntur *aſtra matutina Deum laudantia.* Si autem textus ſumatur, prout in Vulgata noſtra exprimitur, utique in Angelis Deus reperit pravitatem, poſtquam ſcilicet peccaverant.

Ob. 6to. Si omnes Angeli fuiſſent in gratia ſanctificante creati, nullus eorum cadere potuiſſet. Falſum conſequens. Ergo & antecedens. Prob. ſequela majoris, quia ſi in gratia ſanctificante fuiſſent creati, etiam fuiſſent ſupernaturaliter ad Deum converſi: non enim ſolet Deus gratiam ſanctificantem conferre perſonis propria voluntate utentibus, niſi ipſis conſentientibus & volentibus illam habere; adeoque ad Deum converſis. Atqui ſi Angeli ſemel ad Deum fuiſſent converſi, nunquam ab eo averti potuiſſent: tùm quia Angelorum voluntas vel omninò mutari non poteſt ab eo, quod ſemel elegit, vel difficillimè mutatur, & ideò poſtulat ſtatim confirmari in ſua electione: tum quia ſi in primo inſtanti converſi fuiſſent ad Deum per gratiam, meruiſſent beatitudinem. Ergo in ſecundo inſtanti in præmium eam accepiſſent, & ſic cadere non potuiſſent. 36

Reſp. neg. maj. & ad ejus probationem dicimus, quòd licèt Angeli tenaces ſint in eo, quod ſemel elegerunt, tamen omninò ex ſe non ſunt in ſua electione prorsùs immobiles, ut ſuô locô dicemus; atque ideò quamvis Angelus in prima ſua operatione converſus fuerit ad Deum, tamen ab illa converſione recedere potuit, quippe cùm liber eſſet, & adhuc in ſtatu viæ; & inſuper, quia nova occaſio peccandi ipſi occurrit, ut expreſsè docet S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 38. ubi de lapſu Angelorum.

Ob. 7mo. Ideo aſſeritur Angelos eſſe creatos in gratia ſanctificante, quòd ſtatim lux à Deo facti ſint. Atqui hoc eſt falſum: ſiquidem S. Auguſtinus lib. 2. de 37

Digitized by Google

de Geneſ. ad litt. cap. 1. aſſerit Angelicam naturam primò informiter creatam fuiſſe, & cœlum dictam, poſtmodùm verò formatam eſſe, & lucem appellatam. Ergo, &c.

Reſp. neg. min. ad id, quod ex S. Auguſtino additur, diſt. S. Auguſtinus aſſerit Angelicam naturam primò informiter creatam fuiſſe per reſpectum ad gloriam, conc. per reſpectum ad gratiam, neg. Status, quem per creationem habuerunt Angeli, multùm fuit imperfectus, ſi comparetur cum ſtatu gloriæ, non autem ſi comparetur cum ſtatu gratiæ: nempe licèt Angelus gratiam habuerit viatori convenientem, non tamen habuit perfectam illam gratiam, quæ convenit poſſeſſori. *Erat autem adhuc*, ait idem S. Auguſtinus (*k*), *quod eorum adderetur beatitudini, id eſt, ut magnâ per Spiritum ſanctum datâ abundantiâ charitatis Dei, cadere ulteriùs omnino non poſſent.*

Vel cum S. Thoma diſt. Informis fuit Angeli productio in inſtanti naturæ, conc. in inſtanti temporis, neg. Prius enim eſt prioritate naturæ, non autem temporis, Angelum factum eſſe in eſſe naturali, quàm in eſſe gratiæ.

38 Ob. 7mo. Illi creati non fuerunt in gratia, in quibus Deus oſtendere voluit, quid abſque gratia poſſet liberum arbitrium. Atqui Deus in Angelis voluit oſtendere, quid abſque gratia poſſet liberum arbitrium: *Credimus*, ait S. Auguſtinus (*l*), *Deum ſic ordinaſſe Angelorum & hominum vitam, ut in ea priùs oſtenderet, quid poſſet eorum liberum arbitrium, deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium, juſtitiæque judicium.* Ergo.

Reſp. diſt. maj. In quibus Deus oſtendere voluit, quid abſque gratia actuali & quidem efficaci poſſet liberum arbitrium, conc. Abſque gratia ſanctificante, aut gratia actuali minimè efficaci, neg. maj. S. Auguſtinus eo loci vult explicare diſcrimen, quod reperitur inter gratiam actualem, qua creatura innocens indiguit ad operandum bonum, & inter gratiam, qua creaturæ lapſæ opus eſt ad idem bonum operandum: Diſcrimen autem illud eſt in eo poſitum, quòd innocenti creaturæ, utpote ſanæ & robuſtæ, ad operandum bonum ſatis fuerit auxilium indifferens, & à libero arbitrio determinandum, cùm è contra homo lapſus ad operandum bonum indigeat auxiliô per ſe efficaci, ſeu quo liberum illius arbitrium, utpote languidum & infirmum ad bonum agendum determinetur: unde in hoc ſtatu elucent divinæ gratiæ virtus & potentia, cùm è contra in altero ſeu innocentiæ ſtatu, liberi arbitrii vires enituerint: *Tale quippe erat*, inquit S. Auguſtinus (*m*), *adjutorium, quod deſereret, cùm vellet, & in quo permaneret, ſi vellet, non quo fieret, ut vellet. Hæc prima eſt gratia quæ data eſt primo Adam* (ut & Angelis) *ſed hæc potentior eſt in ſecundo Adam; Prima enim eſt in qua fit, ut habeat homo juſtitiam ſi velit, ſecunda ergo plus poteſt, qua etiam fit ut velit, & tantùm velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiſcentem, voluntate ſpiritûs vincat.* Hic ergo de gratia reparante poſt caſum agit ſanctus Auguſtinus, unde ſubjungit, *deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium:* quæ verba non ad Angelum referenda ſunt, ſed ad hominem, qui gratiæ beneficiô poſt lapſum erectus eſt, cùm per liberum arbitrium ſtare noluiſſet. Unde iſtud nobis objectum hujus ſancti Doctoris teſtimonium ad rem præſentem pertinere non videtur.

 §. III.

(*k*) *Lib. de Corrept. & Grat. c.* 10. (*l*) *Loc. cit.* (*m*) *Cit. lib. c.* 11.

Digitized by Google

§. III.

39 *De proprietatibus Angelorum.*

Inter proprietates Angelorum ſunt cognitio, amor, locus, motus, locutio, miſſio: de quibus ſingulis præſenti Paragrapho agemus.

40 *De cognitione Angelorum.*

Tria circa Angelorum cognitionem quæruntur 1mo. Quodnam ſit objectum cognitionis Angelicæ. 2do. Quodnam ſit illius medium. 3tio. Quænam ſint illius dotes ſeu qualitates, per quas ab humana cognitione differt?

Quod objectum cognitionis Angelicæ, ſeu id, quod Angelicus Intellectus cognoſcere poteſt, ſpectat, dicimus 1mo. Angelum naturaliter cognoſcere intuitivè non ſolùm propriam ſubſtantiam, & omnes actus ſuos naturales, ſed etiam omnes alias ſubſtantias tùm materiales, tùm ſpirituales, quibus eſt intimè præſens, imò & alias omnes, quibuscum intentionalem unionem habet per ſpeciem intelligibilem; quantumvis illæ res ab eo diſtent. Nam hæc omnia objecta ſunt intelligibilia, proportionata intellectui Angelico, eique ſufficienter applicata ad cognitionem intuitivam. Porro entia à ſe ipſo diſtincta cognoſcit vel in ſe, vel in ſpecie intelligibili. Unde indigentiam noſtram, & preces intelligunt quascunque ipſis intermediis in Deum dirigimus. Vid. dicta in Metaphyſica noſtra p. 2. c. 2. §. 2. q. 8.

2do. Angelus naturaliter cognoſcit & quidem evidenter, ſed abſtractivè duntaxat, Dei exiſtentiam. Nam naturaliter ſuam ſubſtantiam comprehendit. Ergo naturaliter cognoſcit evidenter eſſentialem ſubſtantiæ ſuæ dependentiam à Deo creatore, ideoque eſſentialem exiſtentiæ ſuæ cum Dei creatoris exiſtentia connexionem. At Angelus non poteſt naturaliter cognoſcere Deum intuitivè: Nam Deus videri non poteſt intuitivè à creatura ſine lumine gloriæ ſeu auxilio aliquo ſupernaturali, prout in Tractatu de Deo part. 1. cap. 4. §. 2. num. 89. oſtendimus, quod lumen, utpote ſupernaturale, nulli creaturæ eſt connaturale: alioqui creatura intellectiva eſſet naturaliter impeccabilis & beata.

Porro Angelus ſe ipſum cognoſcit intuitivè, abſque ſpecie intelligibili. Quia cùm objectum intelligibile per ſe ipſum eſt intimè præſens, & conjunctum intellectui; tunc intellectus non indiget ſpecie intelligibili ad cognoſcendum intuitivè objectum: nam ſpecies intelligibilis requiritur tantùm ad ſupplendam vicem objecti abſentis, aut non intimè præſentis intellectui.

3tio. Angelus non poteſt naturaliter certò cognoſcere ſecreta cordium, id eſt liberos actus intellectûs & voluntatis hominis vel Angeli ſine ejus conſenſu; prout jam in Metaphyſica noſtra cit. loc. adnotavimus.

Prob. 1mo. Ex Scriptura, quæ ſoli Deo tribuit certam cognitionem ſecretarum cordis cognitionum, ut lib. 3. Reg. cap. 8. *Tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum.* Item Jerem. cap. 17. *Pravum eſt cor omnium & inſcrutabile: quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes.*

2do. Ex Patribus. Pro omnibus ſint S. Chryſoſtomus, Hom. 24. in Joan. *Humanorum cordium*, inquit, *cognitio ſolius Dei eſt, qui ea formavit*

S. Hieronymus, in verba citata Jeremiæ: *Melius eſt*, ait, *ut ſimpliciter accipiamus, quòd nullus cogitationum ſecreta cognoſcat, niſi ſolus Deus.*

S. Au-

S. Auguſtinus, Serm. 6. de diverſis. *Cogitationes*, inquit, *quas modò non videt niſi Deus, omnes invicem videbunt in illa ſocietate Sanctorum . . . . Cor videre Dei eſt.*

3tio. Prob. Ratione. Quia creatura intellectualis, utpote nata conſtituere cum aliis ſocietatem, atque ob dignitatem & excellentiam propriam naturaliter exigit & jus habet, ut cogitationes & volitiones ſuæ alteri non innoteſcant ſine proprio conſenſu. Unde Deus ſecundùm hanc exigentiam tamdiu uni Angelo denegat concurſum ſuum ad clarè cognoſcendum cogitationes alterius Angeli vel hominis, quamdiu hic non vult cogitationes ſuas ei patere. Nihil tamen obeſſe poteſt, quin Deus, utpotè ſupremus rerum omnium Dominus exigentiam illam ſuperare & fruſtrare poſſit, & nonniſi irrationabiliter invitâ creaturâ intellectuali revelare cogitationes ejus, non expectato ejus conſenſu.

Neque etiam abſumus, quin Angelus ſecretas cordium cogitationes conjecturaliter ſaltem, ex quibusdam ſcilicet ſignis ſeu effectibus, quibuscum probabilem tantùm connexionem habent, cognoſcere valeat.

4to. Angelus non poteſt naturaliter certò cognoſcere futura libera. Nam Scriptura & Patres certam actuum futurorum liberorum prædictionem, proindeque cognitionem Deo ſoli convenire docent. Quare cùm Angeli boni futura libera certò prænuntiarunt, ea per revelatioem divinam certò cognoverunt.

Circa medium cognitionis Angelorum, cujus nomine hic intelligitur id, in quo Angelus videt objecta ad quæ ferri poteſt illius cognitio, variæ ſunt Scholaſticorum opiniones. Nonnulli docent, Angelum videre res omnes in ſpeciebus, quæ ipſi ſunt aut à Deo infuſæ, aut congenitæ. E contra alii docent, Angelum res nonnullas videre in ſua ſubſtantia, alias verò in ipſarum rerum ſpeciebus.

Videtur 1mo. Quòd Angeli non videant Deum in aliqua ſpecie creata ab ipſa ſua cognitione diſtincta, ſed eum in ſe ipſo immediatè videant, quia intuitivè eum videant: hoc enim eſt diſcrimen inter intuitivam Dei viſionem ſeu cognitionem, & abſtractivam; quòd iſta ſit cognitio Dei in creaturis, illa verò in ipſo Deo. Atqui Angeli, cùm ſint beati, Deum vident intuitivè. Ergo eum vident non in ſpecie aliqua creata ab ipſa cognitione diſtincta, ſed in illo immediatè.

Videtur 2do. Quòd Angeli neque ſe ipſos videant in ſpeciebus à ſe diſtinctis; nam hujusmodi ſpecies ſunt prorsùs inutiles, utpote quæ ideo tantùm ſunt neceſſariæ, ut facultas intellectiva conjungatur cum objecto cognoſcendo. Atqui hîc ſpecies ad id non ſunt neceſſariæ: ſiquidem Angelus ſibi ipſi intimè præſens eſt; ac proinde non eſt opus ſpeciebus in natura Angelica, quæ eſt objectum cognitionis, ut cum facultate intellectiva conjungatur, quippe quæ ei eſt præſentiſſima, eique identificata, prout ſupra dictum.

Videtur 3tio. Quòd Angeli in ſe ipſis cognoſcant communes ac generales rationes rerum omnium corporearum. Nam Angeli cognoſcunt in ſe ipſis rationes, quæ in illorum natura continentur, ſe ipſos ſcilicet comprehendunt. Atqui communes & generales rerum omnium corporearum rationes continentur in Angelorum natura: ſiquidem naturæ ſuperiores continent rationes communes naturarum inferiorum; ſic vivens includit perfectiones communes non viventis, animal

Digitized by Google

animal v. g. perfectiones lapidis: Sed Angelorum natura ſuperior eſt naturâ corporeâ. Ergo continet rationes communes rerum corporearum.

Videtur 4to quòd Angeli non tamen cognoſcant in ſe ipſis rationes ſpecificas & ſingulares rerum corporearum. Nam Angeli id ſolùm in ſe ipſis cognoſcunt, quod in eorum natura continetur; ut enim aliquid cognoſcatur in aliquo medio, neceſſe eſt, ut in illo contineatur. Atqui rationes ſpecificæ ac ſingulares rerum corporearum non continentur in natura Angelica, alioquin Angelus eſſet lapis, quod implicat; Ergo, &c.

Videtur ergo 5to. Quòd eas in propriis illarum corporearum rerum ſpeciebus videant, & cognoſcant. Nam Angeli cognoſcunt rationes ſpecificas & ſingulares rerum in eo, per quod res illæ conjunguntur eorum facultati intellectivæ, & per quod repræſentantur. Atqui rationes ſpecificæ & ſingulares rerum per ſpecies conjunguntur facultati intellectivæ Angelorum, & per eas repræſentantur: cùm enim in Angelica natura minimè contineantur, non eſt aliquid aliud præter illarum rerum ſpecies, per quod res conjungantur intellectivæ facultati Angelorum, & per quod repræſententur.

Videtur 6to. Quòd Angeli per ſpecies ſibi congenitas videant rationes communes rerum, ſingulares verò per ſpecies à Deo infuſas. Nam quoad 1mum Angeli per ſpecies ſibi congenitas vident ea, quæ in propria ſua natura cognoſcunt. Arqui, ut ſupra dictum, Angeli vident in propria ſua natura communes rerum rationes Ergo, &c. Quoad 2dum Angeli, ut etiam priùs dictum, vident res ſingulares in earum ſpeciebus. Sed illæ ſpecies ex objectis exterioribus non recipiuntur ab Angelis: neque enim res corporeæ poſſunt Angelos ad ſui cognitionem movere; quod enim corporeum eſt movere non poteſt ſpirituale, niſi illi, ut anima rationalis corpori, ſit unitum. Ergo ſpecies, de quibus agitur, ſunt Angelis à Deo infuſæ.

Circa dotes ſeu proprietates cognitionis Angelorum ſequentia quærunt Theologi. 1mo. An ſit ſemper in actu. 2do. An multa ſimul attingat. 3tio. An ſit diſcurſiva. 4to. An componat ac dividat. 5to. An poſſit eſſe falſa. 6to. Quid ſit tum matutina tum veſpertina cognitio Angelorum. 41

Quantùm ad 1mum. Videtur, quòd Angeli cognitio ſemper ſit in actu reſpectu eorum, quæ videt in Verbo, non autem reſpectu aliarum rerum. Nam ea cognitio ſemper eſt in actu reſpectu illius objecti, quod ſine intermiſſione contemplatur. Atqui Angelus ſine intermiſſione contemplatur res quas videt in Verbo; ſcilicet Verbum eſt veluti ſpeculum, in quo res illæ neceſſariò repræſentantur. Item, Angeli cognitio non ſemper eſt in actu reſpectu rerum, quas ſine intermiſſione non conſiderat. Atqui non conſiderat ſine intermiſſione res, quas non videt in Verbo; in hoc enim Angelica cognitio differt à cognitione divina, quòd hæc ſemper actu in objectum ſuum feratur.

Quantùm ad ſecundum, videtur dicendum, quòd Angeli cognitio plura quidem ſimul attingat non tamen omnia. Nam Angeli cognitio ſimul attingit ea, quæ in unica ſpecie repræſentantur. Atqui plura, licèt non omnia, in una ſpecie repræſentantur. 1mo. Quæ repræſentantur in Verbo, exhibentur in eſſentia divina, quæ maximè eſt una. 2do. Individua ejusdem ſpeciei, in unica communi idea repræſentantur. 3tio. E contra quæ ſunt diverſæ ſpeciei non conti-

Digitized by Google

continentur in unica idea, v. g. Leo non continetur in idea bovis. Ergo ſimul non cognoſcuntur.

Quantùm ad 3tium. Videtur, quòd Angelorum cognitio non ſit diſcurſiva ſaltem reſpectu eorum, quæ naturaliter ab eis cognoſcuntur. Illa quippe cognitio non eſt diſcurſiva, quæ non infert unum ex alio, diſcurſus quippe eſt illatio unius ex alio; Atqui Angeli cognitio non infert unum ex alio in iis, quæ naturaliter ab ipſo cognoſcuntur, nam talis cognitio eſt comprehenſiva, adeoque omnia ſimul novit, nec, prout fit in illatione, ex noto infert priùs ignotum. Ergo &c.

Dixi *ſaltem* propter eos, qui dubitant, an Angelica cognitio non ſit diſcurſiva reſpectu earum rerum, quæ ab eis naturaliter non cognoſcuntur, ut ſunt cogitationes cordium, & res aliquo modo ſupernaturales.

Quoad 4tum. Ex dictis ſequi videtur, Angelos res naturales unico intuitu cognoſcere, absque compoſitione aut diviſione *propriè* dicta, id eſt, absque comparatione unius rei cum alia, ex qua colligeretur convenientia vel diſconvenientia, ſiquidem hæc fieri nequeunt ſine diſcurſu: ac proinde unico ac ſimpliciſſimo actu cognoſcunt Angeli ſubjectum & proprietates, cauſam & effectus, non proprietates ex ſubjecto, neque cauſam ex effectibus, ſed proprietates in ſubjecto, & effectus in cauſis.

Quantùm ad 5tum. Videtur, quòd Angeli cognitio non poſſit eſſe falſa reſpectu eorum, quæ ab illo naturaliter cognoſcuntur; imò nec reſpectu eorum, quæ ſupernaturaliter conveniunt objecto (*n*), ſecus verò in Angelis damnatis. Nam, quantum ad 1mum. Cognitio comprehenſiva non poteſt eſſe falſa, poſita enim eſt in perfecta & adæquata objecti cognitione, ac proinde objecti, prout eſt à parte rei. Atqui, ut jam ſæpe diximus, Angeli cognitio eſt comprehenſiva reſpectu eorum, quæ ab eo naturaliter cognoſcuntur. Ergo, &c. Quantùm ad 2dum. Ea cognitio non poteſt eſſe falſa, quæ non dicit abſolutam ſive affirmationem, ſive negationem. Sed in Angelis ſanctis cognitio eorum quæ ſupernaturaliter tantùm cognoſci poſſunt, non dicit abſolutam ſive affirmationem, ſive negationem, ſed hypotheticam tantùm, hoc eſt, ſalva ordinatione divina: è contra verò pravi Angeli, cùm eorum voluntas ſit inordinata, abſolutum de rebus ſupernaturalibus, aut merè contingentibus judicium ferunt; ac proinde mirum non eſt, quòd in iis rebus ſæpiſſimè fallantur.

Quantùm ad 6tum. Cognitio matutina vocatur, qua Angeli cognoſcunt res in Verbo divino, ubi omnia clariſſimè lucent tanquam in ſole æterno. Veſpertina dicitur, qua res easdem cognoſcunt per illarum ſpecies ſibi congenitas; quæ cognitio, facta comparatione ad eam, qua Verbum divinum videtur & res in Verbo, obſcurior eſt, & idcirco dicitur Veſpertina.

Hæc diſtinctio cognitionis Angelicæ in matutinam & veſpertinam à S. Auguſtino excogitata fuit, ut caput primum Geneſis, in quo mundus ſex dierum ſpatio à Deo creatus narratur, faciliùs exponeret. (*o*) Cùm enim quarto die Sol factus

(*n*) Id eſt, quæ ſupra naturam ſunt, atque à Deo unicè pendent: eadem eſt ratio rerum merè contingentium. (*o*) At Recentiores Philoſophi neglecta hac ſubtili quidem ſed fortè minùs ſolida cognitionis Angelicæ diſtinctione, ſatis clarè oſtendunt, quomodo fuerit mane & veſpere ante Solis creationem.

Digitized by Google

factus deſcribatur, difficile ei videbatur, qua ratione ante quartum diem potuerit eſſe diſtinctio inter manè & veſpere, & ſeries illa dierum, qui Solis circuitu peraguntur. Unde ut ab hac difficultate ſe expediret, de die ſpirituali ſeu cognitione Angelica, illud expoſuit: ita ut ſicut ex manè & veſpere fit unus dies conſuetus; ſic ex utraque notitia matutina & veſpertina, unus dies Angelicæ cognitionis exurgat. Vid. S. Thomas quæſt. 8. de Verit. art. 17. ubi duplicem hanc Angelorum cognitionem, matutinam videlicet & veſpertinam, latè exponit.

42 *De Angelorum amore.*

Amor eſt motus, quo voluntas fertur in bonum, & quidem per complacentiam, ſi ſit præſens, per deſiderium verò, ſi ſit abſens. Talis autem motus datur in Angelis, utpote qui ſequatur ex ejuſdem boni cognitione, neque enim intellectus poteſt aliquod bonum cognoſcere, quin voluntas aliquo in eum motu, cùm ſit naturale illius objectum, veluti quodam pondere feratur: cùm ergo in Angelis ſit boni cognitio, neceſſe eſt, ut etiam in eis ſit quidam ejusdem boni amor.

Igitur Angelus ſeipſum, creaturas mente præditas, & Deum diligit, ſed diverſimodè. Nam ſibi, creaturis mente præditis, & Deo vult bonum; ſibi quidem & cæteris creaturis mente præditis vult pacem, quæ non habetur niſi per poſſeſſionem ultimi finis, ad quem creaturæ mente præditæ creatæ ſunt, Deo autem, ſummum honorem, ſummamque gloriam. Creaturas quidem in ordine ad Deum, Deum verò propter ſe ipſum. Amor autem, quo Angelus Deum diligit ſuper omnia, non eſt amor naturalis, ſed ſupernaturalis, quia hic amor eſt amor caſtus, prout ait S. Auguſtinus, at amor caſtus, ex eodem S. Doctore, eſt Charitas; Charitas autem ex Deo eſt, 1. Joan. 4.

Amor iſte Angelorum naturaliter immutabilis eſſe non videtur. Nam 1mo re ipſa mutatus eſt: ii enim, qui perierunt, ex amantibus Deum, peccando facti ſunt non amantes. Dæmonis voluntas circa Chriſti mortem mutata eſt: priùs enim eam voluit, ſed poſteà eam per Judæos, qui petierunt, ut de cruce deſcenderet, conatus eſt impedire. 2do. Si quis amor Angelorum eſſet naturaliter immutabilis, tunc eſſet præſertim amor Dei, qui in Angelis beatis reperitur, & amor peccati, qui eſt in Dæmonibus. Atqui neuter ex his amoribus eſt naturaliter immutabilis: Si enim eſſet naturaliter immutabilis, Patres beatificum Angelorum amorem adſcripſiſſent eorum naturæ, non autem Dei gratiæ; & eidem naturæ obſtinatum peccati amorem, qui in pravis Angelis reperitur, non autem divinæ deſertioni tribuiſſent. Atqui neutrius ex illis amoribus immutabilitatem Angelorum naturæ tribuerunt Patres, ſed aut ſoli gratiæ, aut divinæ deſertioni. Ergo, &c.

Circa locum, motum & locutionem Angelorum, vide ea, quæ in Metaphyſica noſtra citata part. 2. cap. 2. §. 2. quæſt. 6. 7. & 9. hac de re diſſeruimus, quibus hìc nihil addendum eſſe cenſemus. 43

De miſſione Angelorum. 44

Nomine miſſionis intelligitur proceſſio à Deo per imperium ad aliquem effectum producendum. Eam Angelis convenire, declarat Scriptura tum vetus tum nova, ubi legitur, Angelos juſſos eſſe aut miniſteria ſua hominibus exhibere, aut quæ ventura erant, prænuntiare:

Digitized by Google

nuntiare: Exod. 33. ſic Deus Moyſi loquitur: *Mittam præcurſorem tuum Angelum.* Tob. 12. Raphaël ait, *Tempus eſt, ut revertar ad eum, qui me miſit.* Luc. 1. *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo.* Atque non modò ex infimis ordinibus, ſed ex omnibus ad hujus univerſi regimen hominumque tutelam mitti ſatis apertè indicare videtur Apoſtolus, Heb. 1. *Nonne omnes*, ait, *ſunt adminiſtratorii ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* (p) His ita præſuppoſitis

45 Quæritur hîc utrum quilibet homo habeat Angelum bonum ſui cuſtodem; Item num etiam Angelus malus cuilibet homini adſtet ad illum exercendum & vexandum, & à quo vel ad peccatum provocetur, aut in naturæ ac fortunæ rebus detrimentum patiatur.

Quoad 1mum dicendum 1mo quòd ſinguli fideles habeant Angelum cuſtodem. (q)

Prob. 1mo. Quia id ſatis clarè indicat & ſupponit Scriptura, Pſalm. 33. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Et Pſal. 90. *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* Matth. 18. *Videte, ne contemnatis unum ex his puſillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in Cælis ſemper vident faciem Patris mei, qui in Cælis eſt.* Act. 12. Scriptura refert, Petrô è carcere eductô & oſtium pulſante, multi fideles, qui in ea domo tunc erant, dixiſſe: *Angelus ejus eſt*, v. 15. Ergo primis Chriſtianis perſuaſum erat, unicuique Fidelium deputatum eſſe Angelum cuſtodem.

Prob. 2. Ex communi Patrum conſenſu. Origenes, Hom. 11. in cap. 18. Num. *Sic dicebatur*, ait, *in Actibus Apoſtolorum, quia Angelus Petri eſſet, qui pulſaret ad oſtium. Similiter ergo intelligitur eſſe & alius Pauli Angelus, ſicut eſt Petri, & alius alterius Apoſtoli, & ſingulorum per ordinem.*

S. Gregorius Thaumaturgus, Orat. panegyrica in Origenem. *Quisquis eſt privatim pædagogus noſter* (Angelus) *. . . . qui cùm in cæteris omnibus bonus ſemper nutritor & curator meus fuerit . . . ut olim me, ita nunc quoque alit, erudit, ac manu ducit.*

S. Baſilius, lib. 3. contra Eunom. *Quòd ſingulis fidelium adſit Angelus, ut pædagogus quidam & paſtor ad vitam dirigendam, nemo contradicet, qui verborum Domini recordatur, dicentis: ne contemnatis unum ex his puſillis, &c.*

S. Chryſoſtomus, Hom. 3. in cap. 1. Epiſt. ad Coloſſ. *Unusquisque Fidelis habet Angelum. Nam etiam ab initio unusquisque vir probus habebat Angelum, ſicut dicit Jacob: Angelus qui paſcit me, & liberat me à juventute mea. Si ergo habemus Angelos, modeſtè nos geramus, tanquam nobis adſint quidam pædagogi.*

S. Hieronymus, in cap. 18. Matth. *Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in cuſtodiam ſui Angelum delegatum.*

(p) Iſte locus de omnibus Angelis abſolutè eſt intelligendus, cùm tali ratiocinió Apoſtolus probet Chriſtum ſuperiorem ac majorem eſſe quibuslibet Angelis. Hinc unus è Seraphim, id eſt ex ſupremo Angelorum ordine mittitur ad Prophetam Iſa. 6. Raphael ad Tobiam. Gabriel ad Mariam, &c.

(q) Hoc ita certum eſt, ut oppoſitum ſit ſaltem erroneum; quamvis juxta communiorem Doctorum ſententiam non ſit de fide, eoquòd id Eccleſia nunquam apertè definierit, nec evidens ſit unanimis ea de re Patrum ſententia.

S. Joannes Damaſcenus, lib. 2. de Fide Orthod. cap. 3. *Cuique hominum ſigillatim deſignatus eſt Angelus cuſtos, director, & dux, ad bonum incitans, à malo præſervans, & ad felicitatis æternæ gloriam inſtimulans.*

S. Bernardus, lib. 4. de Conſiderat. *Singulis hominibus dari creduntur* (Angeli) *miſſi in miniſterium ſecundùm Pauli doctrinam*, &c. His adde Juſtinum, Theodoretum, & alios.

Prob. 3tio. Ex Catholicorum omnium, ideoque veræ Eccleſiæ conſenſu.

46 Dicendum 2do. Multùm probabile eſſe, etiam infidelibus & reprobis omnibus ac ſingulis adeſſe Angelum cuſtodem.

Prob. 1mo. Ex adductis mox Patribus, Origene, S. Gregorio Thaumaturgo, S. Hieronymo, S. Damaſceno, S. Bernardo; qui ſine exceptione affirmant cuilibet homini datum eſſe Angelum cuſtodem. *Angelus*, inquit S. Ambroſius, in Pſal. 38. *in circuitu eſt hominis, qui prætendit, ne quis noceat ei.* Ubi nec ipſe diſtinguit fidelem ab infideli & reprobo, ſed iis omnibus & ſingulis vult adſtare Angelum cuſtodem.

Prob. 2do. Ex communi Scholaſticorum conſenſu poſt S. Thomam, 1. part. quæſt. 113. art. 4.

Prob. 3tio. Ratione. Quia nemo ex infidelibus & reprobis viatoribus excluditur à generalibus ſalutis mediis, prout in Tract. de Deo Uno & Trino part. 1. cap. 6. §. 7. à pag. 97. fusè probavimus. Inter ea autem media eſt etiam Angelorum cuſtodia. Nam ut ibidem oſtendimus, Deus vult ſincerè omnium etiam infidelium & reproborum ſalutem.

47 Dicendum 3tio. Neque eſſe improbabile cuique regno, provinciæ, imò & civitati deputatum eſſe Angelum cuſtodem.

Prob. 1mo. Ex Scriptura. Angelos fidelium exercitibus præeſſe probant hæc Joſue 5. *Sum*, inquit Angelus, *princeps exercitus Domini.* Daniel. 10, fit mentio Angeli, qui præerat regno Perſarum, & alterius, qui præerat regno Græcorum: nempe qui princeps erat regni Græcorum, ſic Danielem allocutus eſt: *Princeps regni Perſarum reſtitit mibi viginti & uno diebus, & ecce Michael unus de Principibus primis venit in adjutorium meum, & ego remanſi ibi juxta regem Perſarum.*

Prob. 2do ex SS. Patribus. Baſilius, de Angelis agens, lib. 3. cont. Eunomium. *Alii ipſorum*, inquit, *gentibus præpoſiti ſunt, alii verò fidelium ſingulos conſequuntur.*

Theodoretus, quæſt. 3. in Gen. *Cuique genti*, ait, *Angelum præeſſe affirmat Scriptura.* Idem docet Ambroſius, lib. 3. de Virginit. Damaſcenus, lib. 2. de Fide Orthod. c. 2.

Imò juxta Origenem, Hom. 20. in Num. S. Ambroſium, lib. 2. in Lucam, & S. Gregorium Nazianzenum, Orat. 32. ſingulæ Diœceſes ſuos habent Angelos tutelares.

Ex communi autem conſenſu, Eccleſia univerſalis ſuum habet Angelum tutelarem, nempe Michaelem Archangelum, qui olim Synagogæ præfuit.

Porro variæ ſunt cuſtodiæ Angelicæ 48
functiones, 1ma eſt, excitare intellectum & voluntatem ad proſecutionem boni & fugam mali, non quidem immediatè & per impreſſionem ſpecierum vel actuum vitalium in intellectu & voluntate, quod ſolius Dei proprium eſt; ſed mediatè, videlicet partim ſignis externis, & ſenſibilibus, v. g. vocibus in aëre formatis, quorum exempla extant in Scriptura & Hiſtoriis ſacris; partim & communiùs agendo in ſenſum internum,

immu-

Digitized by Google

immutando phantaſiam, aut moderando, ſedando, immutando paſſiones per variam commotionem humorum & ſpirituum.

2da eſt, pericula avertere, cauſas ſcilicet ſive neceſſarias, ſive liberas amoliendo, ex quarum actione ſequeretur aliquod periculum corporis aut animæ, vel monendo, ut vitetur.

3tia. Compeſcere Dæmones, ne nimium tentent, aut aliter noceant.

4ta. Offerre Deo ſuarum clientum preces, ut conſtat ex Scriptura, Apoc. 8. & alibi. Hoc autem non faciunt, Deo illas exhibendo, cùm per ſe pateant, ſed ſua precatione efficaciores reddendo.

5ta eſt, pro nobis orare, etiam eùm non oramus, nec bonum agimus, imò etiam cùm peccamus, ut nobis converſionis gratiam impetrent.

6ta. Suos clientes pœnâ medicinali corripere.

7ma denique eſt, ſuorum clientum animas in purgatorio conſolari, easque plenè purgatas inde ad Cœlum deducere, ut colligitur ex Luc. 16.

49 Quantùm ad 2dum. Quamvis non pauci Theologi Scholaſtici poſt S. Gregorium Nyſſenum in lib. de vita Moyſis, doceant, ſingulis hominibus Dæmonem tentatorem eſſe aſſignatum, non quidem à Deo, ſed à Lucifero Dei operum imitatore, Deo id permittente ob bonos fines; id tamen non ſatis probabile videtur; neque enim Angelus malus reprobis deputari debet, ut eos ad malum provocet, cùm plerique Dæmoni ultrò & ſine ullius mali Angeli provocatione ſerviant, atque in omnibus pravis concupiſcentiæ deſideriis obſequantur. Hæcque ſententia nec Scripturis nec Patribus nititur, videturque traxiſſe originem à Gentilibus, qui duos genios, alterum bonum, & alterum malum, cuique homini deſtinatum voluerunt.

§. IV.

De merito Angelorum. (r) 50

Conditiones ad meritum requiſitæ ex parte operantis hæ ſunt, ut ſit liber, viator, in ſtatu gratiæ ſanctificantis: ex parte operis verò, ut ſit bonum tùm ratione objecti, tùm ratione finis; deinde ut fiat ex impulſu gratiæ actualis. Hæ autem conditiones locum habuerunt in Angelis. 1mo enim erant liberi: neque enim ex neceſſitate determinati erant ad alicujus actus ſive ſpeciem, ſive exercitium, unde, ut ait S. Auguſtinus ſupra citatus, *aliis cadentibus per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt alii.* 2do. Erant viatores: licet enim creati fuerint beatitudine inchoata, quæ poſita eſt in imperfecta Dei cognitione, & imperfecto illius amore, non tamen fuerunt, ut ſuperiùs dictum, creati in ſtatu beatitudinis conſummatæ, quæ in intuitiva Dei cognitione conſiſtit, ac proinde aliquamdiu fuerunt in via, nec ſemper in termino. 3tio. Ab initio ſeu in primo creationis inſtanti gratiâ habituali & ſanctificante inſtructi fuerunt, prout ſupra probavimus. 4to. Potuerunt elicere actum obedientiæ, fidei, ſpei, & charitatis aliarumque virtutum, adeoque quæ bona eſſent tùm ratione objecti, tùm ratione finis. 5to denique ad ea opera efficienda præſentem habuerunt gratiam actualem, uti diximus alibi, atque in Tractatu de gratia fuſiùs dicemus. Unde patet Angelos revera meruiſſe.

(r) Meritum generatim eſt operis dignitas ac valor in ordine ad præmium.

Digitized by Google

51 Hoc ita poſito, quæritur, quidnam meruerint Angeli? Et dicimus, illos meruiſſe augmentum gratiæ ſanctificantis, & beatitudinem ſupernaturalem, quæ poſita eſt in intuitiva Dei viſione.

Prob. 1mo. Homo viator per actus ſupernaturalis ordinis meretur utrumque, gratiæ ſcilicet augmentum, & beatitudinem ſupernaturalem. Ergo & utrumque Angelus meritus eſt.

2do. Id meruit Angelus, quod fuit præmium illius in bono perſeverantiæ. Atqui beatitudo ſupernaturalis fuit hujuſmodi, juxta S. Auguſtinum, lib. de Corrept. & Grat. cap. 11. ſup. cit. ubi ſic loquitur, *Angeli ſancti cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi, & hujus manſionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam ſcilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certiſſimum ſit ſemper ſe in illa manſuros.* Et lib. de Dono perſeverantiæ cap. 7. eadem ratione, *Diabolo*, inquit, *cum ſuis cadente, in veritate ſteterunt* (boni Angeli) *& ad ſecuritatem perpetuam non cadendi, in qua nunc eos eſſe certiſſimi ſumus, pervenire meruerunt.*

§. V.

52 *De primo peccato Angelorum.*

In primo Angelorum peccato conſiderari poſſunt illius origo, ſpecies, auctores, pœna.

Et ut 1mò de origine illius agamus, videtur, quòd ſola voluntatis poteſtas fuerit illius origo. Nam 1mo Patres Angelorum arbitrio caſum illorum adſcribunt, prout mox ex S. Auguſtino vidimus. 2do. Summa erat in Angelis arbitrii indifferentia, nihilque omninò fuit extrinſecum, quod ad malum eos determinarit. Igitur arbitrii libertas, ſola fuit cauſa primi eorum peccati, non verò, prout aliqui volunt, aut ignorantia mentis, aut paſſio, utpote quæ in iis ante peccatum locum non habuerunt, ſiquidem mala ſunt, quæ naturam in qua reperiuntur miſeram efficiunt; Angeli verò ante peccatum miſeri non fuerunt, cùm ſub Deo juſto, ut ait S. Auguſtinus, nemo ſit miſer, niſi mereatur.

Quod ſpeciem illius attinet, dicimus illud fuiſſe peccatum ſuperbiæ. 53

Id apertè docent Scripturæ. Tob. 4. *Superbiam nunquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permitte, in ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio.* Eccli. 10. *Initium omnis peccati ſuperbia.* Huc etiam pertinet quod Iſa. 14. ſub figura Regis Babylonis de diabolo dicitur: *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua. Quomodò cecidiſti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris? Qui dicebas in corde tuo: in cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum . . . . ſimilis ero altiſſimo.*

Suffragantur SS. Patres. S. Athanaſius, in Orat de Virginitate. *Ingens*, inquit, *remedium eſt ad ſalutem animi humilitas; cùm Sathanas non ob ſcortationem, aut adulterium, aut furtum dejectus ſit è cœlo; ſed ſuperbia illum inde præcipitavit infra ipſam abyſſum, cujus hæc verba fuêre: aſcendam & ponam ſolium è regione Dei, & ero æqualis altiſſimo.*

S. Ambroſius, in Pſalm. 36. ad illud *Vidi impium ſuperexaltatum.* Et in Pſal. 118. ad verſ. *Increpaſti ſuperbos*, & rurſus ad iſtum, *Superbi iniquè agebant uſquequaque*

S. Auguſtinus, lib. 12. de Civit. c. 6. de Angelis Apoſtatis ſic loquitur: *Ab illo, qui ſummus eſt, averſi, ad ſe converſi*

verſi ſunt, *& hoc vitium nihil aliud eſt*, *quàm ſuperbia.* His conſentiunt SS. Chryſoſtomus, Cyrillus Alexandrinus, Hieronymus, Proſper, &c.

Hoc etiam probat S. Thomas iſta ratione. In ſpiritualibus, quæ ſecundùm ſe bona ſunt, appetendis, non poteſt eſſe peccatum, niſi appetatur contra regulam aut præceptum ſuperioris: porro non ſubdi ſuperiori in eo in quo debet, eſt peccatum ſuperbiæ. Ergo, &c.

In eo autem, juxta S. Thomam (s), & communiorem Scholaſticorum, poſita fuit diaboli ſuperbia, quòd inordinatè, hoc eſt; propriis viribus voluerit acquirere ſuam beatitudinem, in qua ſe ipſo frueretur, tanquam ſibi ſufficiens, & eatenus ſimilis altiſſimo, ſolus enim Deus ſibi eſt beatitudo. *Ipſe ſibi*, ait ſanctus Ambroſius, in Pſal. 118. *ad beatam vitam ſufficere voluit.* Item ſanctus Auguſtinus, lib. 18. de Civit. cap. 1. *ſe ſibi ſufficère judicavit.* Et S. Bernardus, Serm. 3. de verbis Iſaiæ, *ſe ipſo voluit eſſe contentus.*

54 Circa auctores primi Angelorum peccati, quæritur 1mo. Utrum aliqui ex ſingulis ordinibus ceciderint. 2do. Utrum Dæmonum Princeps fuerit omnium Angelorum ſuprèmus.

Quantùm ad 1mum probabile eſt, aliquos ex ſingulis ordinibus cecidiſſe.

Id non obſcurè innuit Apoſtolus ad Rom. 8. ubi inter humanæ ſalutis hoſtes recenſet, Angelos, Principatus, Virtutes: *Neque Angeli*, inquit, *neque Principatus*, *neque Virtutes . . . neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei.* 1. ad Corinth. cap. 15. præter Principatus & Virtutes recenſet Poteſtates: *Cùm evacuaverit*, ait, *omnem Principatum & Poteſtatem & Virtutem.* Ex ordine Seraphinorum nonnulli quoque lapſi ſunt, nam, ut communis eſt ſententia, ex illo ordine fuit Dæmonum Princeps. Ex Cherubinis pariter aliquos cecidiſſe colligitur ex eo, quòd nomen Cherub in malum ſumatur Ezechiel. 28. Tandem cùm Archangeli ſub Angelorum nomine comprehendantur, & cùm Throni & Dominationes ſint Seraphinis & Cherubinis inferiores, probabiliter infertur, aliquos ex ſingulis ordinibus cecidiſſe. Nomina verò Seraphinorum & Thronorum Angelis apoſtatis minimè tribuuntur, quia hæc nomina ſumuntur ab ardore charitatis, & ab inhabitatione Dei, quæ non poſſunt eſſe cum peccato mortali, quo Angeli apoſtatæ ſunt irretiti. Et quia, ſub ſtellarum figura intelliguntur Angeli, Apocal. 8. & 12. videtur probabile, quòd plures Angeli ſteterint, ac in cœlo permanſerint, quàm ceciderint, atque è cœlo dejecti fuerint: ibidem enim tertiam duntaxat ſtellarum, ſeu Angelorum partem cecidiſſe commemorat Propheta Apocalypticus.

Quantùm ad 2dum videtur, quòd Dæmonum princeps fuerit omnium Angelorum ſupremus. Id innuit Scriptura. Job. 40. ſub typo Behemot de diabolo dicitur: *Ipſe eſt principium viarum Dei*, id eſt, opus ſeu creatura Dei prima & præſtantiſſima. Ezechiel. cap. 31. ſub typo Regis Aſſur, de eo hæc dicuntur: *Cedri non fuerunt altiores illo in paradiſo Dei. Omne lignum paradiſi non fuit aſſimilatum illi*, *& pulchritudini ejus.*

Eidem ſententiæ favent Patres, ut videre eſt apud Tertullianum lib. 2. contra Marcion. Hieronymum in cap. 4. Daniel.

(s) *Quæſt. 63. art. 3.*

Daniel. Auguſtinum lib. 2. de Geneſ. ad litt. cap. 19. Gregorium Magnum lib. 32. Moral. c. 24. Bernardum Serm. 1. de Adventu.

55 Pœna denique, quæ conſecuta eſt Angelorum peccatum quadruplex recenſetur. 1mo. Cœcitas mentis, propter quam Dæmones ſimpliciter dicuntur tenebræ, Luc. 22. *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Epheſ. 6. *Mundi rectores tenebrarum harum.* 2do. Obſtinatio voluntatis in malo, à qua denominantur ſpiritus mali, ſpiritus nequam. 1. Reg. 16. *Spiritus Domini malus arripiebat Saul.* Pſalm. 77. *Immiſſiones per Angelos malos.* 3tio. Excluſio à gloria. 4to. Tormentum ignis, Matth. 25. *Diſcedite . . . . maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus.* In quibus verbis etiam intelligitur excluſio a gloria.

56 Igitur 1mo. Dæmones carent omni prorsùs lumine ſupernaturali, *Reprobi Spiritus*, inquit ſanctus Bernardus, Epiſt. 77. ad Hugonem, *etſi deſtituti ſunt participatione gratiæ ſpiritualis &c.* Ratio eſt, quia lumen gratiæ eſt ordinatio quædam ad vitam æternam. Atqui Dæmonum ſtatus nullum habet ordinem ad vitam æternam. Ergo nullum gratiæ lumen in ipſis remanet.

Retinent tamen lumen naturale, *Non tamen*, de iis loquens ſanctus Bernardus Epiſt. cit. addit, *vivacitate induſtriæ naturalis deſtituti ſunt.* Ratio eſt, quia peccatum nec deſtruxit, nec immutavit eſſentialiter naturam Angelicam, ſed tantùm accidentaliter. Atqui Spiritus, qualis eſt natura Angelica, eſſentialiter eſt intellectivus, & eo magis, quo eſt perfectior. Ergo in Dæmonibus dona naturalia integra & ſplendidiſſima manent, ait Auctor de divinis nominibus, cap. 4.

Nihilominus Dæmones, propter inordinationem voluntatis circa ultimum finem peſſimè affectæ, nunquam rectâ intentione operantur, ac proinde judicium eorum practicum, quo judicant ita ſibi agendum, ſemper eſt falſum, ſicque celebre illud effatum, *omnis peccans eſt ignorans, & errans*, non minùs in ipſos cadit, quàm in cæteros peccatores. Prætereà ubi veritas non apparet, non ſemper ſuſpendunt judicium, ſicut viri juſti ut plurimùm, & ſemper Angeli beati: ſed ex levibus conjecturis temerè judicant, & ita falluntur & fallunt.

2do. Tanta eſt in Dæmonibus obſtinatio voluntatis in malo, ut nunquam benè operentur. Prob. 1mo ex Scriptura. Pſalm. 6. *Non eſt in morte, qui memor ſit tui.* Joan. 9. *Venit nox, quando nemo poteſt operari*, bonum ſcilicet. 57

Prob. 2do. Ex SS. Patribus. *Sapiens eſt Dæmon*, inquit S. Ignatius, ad Philipp. *ad malè faciendum, bonum autem quid ſit ignorat. In quo* (igne) inquit ſanctus Fulgentius, lib. de Fide cap. 3. *omnes illi prævaricatores Angeli nec malâ nunquam poſſunt voluntate carere, nec pœnâ.*

Prob. 3tio Ratione. Eorum voluntas eſt in malo obſtinata, qui non poſſunt à peccato temperare. Atqui Dæmones non poſſunt à peccato temperare, cùm eis deſit omnis gratiæ auxilium. Addendum cum S. Thoma, eos in omnibus ſuis actibus peccare lethaliter, eoquòd in eis ſummum Dei odium dominetur; non demerentur tamen, eoquòd ad demerendum ſatis non ſit peccatum, ſed præterea ſtatus viæ in peccante requiratur.

Tertia Angelorum apoſtatarum pœna eſt excluſio à gloria, quam pœnam damni vocant Theologi, qua ab intuitiva 58

Dei

Digitized by Google

Dei viſione æternùm excluduntur, & qua proinde graviſſimè eos torqueri neceſſe eſt.

59 Quarta denique eſt æternum eorum ſupplicium & tormentum, quod pœnam ſenſûs nuncupant Theologi.

Origenes, prout teſtantur Theophilus Alexandrinus, Epiſt. 2. Paſchali. Hieronymus, Epiſt. 59. ad Avitum. Auguſtinus, lib. de Hæreſ. c. 18. Synodus V. Oecumenica, cenſuit, Dæmonum pœnas aliquando finem habituras. Hunc errorem Sociniani poſtremis hiſce temporibus amplexi ſunt, impiè ſcilicet arbitrantur, æquum non fore Dei judicium, ſi creaturas ob unum vel cogitationis peccatum lethale æternis ſuppliciis addixerit. (*t*) Contra quos ſit

60 CONCLUSIO I.

Æterna ſunt Angelorum apoſtatarum ſupplicia.

Prob. 1mo. Ex Scriptura. Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus.* Atqui ſi ignis, qui eſt ſupplicii inſtrumentum, eſt æternus, neceſſe eſt, æternũ etiam eſſe ſupplicium. Valet idem argumentum reſpectu hominum damnatorum, quippe quorum hîc eadem ac Dæmonum eſt ratio, unde ibidem de reprobis & prædeſtinatis hæc dicuntur: *Et ibunt hi in ſupplicium æternum, iſti autem in vitam æternam.* Hinc etiam fit, ut Marci 3. de iis qui blaſphemaverint in Spiritum ſanctum hæc legantur: *Qui autem blaſphemaverit in Spiritum ſanctum, non habet remiſſionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti.* Hinc quoque Paulus, 2. ad Theſſal. 1. v. 9. de impiis dicit: *Qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini.*

Præluſerat jam Iſaias Propheta c. 33. dicens: *Quis poterit habitare de vobis cùm igne devorante? . . . . cùm ardoribus ſempiternis?*

S. Petrus quoque Epiſt. 2. cap. 2. v. 4. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Quam ſententiam confirmat, atque Angelorum apoſtatarum cruciatus æternos eſſe declarat S. Judas in ſua Epiſtola v. 6. his verbis, *Angelos verò, qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis ſub caligine reſervavit.*

Prob. 2do ex Traditione. S. Irenæus, lib. 4. adverſ. Hæreſ. cap. 4. ſic loquitur: *Quibuscunque dixerit Dominus, Diſcedite à me maledicti, ite in ignem æternum, iſti erunt ſemper damnati.*

Tertullianus, lib. de carne Chriſti, cap. 14. probat Dæmonum ſupplicia fore æterna, quòd Chriſtus pro eis mortuus non

(*t*) In Tractatu de peccatis oſtendemus, quòd quamvis peccatum temporaneum imò quandoque momentaneum eſſe videatur, tamen juſtè æternâ pœnâ puniatur. Nam certè, ut legum humanarum comparatione utamur, nulla decrevit, ut tantâ ſcilicet morâ duntaxat temporis quis puniatur, quantâ temporis morâ undè puniretur admiſit, inquit S Auguſt. *lib.* 21. *de Civit. cap.* 11. Et verò peccatum quamvis in ſe & re ipſa ſit temporaneum, tamen æternum eſt ratione affectûs peccantis, qui ita animò affectus videtur, ut peccatum cupiat eſſe perpetuum; ergo juſtum eſt, ut qui affectum habet, & voluntatem in æternum peccandi, pœnis etiam plectatur æternis. Ita S. Gregorius, *lib.* 34. *Moral. cap.* 16. Æterni ergo ſupplicii gravitas, ut ait S. Thomas 1. 2. *quæſt.* 87. *art* 3. *ad* 1 eſt proportionata peccato mortali, non quidem ratione durationis, ſed ratione gravitatis illius, quatenùs ſcilicet pro graviori peccato major infligi debet pœna, minor pro leviori.

Digitized by Google

non ſit : *Nullum*, ait, *mandatum de ſalute Angelorum ſuſcepit Chriſtus à Patre. Quod Pater neque repromiſit, neque mandavit, Chriſtus adminiſtrare non potuit.*

S. Cyprianus in calce libri ad Demetrianum aliam profert rationem, deſumptam ſcilicet ex defectu ſatisfactionis & pœnitentiæ, ſine quibus nec diabolus nec homo inflictâ ſibi pœnâ liberari poſſunt : *Quando*, inquit, *iſthinc exceſſum fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus, nullus ſatisfactionis effectus.*

S. Ambroſius in Pſalm. 118. exhibet confeſſorem in tormentis *cogitantem illum ignem perpetuum, illud ſine fine incendium.*

S. Hieronymus in hæc verba Matth. *Et ibunt hi in ſupplicium æternum &c.* hæc habet : *Prudens lector adverte, quòd ſupplicia æterna ſint, &c.*

Conſonant S. Auguſtinus, lib. 21. de Civ. & Gregorius Magnus, lib. 24. Moral. cap. 16.

Prob. 3tio ex Concilio V. generali, quod in anathematiſmis Origenis hac de re errorem damnat.

Prob. 4to. Ratione. Quia Deus iis denegavit tempus & gratiam ad pœnitentiam agendam. Porro ſi habuiſſent tempus & gratiam, potuiſſent agere pœnitentiam. Nam cùm Angelus in iis, in quibus eſt liber, apprehendit objectum partim ut amabile, partim ut non amabile ſub diverſo reſpectu, poteſt etiam idem objectum proſequi vel averſari : & ſic non ita immobiliter adhæret ei, quod ſemel elegit, ut electionem ſuam ſemel factam mutare non poſſit, prout alibi jam à nobis dictum fuit. Ergo, &c.

61 Altera hîc adhuc difficultas expedienda eſt. Quamvis enim concors omnium Chriſtianorum, ſi quoſdam dementatos Socinianos excipias, ſententia ſit, Dæmonum, ſicut reproborum animarum humanarum, ſupplicia æterna eſſe, tamen adhuc quæſtio movetur, num Angeli apoſtatæ ſtatim poſt peccatum ſuum ad ima tartara præcipitati fuerint, ibique damnationis ſuæ pœnam, eam ſcilicet etiam, quæ ſenſûs eſt, ſuſtinere cœperint, atque etiamnum modò & ante ultimi Judicii diem patiantur. Certè non modò plures antiqui Patres tum Græci tum Latini apertè docuerunt, Dæmones non eſſe torquendos pœnâ gehennæ ante diem Judicii extremi ; ſed & ipſa Scriptura variis in locis id innuere videtur. Noſtra ergo ſit

CONCLUSIO II. 62

Dæmones ſtatim poſt peccatum ſuum in infernum detruſi ſunt pœnâ ſenſûs illico cruciandi atque æternùm duraturâ.

Prob. 1mo ex Scriptura, quæ apertis verbis id declarat. Sic S. Petrus 2. Epiſt. cap. 2. *Deus*, inquit, *Angelis peccantibus non pepercit ; ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in judicium reſervari.* Ergo Dæmones in inferno cruciantur, pœnamque ſenſûs ſuſtinentes reſervantur in judicium.

Conſonat S. Judas in Canonica ſua v. 6. *Angelos verò*, inquit, *qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis ſub caligine reſervavit.* Ergo in inferno reſervantur uſque ad ultimum Judicii diem, ubi utique pœnam & cruciatum, qui *vinculis æternis* & *caligine* ſignificatur, ſuſtinent.

Huc etiam pertinet iſtud Iſaiæ 14. *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua*, & infra, *Verumtamen ad inferos detraheris uſque ad profundum laci ;* quæ ſub figura Regis Babylonis de Diabolo dicta eſſe volunt

Digitized by Google

volunt SS. Patres (u), & ſacræ Scripturæ Interpretes.

Hoc ipſum non obſcurè innuit Concilium Florentinum his verbis : *Illorum animæ, qui in actuali mortali peccato, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendunt, pœnis tamen diſparibus puniendæ.* Ubi quamvis de Dæmonibus nihil definiant Patres, tamen idem de ipſis ac de humanis animabus ſentiendum eſſe, manifeſtum eſt.

Eandem veritatem adſtruunt SS. Patres. Sanctus Ambroſius, in cap. 8. S. Lucæ, ubi de legione Dæmonum agitur. S. Hieronymus, in Iſai. 14. ad illud, *Infernus ſubter te conturbatus eſt.* S. Auguſtinus, lib. 21. de Civit. cap. 3. S. Gregorius Nazianzenus, Orat. in S. Cyprianum. S. Chryſoſtomus, Hom. 24. in Matth. ad illud cap. 8. *Veniſti ante tempus torquere nos.* S. Cyrillus, lib. 6. cont. Julian. ante medium, quem & S. Thomas citat in catena ad Luc. 6. Et ſanctus Gregorius, lib. 4. Dialog. cap. 28. *Si eſſe*, inquit, *Sanctorum animas in cœlo ſacri eloquii ſatisfactione credidiſti, oportet, ut per omnia eſſe credas, & iniquorum animas in inferno: quia ex retributione æternæ juſtitiæ, ex qua juſti jam gloriantur, neceſſe eſt per omnia, ut & injuſti crucientur, &c.* Porro eadem omninò eſt ratio de Dæmonibus ac de reprobis animabus.

Prob. denique Ratione Theologica. 1mo. Admodum veriſimile eſt, Dæmonum ſupplicium ita ſe habere, ſicut gloriam ac mercedem bonorum Angelorum. Atqui bonorum Angelorum beatitudo non differtur usque ad ultimum Judicii diem, ſed ea fruuntur in cœlis, ex quo fuerunt in gratia confirmati, juxta illud Matth. 18. *Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris.* Ergo & Dæmones in infernum dejecti ſunt ac præcipitati, ex quo à Deo averſi peccaverunt.

2do. Certum eſt, Dæmones in inferno tortores eſſe animarum damnatorum hominum, ibique eorum ſuppliciis eſſe præfectos. Atqui abſurdum eſſet dicere, Dæmones in inferno torquere animas damnatorum, nec tamen ipſos ibi pœnis ſibi deſtinatis ſubjici. Ergo pœnam pro merito nunc in inferis patiuntur, nec expectabunt Judicii diem.

3tio. Animæ damnatæ non ſunt pejoris conditionis quàm Dæmones. Atqui animæ damnatæ ſtatim & ſine intermiſſione pœnam peccato debitam in inferis patiuntur, juxta illud Job. 21. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Et Luc. 16. *Mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno.* Ergo à fortiori Dæmones.

Solvuntur Objectiones. 63

Ob. 1mo ex Scripturis. Matth. 8. Dæmones dicunt Chriſto, *Veniſti ante tempus torquere nos.* Matth. 25. in extremo Judicio dicetur malis : *Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus.* 1. Corinth. 6. ſic loquitur Apoſtolus, *Neſcitis, quoniam Angelos judicabimus ?* Ex quibus locis apparet, 1mo. Dæmones nondum torqueri. 2do. Nondum miſſos eſſe in ignem æternum, ſeu in infernum. 3tio. denique, nondum eſſe judicatos ſed in judicium reſervari. Ergo, &c.

Ante Reſponſionem notandum, triplicem diſtinguendam eſſe diaboli damnationem. 1ma eſt, qua damnatus eſt initiô, quando propter ſuperbiæ peccatum

(u) *S. Athanaſius, Orat. de Virginitate.*

Digitized by Google

tum dejectus eſt è cœlo, & in æternam miſeriam præcipitatus; de qua damnatione loquitur ſanctus Petrus locô ſupra citatô, *Non pepercit eis, &c.* 2da. Qua per Chriſtum ſua, quam in homines habebat, poteſtate cecidit, adcò ut non ampliùs longè lateque dominetur ea libertate, eoque ſucceſſu, quo ante Chriſti adventum dominari permiſſus fuerat: de hac damnatione ait Chriſtus Joan. 12. *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras.* 3tia denique Diaboli damnatio erit in extremo, univerſali & manifeſto judicio, in quo licèt nulla futura ſit acceſſio ad pœnam ejus principalem, ſicut nec animabus damnatis, maxima tamen fiet ad pœnam ejus ſecundariam, 1mo. Quia cùm Dæmones ſint ſuperbiſſimi, maximam confuſionis pœnam patientur ex eo, quòd tunc ipſorum malitia toti mundo manifeſta ſit futura, palamque omnes cognituri ſint, quàm viles ſint & contemptibiles. 2do Quia judicabuntur non tantùm à Deo, ſed etiam à ſanctis hominibus, quos extremô odiô proſecuti ſunt, atque ab iiſdem publicô & irretractabili judiciô condemnabuntur. 3tio. Auferetur ab eis omnis impoſterùm electis nocendi poteſtas; quòd illi pro ingenti malitia & odio, quô bonos omnes proſequuntur, tanquam maximum tormentum reputabunt. Hoc ita præſuppoſitô

Reſp. Adducta Scripturæ teſtimonia, aliaque multa, in quibus judicii, ſeu damnationis Dæmonum, ac ſupplicii eis irrogandi in fine Sæculi, mentio fit; intelligenda eſſe de damnatione, non quidem primi, ſed tertii géneris duntaxat. Per ea ergo teſtimonia non ſignificatur, quòd Dæmones ante ultimi Judicii diem principali pœnâ non crucientur, aut minùs, quàm poſteà; ſed quòd ſuppliciorum ſuorum complementum ac plenitudinem ita accipient acceſſione pœnarum accidentalium, quas primùm recenſuimus, ut verum ſit dicere, quòd tunc in ſummam & extremam miſeriam projiciendi ſint, cui ſcilicet nihil ultra ſit acceſſurum: atque ita exponenda eſſe Scripturæ teſtimonia, quæ nobis objiciuntur, manifeſtè patet ex adductis à nobis ſanctorum Petri & Judæ textibus.

Ob. 2do. Plures antiqui Patres aſſerunt, Dæmones non eſſe torquendos pœnâ gehennæ ante diem Judicii. Ita ſanctus Juſtinus, Apolog. 1. & 2. ſæpiùs repetit, *Dæmones igni ſempiterno tradendos eſſe, nondum tamen traditos.* S. Juſtino conſentiunt S. Irenæus, lib. 5. contra Hæreſ. Euſebius, lib. 5. Hiſt. cap. 17. Oecumenius, in cap. ultim. 1mæ Petri. Epiphanius, in hæreſi Sethianorum. Idem etiam docent, SS. Ambroſius, in Comment. cap. 8. S. Lucæ, Hieronymus, & Chryſoſtomus, in c. 8. Matth. Auguſtinus, lib. 8. de Civitat. Dei cap. 23. Gregorius, lib. 4. Moral. cap. 10. Bernardus Serm. de S. Malachia, & alii plerique. Ergo. 64

Reſp. deferendam eſſe hìc ſanctorum Juſtini, Irenæi, Epiphanii, nec non Euſebii & Oecumenii opinionem. Quod autem attinet alios ſanctos Patres mox recenſitos, non negant, Dæmones hoc tempore torqueri tam pœnâ damni, quam pœnâ ſenſûs; ſed hoc unum volunt, ſcilicet poſt extremum Judicium eos pleniùs, quàm ante, miſeros fore, atque pœnarum ſuarum complementum habituros, acceſſione ſcilicet pœnarum accidentalium, de quibus primùm diximus.

Ob. 3tio. Primis Eccleſiæ temporibus, antequam alicui conferretur Baptiſmus, inter exorcizandum hæc & hujuſmodi verba diabolo dicebantur: *Nec te lateat, imminere tibi pœnas, tormenta,* 65

menta, diem Judicii, diem ſupplicii æterni, qui venturus eſt, velut clibanus ardens, in quo tibi & univerſis Angelis tuis æternus veniet interitus: & ideo pro tua nequitia damnate & damnande da honorem Deo; appropinquabit enim Judicium Dei. Ergo in veteri Eccleſia perſuaſum erat, primùm poſt extremum Judicium in infernum eſſe detrudendos & pœnis æternis cruciandos.

Reſp. neg. conſ. Per hoc enim quòd in adducto veteri Eccleſiæ ritu diabolus dicatur *damnatus & damnandus*, ſignificatur, eum jam torqueri in inferno, ſed pœnarum ſuarum complementum in die Judicii accepturum, quatenus ſcilicet tunc ipſius malitia palam omnibus manifeſtabitur, atque auferetur ab eo omnis imposterum electis nocendi poteſtas: quod quidem pœnarum complementum adeò timent, ut in exorciſmis nulla re magis torqueri videantur, quàm commemoratione, & comminatione futuri Judicii; unde exorciſmi fere omnes his verbis concludi ſolent, *Per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos & ſæculum per ignem.*

66 Ob. 4to. Non omnes Dæmones ſunt in inferno, ſed multi adhuc in aëre, ac ſupra terras vagantur, prout communiter tenent ſancti Patres, teſte ſancto Hieronymo in Comment. ad Epiſt. ſancti Pauli ad Epheſ. ubi explicans illa verba: cap. 7. *Contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus*, vocabulum *cæleſtibus* de aëre interpretatur, atque ſubdit: *Hæc autem omnium Doctorum opinio eſt, quòd aër iſte, qui, cælum & terram medius dividens, inane appellatur, plenus ſit contrariis fortitudinibus.* Ergo cùm multi ex Dæmonibus nunc in inferno non ſint, conſequens eſt, non omnes igne inferni cruciari. Ignis enim non urit, ubi non eſt; undè & Chriſtum rogant, *Luc.* 8. ne in abyſſum, id eſt, in infernum mittantur, metuebant ſcilicet pœnam ignis infernalis. (*x*)

Reſp. neg. conſ. Equidem ea fuit plurimorum Patrum communis ſententia, non omnes prorſus Dæmones ſtatim poſt peccatum in inferorum clauſtris fuiſſe reſeratos; ſed eorum pleroſque in tartarum fuiſſe deturbatos, reliquos verò in aëre, viciniſque locis vagari, atque ultrò citroque commeare. Ita docent S. Hieronymus, loc. cit. & Euſebius, lib. 7. Præparat. Evang. At, quamvis id verum eſſe concederetur, non tamen exinde ſequeretur, Dæmones, qui in aëre verſantur, non torqueri, nec damnationis ſuæ pœnam pati: ut enim rectè notat Beda in cap. 3. Epiſt. S. Jacobi, *Quocunque Dæmones volitent, ii ubique ſuam gehennam circumferunt.* Equidem, quamvis pro certo tueamur, Dæmones ſtatim poſt peccatum in infernum detruſos fuiſſe, non tamen negamus, quin inde aliqui identidem ad breve tempus, alii ad longius exeant, ſed ultrò ſancto Bonaventuræ & aliis aſſentimur, qui docent, nullos Dæmones nec perpetuò eſſe in inferno, nec perpetuò in hoc aëre degere, ſed quaſi per vices mutare locum ex præſcripto Luciferi, Deo id ita permittente: ipſum verò Luciferum in inferno detineri usque ad tempus Antichriſti.

At verò ſicut Angeli ſancti, etiam dum apud nos agunt, *ſemper vident faciem Patris*, & hac ratione in cœlis eſſe à Chriſto dicuntur, *Matth.* 18. quomodo & *Tobiæ* 12. Raphaël Angelus dicit, ſe

 eſſe

(*x*) Vide infra num. ſeq. ubi varias Doctorum opiniones referemus, quibus explicare conantur, quomodo ignis corporeus Dæmones extra infernum degentes torquere poſſit.

eſſe unum ex iis, qui ſemper adſtant ante Dominum; & Gabriel, *Luc.* 1. profitetur ſe adſtare ante Deum; ita quoque Dæmones etiam dum in hoc aëre verſantur, pœnas inferni ſuſtinent: quatenus ſcilicet gehennam ſuam, ut mox ex Beda vidimus, quocunque pergunt, ſecum portant. (*y*)

67 Unum adhuc hic examinandum videtur, an videlicet, & quomodo Dæmones vero igne corporeo torqueantur?

Dæmones igne corporeo torqueri negavit Philo, lib. de congreſſu eruditionis, ubi definit ignem inferni nihil aliud eſſe, quàm vermem conſcientiæ. Hanc fuiſſe Origenis ſententiam ſcribit ſanctus Hieronymus, Apolog. 2. contra Ruffinum, & Epiſt. 69. ad Avitum. Eandem quoque ſententiam Theophilactus amplectitur in cap. 9. Marci. Eam multis Novatoribus tribuit Jodocus Coccius, lib. 1. Theſauri cap. 7. Imò è Catholicis Catharinus, lib. de præmio bonorum & ſupplicio malorum, contendit, Scripturam intelligendam eſſe de igne metaphorico, ſicut de verme, Marci 9. & de aquis nivium, Job. 24. (*z*) quæ propter nativum frigus ſtridorem dentium excitent, Matth. 8. Quin S. Ambroſius in cap. 4. Lucæ, & ſanctus Gregorius, lib. 15. Moral. cap. 17. videntur aſſerere ignem tartareum eſſe incorporeum. Et S. Auguſtinus, lib. 21. de Civit. cap. 10. ait, flammam, qua cruciabatur epulo, talem eſſe, quales ſunt oculi, lingua, & digitus in anima ſine corpore. Et lib. 20. cap. 16. *Cujuſmodi*, inquit, *ille ignis ſit, ſcire arbitror neminem.*

Nihilominùs communis eſt Catholicorum ſententia, quòd Dæmones igne propriè dicto torqueantur. Quia 1mo. Quoties in ſacra Scriptura ſermo eſt de pœnis inferni, toties meminit ignis, raro vermium; ac proindè quamvis vox illa, *vermis* (*a*) ad metaphoram trahatur, atque conſcientiæ ſtimulum ſignificet, ignis tamen non poteſt ſumi niſi in propria ſignificatione; namque ſacri Scriptores conſtanter ignem æternum dicunt eſſe juſtam peccatorum pœnam: quòd ſi metaphoricè locuti fuiſſent, ſaltem alicubi debuiſſent in ſenſu proprio loqui, atque, quid per ignem illum intelligerent, explicare, metaphora enim apud unum eundemque Auctorem continua non eſt, nedum apud diverſos, qui, quemadmodùm ſacri Scriptores, variis temporibus ſcripſere. Deut. 32. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit usque ad inferni noviſſima.* Eccleſ. 7. *Vindicta carnis impii ignis & vermis.* Et cap. 21. *Conſummatio illorum flamma ignis.* Iſaiæ 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? . . . cum ardoribus ſempiternis?* Matth. 3. *Omnis . . . . arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Marci 9. v. 42. 43. 44. 45. & 46. Chriſtus *peccatores mittendos eſſe in ignem inextinguibilem, in gehennam, ubi ignis eorum non extinguitur*, declarat. Apocalyp. 21. Infernus deſcribitur tanquam ſtagnum ignis: *Diabolus miſſus eſt in*

(*y*) Gloſſa item in cap. 3. Jacob. *Diabolus*, ait, *ubicunque ſit, ſecum fert tormenta ſuarum flammarum.*

(*z*) Sunt qui dicant, aquas nivium cum igne conſervari: ſed id nobis non probatur. Nam quæ proferuntur ex cap. 24 Job. intelligenda ſunt de pœnis præſentis vitæ, ut legenti patet. Stridor ergo ille dentium damnatorum, de quo Matth. 8. v. 12. nimiam eorum triſtitiæ acerbitatem denotat, hæc frigus illud eſt, quod damnatos cruciat.

(*a*) De hac voce *vermis* utrum propriè an metaphoricè ſit accipienda, oppoſitæ ſunt apud Theologos ſententiæ.

in ſtagnum ignis & ſulphuris, ubi & beſtia & pſeudopropheta cruciabuntur die ac nocte. 2. Theſſalon. 1. *In flamma ignis dantis vindictam.* 2. Petri 3. *Igni reſervati in die Judicii, & perditionis impiorum hominum.* Epiſt. Judæ v. 7. *Ignis æterni pœnam ſuſtinentes.* His omnibus præponderat ſententia ſupremi Judicis, Matth. 25. *Diſcedite maledicti in ignem æternum &c.* Quis enim credet Judicem contra reum decernentem metaphoricè loqui ?

Conſonant SS. Patres. Juſtinus Apolog. 2. conceptis verbis aſſerit, *ignem æternum peccatoribus eſſe paratum.* S. Hieronymus Epiſt. 59. arguit Origenem, quòd ignem tartareum ad metaphoram tranſtulerit. Sanctus Ambroſius in Pſal. 118. exhibet Confeſſorem in tormentis *cogitantem illum ignem perpetuum, illud ſine fine incendium perfidorum.* Incorporeum quidem vocat in cap. 14. Luc. ſicut & ſanctus Gregorius cap. 17. lib. 15. Moral. tùm, quia pabulô non indiget, tùm quia non corporea, ſed fortè ſpirituali virtute torquet ſpiritus, nam idem ſanctus Gregorius lib. 4. Dial. cap. 29. de igne tartareo, *corporeum eſſe*, ait, *non ambigo.* Sanctus Auguſtinus, lib. 2. de Civit. cap. 10. *Adhærebunt*, inquit, *ſpiritus incorporei corporeis ignibus cruciandi.*

Adſtipulatur ratio. 1mo. Corpora damnatorum punientur igne poſt reſurrectionem, ut patet Matth 25. *Ite in ignem æternum.* Atqui corpora non poſſunt uri niſi igne corporeo. Ergo in inferno eſt ignis corporeus : porro ab eodem igne nunc torquentur Dæmones, à quo patientur homines poſt diem Judicii ; nam ibidem dicitur, *qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus.* Ergo ignis crucians Dæmones verus eſt & corporeus. 2do. In Concilio Florentino Patres Latini ſe credere dicunt, in Purgatorio ignem eſſe, & quidem corporeum, quo animæ levioribus peccatis obnoxiæ expiantur. Ergo ſi juxta Latinorum Patrum confeſſionem, corporeus eſt ignis, in quo animæ corporibus ſolutæ levioribus peccatis obnoxiæ purgantur ; à fortiori corporeus dicendus eſt ignis, in quo animæ ſolæ ſine corporibus gravioribus peccatis oneratæ, ante Judicium unacum Dæmonibus cruciantur ; ac multò magis ille, in quo poſt reſurrectionem animæ ſuis corporibus rurſum unitæ cruciabuntur. 3tio. Sicut Deus, quamvis animam mundare poſſit à peccato, non adhibita re corporea, vult tamen eam mundare per elementum corporeum, non quodcunque, ſed maximè mundativum, id eſt, per aquam. Ergo etiam, quamvis Spiritum & animam pro peccato punire poſſit, non adhibitô corporeô elementô, vult tamen utrumque per elementum corporeum, tanquam inſtrumentum ſuum miris & ineffabilibus modis punire, idque per illud elementum, quod maximè & activum, & proindè maximè afflictivum eſt, id eſt, per ignem. Ita S. Thomas poſt S. Auguſtinum variis in locis, præſertim lib. 21. de Civ. cap. 9. & 10.

Quomodò autem Dæmones igne corporeo torqueantur, atque ſic quod corporeum eſt in ſpiritum agat non eſt una Theologorum ſententia, ſed varia varii comminiſcuntur, atque mirum in modum laborant, dum, prout ait Petavius, lib. 3. de Angelis, cap. 5. *quod inveſtigari non poteſt, inexhauſta curioſitate perquirunt.* Nos, prout in Tract. de Deo part. 1. cap. 4. §. 4. notavimus, in Logica noſtra part. 1. cap. 4. oſtendimus, qua ratione fieri poſſit, ut animæ à corporibus ſolutæ & ſeparatæ, corporeo Purgatorii igne torqueantur, quod à fortiori intelligendum volumus de igne tartareo Dæmones & damnatas animas humanas torquente.

Si

Digitized by Google

Si præter ea, quæ ibidem hac de re adnotavimus, quis aliquid ampliùs à nobis exigat, eidem cum ſancto Auguſtino (*b*) reſpondebimus, *quamvis miris, tamen veris modis ſpiritus incorporeos poſſe pœnâ corporalis ignis affligi*, hosque veros modos adeo miros nobis videri, ut præter eorumdem admirationem, de iis quidquam aliud definire non valeamus.

Neque etiam minùs mirum nobis videtur, quomodo corporeus ille ignis Dæmones in aëre volitantes, & extra infernum exiſtentes cruciet, id enim verè fit quidem, ſed mirô & ineffabili modô. (*c*) Dicunt aliqui, qualitatem doloriferam igne impreſſam à Deo in illis conſervari. Alii ignem ſupernaturaliter agere in diſtans. Alii, Dæmones ſecum ignem deferre. Alii denique cum ſancto Thoma, quæſt. 64. art. 4. Dæmones torqueri eo ipſo, quo cognoſcunt, ſe damnatos ad ignem tartareum, etiamſi actu ei non alligentur. Nos verò quomodo id fiat, nos ignorare fatemur, atque cum laudato S. Auguſtino (*d*) dicimus, *Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe.*

58? Denique locum quoque materialem puniendis reprobis eſſe deſtinatum, communis eſt Catholicorum doctrina contra Calvinum, *lib.* 2. *Inſtit. cap.* 16. Buccerum *in cap.* 27. *Matth.* & Bezam *in cap.* 2. *Act.*

Namque 1mo. In Scripturis ſub nomine *inferni* locus determinatus deſignatur. Sap. 5. *Talia dixerunt in inferno, hi qui peccaverunt.* Pſal. 93. *Niſi quia Dominus adjuvit me, paulò minùs habitaſſet in inferno anima mea:* ibi infernus diſtinguitur à ſepulchro, in quo anima non jacet. Matth. 11. *Et tu Capharnaum .... usque ad inferos deſcendes.* Luc. 16. *Mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno.* Ubi vox *inferni* non generaliter, ſed pro loco damnatorum ſumitur: nam & à ſinu Abrahæ diſtinguitur, & inter utrumque locum magnum chaos interjectum eſſe dicitur, & per (*e*) antonomaſiam, *locus tormentorum* appellatur. Apocal. 20. *Draco mittitur in abyſſum, & ibi clauditur, ut non ſeducat amplius gentes.* Quod Interpretes communiter intelligunt de Lucifero, non ſolvendo usque ad tempora Antichriſti.

Conſonant SS. Patres. S. Juſtinus lib. de neceſſariis quæſtionibus, quæſt. 75. *Improborum animæ*, inquit, *ad inferorum loca deducuntur, ſtatim ac à corporibus ſolvuntur.* S. Chryſoſtomus, Hom. 49. & 50. ad populum, ex profeſſo impugnat eos, *qui locum gehennæ negant, ut ejus pœnas non timeant.* Et illud Iſa. 5. *Dilatavit infernus animam ſuam.* Textum hunc de loco extremæ ultionis exponit. Idem docent SS. Cyrillus Alexandrinus, lib. 1. in Iſai. cap. 5. Auguſtinus, lib. 1. Retract. cap. 5. Damaſcenus in hiſtoria Barlaam, & alii.

In Symbolo item Apoſtolorum profitemur Chriſtum triduô mortis deſcendiſſe ad inferos; *in inferno ſecundùm animam*, inquit S. Auguſtinus, Epiſt. 57. *in ſepulchro autem ſecundùm carnem.*

Concilium denique Florentinum Seſſ. ult. *Definimus*, inquit, *illorum animas, qui in actuali peccato mortali, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas.*

Accedit

(*b*) *Lib.* 21 *de Civit. cap.* 10. (*c*) Enimverò hi Dæmones melioris utique conditionis haud ſunt, quàm illi, qui in inferno degunt, & quos corporeus ignis cruciat. (*d*) Epiſt. 1.
(*e*) Figura, quâ nomen appellativum pro nomine proprio ponitur.

Digitized by Google

Accedit ratio, quia conſentaneum eſt, ut ſicut boni in certo quodam loco præmium recipiunt; ita etiam quidam ſit locus determinatus puniendis reprobis deſtinatus.

Igitur Infernus eſt locus quidam determinatus, ſubterraneus, utpote quem Scripturæ ſpecialiter vocent *abyſſum* Luc. 8. & Apocalypſ. 20. unde S. Auguſtinus, lib. 9. Retract. cap. 24. *De inferis*, inquit, *magis mihi videor docere debuiſſe, quòd ſub terris ſint, quàm rationem reddere, cur ſub terris eſſe credantur, ſive dicantur, quaſi non ita ſint.*

Denique id ipſum indicare videtur ipſum *inferni* vocabulum, quod apertè locum infimum, occultum, & ſubterraneum ſignificat.

Utrum autem infernus non ſolùm ſit ſubterraneus, ſed etiam profundiſſima pars terræ, non ita apertè exprimit Scriptura: probabilior tamen & communior eſt ſententia affirmans.

§. VI.

69 *De variis Angelorum effectibus.*

Varios ſubinde extraordinarios effectus ab Angelis produci experientia docet. 1mo enim nonnunquam in corporibus aſſumptis hominibus apparent; id autem prioribus mundi & Eccleſiæ ſæculis frequentiùs quàm nunc, fieri conſueverat. 2do. Angelis ſanctis, Daniel. 10. & 11. tribuuntur regnorum everſio, & illorum ad alios populos translatio: tribuuntur etiam clades, quibus profligantur exercitus. Vid. Auguſtin. lib. 4. de Civ. c. 17. 3tio. Angeli ſancti divinæ miſericordiæ in homines pios, & juſtitiæ in impios judicia, in hac vita exequuntur, prout ait Auguſtinus in illa Pſalm. 77. verba, *Immiſſiones per Angelos malos.*

Plures etiam ſunt modi, quibus Angeli mali poſſunt extraordinarios effectus operari; applicando nempe, ut ajunt, activa paſſivis, poſſunt producere animalia, quæ ſine generatione ſtrictè ſumpta ex aliis corporibus naſcuntur, ut ſunt ranæ, muſcæ, mures, vermes. Vide Auguſtinum lib. 15. de Civit. cap. 23. necnon quæſt. 21. in Exod.

Præterea vi poteſtatis, quam habent, movendi corpora, facilè, ſi Deus permittat, poſſunt noſtris ſenſibus illudere; ita ut noſtri ſenſus eodem modo afficiantur, ac ab ipſiſmet exterioribus corporibus afficerentur; unde poſſunt oculis objicere lapides pro lupis, & viciſſim lupos pro lapidibus. Poſſunt quoque, Deo permittente, ex ejuſdem poteſtatis virtute, cogere nubes, excitare fulmina, variis motibus terram concutere, fructibus nocere, morbis quibusdam in homines ſævire. Vide eundem Auguſtinum loc. cit. Hinc colligitur, quàm piè ſe gerat Eccleſia, cùm, adhibitis precibus, aërem, flumina, terræ fructus benedicit.

Nec tamen vera miracula patrare poſſunt. Miraculum namque eſt opus, quod excedit naturalem cujuslibet creaturæ virtutem. Atqui opus hujusmodi Dæmones efficere non poſſunt: neque enim Deus aliam eis tribuit virtutem, quàm quæ data fuit, cùm educti ſunt ex nihilo; hæc autem naturalis duntaxat fuit. Ergo, &c. 70

Præterea ſi Deus Dæmoni facultatem daret patrandi vera miracula, eſſet in confirmationem vel erroris, vel veritatis. Atqui neutrum dici poteſt. Non 1mum, cùm enim Deus ſit ipſamet veritas, non poteſt, ſive per ſe ipſum, ſive per alium, quempiam in errorem inducere. Non etiam 2dum. ſiquidem non convenit, ut Deus tribuat mendaciorum Patri virtutem ſupernaturalem,

qua veritas apud homines confirmetur, præſertim cùm in Scripturis vetet hominibus, ne diaboli aut operibus aut conſiliis aſſenſum præbeant.

Denique ſi Deus Diabolo facultatem faceret patrandi vera miracula, nihil eſſet, quo certi eſſe poſſemus, Deum, non autem creaturam aliquam, nobis loqui, ac proinde vacillaret fides, cùm fides nitatur teſtimonio Dei loquentis. Sed abſurdum eſt conſequens. Ergo, &c.

71 Unde mira illa, quæ patrare ope Dæmonis viſi ſunt Malefici Pharaonis Exod. 7. dum per incantationes verterunt virgas ſuas in dracones, & aquam in ſanguinem, atque ranas ex fluviis eduxerunt, non fuere vera miracula ſed apparentia duntaxat; nam illæ mutationes, juxta Joſephum, lib. 2. antiquit. Tertullianum, lib. de anima cap. 57. non fuerunt veræ ſed apparentes duntaxat: ſcilicet Malefici illi per ſuas præſtigias ita populorum oculis ludificârunt, ut dracones, ranæ, ſanguis apparuerint, quamvis à parte rei & virgæ, & fluvius, & aquæ in ſua naturali ſubſtantia remanſiſſent.

Et verò licèt concedatur, mutationes, de quibus agitur, fuiſſe veras ac reales, non ſequitur tamen Maleficos illos vera miracula patrâſſe: nempe quamvis opera illa humanam virtutem ſuperaverint, non tamen fuerunt ſupra naturales Dæmonum vires: cùm enim à Deo ſibiipſis permittuntur, poſſunt activa paſſivis applicando corpora quædam in alia transmutare, præſertim in ea, quæ aut non vivunt, aut ex putri materia per imperfectam tantùm generationem, ut mures, ranæ, &c. producuntur. (*f*)

Vel etiam dici poteſt, ex ſuppoſito nempe, quòd mutationes illæ reales fuerint, veros dracones aliunde adductos ope Dæmonis virgarum locô fuiſſe ſubſtitutos, & ſic de aliis, fallendo oculos, ut nemo præſtigias illas animadverteret: Et ſic præſtigia fuiſſent non in converſionis termino, ſeu re converſa, ſed in convertendi modo; unde & Hebraicè Malefici iſti vocantur præſtigiatores: Scriptura tamen dicit eos feciſſe ſimiliter, quia modus agendi externus ſimilis erat, quemadmodum Angeli dicuntur comediſſe.

Quod autem narratur *lib. 1. Reg. cap. 28.* de Pythoniſſa, quæ per incantationes ſuas Samuelem ſuſcitavit, eum Sauli ſtitit, quocum & locutus eſt; Id vel apparenter duntaxat factum eſt, ut ait S. Auguſtinus, *lib. 2. ad Simplicianum quæſt.* 3. vel ſi realis ac vera fuit ſuſcitatio Samuelis, id operâ Dei factum eſt, non Dæmonis. Nec obſtat, quòd incantatio Pythoniſſæ illi miraculo occaſio fuerit, id enim occultô judiciô Deus ita permittere potuit. Vide ſanctum Auguſtinum *cit. lib. 2. ad Simplicianum, quæſt.* 3.

Mira etiam illa, quæ Diabolus circa mundi finem per Antichriſtum patrabit, non erunt vera miracula, ſed *mendacia prodigia*, ut ait Apoſtolus 2. ad Theſſalon. 2. nec naturales Diaboli vires excedent. Diabolus quippe ſi ſuis viribus à Deo permittatur, ſumma in ſubſtantias corporeas virtute pollet, ita ut, niſi Deus impediret, planetarum ordinem invertere poſſet, aliaque peragere, quæ licèt hominis poteſtatem ſuperent, non excedunt tamen vim naturalem Dæmonis. Itaque Antichriſtus multa operaturus eſt, quæ pro miraculis habebuntur ab iis, qui aut

(*f*) Vide in Tract. noſtro de Eccleſia c. 2. §. 2.

Digitized by Google

aut non attendent ad Dæmonis virtutem, aut potiùs qui à Deo ſpargente pœnales cœcitates ſuper illicitas cupiditates deferentur. Vide Auguſtinum lib. 20. de Civit. cap. 29.

Denique translatio Sagarum ad conventus nocturnos, in quibus & ventri & libidini ſerviunt, non excedit vires naturales Diaboli, ut qui abſolutè loquendo, & cùm à Deo permittitur, corpora, eorum præſertim, qui propter peccatum ſunt illius juris, poteſt de loco in locum movere. Verùm permulti negant, realem ac veram eſſe hujusmodi Sagarum translationem. Nam tribui poteſt imaginationi, à qua mulieres, quæ dicuntur Sagæ, ita decipiuntur, ut credant, licèt falsò, ſe translatas fuiſſe ad nocturnos conventus, in quibus ventrem & libidinem impleverint. Certè ex pluribus experimentis compertum eſt, Sagas viſas fuiſſe in carcere, in lecto, vel aliis ſimilibus locis, toto eo tempore, quo aſſerebant, ſe nocturnis illis conventibus interfuiſſe. Tanta quoque eſt imaginationis vis, ut in iis locis, ubi mulieres ſub nomine Sagarum ad judices trahuntur, plures aliæ ſibi perſuadeant, quòd & ipſæ Sagæ ſint: nempe, quæ de Sagis audiunt, ita movent earum imaginationem, ut certò credant, ſe & feciſſe & paſſas eſſe illa omnia, de quibus lis aliis intentatur. Hincque fit, ut in iis provinciis, in quibus tribunalia adversùs Sagas eriguntur, creſcat in dies earum numerus, cùm è contra in aliis, in quibus nihil ſimile agitur, vel exiguus, vel nullus ſit Sagarum numerus.

72 Porro operæ pretium erit tradere hîc quasdam regulas, quibus vera miracula diſcerni poſſint à quibusdam diaboli operibus, quæ miraculum hominibus ſapiunt. 1mo. Falſa miracula curioſitati, non autem ædificationi ſerviunt. 2do. Tantùm abeſt ut hominibus proſint, quin potiùs noceant quàm maximè. 3tio. Plerumque tendunt ad ſacrilegia, laſciviam, aliaque ſimilia facinora & flagitia. E contra vera miracula, ut patet in iis, quæ ſive Chriſtus, ſive Apoſtoli patrârunt, animabus corporibusque profuerunt. 4to. Cùm objectum quod uni & alteri hoc vel illo modo videtur, eadem ratione omnibus non apparet, ſignum eſt, quòd illuſio ſit in ſenſibus, nihilque reale ſit in objecto. 5to. Pariter eſt illuſio, cùm objecto, quod reale deprehenditur, deeſt aliqua ex proprietatibus, quæ naturaliter ipſi convenire debent, ut ſi corpus, quod appareret non eſſet palpabile. 6to. Cùm fundamentum eſt judicandi, rem, quæ de novo producta videtur, aliunde, per celeritatem nimirum Dæmonum, allatam fuiſſe, ut obſervavimus ſupra de draconibus, in quos virgæ Maleficorum Pharaonis mutatæ videbantur. 7mo. Cùm judicari poteſt, ope Dæmonum auferri objectum, & eidem aliud ſubſtitui. 8vo. Miraculum eſt duntaxat apparens, non verum, quando alio præſtantiore miraculo ſuperatur: ſic Ægyptii colligere poterant, miracula, quæ coram Pharaone ab eorum Maleficis patrabantur, fictitia tantùm fuiſſe, cùm ſerpens, in quem mutata fuit Aaronis virga, Maleficorum ſerpentes voravit, &c. Vide Tract. de Eccleſia cit. loc. in Reſp. ad ob. 3tiam.

§. VII.

De variis Angelorum ordinibus. 73

Magnum eſſe Angelorum numerum fatentur omnes, & teſtatur Scriptura. Legitur enim Danielis 7. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.* Apocal. cap. 5. *Et erat numerus eorum millia millium.*

Digitized by Google

Paucis hîc contra Eraſmum, Bezam, & alios negantes Apoſtoli verba, in quibus varia tribuit Angelis nomina, eſſe intelligenda de certis eorum ordinibus, nobis de iis agendum.

Novem igitur diſtingui Angelorum ordines Catholici omnes tuentur, Scripturæ fulti auctoritate præſertim, in qua tot enumerati leguntur. *Seraphinos* commemorat Iſaias, cap. 6. *Seraphim ſtabant ſex alæ uni, & ſex alæ alteri. Cherubinos*, Ezechiel cap. 10. *Cherubim autem ſtabant à dextris domûs. Thronos, Dominationes, Poteſtates, Principatus, Virtutes, Archangelos*, & denique *Angelos*, recenſet Apoſtolus, 1. Theſſal. 4. Rom. 8. & Coloſſ. 1. *Sive Throni, ſive Dominationes, ſive Principatus, ſive Poteſtates.* Rom. 8. *Certus ſum quia . . . neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes.* Et denique 1. Theſſalon. 4. *Quoniam ipſe Dominus in juſſu, & in voce Archangeli, &c.*

Patres etiam, ubi deditâ operâ catalogum texuêre ordinum Angelorum, nec plures nec pauciores quàm novem recenſuêre. Ita ſanctus Ignatius, Epiſt. ad Trallianos. S. Irenæus, lib. 2. cap. 54. Auctor librorum de cœleſti Hierarchia, cap. 6. His & aliis Græcis Patribus adhærent Latini. Pro omnibus ſit ſanctus Gregorius Magnus, qui Hom. 34. ſic loquitur: *Novem Angelorum ordines dicimus, quia videlicet eſſe, teſtante ſacro eloquio, ſcimus Angelos, Archangelos, Virtutes, Poteſtates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim, atque Seraphim.*

Equidem ſanctus Ambroſius, lib. 1. de Fide, cap. 1. Cyrillus Hieroſolymitanus, Catecheſi 6. Et S. Hieronymus, lib. 2. cont. Jovinian. quatuor tantùm recenſent Angelorum ordines, quia locis citatis ſcopus illorum ulteriorem & ampliorem horum ordinum enumerationem non exigebat, cæteros tamen non excludunt; & certè S. Hieronymus, lib. 2. Apologiæ contra Ruffinum novem Angelorum ordines recenſet.

Cùm verò Leo X. de Conſecrat. diſt. 1. cap. *Hi duo.* Dicit *decimum Angelorum ordinem per ſuperbiam corruiſſe*, id duntaxat ſignificare voluit, tantum extitiſſe lapſorum Angelorum numerum, ut potuiſſet decimum conſtituere ordinem, qui decimus ordo dicitur ex hominibus reparari.

Hi novem Angelorum ordines in tres Hierarchias diſtribuuntur à SS. Patribus poſt Auctorem de cœleſti Hierarchia. In prima & ſuperiore ſunt Seraphim, Cherubim & Throni; in ſecunda, Dominationes, Principatus, & Poteſtates; in tertia, Virtutes, Archangeli & Angeli. 74

Hierarchiæ autem nomine generatim intelligitur ſacrorum præfectura ſeu poteſtas: hinc Hierarchia cœleſtis certus eſt Angelorum numerus, qui ſibi invicem, ac uni tanquam Principi in ordine ad cœleſtes actiones ſubordinantur. Is autem, qui Princeps cenſetur omnium Angelorum, eorumque ſupremus Hierarcha, eſt S. Michael: hic in Scripturis dicitur Princeps populi Iſraelitici, cuſtos Eccleſiæ, victor diaboli, &c. huncque ſub titulo Principis omnium Angelorum veneratur ſancta & pia Mater Eccleſia.

Cæterùm variæ ſunt ordinum Angelorum proprietates, quæ varietas petitur tùm ex diverſis perfectionibus intrinſecis, quas enumerat ſanctus Bernardus; tùm ex variis miniſteriis & functionibus, ut cenſet ſanctus Gregorius. Hinc *Seraphim* Deo maximè conjuncti ſumma charitate ardent, quam in alios transfundunt; *Cherubim* mirâ pollent 75

ſcientiâ,

Digitized by Google

ſcientiâ, qua & cæteros illuminant; *Throni* ſpeciales ſunt Dei ipſis inhabitantis ſedes, hinc pax & ſecuritas, qua fruuntur, & quam aliis communicant; *Dominationes* mirâ in res creatas potentiâ præeminent, atque ad eos velut Principes inferiorum Angelorum miniſteria referuntur; *Poteſtates* peculiari gaudent auctoritate in Dæmones, eorumque malitiam ad Dei nutum aut cohibent, aut diffundi permittunt; *Principatus* Omnipotentis majeſtatem ac dignitatem referunt, atque in divinorum mandatorum executione Virtutibus principantur; *Virtutes* in recipiendis Dei illuminationibus maximè ſunt conſtantes, atque per eos miracula patrantur; *Archangeli* ſublimium Dei arcanorum præ cæteris conſcii ſunt, eorumque nuntii; *Angeli* verò minima nuntiant. Atque hæc de Angelis dicta ſufficiant.

76 CAPUT II.

De aſpectabilis Mundi hujus productione.

EXpenſis iis, quæ præcipuas & inviſibiles necnon cœleſtes Dei creaturas, Angelos, nempe ſpectant, tractationis ordo poſtulat, ut modò velut tandem è cœlo delapſi, mundum hunc aſpectabilem contemplemur; ubi tamen, omiſſis iis, quæ circa illa, quæ eo continentur, jam in Philoſophia noſtra expendimus, ut quæ Philoſophos duntaxat ſpectent, pauca ſolummodò de illius productione differemus.

Duobus igitur paragraphis negotium hoc abſolvemus, in quorum 1mo tuebimur Mundum non eſſe ab æterno ſed in tempore à Deo creatum fuiſſe; in 2do. Quonam ordine cuncta viſibilia creata fuerint exponemus.

§. I.

Utrum Mundus ſit ab æterno? 77

Mundum, part. 2. Phyſices noſtræ cap. 1. definivimus, *compagem è cœlo, terra atque iis naturis, quæ intra ea continentur coagmentatam.*

A Deo creatum fuiſſe ibidem tanquam fide certum aſſeruimus, atque in tempore ab ipſo conditum fuiſſe in Metaphyſica noſtra probavimus, part. 2. cap. 1. §. 2. argumentô morali 2dô quod vide.

Id Scriptura apertè declarat. Prov. 8. Sapientia de ſe ipſa loquitur, *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio:* Ergo fuit, cùm Deus nondum quidquam fecerat. Geneſ. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Quamvis enim plures ex SS. Patribus nomine principii intelligant Verbum divinum, in quo condita ſunt omnia; alii tamen ſic interpretantur, ut cœlum & terra ſint principium eorum omnium, quæ à Deo creata ſunt: principium autem creatum in eorum ſententia non poteſt eſſe æternum, unde communiter ex hoc loco colligunt mundum non eſſe æternum, ſed creatum in principio temporis; ſeu primô temporis momentô.

A creatione autem mundi uſque ad Chriſti nativitatem com̃uniter numerantur quatuor millia añorum, quamvis nonnulli contendant, intra tempus illud non niſi 3983. aut circiter efluxiſſe annos. (g)

(g) Alii 4004. alii 5568. alii denique 6000. annos effluxiſſe volunt.

Qui annorum numerus ex diverſis mundi ætatibus, in quas Scriptores Eccleſiaſtici mundi durationem diſtribuerunt, colligitur.

78 Mundi autem ætates vulgo ſeptem numerantur, quas part. 2. Sect. 1. Tract. de ſacra Scriptura ſtatutis locis ordine recenſuimus. Prima igitur cœpit à creatione mundi atque ad diluvium usque, 1656. annis videlicet, duravit. Secunda à diluvio, & protenſa eſt usque ad Abrahamum, quando nempe à Deo vocatus fuit, annis 426. Tertia à vocatione Abrahami usque ad mortem Joſephi, quæ contigit anno mundi 2369. annis 286. Quarta, a morte Joſephi in Ægypto, usque ad Templum conditum annô quartô regni Salomonis, annis 623. (*b*) Quinta à jactis Templi fundamentis usque ad finem captivitatis Babylonicæ, annis 477. Sexta à ſoluta captivitate Babylonica usque ad nativitatem Chriſti, annis 531. Septima denique à Chriſti nativitate protenditur usque ad ſecundum illius adventum. Vide Tractat. noſtrum de ſacra Scriptura loc. citat.

§. II.

79 *Quonam ordine cuncta viſibilia condita ſint.*

Moyſes toto primo Geneſis Capite hiſtoricam hujus aſpectabilis mundi productionem deſcribit; quam non divina tantùm revelatione, ſed etiam humana, ſcilicet Majorum ſuorum traditione didicerat, prout memorato Tractatu noſtro de ſacra Scriptura loc. cit. oſtendimus; cujus proinde methodum hîc ſequemur.

Igitur prima die Deus ex nihilo cœlum & terram creavit, deinde produxit lucem, ſeu corpus lucidum, quo dies à nocte ſecreta fuit.

Secunda die factum eſt Firmamentum dividens aquas ab aquis. Quid autem Firmamenti nomine intelligi debeat, non una eſt Theologorum ſententia. Sanctus Hieronymus Epiſt. 83. ad Oceanum, ſanctus Auguſtinus, & Beda in Geneſ. intelligunt corpus diaphanum, quod à terra ad empyreum protenditur & extenditur; hebraicè enim *Firmamentum* eſt *extenſio*, cujus inferior pars communiter vocatur aër, nonnunquam etiam cœlum, ut Pſalm. 8. *Volucres cœli.* Dividit autem aquas ab aquis, nempe nubes, quæ ſupra infimam aëris partem volitant, ab aquis, quæ in mari & fluminibus concluduntur. Denique cœlum ſic acceptum dicitur Firmamentum, non quòd ſit corpus ſolidum, ſed quòd ſit firmiſſimè ſuſpenſum & extenſum.

Tertia die, aqua, quæ, utpote minùs gravitans, operiebat univerſam terræ ſuperficiem, congregata eſt in alveos & cavitates profundiſſimas ſic à Deo præparatas, ut inde montes excreviſſe credendum ſit; & terra, jubente Deo, ſtatim exſiccata protulit herbas, plantas, & arbores; ſimulque Paradiſus terreſtris, hoc eſt, hortus amoeniſſimus conſitus fuit.

Quarta die condita ſunt ſydera, ſcilicet Sol, Luna, & Stellæ, inter quæ Sol & Stellæ lucidæ quidem ſunt, Luna verò opaca dicitur à Mathematicis, atque ſuum lumen à Sole mutuari.

Quinta die, Deus ex aquis piſces & aves eduxit.

Sexta

(*b*) Plerique tamen contendunt, quartam mundi ætatem primùm inchoandam eſſe ab exitu Iſraelitarum ex Ægypto, nempe annò mundi 2513. ſicque tertia ætas erit 410. annorum; quarta verò 509. annorum tantùm.

Digitized by Google

Sexta die, Deus produxit primùm animalia terreſtria, quadrupedia, & reptilia, ac demum ad commodam hominis habitationem omnibus diſpoſitis, formavit hominem maſculum & fœminam, nempe Adamum & Evam, quam ex Adami dormientis latere extractâ coſtâ condidit, cùm jam in paradiſo voluptatis, quod Deus etiam creaverat, conſtitutus eſſet Adam, illucque translatus. Sicque omni opere perfecto, dicitur Deus die ſeptima requieviſſe, non quidem defatigatione, ſed ceſſatione à novis operibus.

80 Mirum videri poſſet, cur Eva educta fuerit ex latere Adami, cùm fœminæ in aliis animalium ſpeciebus non fuerint hoc modo productæ.

Reſpondet ſanctus Thomas quæſt. 92. art. 2. Id fuiſſe convenientiſſimum, 1mo ut quædam dignitas primo homini ſervaretur, nimirum ut eſſet principium totius ſui generis, quemadmodum Deus eſt principium totius Univerſi. 2do ut vir magis diligeret uxorem, ut quæ ſit corporis ſui portio, quod ſignificatur his verbis, *propterea relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Nemo autem carnem ſuam etiam infirmam odiô habet. 3tio ut appareat, qualis debeat eſſe ſocietas inter virum & uxorem: ut moneatur uxor, ſe in virum dominari non debere, dum meminit ſe non ejus capite eſſe eductam: vir verò diſcat, uxorem non habendam ut ancillam ſed ut ſociam, ut quæ non ſit ex ejus pedibus, ſed ex latere, & quaſi ex corde extracta. 4to ut adumbraretur Sacramentum Eccleſiæ, quæ de latere ſecundi Adam in cruce dormientis formata eſt. *Dormit Adam, ut fiat Eva: moritur Chriſtus, ut fiat Eccleſia: dormiente Adam fit Eva de latere: mortuô Chriſtô, lanceâ perforatur latus, ut ſuperfluant Sacramenta, quibus formetur Eccleſia.* Lib. de vera innocent. cap. 328. apud ſanctum Auguſtinum.

Inter alia plantaverat Deus in medio paradiſi lignum, *lignum*, ab eventu, *ſcientiæ boni & mali* dictum; quia ſcilicet illius eſu à Deo ipſis vetito experti ſunt primi parentes noſtri, vera eſſe, quæ Deus minatus fuerat, & falſa, quæ ſerpens promiſerat, abſit enim, ut credatur, rem materialem habuiſſe vim pariendi omnimodam ſcientiam, *hac dignoſcentia non eſt beati hominis ſapientia, ſed miſeriæ experientia, unde lignum nomen accepit*, inquit ſanctus Auguſtinus, lib. 1. contra Adverſarium Legis cap. 26. 81

Igitur poſtquam de hujus vetiti ligni fructu comederunt Protoparentes noſtri, tum *aperti ſunt oculi amborum*, ait textus, Geneſ. 3. v. 7. eo nempe ſenſu, quo ſolemus dicere de eo, qui ſapientior experimentô miſeriæ, quam ob contempta ſalutaria monita incurrit, factus eſt, *tandem aperuit oculos*, hoc eſt, advertit, quæ priùs videre detrectabat.

Quo autem loco ſitus erat Paradiſus, omninò eſt incertum, origo namque quatuor fluviorum, quos Moyſes dicit è Paradiſo ſcaturire, non in uno terrarum loco reperitur, Deo ſic occultante primam eorum ſcaturiginem per ſubterraneos cuniculos longiſſimos, ne locus Paradiſi hac via mortalibus innoteſcat. 82

Num verò adhuc extet Paradiſus ille voluptatis æquè incertum eſt. Quidam Theologi affirmant, contenduntque Henoch & Eliam in eo conſervari uſque ad ſecundum Chriſti adventum: alii negant, aſſeren-

aſſerentes illum aquis diluvii ſubmerſum. Quis autem illam controverſiam dirimet, cùm nec Scriptura, nec Traditio lucem præbeant?

Quodſi non ampliùs extat, tunc utique etiam inde receſſit Cherubim ille à Deo ante illum collocatus cum flammeo & verſatili gladio ad illius viam cuſtodiendam. Geneſ. 3. verſ. 24. Ridiculum eſt, quòd aliqui dicant gladium illum eſſe Zonam torridam; quaſi verò circulus ille, quem Mathematici circum orbem noſtrum imaginatione duntaxat fingunt, quid reale foret? Alii dicunt eſſe flammam in figuram gladii conformatam: Alii ipſam virtutem Angelicam, qua arcentur etiam Dæmones ab ingreſſu Paradiſi terreſtris, ne ſpe immortalis vitæ procurandæ per lignum vitæ vecordes homines in ſui obſequium, & idololatriam pertrahant. Verùm hæc omnia videntur nænias redolere. Id duntaxat nobis ſatagendum, ne in hac terra voluptatis Paradiſum quæramus, ſed unice ad cœleſtem aſpiremus.

23 ## CAPUT III.

De Creatione primi hominis.

TRia nobis hoc capite veniunt expendenda. 1mo ea, quæ ad hominis creationem pertinent. 2do. gratia primi hominis, & 3tio denique ipſius lapſus & peccatum.

§. I.

24 ### *De iis, quæ ad hominis creationem pertinent.*

Nonnulli Novatores ſuſpicionem injicere conantur ante Adamum alios extitiſſe homines ex eo, quòd Apoſtolus Rom. 5. dicat: *Regnavit mors ab Adam usque ad Moyſem, etiam in eos, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ.* Unde arguunt, quòd cùm omnes Adæ poſteri in ſimilitudinem prævaricationis illius peccaverint, id eſt, eodem, quo ille, peccato fuerint irretiti, fuiſſe alios homines, qui ab Adam non deſcenderint, utpote peccato illius haud obnoxii. At contra vanam & abſonam hanc opinionem, quæ patronis ſuis Præadamitarum nomen aſcivit, conſtans eſt omnium Catholicorum ſententia, Adamum eſſe abſolutè omnium hominum primum.

Prob. 1mo ex Scriptura; Sapient. 10. v. 1. *Formatus eſt orbis terrarum Pater.* 1. Corinth. 15. v. 47. *Primus homo de terra terrenus &c.* inquit Apoſtolus, de Protoparente noſtro Adam, *cujus imaginem nos portare*, ait verſ. 49. Et Actor. 17. verſ. 26. *Fecit ex uno omne genus humanum inhabitare ſuper univerſam faciem terræ.* Ubi diſertè aſſeritur, Adamum Patrem eſſe non ſolùm Hebræorum, ſed etiam totius orbis, & totius generis humani. Unde Geneſ. 2. v. 5. dicitur, ante Adamum *homo non erat, qui operaretur terram.*

Prob. 2do ex conſtanti omnium Sæculorum Traditione; Omnes enim non ſolùm Chriſtiani; ſed etiam Judæi hactenus agnoverunt, unum Adamum eſſe primam ſtirpem generis humani.

Prob. 3tio Ratione Theologica; quia ſi ante Adamum extitiſſent homines, filii eorum nati non eſſent filii iræ, & obnoxii peccato originali, ac proinde ſalutem ſine meritis Chriſti fuiſſent conſecuti, quo nihil abſurdius.

Quòd

Quòd autem Apoſtolus dicat Rom. 5. mortem ab Adam uſque ad Moyſem regnaſſe etiam in eos, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ, loquitur de peccato actuali ſeu propria voluntate perpetrato, non de originali & voluntate primi parentis commiſſo. Vult itaque Apoſtolus ante legem ſcriptam etiam eos, qui non peccaverunt actualiter & propria voluntate, ut infantes, morti fuiſſe obnoxios, ac proinde peccato originali fuiſſe infectos. Adam ergo morti factus eſt obnoxius propter peccatum actuale & propria voluntate commiſſum, poſteri verò ejus propter originale à primo parente ſuo Adam in ipſos transductum.

85 Igitur Adam eſt omnium hominum protoparens, qui non divinæ duntaxat vocis, ut aliæ creaturæ, imperiò, ſed manu divina contrectante conditus eſt, ùt nempe illius commendaretur dignitas. *Adeò magna res agebatur*, inquit Tertullianus, lib. de reſurrect. carnis, capit. 6. *qua iſta materia extrueretur. Itaque toties honoratur, quoties manus Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur. Recogita totum illi Deum occupatum, ac deditum, manu, ſenſu, opere, conſilio, ſapientia, providentia, & ipſa imprimis affectione, quæ lineamenta ductabat. Quodcumque enim limus exprimebatur, Chriſtus cogitabatur homo futurus.* Et ſanctus Ambroſius expendens verba Pſalmi 118. *Manus tuæ fecerunt me*, ait, *beſtias non fecerunt manus tuæ, ſed dixiſti, producat terra, &c.*

Atque *inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*, Geneſ. 2. id eſt, animam rationalem ſeu mentem; quo ſignificatur, eam non eſſe è materia eductam, cùm ſit ſpiritualis, ſed à Deo inſpiratam, non quidem tanquam ſubſtantiæ divinæ particulam, ut ſomniabant Manichæi, ſed ex nihilo creatam.

Equidem animam rationalem ſeu mentem humanam re vera ſpiritualem & incorpoream eſſe, præter Ethnicos quoſdam Philoſophos (*i*), quos hîc prætermittimus, negavit Tertullianus, lib. de anima cap. 6. & ſeq. 86

At verò apud Catholicos, imò Chriſtianos omnes certum eſt, animam ſeu mentem humanam eſſe ſpiritualem & incorpoream. Idque manifeſtè declarant Scripturæ, Eccli. 12. verſ. 7. *Antequam .... revertatur pulvis*, id eſt corpus, *in terram ſuam, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* 1. Corinth. 2. v. 11. *Quis ... hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? Ita & quæ Dei ſunt, nemo cognovit, niſi ſpiritus Dei.* Spiritus in his Apoſtoli verbis debet ſumi univocè, & ſub eadem ſignificatione. Atqui cùm de Deo prædicatur, non ſumitur pro flatu aut vento, ſed pro ſubſtantia ſimplici & incorporea. Ergo & cùm de homine dicitur.

Sancti Patres proinde toti ſunt, ut probent contra Paganos, Epicuræos, & impios, animam ſeu mentem hominis verum & propriè dictum eſſe ſpiritum. Sufficiant ſanctus Baſilius, qui hom. in illud, *Attende tibi*, ſic loquitur, *Contemplatione tuæ tibi inexiſtentis animæ incorporeæ, tibi cogita Deum eſſe incorporeum.* Et ſanctus Auguſtinus in Pſal. 145. ubi, *natura animæ*, inquit, *præſtantior*

(*i*) Stoici præſertim apud Euſebium lib. 15. Præparat. Evang. cap. 16. mentem humanam corpoream dixerunt.

ſtantior eſt, quàm natura corporis: excellit multùm, res ſpiritualis eſt, res incorporea eſt, vicina eſt ſubſtantiæ Dei. Et Hæreſ. 80. arguit Tertullianum, quòd animam corpòream aſſeruerit. Et lib. contra Epiſt. fundam. illius ſpiritualitatem ratione probat; ac Epiſt. ad Hieronymum & Evodium, *Nullo modo arbitror*, ait, *animam de corpore exire cum corpore.*

Denique Concilium Lateranenſe IV. cap. *Firmiter*, ſic ait: *Ab initio temporis utramque de nihilo* (Deus) *condidit creaturam, ſpiritalem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam; deinde humanam ex ſpiritu & corpore conſtantem.* In quibus poſterioribus verbis Concilium vocat animam ſpiritum, & quidem propriè dictum, cùm à corpore illam diſtinguat.

Hanc quoque ſententiam in Metaphyſica noſtra, part. 2. cap. 3. §. 1. multis argumentis à ratione petitis fulcivimus, quæ vide.

87 Unde etiam ſequitur eam eſſe immortalem, cùm enim ſit ſpiritalis; ſpiritus autem, utpote ſubſtantia ſimplex, nullum habet in ſe principium deſtructionis & corruptionis; quodnam enim illud eſſet?

Scriptura hanc veritatem tam dilucidè, tamque conſtanter aſtruit, ut Tertullianus ipſe, qui ſupra negabat, animam eſſe incorpoream, lib. de anima cap. 22. & 38. aſſerat, eam eſſe immortalem etiam naturaliter. Enimverò Scripturæ eo ipſo prædicant animam rationalem eſſe immortalem, quo juſtis promittunt vitam æternam, malis verò pronuntiant pœnam æternam, ut Sap. 5. *Juſti . . . . in perpetuum vivent.* Matth. 25. verſ. 46. *Ibunt in ſupplicium æternum; juſti autem in vitam æternam.* 2. Corinth. 5. verſ. 1. *Scimus . . . quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactum, æternam in cœlis.* Hanc fidem Chriſtiani ab initio profeſſi ſunt in Symbolo Apoſtolorum.

Vide etiam argumenta noſtra, quæ pro animæ rationalis ſeu mentis humanæ immortalitate in Metaphyſica noſtra loc. cit. §. 2. attulimus.

Porro animam rationalem ſeu mentem humanam eſſe veram corporis humani formam, hominemque ſubſtantialiter & eſſentialiter conſtituere vel ex data à nobis in Metaphyſica noſtra loc. citat. §. 1. illius definitione patet; ubi eam definivimus, quòd ſit *ſubſtantia quædam ſpiritalis & cogitans ad imaginem & ſimilitudinem Dei creata, & corpori deſtinata, illique regendo accommodata, atque ſubſtantialiter unita.* 88

Enimverò Geneſ. 1. dicitur, *Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam.* Et c. 2. *Formavit igitur . . . Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem.* Ex quibus locis habetur, quòd homo per animam rationalem factus ſit vivens, ad imaginem Dei, & eatenus intelligentiæ ac præcepti capax, & conſequenter meriti & demeriti. Ergo homo eſſentialiter conſtat ex corpore & anima rationali ſubſtantialiter unitis.

Conſequentia probatur. Denominationes illæ, ſcilicet vivens, rationalis ſeu intelligens, ſimilis Deo, bonus, beatus, &c. non competunt corpori vel animæ ſeorſim ſumptis, ſed homini, qui ex utriſque reſultat; nam poſt utriusque ſeparationem, nec corpus eſt vivens rationale, nec anima eſt homo, ut qui per mortem eſſe deſinat. Atqui ejusmodi denominationes non poſſunt compe-

tere

tere homini, ſi anima rationalis non ſit ſubſtantialiter unita corpori, ut ex illa unione exurgat unum totum ſubſtantiale nempe homo, ſed ei adſit duntaxat, ut gubernator navi, quam regit. Hinc Theologi contra Neſtorium efficaciter evincunt, Verbum non eſſe accidentaliter, ſeu moraliter duntaxat, ſed ſubſtantialiter unitum naturæ humanæ; quia ſine unione ſubſtantiali de Chriſto dici non poſſet, Deus eſt homo, Deus eſt natus, mòrtuus, nec viciſſim homo eſt Deus, homo eſt omnipotens, &c. Quemadmodùm de Juſto, cui Deus moraliter unitur, falſo diceretur homo juſtus eſt Deus, omnipotens, &c. Ergo revera homo eſt aliquod totum ſubſtantiale conſtans ex corpore & anima rationali ſubſtantialiter unitis.

Unde meritò Concilium Viennenſe Clementinâ unicâ de ſumma Trinitate illorum opinionem, qui aſſerere auſi ſunt, Animam rationalem eſſe formam corporis humani aſſiſtentem duntaxat, non eſſentialem, perſtringit his verbis: *Doctrinam ſeu poſitionem temerè aſſerentem, aut vertentem in dubium, quòd ſubſtantia animæ rationalis, ſeu intellectivæ verè ac per ſe humani corporis non ſit forma; ut erroneam & veritati Catholicæ inimicam, prædicto approbante Concilio, reprobamus. . . . Si quis deinceps aſſerere, defendere, aut tenere pertinaciter præſumpſerit . . . tanquam Hæreticus ſit cenſendus.*

89 Ad imaginem quoque Dei creatus eſt homo, non quidem ſecundùm corpus; quia res corporeæ non poſſunt eſſe expreſſæ ſimilitudines entis ſpiritalis & incorporei qualis eſt Deus, ſed ſecundùm animam ſeu mentem, in qua proinde quærenda eſt imago Dei. *Imago Dei*, inquit ſanctus Auguſtinus, Serm. 2. in Pſal. 48. *eſt intus, non in corpore, ſed ubi eſt intellectus, ubi mens, ubi ratio inveſtigandæ veritatis.*

Duplex autem eſt imago Dei in mente hominis, una naturalis & eſſentialis, ſupernaturalis alia & accidentalis. Homo igitur ſecundùm animam eſt naturaliter imago Dei, quatenus ſub illo reſpectu eſt ſubſtantia ſpiritalis, immortalis, intellectu & voluntate prædita, quibus pro modulo imitatur ſuum exemplar, nempe intellectum efformat verbum, in quo ipſi repræſentantur omnia, quæ ſub ejus notitiam cadunt, corporalia & ſpiritualia, inviſibilia quoque Dei; & per voluntatem producit eorum omnium amorem, quæ intellectus amanda proponit. Prætereà homo per animam rationalem eſt liberi arbitrii & ſuorum actuum dominus, præeſtque cunctis animantibus ſuper terram.

Hæc naturalis imago fœdari poteſt 1mo per actus difformes naturæ rationalis, & eatenus homo recedit à ſuo exemplari; ſed corrumpi omninò non poteſt, ſicut nec ipſa natura humana. 2do. Communis eſt utrique ſexui, ſpecialitér tamen relucet in maſculo, quatenus naturaliter eſt caput mulieris, & prima ejus origo, juxta illud Apoſtoli, 1. Corinth. 11. verſ. 7. *Vir . . . imago & gloria Dei, mulier autem gloria viri eſt.*

Supernaturalis autem & accidentalis conſiſtit in donis ſupernaturalibus, ac præſertim in gratia ſanctificante, per quam juſti fiunt divinæ naturæ conſortes, 2. Petri cap. 1. *Filii Dei adoptivi, & conformes imagini Filii ejus. Hæc imago non cuſtoditur*, inquit ſanctus Auguſtinus, lib. 12. de Trinit. cap. 11. *niſi ad ipſum, à quo imprimitur; tuncque perfecta erit, quando perfecta erit Dei viſio*;

viſio ; ſcimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, 1. Joan. 3.

90 Quoniam autem res corporeæ juxta ſanctum Thomam dicuntur veſtigia Dei, quia ſicut ex veſtigiis colligitur, quæ animalis ſpecies tranſierit, ſic inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, quamvis veſtigium dici nequeat imago, cùm non exhibeat proprios rei, cujus eſt indicium, characteres, indirectè tamen imago Dei relucet in corpore humano; quatenus rectitudo ejus indicat animi rectitudinem; *Quid enim indecentius*, inquit ſanctus Bernardus, Serm. 24. in Cant. *quàm curvum recto corpore gerere animum?* Et ſanctus Auguſtinus, lib. 83. quæſt. de rectitudine humani corporis ſcribit: *Magis in hoc ad imaginem & ſimilitudinem Dei eſſe, quàm cætera corpora animalium meritò videri poteſt.*

§. II.

91 ### *De gratia primi hominis.*

Supra cap. 1. §. 2. Concluſ. 3. adnotavimus, ante ætatem & ipſa ætate ſancti Thomæ plures Theologos docuiſſe Angelos non fuiſſe creatos in ſtatu gratiæ ſanctificantis. Ita hîc etiam quæritur, num Adam in ſtatu gratiæ ſanctificantis creatus fuerit, & quia locô citatô aſſeruimus, Angelos in ſtatu gratiæ ſanctificantis creatos fuiſſe; hinc ob rei & rationis paritatem modò etiam aſſerendum putamus primum hominem in gratia conditùm fuiſſe, præcipue cùm id Concil. Trid. aſſerat.

Id ſatis apertè Scriptura innuit Eccli. 7. verſ. 30. *Fecit Deus hominem rectum.* Item Eccli. 17. v. 6. *Creavit illis ſcientiam ſpiritûs, ſenſu implevit cor illorum.*

Concilium Tridentinum Seſſ. 5. Can. 1. hanc, quam tuemur, doctrinam tradit tanquam in Eccleſia receptam & indubitatam: *Si quis non confitetur*, inquit, *primum hominem Adam, cùm mandatum Dei in Paradiſo fuiſſet transgreſſus ſtatim ſanctitatem & juſtitiam, in qua conſtitutus fuerat, amiſiſſe .... anathema ſit.*

Id confirmant SS. Patres, pro omnibus ſit ſanctus Auguſtinus, lib. de Correp. & Grat. cap. 11. ubi, *Quid ergo?* ait, *Adam non habuit Dei gratiam? Imò verò habuit magnam, ſed diſparem*, ſcilicet à gratia Chriſti, quæ eſt hujus ſtatus, de qua in Tract. de Grat. Vide etiam ea, quæ ex eodem ſancto Auguſtino ſup. cap. 1. §. 2. Concluſ. 4. pag. 21. retulimus.

Ratio etiam ſuffragatur. 1mo. Adamus aut cum ſtultitia, aut cum ſapientia conditus fuit, non enim datur medium aliquod: *Nemini dubium eſt*, inquit S. Auguſtinus, *omnes homines, aut ſtultos aut ſapientes eſſe.* Atqui Adam non fuit conditus cum ſtultitia, nam conditus eſt ſine vitio, *creatus eſt*, inquit idem ſanctus Doctor Serm. 11. de verbis Apoſt. cap. 2. *primus homo in natura ſine culpa, in natura ſine vitio*, proindeque ſine ſtultitia, quæ eſt magnum vitium. Ergo conditus fuit cum ſapientia, adeoque etiam in ſtatu gratiæ ſanctificantis: ſiquidem ea ſapientia non erat ſine charitate, nam juxta ſanctum Auguſtinum, lib. 2. de Lib. arbit. cap. 9. Sapientia eſt *veritas, in qua cernitur* (ſaltem imperfectè) *& tenetur ſummum bonum.*

2do. Adam creatus fuit cum perfecta charitate, ſiquidem creatus eſt cum perfecta & omni ex parte bona voluntate nullique malo admixta, nam juxta eundem ſanctum Auguſtinum, lib. de Grat.

Digitized by Google

Grat. Chriſti cap. 1. bona voluntas & charitas ſunt unum & idem. Enimverò creatus eſt rectus, ut habetur ex Eccleſ. 7. verſ. 30. primùm laudato, unde ſanctus Auguſtinus, lib. 4. de Civ. cap. 11. *Fecit Deus, ſicut ſcriptum eſt, hominem rectum ac per hoc voluntatis bonæ: non enim rectus eſſet, bonam non habens voluntatem.* Adeoque rectitudo idem eſt cum bona voluntate; Ergo, &c.

92 Porro juſtitia originalis, in qua creatus fuit Adam, præter gratiam ſanctificantem, virtutes infuſas, & auxilia actualia, plura alia dona complectebatur; perfectam nempe ſubordinationem partis inferioris cum ſuperiore. Nulla erat in homine innocente membrorum rebellio, nullus concupiſcentiæ motus, nulla imaginationis, aut alterius ſenſus evagatio: paſſiones ut nutum rationis expectabant, ſic ipſi imperanti non reluctabantur: corpus non aggravabat animam, ſed adjuvabat: nulla in eo infirmitas, nulla ægritudo ſive ab intrinſeco & humorum intemperie, ſive ab extrinſeco, & ab ulla creatura infeſtante; rectus enim ordo depoſcebat, ut ſicut mens per gratiam Deo perfectè erat ſubdita; ſic corpus menti in omnibus obtemperaret, & corpori inferiores creaturæ ad nutum deſervirent. Igitur primus homo, ſicut poterat non peccare in illo felici ſtatu, poterat etiam non mori, nam ex Apoſtolo, Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors;* Sed ſine morte translatus fuiſſet ad Sedem Beatorum, quamvis incertum ſit, quanto tempore in terris egiſſet.

Fuiſſet quoque in illo innnocentiæ ſtatu propagatum genus humanum per carnalem generationem. *Nuptiæ eſſent*, inquit ſanctus Auguſtinus, lib de Nupt. & Concupiſc. cap. 1. *etiamſi nemo peccaſſet; fieret quippe ſine illo morbo* (concupiſcentiæ) *ſeminatio filiorum in corpore vitæ illius ſine quo nunc fieri non poteſt in corpore mortis hujus.* Verùm heu! felix ille ſtatus, cujus hîc triſtem memoriam paucis egimus, brevi duravit tempore, prout eſt unanimis omnium Theologorum ſententia, quamvis de illius duratione inter ſe non conveniant; alii ſuſpicantur Adamum peccaſſe ſecunda die à ſua creatione, alii octava, quadrageſima alii, hîc enim propter Scripturæ ſilentium quisque in ſuo ſenſu abundat; omnia tamen incerta.

§. III.

De lapſu & peccato primi hominis. 93

Quatuor hîc breviter expendenda nobis ſunt. 1mo. Quænam cauſa fuerit peccati primorum parentum. 2do. Cujus nam ſpeciei fuerit. 3tio. Cujusnam gravitatis. 4to denique quænam pœnæ illud conſecutæ fuerint.

Quantùm ad primum, Notandum, inter cauſas primi peccati Adæ & Evæ tres fingi poſſe externas, Deum, diabolum, & lignum ſcientiæ boni & mali; & unam internam, voluntatem nimirùm primorum parentum.

Certum eſt, Deum nullo modo fuiſſe cauſam peccati, in quod lapſi ſunt Adam & Eva: Nam 1mo. Deus nullam peccandi neceſſitatem impoſuit creaturæ quam condidit: dedit eis namque liberum arbitrium, per quod aut bonum aut malum agere poſſent. 2do. Largitus eſt eis auxilium, quo poſſent perſeverare in juſtitia, quam in creatione receperant, licèt non conceſſerit auxilium, quo reipſa perſeverarent. 3tio. Prævíſio

 peccati,

peccati, in quod erant lapſuri, nullum habuit influxum in primorum parentum voluntatem, ac proinde nullam eis peccandi neceſſitatem impoſuit.

At verò Diabolus fuit cauſa extrinſeca peccati primorum parentum, ut qui per ſerpentem, ea ferè ratione, qua poſteà Angelus per aſinam Prophetæ Balaam locutus eſt, vocem emittens (*k*), illos ad divinæ legis infractionem perlectavit.

Lignum autem ſcientiæ boni & mali, non fuit cauſa, ſed occaſio primi peccati primorum parentum; ſerpens enim ſeu potius diabolus ex eo occaſionem ſumpſit pelliciendi illos ad peccatum, prout Scriptura perſpicuis verbis narrat.

Sola denique voluntas fuit interna cauſa peccati primorum parentum. Nam triplex tantùm fingi poteſt interna peccati cauſa, ignorantia, còncupiſcentia, & voluntas. Atqui nec ignorantia, nec concupiſcentia fuerunt cauſa primi peccati primorum parentum; cùm, ut ſupra diximus, locum in illis antè peccatum non habuerint. Ergo ſola voluntas fuit interna cauſa primi peccati, in quod primi parentes noſtri lapſi fuerunt.

94 Quantùm ad 2dum. Certum eſt, primum Adami & Evæ peccatum fuiſſe ſuperbiam. *Initium ſuperbiæ hominis*, inquit Eccleſ. cap. 10. verſ. 14. *apoſtatare à Deo, quoniam ab eo, qui fecit illum, receſſit cor ejus, quoniam initium omnis peccati eſt ſuperbia*, quæ adjunctam inobedientiam, &c. habuit.

Primi homines, inquit ſanctus Auguſtinus, in Pſalm. 118. *per ſerpentem decepti & dejecti non fuiſſent, niſi plus quàm acceperant, habere, & plus quàm facti fuerunt, eſſe voluiſſent.* Et lib. 2. de Geneſ. ad litt. cap. 15. ait, *eos Deo pares eſſe voluiſſe, nec ſub illius dominatione eſſe.*

Igitur primum Adami & Evæ peccatum fuit independentiæ deſiderium, ſaltem conditionatum, hoc eſt, ſi independentia foret poſſibilis: id enim Adam & Eva primùm deſiderârunt, quod ſerpens hiſce verbis pollicitus fuerat: *Eritis ſicut Dii, ſcientes bonum & malum.* Atqui conditionatum illud independentiæ deſiderium, ipſum eſt ſuperbiæ peccatum, eſt enim propriæ excellentiæ inordinatus amor. Ergo primum Adami & Evæ peccatum fuit peccatum ſuperbiæ. In quo quidem Eva graviùs peccaſſe videtur, quia Adamum ad peccandum induxit, *A muliere initium . . . peccati, & per illam omnes morimur.* Eccli. 25.

Quoad 3tium. Peccatum hoc primorum parentum graviſſimum fuit, non 95
quidem ex objecto, quia idololatria & blaſphemia ex natura ſua ſunt peccata graviora, ſed ex circumſtantiis. 1ma petitur ex ſanctitate perſonæ, & perfectione ſtatûs. 2da. Ex libertate, quæ in

(*k*) Cyrillus, lib. 3. adversùs Julianum Apoſtatam aſſerit ſerpentem illum non fuiſſe niſi ſerpentis ſimulacrum. Cajetanus in Comm. in Geneſ. vult ſerpentis vocabulò nec verum, nec apparentem ſerpentem intelligi debere, ſed metaphoricum, Dæmonem nimirum, qui propter noxiam calliditatem, qua pollet, ſerpentis aut aliorum animalium nominibus ſæpiùs appellatur. At ſententia quæ dicit eum fuiſſe verum ſerpentem magis cum contextu capitis tertii Geneſeos cohæret, atque à Patribus unanimi ferè conſenſu propugnatur; unde & eam ſequimur. Serpens autem ille non propria ac naturali vi locutus eſt, ſed ope Dæmonis, qui per illius organa ita aërem movit, ut vocis ſonum expreſſerit. Vid. Comment. v. 1. cap. 3. Geneſ. Operis noſtri Biblici an. 1751. editi.

Digitized by Google

in illis fuit pleniſſima; peccarunt quippe ſine ullo concupiſcentiæ impulſu, aut infirmitatis pondere. 3tia. Ex ratione præcepti, quod fuit impletu facillimum. 4ta. Ex gravi nocumento, quod ex eorum inobedientia ſecutum eſt; per eam enim tota generis humani maſſa infecta eſt. 5ta. Ex gravitate ſupplicii, quo Deus in eorum peccatum animadvertit. &c.

96 Denique quod 4tum attinet, quamvis primi parentes peccati ſui veniam conſecuti fuerint, prout teſtatur Scriptura Sap. 10. his verbis: *Hæc* (Sapientia) *illum, qui . . . formatus eſt à Deo Pater orbis terrarum, cùm ſolus eſſet creatus, cuſtodivit, & eduxit illum à delicto ſuo.* Imò non ſolum veniam obtinuerint, ſed etiam poſt pœnitentiam usque ad mortem perſeveraverint, prout auctor eſt ſanctus Auguſtinus, Epiſt. 164. aliàs 99. atque communis Eccleſiæ traditio ſit, Chriſtum, cùm ad inferos deſcendit, illos inde eduxiſſe, necnon Tatianus, qui priùs fuerat ſancti Juſtini Auditor, reprehenſus ſit, quòd inter cæteros errores docuerit, Adamum & Evam damnatos eſſe. Variæ tamen pœnæ peccatum eorum ſubſecutæ ſunt. 1ma fuit concupiſcentia carnis adverſùs ſpiritum: ſtatim quippe poſt peccatum primi parentes inordinatos ſenſerunt concupiſcentiæ motus. Vide Auguſtinum, lib. 13. de Civ. c. 13.

2da fuit fuga & elongatio à Deo. Nempe ſcriptum eſt, quòd cùm primi parentes audiiſſent vocem Dei ambulantis in paradiſo ſe ſe abſconderint à facie Domini.

3tia pœna fuit ſervitus ſub libidine ac peccato, imò & ſub regno omnium peccatorum.

4ta fuit impotentia operandi bonum, niſi intellectus & voluntas medicinali Chriſti gratiâ ſanarentur.

5ta fuit amiſſio libertatis ad bonum; unde neceſſe eſt, ut ad bonum operandum voluntas per peccatũ mortua, per gratiam actualem aliquod vitæ initium recipiat. *Liberò arbitriò*, ait Auguſtinus, Enchiridii cap. 3. *malè utens homo, & ſe perdidit & ipſum.*

6ta fuit ejectio à beatitudine in hujus vitæ miſerias. Hanc ejectionem ſanctus Auguſtinus, lib. 11. de Geneſ. ad litt. cap. 40. docet adumbratam fuiſſe per expulſionem è paradiſo.

Septima peccati pœna mors eſt, ſive prima ſive ſecunda. *Prima mors*, ait Auguſtinus, *animam nolentem pellit è corpore: Secunda mors animam nolentem tenet in corpore:* vocabunt enim damnati mortem, & mors fugiet ab eis. Utramque illam mortis ſpeciem Deus primis parentibus, ſi peccarent, comminatus fuerat.

Veniam verò peccati ſui conſecuti 97 ſunt primi parentes noſtri per fidem in Chriſtum venturum; namque *non eſt in alio aliquo ſalus*, Actor. 4. Et ſanctus Auguſtinus, Ep. 102. aliàs 49. quæſt. 2. *Etiam illi juſti*, inquit, *ſalvi facti ſunt, qui priusquam veniret in carne, crediderunt in carne venturum. Eadem namque fides eſt & noſtra & illorum, quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum.*

Venit ergo Chriſtus in mundum ut hominem à ſervitute Diaboli, in qua per peccatum detinebatur, liberaret. Cur autem ad liberandum hominem potiùs, quàm Angelum venerit, non alia occurrit reſponſio, quàm Apoſtoli, Rom. 11. *Quis . . . cognovit ſenſum Domini, aut*

quis

quis conſiliarius ejus fuit? . . . . Vide bonitatem Dei in te, ſeveritatem in eos, qui derelicti ſunt. Convenientia tamen hæc afferri poteſt, quòd peccatum Angelorum fuerit perſonale, nec totam Angelicam naturam infecerit, quemadmodùm peccatum Adami totam humanam naturam vitiavit. Undè meritò colligit ſanctus Thomas, Filium Dei potiùs veniſſe propter peccatum originale, quàm propter peccata actualia; quia licèt graviora ſint, humanam tamen naturam univerſaliter non corrumpunt, ſicut peccatum originale. Sed de his plura ſequenti de Incarnatione Tractatu.

Finis Tractatus ſecundi.

TOMI

Digitized by Google

TOMI SECUNDI
TRACTATUS
TERTIUS
DE
INCARNATIONE VERBI.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX

Titulorum Tractatûs Tertii Tomi Secundi Theologiæ Univerſalis, de Incarnatione Verbi.

Prooemium - - *Num.* 1.

Cap. I. De poſſibilitate Incarnationis. - - 4.

Cap. II. De exiſtentia Incarnationis. - - 26.

§. I. *Utrum Incarnationis exiſtentia demonſtrari poſſit contra Gentiles* - - 27.

§. II. *Utrum exiſtentia Incarnationis demonſtrari poſſit adversùs Judæos.* - - 38.

§ III. *Utrum Incarnatiò Verbi peracta ſit debito tempore.* 88.

Cap. III. De neceſſitate Incarnationis. - - 104.

§. I. *Utrum Incarnatio neceſſaria fuerit neceſſitate latè ſumpta.* - - - - 105.

§. II. *Utrum Incarnatio neceſſaria fuerit neceſſitate ſtrictè ſumpta.* - - - 108.

Cap. IV. De motivo Incarnationis. - - 135.

§. I. *De cauſa meritoria Incarnationis.* - - 136.

§. II. *De cauſa finali Incarnationis.* - - - 140.

Cap. V. De eſſentia Incarnanationis. - - 143.

§. I. *Utrum Jeſus Chriſtus filius Mariæ ſit verus Deus.* 144.

§. II. *An Verbum divinum veram nobisque conſubſtantialem naturam humanam, corpus ſcilicet humanum, & animam rationalem aſſumpſerit.* - - 146.

§. III. *Utrum Verbum divinum ex B. Virgine corpus aſſumpſerit, ſeu an Chriſtus ex ea natus fuerit illibata ſemper ac integra remanente ipſius Virginitate.* - 165.

Digitized by Google

§. IV. *Utrum Chriſtus habuerit corpus paſſibile & corruptibile.* - - - 175.
§. V. *Utrum unica ſit in Chriſto perſona.* - - - - 189.
§. VI. *Utrum in Chriſto ſint duæ naturæ integræ & diſtinctæ.* - - - - - - 207.
§. VII. *Utrum in Chriſto fuerit duplex voluntas & operatio.* - - - - - - 218.
§. VIII. *De unione hypoſtatica, & ejus extremis, nempè perſona aſſumente, & natura aſſumpta.* 229.
§. IX. *De communicatione idiomatum in Chriſto; an, & quæ ſit admittenda.* 256.

Cap. VI. De termino Incarnationis. - - 267.
§. I. *De Scientia Chriſti creata.* 268.
§. II. *De Sanctitate & Gratia Chriſti.* - - - - 285.
§. III. *De libertate & impeccabilitate Chriſti.* - - 289.
§. IV. *De ſatisfactione & merito Chriſti.* - - - - 292.
§. V. *De ſubjectione ſeu ſervitute, necnon de filiatione ſeu adoptione Chriſti.* 331.
§. VI. *De prædeſtinatione Chriſti.* - - - - - 344.
§. VII. *De aliis variis titulis & officiis Chriſto competentibus.* - - - - 348.
§. VIII. *De adoratione Chriſti.* 355.

TO-

Digitized by Google

TOMI SECUNDI
THEOLOGIÆ UNIVERSALIS
TRACTATUS TERTIUS
De Incarnatione Verbi.

P R O OE M I U M.

1 STupendum ſimul ac ſummè neceſſarium imò primarium Religionis noſtræ Myſterium ſuſcipimus explanandum, Incarnationis divinæ ſcilicet Sacramentum, in quo elucent ac ſe ſe magnificè produnt præcipua illa divina attributa ſeu perfectiones, quas in Tractatu noſtro de Deo part. 1. recenſuimus, nempe omnipotentia, ſapientia, bonitas, juſtitia, clementia, & miſericordia. Duas tam extremas, & à ſe invicem tam longè diſtantes naturas, divinam ſcilicet & humanam ſimul in eadem perſona intimo nexu conjungere ſine ulla confuſione ac permixtione, hoc verò ſummum & inauditum eſſe divinæ potentiæ ac virtutis argumentum contendimus. Deum ad vilem hominis conditionem demitti, re ipſa majus eſt quoddam divinæ potentiæ miraculum, quàm grandia quæque moliri. Sapientiæ verò divinæ quanta hîc ſolertia in concilianda ſimul juſtitia & miſericordia Dei: Hæc gratiam poſtulat & pœnæ remiſſionem; illa jurium ſuorum conſervationem, ac condignam rei punitionem, ita ut Deus nec peccatum hominis dimittat impunitum, quia juſtus eſt, nec inſanabile, quia miſericors. Id verò divinô planè conſiliô & arcanô aſſecuta eſt Dei ſapientia: Chriſtus ſponſor noſter locô noſtri ſubſtitutus, pœnas divinæ juſtitiæ ſolvit ad rigorem; clementia verò ac benignitas Dei ſe ſe in hominum genus liberaliter effundit: reo parcitur, & plectitur innocens. Incarnationis Dominicæ mirum illud eſt ac divinum arcanum. Niſi enim Chriſtus Deus eſſet, non afferret remedium; niſi eſſet homo, non præberet exemplum. Hanc ſatisfactionem non poteſt facere niſi Deus, nec debet niſi homo, neceſſe eſt igitur, ut eam faciat Deus homo. Satisfactionis materiam, hoc eſt, pœnas & expiationis opera homo præbet, Deus pretium ac valorem impertitur: ita dum ſevera Dei placatur juſtitia, oblato pro peccatis noſtris proprii filii ſui ſanguine, quo nullum dignius pretium eſſe poteſt, benignitas & miſericordia Dei in nos abundanter exer-

exercetur. Sic mirum in modum impletur, quod prædixerat David, *Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia & pax oſculatæ ſunt.* Atque indè tanta in Deum gloria redundavit, ut Eccleſia felicem non timeat dicere Adami culpam, quæ tantum meruit habere Redemptorem.

Ex his omnibus haud dubiè claret, quanta ſit argumenti, quod hic tractandum aggredimur, dignitas ac præſtantia, nempe totius Religionis Chriſtianæ caput illud eſt, ſpei ac ſalutis noſtræ unicum fundamentum. Non impigro igitur fervore magnaque animi contentione ad illud nos accedere oportet.

2 Quid porrò Incarnationis nomine intelligatur, vel ex dictis patet; nempe ſignificatur unio Verbi Divini cum natura humana in unitate perſonæ, ex qua reſultat Deus homo nempe Chriſtus (*a*). Definiri ergo poteſt Incarnatio, *Primarium Religionis Chriſtianæ Myſterium, quo Verbum divinum aſſumpſit naturam humanam veram & integram, in unitatem perſonæ, ad redimendum genus humanum.*

Dicitur 1mo. *Primarium myſterium*; nam ex Apoſtolo 1. Cor. 3. *Fundamentum . . . . alìud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus.*

Dicitur 2do. *Verbum divinum*, contra Sabellianos & alios Hæreticos, qui, cùm SS. Trinitatis perſonas non diſtinguerent, docuerunt Patrem fuiſſe incarnatum, contra diſſertiſſima Scripturæ verba, Joan. 3. *Sic . . . Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret.* Et c. 16. *Exivi à Patre*, inquit Chriſtus ipſe.

Dicitur 3tio. *aſſumpſit*, hoc eſt ſibi univit, ſibi ſumpſit. Tres quidem Perſonæ concurrerunt ad uniendam naturam humanam cum Verbo, quia unio illa, cùm ſit opus ad extra, & effectus divinæ omnipotentiæ, communis eſt & Patri, Pſal. 39. v. 7. ubi locô horum verborum *aures autem perfeciſti mihi*, quæ in Vulgata noſtra habentur, Septuaginta, quos Apoſtolus ſequitur Heb. 10. legunt *Corpus . . . aptaſti mihi*, quibus Filius ingrediens mundum Patrem æternum alloqui dicitur ab Apoſtolo loc. cit. v. 5. Et Filio Philip. 2. *Semetipſum exinanivit formam ſervi accipiens.* Et Spiritui ſancto, Luc. 1. *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te*, ait Angelus ad Mariam annuntians ei Verbi incarnationem. Attamen unio ad ſolam Filii perſonam terminata eſt. Unde ſolus naturam humanam aſſumpſit, quemadmodùm is, qui veſtem induit, ſolus dicitur illam aſſumere, quamvis alii cum ipſo concurrant ad illam aptandam & circumponendam.

Dicitur 4to. *Naturam humanam*, non verò hominem; quia homo eſt nomen concretum, compoſitum ex natura & ſubſiſtentia, ſeu perſonalitate, idemque ſignificat ac habens naturam humanam. Atqui natura humana priùs non fuit ſubſiſtens ſubſiſtentiâ humanâ, quàm à Verbo aſſumeretur, ſed ſimul fuit producta & unita Verbo, ut conſtanter docent Sancti

(*a*) Id declarat Evangeliſta Joannes c. 1. his verbis: *Verbum caro factum eſt*; ubi pars ſumitur pro toto, figurâ in Scripturis uſitatâ, Geneſ 6. *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam.* Iſa. 6 *Sciet omnis caro, quia ego Dominus* Et Luc. 3. *Videbit omnis caro ſalutare Dei.* Maluit autem Evangeliſta ſcribere *Verbum caro*, quàm *homo* factum eſt, tum ad commendandam myſterii magnitudinem, quia caro, utpote magis diſtans à Verbo, *minùs aſſumptibilis videbatur*, ut ait S. Thomas, q. 5 a. 3 ad 1. tum ad commendandam humilitatis dilectionem, qua Deus ſe uſque ad carnem demiſit. Ita S. Aug. l. 83. q. 80.

Digitized by Google

Sanctì Patres contra Paulum Samoſatenum, Photinum & Neſtorium, dicentes, Chriſtum priùs fuiſſe hominem perfectum, & deinceps promeruiſſe ut Deus fieret.

Dicitur 5to. *Naturam humanam veram*, contra Hæreticos aſſerentes, Verbum ſpecietenus aſſumpſiſſe naturam humanam. Tales erant Marcionitæ, Manichæi, Priſcillianiſtæ, & ante eos Simon Magus & ejus diſcipuli, quos perſtringit S. Joannes 1. Ep c. 4.

Dicitur 6to. *integram naturam*, contra Hæreticos, quorum alii negaverunt eum aſſumpſiſſe humanam animam, ut Apollinariſtæ; alii carnem duntaxat, ut Marcion.

Dicitur 7mo. *In unitatem perſonæ*: quibus verbis duplex error proſcribitur, 1mo. Eutychetis, qui docuit, naturam humanam aſſumptam fuiſſe in unitatem naturæ, unionemque factam, non in perſona, ſed in natura, ex quo errore manifeſtè ſequeretur, tres perſonas fuiſſe incarnatas, cùm natura divina ſit eis communis. 2do. Neſtorii, qui aſſeruit in Chriſto duas eſſe perſonas ſicut & naturas, divinam ſcilicet & humanam, moraliter tamen unitas, nimirum per gratiam accidentalem & adoptionis.

Dicitur 8vo. *ad redimendum genus humanum*; ut ſignificetur, Incarnationis opus totum in uſus noſtros fuiſſe peractum, *nam & Filius hominis non venit, ut miniſtraretur ei, ſed ut miniſtraret, & daret animam ſuam redemptionem pro multis.* Marc. 10. v. 45.

3 Incarnatio Verbi ſic definita, variis nominibus tùm in Scriptura, tùm à Patribus ſignificari ac deſcribi ſolet. (*b*) Dicitur *Miſſio Filii*, Galat. 4. v. 4. *Dei dilectio*, Joan. 3. v. 16. *Viſitatio & redemptio*, Luc. 1. v. 68. (*c*) *Aſſumptio*, ſeu *acceptio*, aut *apprehenſio* naturæ ſcilicet humanæ. Philipp. 2. v. 7. Et Hebr. 2. v. 16. *Deſcenſus Filii*, & *acceſſus ad nos*, Joan. 6. v. 38. & Ep. 2dæ. v. 7. ejusdem. *Abbreviatio*, *exinanitio*, Iſa. 10. v. 23. & Philipp 2. v. 7. (*d*) *Habitatio*, Joan. 1. v. 14. *Conſervatio*, Baruch. 3. v. 38. *Anacephaleoſis* ſeu *recapitulatio* & *inſtauratio* rerum omnium: tùm quia Chriſtus fuit finis & conſummatio prophetiarum, cæremoniarum, ac præceptorum Legis Moſaicæ; tùm quia *inſtauravit omnia ſive in cælo ſive in terra*. Epheſ. 1. v. 10. *Redemptio*, Epheſ. 1. v. 7. *Manifeſtatio* & *declaratio*, quia nempe per Incarnationem *Deus manifeſtatus eſt in carne*, 1. Tim. 2. v. 16.

Antiqui Patres, præſertim Græci, qui generatim omnem de Deo ſermonem ac diſputationem partiri ac dividere ſolent in Theologicam, quæ de Deo ac divinis ejus perfectionibus; & Oeconomicam, quæ de Incarnatione ſeu de Chriſto tractat; myſterium iſtud *Oeconomiam* nonnunquam appellant. Nempe hocce myſteriò Deus tanquam ſapiens Oeconomus & ſibi, & nobis conſuluit: ſibi quidem, quòd per Verbum incarnatum redimens hominem, ſuæ juſtitiæ jura ſervaverit illæſa; nobis verò, quòd infinitam in nos miſericordiam probaverit.

Definitô ſic Incarnationis myſteriô variiſque illius explicatis nominibus, modò nobis proponendus eſt ordo Capitum, quibus totum noſtrum de illo ſermonem comprehendemus. In primo dicemus de poſſibilitate Incarnationis. In ſecundo de illius exiſtentia. In tertio de illius neceſſitate. In quarto de motivo. In quinto de eſſentia. Et tandem in ſexto de termino, qui ex Incarnatione reſultat; cui ſubjiciemus Appendicem de cultu & veneratione Sanctorum, eorum reliquiarum, imaginum, &c.

CA-

(*b*) Ex parte Dei. (*c*) Ex parte Filii. (*d*) Ratione noſtri ac beneficiorum, quæ ex Verbo incarnato in nos defluxerunt.

Digitized by Google

4 CAPUT PRIMUM.

De poſſibilitate Incarnationis.

INcarnationis Myſterium impoſſibile viſum eſt Gentilibus, quibus crux Chriſti ſtultitia eſt; Judæis (ſaltem eo modo, quo peractum fuiſſe fides nos docet) quibus ſcandalum fuit; & Socinianis, qui, quæcumque poſſunt, huic Myſterio contradictionis ac implicantiæ argumenta excogitant & opponunt. Contra quos ponitur

5 CONCLUSIO.

Poſſibile eſt, ſeu nullam internam pugnam ac repugnantiam includit Myſterium Incarnationis.

Prob. 1mo. ex ipſa ratione, qua uſus eſt Angelus Gabriel, cùm Myſterium iſtud beatæ Virgini nuntiavit, c. 1. S. Lucæ v. 37. *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.*

2do. Quod reverâ impletum fuit, haud dubiè poſſibile eſt. Atqui impletum fuiſſe Myſterium Incarnationis paulò poſt evidentiſſimè demonſtraturi ſumus. Ergo, &c.

3tio. Illud poſſibile dici debet, quod nulla ratione implicat. Atqui Myſterium Incarnationis nulla ratione implicat, prout patebit ex ſolutione earum objectionum, quibus poſſibilitas illius oppugnatur. Ergo, &c

6 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. Illud implicat, ex quo ſequitur Deum fore mutabilem, mutabilitas enim, ut in Tractatu noſtro de Deo demonſtravimus, Deo eſſentialiter repugnat. Atqui ex poſſibilitate Incarnationis ſequeretur Deum fore mutabilem: ſiquidem poſſet de novo aliquid iterùm acquirere, videlicet humanam naturam, quam anteà non haberet. Ergo, &c.

Reſp. conc. maj. neg. min. & diſt. ejus probationem: ſiquidem poſſet de novo aliquid acquirere per receptionem, id eſt in ſe recipiendo novum aliquid, quemadmodùm manus, quæ ex calida fit frigida, neg. per ſui communicationem conc. Deus, ſuppoſita Incarnationis poſſibilitate, non poſſet acquirere naturam humanam, per receptionem, hoc eſt, eam recipiendo in ſe tanquam in ſubjecto, ſed poſſet eam acquirere per ſui collationem, hoc eſt dando ei ſuum eſſe divinum. Igitur, quemadmodùm Sol non mutatur interiùs cùm aërem luce profundit eam premendo, eo quòd aërem, ſeu lucem, non recipiat in ſe tanquam in ſubjecto, ſed potiùs ei ſe quodammodò tradat: ita neque Deus, ſuppoſita incarnatione, mutaretur, nec enim acquireret humanam naturam, eam recipiendo in ſe, ſed per ſuæ divinæ perſonæ communicationem.

Inſtit. 1mo. Quod acquirit novam naturam, & novam denominationem intrinſecam, mutatur per receptionem, id eſt in ſe novum aliquid recipit. Atqui Deus per unionem ſuî cum humanitate acquireret novam naturam & novam denominationem intrinſecam. Ergo, &c. 7

Reſp. Diſt. maj. Quod acquirit novam naturam &c. per modum ſubjecti, quod ab illa natura &c. perficiatur, mutatur &c. conc. Per modum ſuppoſiti vel termini infinitè perfecti, qui nullatenus ab ea perficiatur, illud mutatur &c. neg. maj. Deus per Incarnationem non acquirit novam naturam ut ſubjectum, quod ab illa perficiatur, nam illam non recipit in ſe, nec ab illa perficitur, cùm ſit infinitè perfectus; ſed ſolùm naturam humanam acquirit, ut ſuppoſitum illam perficiens ac complens, & ut terminus illius intrinſecus. Similiter, ex ſuppoſitione Incarnationis, Deus novam denominatio-

Digitized by Google

nationem, & formam reciperet, ſed non tanquam ſubjectum, verùm ipſa in ſola humana natura reciperetur, cui Deus ſuum eſſe perſonale tribueret. Sic Deus in tempore denominatus eſt creator, non quidem per formam, quam ex rebus à ſe creatis de novo receperit, ſed per eſſe, ſeu per exiſtentiam, quam eis in tempore contulit.

Dices. Dici non poteſt, quid ſit Verbum eſſe terminum intrinſecum humanitatis.

Reſp. neg. Nam Verbum eſſe talem terminum ſeu terminare intrinſecè humanitatem, eſt Verbum ita uniri humanitati, ut per illam unionem Verbum conſtituat cum humanitate unum per ſe, ſeu compoſitum ſubſtantiale, & ipſa humanitas jam non in ſe ſiſtat, ſed ſiſtat in Verbo, per quod ultimò completur ſubſtantialiter.

Dices ulteriùs. Quomodo humanitas & unio humanitatis cum Verbo terminari poſſunt ad Verbum abſque eo, quòd illa unio recipiatur in Verbo tanquam in ſubjecto?

Reſp. 1mo. Sunt Philoſophi, qui docent, unionem animæ noſtræ cum corpore non recipi in anima, ſed ſolùm terminari ad animam; & tamen vi illius animam conſtituere intrinſecè cum corpore unum totum ſubſtantiale: ſic etiam humanitas & unio humanitatis cum Verbo terminari poſſunt ad Verbum, quamvis illa unio non recipiatur in Verbo tanquam in ſubjecto.

Reſp. 2do. In hoc ineffabili Myſterio, quod eſt ſingulare & excellentiſſimum ſapientiæ ac omnipotentiæ divinæ opus, nulla ratio, nulla ſimilitudo in rebus creatis reperitur ad illud clarè explicandum. Unde illud S. Auguſtini, Ep. 3. *Hic ſi ratio quæritur, non erit mirabile: ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare. Demus Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe. In talibus rebus tota ratio facti eſt potentia facientis.*

Inſt. 2do. Unio hypoſtatica ſeu perſonalis in Chriſto extrema æqualiter conjungit unione intima & interna. Ergo in utroque extremo æqualiter recipitur, unde fit, ut Deus ſit homo, & homo Deus; adeoque ſi humanitas ex illa unione quam recipit, internè mutatur, ita & divinitas. 8

Confirmatur exemplô corporis & animæ, quæ æquali nexu copulantur inter ſe ad unum hominem efficiendum, & mutationi æqualiter ſubjacent.

Reſp. 1mo. conformiter ad id quod primùm diximus, unionem, propriè loquendo, in extremis, quæ uniuntur, non recipi: quia ut fert communior Philoſophorum ſententia, ab extremis unitis reverâ non diſtinguitur.

Reſp. 2do. Datô, quòd unio ſit aliquid ab extremis unitis diſtinctum, diſt. ant. Unio hypoſtatica in Chriſto extrema æqualiter conjungit, quantùm ad intimam nexûs firmitatem, conc. Quantùm ad modum unionis, neg. Nam ex parte Verbi unio nullam divinitati affert aut detrahit perfectionem; ex altera verò parte, humanitas ſummam ac planè divinam ex unione cum Verbo perfectionem participat. Unio illa autem intima & intrinſeca dicitur, non iſto quidem ſenſu, quòd ſit in ipſa Dei natura recepta, ſed quòd non ſit tantùm moralis per affectum & concordiam, qualis eſt inter amicos; nec accidentalis, externa & per meram aſſiſtentiam, qualis aliquando fuit inter Angelos & corpora ab illis aſſumpta, qualis eſt ſpecialis Dei in Templo, in Sanctis, &c. præſentia; ſed quòd ſit phyſica, ſubſtantialis & hypoſtatica; cujus beneficiò natura humana in unum idemque ſuppoſitum cum divina copulatur, atque mutua & reciproca ſit proprietatum utriuſque naturæ

Digitized by Google

Deum inter & hominem ſocietas & communicatio.

Exemplum verò unionis corporis & animæ hîc omni ex parte aptum & accommodatum non eſt : corpus enim & anima partes ſunt incompletæ hominis, quæ mutuam ad ſe ſe ex natura ſua inclinationem habent, ſe ſe mutuò complent ac perficiunt, unamque totalem & integram componunt hominis naturam : at divinitas & humanitas in Chriſto non ſunt partes incompletæ, neque naturalem habent ad ſe ſe invicem inclinationem, neque ex illarum unione unica & totalis exurgit natura, ſed in una eademque perſona Chriſti duæ naturæ remanent inconfuſæ ac impermixtæ, & divina humanam, non humana divinam perficit. Mirum igitur non eſt, quòd mutationis aliquid corpori & animæ accedat, quando inter ſe uniuntur, ac ſe ſe mutuò perficiunt.

9 Inſt. 3tio. Qui incipit verè ac ſubſtantialiter homo eſſe, qualis antea non erat, ille profectò novi aliquid in ſe recipit, ac proinde mutatur. Atqui Verbum in plenitudine temporis verè ac ſubſtantialiter incepit eſſe homo. *Verbum caro factum eſt.* Joan. 1. v. 14. Ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Qui incipit verè ac ſubſtantialiter homo eſſe, qualis antea non erat, tanquam ſubjectum, quod in ſe vel unionem, vel humanitatem, aut formam aliquam recipiat, unde perficiatur, ille novi aliquid recipit ac mutatur, conc. Qui incipit verè ac ſubſtantialiter eſſe homo tanquam terminus duntaxat, ſeu complementum humanitatis, quàm ut perſona perficit ac ultimò terminat, neg. maj. Vide dicta ſuperiùs num. 7. in Reſp. ad Inſt. 1mo.

10 Inſt. 4to. Qui incipit eſſe quod anteà non erat, ille deſinit eſſe, quod anteà erat, ac conſequenter mutatur. Atqui Deus incipit eſſe homo, qualis anteà non erat. Ergo deſinit eſſe, quod erat, ac conſequenter mutatur. Porro Deus non poteſt deſinere eſſe, quod erat, nec mutari. Ergo impoſſibilis eſt Incarnatio, qua ſcilicet poſita, Deus deſineret eſſe, quod erat, ac mutationi foret obnoxius.

Reſp. diſt. maj. Qui incipit eſſe, quod non erat anteà, per ſui in rem alteram converſionem, ac novæ cujuſpiam formæ acquiſitionem, ille deſinit eſſe quod erat antea, & mutatur, conc. Qui incipit eſſe quod non erat, per ſolam terminationem, qua naturam humanam complet ac perficit, à qua nullatenus ipſe perficitur, neg. maj. Cùm Verbum caro factum eſt, non converſa eſt divinitas in carnem, ſed aſſumpta duntaxat caro in unitatem perſonæ cum Verbo. *Homo*, ait S. Auguſtinus, Ep. 137. aliàs 3. ad Volus. c. 3. *Deo quidem acceſſit, non Deus à ſe receſſit. Unus eſt Chriſtus*, ait Symbolum Athanaſianum, *non converſione divinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum; unus omnino non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ.* Neque etiam, ex jam dictis, ulla Verbo divino ex Incarnatione nova forma aut nova perfectio acceſſit; nihil quippe novi accedere Deo poteſt, qui omnia bona in ſe continet, à quo in homines per quamdam participationem derivantur.

Inſt. 5to. Divinitas & humanitas partes ſunt unius & ejuſdem ſuppoſiti, quod Chriſtum vocamus, & æqualiter ad illud componendum concurrunt. Ergo ſicut una pars, nempe humanitas, mutatur, ita & altera, nempe divinitas. 11

Reſp. Diſt. primum membrum ant. Divinitas & humanitas ſunt partes ejuſdem ſuppoſiti, quod Chriſtus appellatur, impropriè admodùm, conc. propriè neg. Et neg. 2dum membrum, quòd ſcilicet æqualiter ad illud componendum concurrant.

Digitized by Google

rant. Nonniſi impropriè divinitas & humanitas partes appellantur ſuppoſiti, quod Chriſtus eſt; partes enim ſeorſim ſumptæ ſunt incompletæ, ac ſe ſe mutuò complent, & perficiunt. Porro in Incarnatione ſola humanitas perfectior evadit, non divinitas: falsò igitur aſſeritur, utramque naturam æqualiter concurrere ad componendum Chriſti ſuppoſitum: Verbum enim, ut perſona divina complet ac perficit humanitatem in ratione perſonæ, humanitas verò completur ac perficitur; unde, ut dictum, nonniſi impropriè partes appellari poſſunt; atque tota mutatio cadit in naturam humanam, quæ perficitur, ac ultimò completur & terminatur, non verò in Verbum ipſum, quod perficit, complet & ultimò terminat humanitatem.

12 Inſt. 6to. Si divinitas & humanitas dicendæ non ſunt propriè partes componentes Chriſtum, ſequitur, Chriſtum eſſe quoddam aggregatum per accidens, utpotè, qui conſtet ex duabus integris naturis, nam aggregatum per accidens eſt, quod ex pluribus entibus integris coaleſcit. Sequela eſt abſurda. Ergo, &c.

Reſp. neg. ſeq. maj. Aggregatum quippe per accidens illud dicimus, quod conſtat ex pluribus entibus integris, non tantùm in ratione naturæ, ſed etiam in ratione ſuppoſiti, ſeu individualitatis, prout domum, lapidum molem, &c. vocamus aggregatum per accidens. Porro licèt duæ naturæ in Chriſto perfectæ & integræ ſint in ratione naturæ, non ſunt tamen duo ſuppoſita, non duæ perſonæ, ſed una, eaque divina, quæ locum & vices humanæ perſonalitatis abunde ſupplet ac compenſat.

13 Inſt. 7. Quod per ſe ſubſiſtit non poteſt alteri communicari, ſubſiſtentia enim eſt ultimum ſubſtantiæ complementum. Atqui Verbum divinum, utpote perſona divina per ſe ſubſiſtit. Ergo non potuit naturæ humanæ eam aſſumendo communicari.

Reſp. neg. maj. Natura divina per ſe ſubſiſtit in Patre divino, & tamen eadem prorſus natura ſeu ſubſtantia divina Filio communicatur, non communicata ipſi perſonalitate ſeu ſubſiſtentia Patris.

Dices. Natura divina & ſubſiſtentia divina non diſtinguuntur. Ergo unâ communicatâ, altera quoque communicari debet, conſequenter non poteſt fieri unio in ſubſiſtentia Verbi, quin ſimul fiat in natura Verbi. Atqui unio in natura fieri non poteſt, aliàs ex unione una fieret natura per converſionem unius in alteram, quod certè implicat ac repugnat.

Reſp. diſt. ant. Natura & ſubſiſtentia divina non diſtinguuntur realiter, conc. Virtualiter, neg. ant. Ex dictis in Tractatûs noſtri de Deo part. 2da de Myſterio SS. Trinitatis, ſufficit diſtinctio virtualis inter eſſentiam & ſubſiſtentiam, ut Pater divinus e. g. Filio ſuam communicet naturam, non communicata ſua paternitate, ſeu perſonali ſubſiſtentia, eadem ergo hîc etiam virtualis diſtinctio ſufficit, ut Verbum divinum naturam humanam terminet per ſubſiſtentiam ſuam ſeu perſonalitatem, non verò per ſuam naturam, quam communem habet cum Patre & Spiritu ſancto.

Unde etiam ſic diſtingui poteſt major propoſitio objectionis. Quod per ſe ſubſiſtit, non poteſt alteri communicari tanquam ſuppoſito; conc. Subſiſtentia enim eſt ultimum naturæ complementum reddens eam alteri incommunicabilem tanquam ſuppoſito, prout jam in Metaphyſica noſtra, part. 1. c. 3. adnotavimus. Non poteſt alteri communicari ut naturæ, neg. maj. Verbum divinum non perſonam, ſed naturam duntaxat humanam ſibi copulavit in unitatem perſonæ.

Inſt. 8vo. Ex unione naturæ divinæ & humanæ in una Verbi perſona iſtud 14

Digitized by Google

ſaltem conſequens foret, Verbum divinum nempe localiter moveri ad motum humanitatis, cum qua nexu tam intimo copulatur. Atqui hoc repugnat. Ergo.

Reſp. neg ſeq. maj. Quia Verbum ex ſua immenſitate ubique eſt, tametſi humanitas illi unita ubique non ſit, ſed tantùm ubi illi intimè eſt præſens.

15 Ob. 2do. Si Verbum incarnaretur, Pater quoque & Spiritus ſanctus incarnati dicendi forent, 1mo. quia unam habent & indiviſam naturam & eſſentiam: 2do. quia juxta commune effatum, opera Trinitatis ad extrà ſunt indiviſa, & ad tres perſonas pertinent. Atqui Incarnatio eſt opus ad extrà. Ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Si unio, in qua poſita eſt Incarnatio, facta ſit in natura divina, in qua tres perſonæ ſunt quid unum, conc. ſi facta ſit in perſona, qua parte ſunt diſtinctæ, atque inter ſe ſe mutuò opponuntur, neg. maj. Ex dictis jam, unio facta eſt non in natura ſed in perſona Verbi, quæ naturam humanam perficit, ac ultimò terminat. Unde patet reſponſio ad 1mum. Ad 2dum diſt. Incarnatio quatenus eſt naturæ humanæ creatio, conſervatio, &c. eſt à tota Trinitate, conc. Quatenus eſt formalis unio cum aliqua perſona, neg. Incarnatio in his, quæ externa ſunt, & cauſam efficientem poſtulant, eſt à tribus perſonis divinis efficienter; ſed formaliter eſt ſolius Verbi, quia Verbum ſolum naturam humanam per ſuam propriam ſubſiſtentiam complet ac terminat, eam ſibi hypoſtatica unione conjungendo.

16 Ob. 3tio. Humana natura in Chriſto ſuâ propriâ ſpoliatur ſubſiſtentiâ, ſeu perſonalitate, aliàs non una, ſed duæ forent in Chriſto perſonæ. Atqui fieri non poteſt, ut humana natura ſuâ propriâ ſubſiſtentiâ ſpolietur. Ergo. Prob. min. 1mo. Quia ſubſiſtentia non diſtinguitur ab ipſa ſubſtantia; ergo ubi eſt ſubſtantia, ibi eſt & ſubſiſtentia. 2do. Quia perſona definitur à Theologis poſt Boetium, *Naturæ rationalis individua ſubſtantia.* Ergo ubi eſt individua naturæ rationalis ſubſtantia, ibi eſt vera perſona. Atqui in Chriſto, ſuppoſita Incarnatione, ineſt naturæ rationalis individua ſeu ſingularis ſubſtantia, humanitas ſcilicet. Ergo in Chriſto eſt perſona humana, quod tamen fides non patitur. 3tio. Subſiſtentia nihil aliud eſſe intelligitur, quàm forma ſeu modus, quo ſubſtantia per ſe ſubſiſtere dicitur, nec alio indigere, cui inhæreat. Atqui reverà talis eſt in Chriſto natura humana, quæ per ſe ſubſiſtit, nec alteri inhæret ad modum accidentium. Ergo eſt in Chriſto humana ſubſiſtentia.

Reſp. neg. min. Natura enim, quæ cum perſona longè nobiliori ac infinita intimè copulatur, ut fiat pars totius ac perfectiſſimi cujusdam compoſiti, ſua propria perſonalitate ſeu ſubſiſtentia ſpoliari poteſt, & quidem abſque ullo ſui damno ac detrimento; imò potiùs cum magna infinitæ perfectionis acceſſione.

Ad 1mam illius probationem, jam ſupra, & in Tractatu de Deo, obſervavimus ſubſiſtentiam ab eſſentia ſeu natura virtualiter diſtingui: ſiquidem una eſt in tribus perſonis natura, tres verò ſunt ſubſiſtentiæ, atque Filio v. g. tota communicatùr Patris natura, non ſubſiſtentia. Diſtinqui igitur poteſt hæc propoſitio: Subſiſtentia non diſtinguitur a ſubſtantia ſeu natura, tanquam res à re, conc. tanquam modus quidam, naturam ultimò terminans, ac reddens incommunicabilem alteri tanquam ſuppoſito, neg. Res aliqua integra ſubſiſtere poteſt absque ſuo certo modo, digitus e. g. ſine inflexione; maximè cùm modus ille nobiliori ac excellentiori ratione à perſona ſuperiori & infinita ſuppletur, ut fit in Myſterio Incarnationis.

Ad

Ad 2dam Reſp. cum S. Thoma, 1. p. q. 30. a. 1. ad 1. nomine ſubſtantiæ in definitione perſonæ non ipſam naturam, ſed ſubſiſtentiam intelligi, prout jam in Metaphyſica noſtra loc. cit. animadvertimus, quod ſatis apertè declaratur, cùm dicitur *individua*. Nomen itaque perſonæ totum aliquod completum ſignificat, quod ſui juris eſt, non alieni, alteri tanquam ſuppoſito incommunicabile; unde natura, licèt ſingularis, quæ pars eſt alicujus totius compoſiti, perſona non dicitur, v. g. anima rationalis etiam ſeparata, non dicitur perſona, quia pars eſt duntaxat hominis, non totus homo. Cùm ergo natura humana, quam Verbum divinum in unitatem ſuppoſiti ſibi aſſumpſit, pars ſit duntaxat compoſiti, nempe Chriſti, non verò totum aliquod, nec ſui juris ſed alieni, ſcilicet Verbi, conſequenter ſuam propriam non retinet perſonalitatem ſeu ſubſiſtentiam. Non tamen inde ſequitur, Verbum in Chriſto etiam eſſe partem Chriſti duntaxat, qui conſtat duplici naturâ, divinâ ſcilicet & humanâ, adeoque non eſſe veram perſonam. Equidem Chriſtus dici poteſt compoſitum quoddam ex duabus naturis, divina & humana, ſed quæ unum habent Verbi ſuppoſitum ſeu perſonam, adeoque Verbum in Chriſto eſt vera perſona, Chriſtus enim non eſt niſi Verbum Dei caro factum, proinde non eſt pars, ſed totum, quod duplicem in Chriſto habet & conjungit naturam.

Ad 3tiam. Mera eſt æquivocatio nominis, nam ſi *per ſe ſubſiſtere* idem ſit, ac alteri non inhærere per modum accidentis, concedimus hoc ſenſu naturam humanam in Chriſto per ſe ſubſiſtentem eſſe. Si verò *per ſe ſubſiſtere* ſignificet naturam completam ultimò terminatam, quæ totum quoddam eſt, quod perſonam appellamus, hoc ſenſu natura humana in Chriſto per ſe non ſubſiſtit, ſed ſubſiſtentiâ alienâ, nempe Verbi divini; nec totum quoddam eſt, ſed pars totius compoſiti.

Inſt. 1mo. Eſſe aliquod totum completum ac ſui juris, eſt quædam perfectio. Atqui ſuppoſita Verbi Incarnatione, natura humana Chriſti hac perfectione careret. Ergo integra & perfecta non eſſet, & conſequenter Chriſtus verus ac perfectus homo non eſſet, quod certè pugnat cum doctrina Catholica. 17

Reſp. diſt. maj. Eſſe aliquod totum completum ac ſui juris eſt perfectio quædam, quæ per ſubſiſtentiam ſeu Verbi perſonam abunde & modò longè nobiliori ſuppleri poteſt, ac revera ſuppletur, conc. quæ non ſuppletur, neg. maj. Per ſubſiſtentiam ſeu perſonam Verbi perſonalitas aſſumptæ humanitatis longè nobiliori modò ſuppletur ac perficitur, quandoquidem per illam cum Verbo hypoſtaticam unionem natura humana ad dignitatem divinæ naturæ perſonaliter evehitur ac ſublimatur, per quam homo Deus fit, atque humana natura perſonaliter venit in ſocietatem & communionem omnium divinarum perfectionum. Natura igitur humana in Chriſto eſt quidem perfecta ac integra integritate naturæ, licèt non integritate perſonæ humanæ, utpotè quæ pars ſit totius compoſiti nempe Chriſti; non verò totum aliquod completum complementô ſuæ propriæ ſubſiſtentiæ, nec idcircò imperfecta dici poteſt, imò eſt longè perfectior.

Inſt. 2do. Natura humana in Chriſto eſt perfecta. Ergo non videtur cur non etiam ſit aliquod totum completum, ſicut Verbum ipſum. 18

Reſp. neg. conſ. Ratio diſcriminis eſt, quia Verbum eſt Deus, qui ſuam perfectionem ſeu ſubſiſtentiam humanitati, non ſuam humanitatem Verbo communicat. Quapropter divina & humana natura, ex quarum unione coaleſcit Chri-

ſtus, partes Chriſti aliquatenus dici poſſunt, Verbum autem totum eſt completum, utramque naturam nexu intimo ac perſonali in Chriſto conjungens.

19 Inſt. 3tio. Suppoſita unione perſonali naturæ humanæ cum Verbo, eo ipſo natura humana omnes Verbi proprietates participat, immenſitatem, infinitatem, omnipotentiam, &c. adeoque natura humana immenſa dici poſſet, infinita, omnipotens, &c. Atqui id falſum eſt & abſurdum. Ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Omnes proprietates Verbi participaret, in concreto, ut ajunt, & ratione unius & ejusdem ſuppoſiti, conc. In abſtracto, neg. maj. Remanent enim in Chriſto impermixtæ ac inconfuſæ naturæ utriusque proprietates, quæ de ſe invicem in abſtracto prædicari non poſſunt; unde dici non poteſt, quòd divinitas ſit humanitas, aut humanitas ſit immenſa, infinita, omnipotens, tametſi in concreto & ratione unius & ejusdem ſuppoſiti Chriſti, meritò dicatur, Deus eſt homo, homo eſt Deus; Deus eſt mortalis, homo eſt immortalis, immenſus, infinitus, &c. prout inferiùs fuſius dicemus, ubi de communicatione idiomatum.

20 Inſt. 4to. Verbum hominem aſſumpſiſſe dicitur. Atqui homo eſt perſona. Ergo, &c.

Reſp. Diſt. maj. dicitur aſſumpſiſſe hominem, id eſt, humanitatem, concretum pro abſtracto uſurpando, conc. Id eſt humanitatem in ſe ac per ſe ſubſiſtentem, ſeu hominis perſonam. neg. maj.

21 Ob. 4to. Non magis poteſt humana Chriſti natura ſubſiſtere ſubſiſtent á alienâ, quàm exiſtere exiſtentiâ aliena, aut intelligere intellectione aliena. Atqui. Ergo.

Reſp. neg. maj. & paritatem. Nam 1mo. Cùm exiſtentia ſit illud, per quod res ſimpliciter eſt extra nihil, intelligi non poteſt, quomodò res aliqua ſit extra nihil, ſeu exiſtat exiſtentiâ alienâ: at propria ſubſiſtentia non eſt forma, per quam ſimpliciter ac neceſſariò natura ſingularis fiat perſona, ſeu natura ultimò terminata & completa; quia natura poteſt carere propriâ ſubſiſtentiâ illâ, quando in unitatem ſuppoſiti divini aſſumitur, à quo completur, & modô excellentiori perficitur, prout fit in præſenti Myſterio.

2do. Intellectio eſt actio vitalis, quæ neceſſariò profluere debet à principio proprio & interno vitaliter agente, unde fieri non poteſt, ut quis intelligat aliena intellectione: At ſubſiſtentia nihil vitale ſonat, ſed merus eſt naturæ terminus ac complementum, quod poteſt ſuppleri per alienam ſubſiſtentiam.

Ob. 5to. Repugnat Incarnatio ex parte unionis utriusque naturæ, quia proportio quædam eſſe debet inter extrema, quæ uniuntur. Atqui nulla eſt proportio inter divinam & humanam naturam, quæ tantô à ſe invicem diſtant intervallô; nulla enim eſſe poteſt finiti ad infinitum proportio. Ergo. 21

Confirmatur. Accidens nunquam uniri poteſt cum ſubſtantia ad totum aliquod per ſe ſeu ſubſtantiale efficiendum, quia nempe nulla eſt proportio inter accidens & ſubſtantiam. Ergo etiam à pari, quia nulla eſt inter divinam & humanam naturam proportio, neque uniri inter ſe poſſunt.

Reſp. ad ob. neg. maj. & diſt. ejus cauſalem. Debet eſſe quædam proportio inter extrema, quæ unienda ſunt, in ratione unionis & habitudinis, ut vulgò dicunt, conc. in ratione entitatis, neg. Aliàs nec anima unquam poſſet cum corpore uniri, nulla enim proportio eſt inter ſpiritum & materiam; nec mens humana Deum intuitivè videret. Eſt tamen inter ea proportio quædam habitudinis

nis & in ratione unionis, quia anima pars eſt hominis, & ad illum componendum tota inclinatur: pariter mens humana quamdam habet cum Deo intuitivè videndo inchoatam proportionem habitudinis, qualis occurrit inter facultatem cognoſcitivam, & objectum, quod cognoſci poteſt; quæ tamen facultas ac proportio ſuperiori lumine corroborari ac elevari debet, prout in Tractatu noſtro de Deo, ubi de viſione Dei egimus, à nobis annotatum fuit, ut in objectum ſupernaturale tendere poſſit. Porro etſi nulla ſit quoad entitatem proportio inter finitum & infinitum, immenſum ac locô circumſcriptum, eſt tamen proportio quoad unionem, quia eſt in Verbo virtus infinita, qua poteſt terminare ac ultimò complere naturam humanam in ratione perſonæ.

Ad Confirmationem. neg. conſ. Exemplum quippe accidentis hìc non urget: nulla enim, nequidem inchoata & habitudinis proportio eſt inter accidens & ſubſtantiam ad aliquod totum ſubſtantiale ac per ſe efficiendum, quia totum per ſe conſtat ex ente per ſe ſubſiſtente, totum verò accidentale inhærens eſt, nec per ſe ſubſiſtit.

22 Ob. 6to. Ex unione utriusque naturæ in Chriſto multa ſequuntur abſurda & incommoda. 1mo ſequitur unum & idem ſuppoſitum ſimul immenſum eſſe & non immenſum, mortale & immortale, finitum & infinitum, Deus & home. 2do. Ex illa unione ſequitur proprietatum utriusque naturæ reciproca communio & prædicatio, & ita verè dici poſſet, divinitas naſcitur, patitur, moritur; humanitas æterna eſt, impaſſibilis, &c. 3tio. Natura humana, quæ Verbi ſubſiſtentiâ ſeu perſonalitate ſubſiſtit, ubique eſſe deberet, ſicut ubique Verbum eſt. Atqui tamen falſa eſt ita conſecutio. Ergo, &c.

Reſp. neg. ant. Ad 1mum. Non repugnat de uno & eodem ſuppoſito quod ex duplici natura coaleſcit, diverſa & contraria prædicata enuntiari pro diverſo ad alterutram naturam reſpectu; ſic de eodem homine dicimus, eum ratiocinari & non ratiocinari, ſpiritualem eſſe ac corporeum, mortalem & immortalem, propter diverſas animæ & corporis ejus affectiones ſeu proprietates. Ita etiam, ſervata proportione, de uno & eodem ſuppoſito Chriſto, propter diverſas, quibus conſtat, naturas, diverſa & contraria enuntiamus.

Ad 2dum. Illa reciproca proprietatum utriusque naturæ communicatio, in abſtracto non fit ſed in concreto, ratione unius & ejusdem ſuppoſiti; unde neg. ſequel.

Ad 3tium. neg. Cùm, prout jam diximus, natura humana ubique ſeu in omni loco non terminetur à ſubſiſtentia Verbi, ſed in certo quodam ac determinato ſpatio, ubique diffuſa non eſt. E contra, cùm Verbi ſubſiſtentia ubique ſit, ac divinitatem ubique terminet, ubique etiam Verbum per immenſitatem ſuam diffunditur: ubicunque ergo eſt humanitas Chriſti, ibi Verbum eſt; ſed non viciſſim ubicunque eſt Verbum, ibi etiam eſt humanitas.

Ob. 7mo. Non magis ex unione utriusque naturæ in Chriſto, Chriſtus dici 23
poteſt mortalis, finitus, &c. quàm peccator. Atqui. Ergo.

Reſp. neg. maj. & paritatem. Diſparitas eſt, quòd peccatum nòn ſit naturalis hominis proprietas, ſed defectus moralis; Chriſtus autem aſſumpſit quidem defectus noſtros naturales, qui ad opus redemptionis noſtræ conſummandum erant neceſſarii, quales profectò non fuêre defectus morales, quos omnes à Chriſto excludit tanquam impoſſibiles ſubſtantialis ejus ſanctitas. In ipſo *enim*

in-

Digitized by Google

inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Coloſſ. 2. v. 9.

24 Ob. 8vo. Si Incarnatio eſſet poſſibilis, Deus conciperetur in potentia ad unionem cum humana natura: ſiquidem myſterium Incarnationis in ea unione eſt poſitum. Atqui Deus concipi non poteſt in potentia ad unionem cum humana natura: cùm enim Deus ſit actus purus, in eo nulla poteſt concipi potentia. Ergo, &c.

Reſp. Diſt. maj. Deus conciperetur in potentia &c. activa, conc. in potentia paſſiva, neg. maj. Potentia paſſiva repugnat actui puro, quia ſupponit ſubjectum non eſſe infinitè perfectum, ſupponit enim illud non habere perfectionem, ad quam eſt in potentia; è contrà potentia activa arguit perfectionem, quia dicit infinitam virtutem aut ratione cauſæ efficientis, reſpectu effectuum, quos poteſt operari, aut reſpectu terminorum, quorum vices ſupplere poteſt.

25 Ob. 9no. Quod ſuperat humanæ mentis captum, non eſt poſſibile. Atqui Incarnatio eum reverà ſuperat. Ergo eſt impoſſibilis.

Reſp. neg. maj. Ipſa ratione docemur, Deum, cùm ſit infinitæ virtutis, multò plura poſſe, quàm quæ mens creata, utpotè finita, comprehendere valeat, prout ſup. p. 9. in Reſp. ad *Dices ulteriùs* ex S. Auguſtino oſtendimus.

26 CAPUT II.

De exiſtentia Incarnationis.

Gentiles inficiantur reverâ peractum eſſe Incarnationis Myſterium: Id quoque negant Judæi, nimirum contendunt, Meſſiam in lege promiſſum, nondum veniſſe; utrique diſparibus armis debellandi: Gentiles iis omnibus generatim momentis, quibus Chriſtianæ religionis veritas & evidentia ſuaderi ac demonſtrari poteſt: Judæi verò prophetiarum, quas admittunt, exitu tam noto tamque omnibus probato. Tria ergo præſenti Capite inquirimus. 1mo. Utrum Incarnationis exiſtentia poſſit contra Gentiles demonſtrari. 2do. An contra Judæos. Et 3tio denique an debito tempore peracta fuerit. Quæ tribus paragraphis expendimus.

§. I. 27

Utrum Incarnationis exiſtentia demonſtrari poſſit contra Gentiles?

Adversùs Gentiles duplici argumentorum genere pugnandum eſt, 1mo. Iis motivis, quibus Chriſtiana Religio evidenter credibilis redditur. 2do. Momentis ex ipſiſmet Gentilibus depromptis. Sit igitur

CONCLUSIO. 28

Incarnationis exiſtentia adversùs Gentiles demonſtrari poteſt.

Prob. 1mo. iis argumentis, quibus evidenter demonſtramus Religionem Chriſtianam eſſe veram ac divinitùs inſtitutam. Illud myſterium eſt evidenter credibile, quod Religio evidenter vera credendum docet. Atqui Religio Chriſtiana evidenter eſt vera, docetque imprimis credendum Incarnationis myſterium fuiſſe impletum. Ergo.

Maj. ab ipſis Gentilibus ſine ulla difficultate admittitur; prout & 2da pars Minoris. Igitur

Prob. min. quoad 1mam. partem 1mo. Teſtimoniis veterum Prophetarum, quæ S. Scriptura exhibet, & quibus Incarnatio, & quæ ſpectant vitæ Chriſti Oeconomiam; nativitas, paſſio, reſurrectio, aſcenſio in cœlum, Spiritus ſancti miſſio, Religionis Chriſtianæ inſtitutio, propagatio, gentium converſio, & Judæorum

Digitized by Google

rum rejectio, & alia plura idem myſterium ſpectantia tam dilucidè & luculenter prædicta fuerunt, ut non vaticinia, ſed rerum jam geſtarum hiſtoriæ videantur; quæ quidem in ſuſpicionem falſi & ſuppoſitionis recentis apud cordatos homines nunquam venire poſſunt, neque enim ex ſcriniis noſtris hæc vaticinia proferimus, ſed ab adverſariis noſtris Judæis nempe Chriſtiano nomini infenſiſſimis, qui velut capſarii noſtri ſummâ curâ & ſtudiô libros, quibus illa continentur, illibatos conſervârunt, nobisque transmiſerunt, accepimus. *Per omnes gentes*, ait S. Auguſtinus (e), *diſperſi ſunt Judæi teſtes iniquitatis ſuæ & veritatis noſtræ . . . . Si quando aliquis Paganus dubitaverit, cùm ei dixerimus Prophetias de Chriſto, quarum evidentiam obſtupeſcit, & admirans putaverit à nobis eſſe conſcriptas, de Codicibus Judæorum probamus; quia hoc totum ante prædictum eſt. Videte quemadmodùm de inimicis noſtris alios confundimus inimicos.*

29 Prob. 2do. Ex miraculis, quæ facta ſunt in confirmationem Chriſtianæ Religionis. Ad miraculum autem duo requiruntur, 1mo ut ſit opus rarum, & præter conſuetum naturæ ordinem; 2do ut ſuperet naturæ vires, & ab eo ſolo, qui ſupra naturam eſt, procedat. Verum ergo miraculum eſt opus non modò mirum, ſed etiam divinum; atque ideo manifeſtum eſt, miraculum fieri non poſſe in confirmationem erroris, eſt enim opus Dei, Deus autem teſtimonium falſum dicere non poteſt. Unde ſic conficitur argumentum: Illa Religio infallibiliter eſt vera, & Deum habet auctorem, ad quam ſtabiliendam & propagandam innumera edita ſunt miracula. Atqui talis eſt Religio Chriſtiana. Ergo. Major eſt evidens & à nemine negari poteſt.

Min. prob. ex Apoſtolorum ſcriptis, ac imprimis ex hiſtorica de Chriſto narratione ab Evangeliſtis nudè & ſimpliciter ſine fuco, ſine arte & aſtutia, ſine confœderatione & inito ſimul conſilio exarata; in qua ut & aliis Apoſtolorum ſcriptionibus adeò patentia & adeò multiplicia referuntur miracula, ut ne Judæi quidem repetitis examinibus ea inficiari potuerint. *Quid facimus*, inquiunt Phariſæi & Principes Sacerdotum infenſiſſimi Chriſti hoſtes, *quia hic homo multa ſigna facit?* Joan. 11. Et de claudo per S. Petrem ſanato Act. 3. ſic inter ſe colloquuntur, c. 4. *Quid facimus hominibus iſtis, quoniam quidem notum ſignum factum eſt per eos . . . . manifeſtum eſt, & non poſſumus negare.* Item c. 5. ubi vel ipſa Petri umbra infirmos ſanabat. Et alia plurima, ut tum ex quatuor Evangeliis, tum ex Actibus & Epiſtolis Apoſtolorum liquet, atque inter alia in 1ma ad Corinth. legimus tam multiplicia & tam communia fuiſſe apud fideles miracula, ut neceſſum fuerit Apoſtolo præſcribere, quo ordine quisque uti deberet poteſtate ſibi divinitùs conceſſa, ne turbaretur ſocietas. Nec etiam deinceps poſt Apoſtolorum tempora & ſequentibus ſæculis in Eccleſia Chriſtianorum miracula defuerunt in confirmationem Religionis eorum, prout Veterum Patrum & Scriptorum Eccleſiaſticorum monumenta produnt, quamvis, Religione, ſcilicet, jam radicata; atque, ſubverſis Idolorum templis, roborata, rariora eſſe cœperint; nova enim tum miracula non fuêre ampliùs neceſſaria, ſive ad continendos fideles, ſive ad revincendos Hæreticos, ſive ad ſubigendas Gentes, quæ Chriſto nondum crediderant; cùm in-

(e) *In Pſal. 58. concione prima.*

Digitized by Google

innumera miracula primò edita in gratiam Chriſtianæ Religionis, eam pariter demonſtrarent divinam & prioribus & poſterioribus ſæculis.

30 Prob. 3tio ex mira ac ſtupenda Religionis Chriſtianæ propagatione, quæ quamvis fremeret ac contradiceret tota natura, atque obſiſteret undequaque crudelis Tyrannorum perſecutio, facta eſt. De qua ſic conficitur argumentum: Ubi nihil eſt humanum, totum eſt divinum. Atqui in propagatione Religionis Chriſtianæ nihil fuit humanum. Ergo totum fuit divinum. Minor perſpicua fiet, ſi duo attendantur, 1mo ſuſcepti operis difficultas; 2do mediorum electio, quibus tam arduum opus brevi tempore peractum eſt.

1mo Itaque immutandi non unius gentis ſed omnium nationum mores; eradicanda erat ubique Religio, quæ à pluribus Sæculis altas in animis ſive ſapientium, ſive inſipientium radices egerat. Sed quod longè difficillimum & prorſus impoſſibile videri poterat, nova inferenda erat Religio Judæis ſcandalum, Gentibus ſtultitia tum propter incredibilia, quæ docet, v. g. Deum eſſe unum & trinum, Deum factum hominem, & crucifixum, tum propter præcepta, quæ continet, naturæ profectò dura & aſpera, ut ſunt abnegatio ſui ipſius, carnis & ſenſuum maceratio, jejunia, continentia, in ærumnis & afflictionibus patientia, crucis & paupertatis amor, fuga voluptatum, divitiarum, omniumque temporalium rerum contemptus; venia inimicorum, omnimoda ſui ipſius abjectio, &c.

2do. Hæc autem Chriſtiana Religio non ſapientum conſiliô, non potentiâ & armis, aut eductis militum copiis, agminibusque inſtructis propagata fuit, ſed his omnibus mediis humanisque rejectis ſubſidiis Chriſtus ipſe ſecundùm hominum exiſtimationem abjectus, Fabri Filius, à Principibus ſuis damnatus velut impius, tandemque crucifixus, eligit quæ ſtulta ſunt mundi & contemptibilia (*f*), Apoſtolos numerô duodecim homines viles & ex infima plebe, ſine litteris, craſſi & tardi ingenii, meticuloſos, qui metu mortis cum in periculo turpiter deſeruerant; non eos præmiis allicit, nec falsa ſpe deludit; ſed præmonet odio futuros omnibus hominibus, flagellandos, & morte afficiendos: nihilominus pauci & viles illi homines, contra omnem ſpem, &, ut humanæ ſapientiæ videbatur, temerè & inſipienter opus aggrediuntur, totum luſtrant orbem, & tanquam cœli luminaria ubique erroris tenebras expellunt, Evangelii lumen ſpargunt, Philoſophos in ſuam ſententiam trahunt, licèt idiotæ; Oratores movent, & perſuadent, licèt rudes piſcatores; nobiles etiam Senatores, & viri Conſulares, amore Crucifixi non ſolùm affectum ſed & uſum divitiarum ſuarum abdicant. &c. Ergo in propagatione Religionis Chriſtianæ nihil fuit humanum, ſed omnia divina. Enimverò an tot reperiſſet inter homines tam longo Sæculorum uſu vitiis immerſos ſectatores ac diſcipulos, niſi divinitùs inſpirata, ac Dei ope ſingulari ad exitum feliciter perducta fuiſſet.

Prob. 4to Concluſio momentis ab ipſis Gentilibus depromptis. 1mo. Ex Oraculis Sybillarum, quæ tanto apud Gentiles ipſos in pretio fuêre, ac de Chriſto tam apertè mentionem fecerunt: quarum teſtimoniis, quamvis apud nos dubiis & incertis, tamen opportunè hîc utimur, quòd & ipſi Gentiles earum carmina velut domeſtica teſtimonia lau- 31
dave-

(*f*) 1. *Cor.* 1.

Digitized by Google

daverint, imò & à multis SS. Patribus commendata videamus, unde probabile ſaltem nobis adversùs Gentiles argumentum ſubminiſtrant.

2do. Ex defectu ſeu ſilentio Oraculorum. Adveniente Meſſia, finem idololatriæ, ut & falſis Paganorum Oraculis ſilentium imponendum eſſe, prædixerant Prophetæ, Iſaias, c. 2. v. 18. & Zacharias, c. 13. v. 2. Oracula verò tempore adventûs Chriſti ut plurimùm obmutuiſſe, prophanæ Hiſtoriæ non diſſimulant. Porphyrius queritur Deos iratos, ex quo venit Chriſtus, nihil reſpondere. Cicero lib. 2. de Divinatione teſtatur, temporibus ſuis Oracula defeciſſe. Plutarchus, qui ſcribit de Oraculorum defectu, refert Thamum quemdam nautam Echinades Inſulas prænavigantem, audiviſſe vocem, quæ nuntiabat, magnum Pan mortuum fuiſſe, tempore ſcilicet Tiberii, quo Chriſtus cruci affixus eſt; & Auguſto Oraculum Apollinis conſulenti, quis poſteà regnaturus eſſet, reſpondiſſe fertur, *Me puer Hebræus Diis beatis imperans, jubet has ædes relinquere, & ſtatim in orcum abire.* Nec id negare auſus eſt Julianus (*g*) Iſtud proinde Oraculorum ſilentium, de quo Gentiles ipſi conquerebantur, veteres SS. Patres in argumentum veri Meſſiæ adventûs, cujus ſcilicet tempore devicto ac expulso dæmone, ſilentium ipſi imponendum erat, omniſque nocendi auctoritas ab eo detrahenda (*b*), Gentilibus ipſis objecerunt.

3tio. Ex Gentilibus Hiſtoricis, Celſo (*i*), Phlegonte Hadriani Imperatoris Liberto, in Chronico ſuo; Tacito, lib. 15. Annal. aliiſque; qui vitæ Chriſti circumſtantias, & prodigia, quæ tùm in ipſius nativitate, tùm in morte contigerunt, ſcriptis ſuis conſignarunt. Ac etiam caſtigatos ac ſeveros Chriſtianorum mores, & ab ipſis edita prodigia non diſſimularunt Scriptores Ethnici, ut Plinius l. 10. Ep. 79. ad Trajanum; Serenius Granianus Proconſul Aſiæ Epiſt. ad Hadrianum. Marcus Aurelius Imperator prodigium Chriſtianæ legionis, quæ, quia grandines & fulmina, quibus hoſtiles copiæ obrutæ ſunt, è cœlo precibus impetrârat, fulminaris dicta eſt, litteris ad Senatum datis teſtatus eſt. Tertullianus in libello ſupplici ad Scapulam Africæ Proconſulem, & Apolog. c. 5.

His Chriſti ac Chriſtianorum virtutibus necnon prodigiis commoti Imperatores nonnulli divinos honores tribuere Chriſto, eique Templa conſecrare voluerunt, ut Tiberius, & Hadrianus. Vid. Tertullian. cit. Apolog. c. 5. & Lampridius apud Huetium, prop. 3. n. 23.

Solvuntur Objectiones. 32

Ob. 1mo. Libri Prophetarum Veterum, in quibus Chriſtum, Chriſtianamque Religionem eos prædixiſſe contendimus, vel ab ipſis eorumdem auctoribus, vel à recentioris ævi Scriptoribus conficti videntur, vel ſaltem ea, quæ continent, non de Chriſto & ejus Religione ſunt intelligenda. Ergo ex iis non ſatis ſolidum pro veritate Chriſtianæ Religionis deducitur argumentum.

Reſp. neg. ant. quoad omnes ejus partes. 1mo. Ab ipſis Prophetis hi eorum libri dici non poſſunt conficti; tum quòd nullius emolumenti ſpe aliqua prophetias ſuas conſcripſerint, quin potiùs plerumque ipſis detrimentum aliquod inde obvenit; tum quòd mira illarum prophe-

Rr 2

(*g*) *Huetius prop. 9. c. 29. n. 4.* (*b*) *Joan. 12. v. 31.* (*i*) *Apud Origenem l. 1. adverſus ipſum*

phetiarum cum eventu conſenſio, non humanam fictionem duntaxat, ſed Dei revelationem & inſtinctum apertè ſignificet, invictum proinde ſit illarum veritatis argumentum. 2do. Inde etiam ſequitur libros illos nec à recentioris ævi Scriptoribus eſſe confictos. Enimverò ab eo, quo ab illis Prophetis, quorum nomina præſeferunt, ſcripti dicuntur tempore, de manu ad manum, ut ajunt, per Hebræos ad Chriſtianos delati fuerunt ſub illorum Prophetarum, quibus adſcribuntur, nominibus; non ſecus ac alii prophani libri æquè ac Eccleſiaſtici ſub ſuorum Auctorum nominibus perlati ad nos fuère, quos proinde illorum eſſe nemo, niſi veſanus, negabit. Vide quæ ſupra in Tract. de S. Script. part. 1. cap. 2. & 3. (*k*) in hoc argumentum diſſeruimus.

Denique Vaticinia horum Prophetarum de Chriſto intelligenda eſſe, plusquam apertum eſt, noſque paragraphô ſequenti demonſtrabimus.

33 Ob. 2do Apoſtolorum Scripta nullam apud Gentiles habent auctoritatem. Ergo nec miracula, quæ in iis exarata leguntur; conſequenter ex iis non poſſunt perſuaderi.

Reſp. Diſt. ant. Nullam habent auctoritatem, ſed tamen merentur habere c. non merentur habere, quemadmodùm libri quorumdam Ethnicorum, in quibus narrantur remotiora & occulta, quæ meritò fabuloſa videri poſſunt, neg. ant. Apoſtoli ſcripſerunt res in conſpectu omnium geſtas, non ſolùm eo tempore, ſed in iisdem locis, ubi geſtas fuiſſe referunt. Certè Apoſtoli Judæis ipſis coætanei & conviventes ſcribere neutiquam auſi fuiſſent, ipſos eosdem Judæos vidiſſe cœcos illuminatos, mortuos ſuſcitatos, & civitates ſuas multitudine prodigiorum Chriſti & ejus diſcipulorum commotas; niſi hæc omnia vera eſſe ipſi Judæi ultrò ſciviſſent, qui ſecùs adeò craſſam impoſturam haud paſſi eſſent, ſed utique detexiſſent. Et ſicut nullus Gentilis in dubium revocare poteſt, Chriſtum extitiſſe, diſcipulos collegiſſe, tandemque à Judæis fuiſſe crucifixum; ſic negare non poteſt, ipſum per ſe & per diſcipulos ſuos innumera edidiſſe miracula; ea enim omnia pariter ſunt credibilia, quæ æquè palam geſta, ab iisdem auctoribus conſcripta, eodem tempore, & ubi peracta fuiſſe referuntur. Vide ea, quæ diximus cit. Tract. de S. Script. c. 3. Tom. 1. Theolog. noſtræ.

Inſt. Gentiles ſuſpicari poſſunt, illa Apoſtolorum Scripta eſſe ſuppoſititia, & à Chriſtianis poſt Apoſtolorum tempora exarata. 34

Reſp. Huic objectioni jam ſatisfecimus in ſæpè cit. Tract. noſtro de S. Scriptura, præcipue autem part. 2. ſect. 2. per totam, ubi Apoſtolorum Scripta ſuis auctoribus vindicavimus. Certè ea viventibus Apoſtolis evulgata fuiſſe conſtat 1mo ex 2. Petri c. 3. ubi Apoſtolus laudat S. Pauli Epiſtolas, ſcribitque eas tunc fuiſſe in manibus etiam indoctorum. Diſcipuli item Apoſtolorum, ut Sancti Clemens, Ignatius, & Polycarpus ſuperſtitibus Magiſtris teſtimonia ex eorum Scriptis depromunt ad erudiendos Fideles. S. Iræneus auditor S. Polycarpi, & ejus contemporaneus S. Juſtinus Hæreticos ex Scriptis Apoſtolorum revincunt; id ipſum præſtant Patres, qui eos proximè exceperunt, ut Origenes, & Tertullianus, hic lib. 1. contra Marcion. c. 1. hæretico iſti objicit, quòd

(*k*) *Tom.* 1. *Theologiæ noſtræ. &c.*

quòd Evangelia corroſerit, id eſt, mutilaverit.

35 Ob. 3tio Ex S. Auguſtino lib. de unitate Eccleſiæ, Eccleſia non probatur ex miraculis, ſic enim ſcribit: *Quæcumque talia fiunt in Catholica, ideò ſunt approbanda, quia in Catholica fiunt; non ideò ipſa Eccleſia manifeſtatur, quia miracula in ea fiunt.* Ergo miracula non ſunt evidentia veræ Religionis teſtimonia.

Reſp. Huic argumento jam ſatisfecimus in Tract. noſtro de Eccleſia, c. 2do Paragrapho 2do in Reſp. ad Ob. 4. Poteſt etiam diſtingui ant. Eccleſia non probatur miraculis dubiis, de quibus Donatiſtæ, contra quos agit, gloriabantur in ſuæ Sectæ commendationem, conc. Miraculis indubitatis, quibus religio Chriſtiana ſibi auctoritatem conciliavit, neg. ant. Nam totus eſt S. Doctor lib. 12. de Civ. c. 8. ut oſtendat, miracula neceſſaria fuiſſe, priuſquam mundus in Chriſtum crederet, alioquin, *Unde*, inquit, *tanta fide Chriſtus usquequaque cantatur in cœlum cum carne ſublatus? unde temporibus eruditis . . . . ſine miraculis ullis nimium mirabiliter incredibilia credidit mundus?* Addit, miracula nunc non eſſe neceſſaria, quamvis in Eccleſia Catholica multa fiant, quæ enumerat. Et Eccleſiam Dei miraculis demonſtrari etiam alibi docet (*l*) Vide Tract. de Eccleſia loc. cit.

36 Ob. 4to Donum miraculorum Hæreticis & improbis hominibus, imò & ipſis Gentilibus legitur aliquando conceſſum fuiſſe. Ergo firmum ex illis pro veritate Religionis Chriſtianæ ac conſequenter myſterii Incarnationis duci non poteſt argumentum. Prob. ant. quantùm ad Hæreticos & improbos homines. De Novatiano proinde hæretico quodam Epiſcopo ſcribit Socrates lib. 7. Hiſt. c. 17. quòd, cùm Judæus quidam impoſtor, qui Baptiſmum ab Attico Epiſcopo Conſtantinopolitano ritu catholico jam ſuſceperat, ad hunc Novatianum Epiſcopum acceſſiſſet, ut denuò ab eo baptizaretur, alveus Baptiſmatis divinitùs exhauſtus fuerit. Donatiſtæ etiam in ſuæ doctrinæ confirmationem nonnulla edita miracula fuiſſe vulgàrunt. Ab Ethnicis verò nonnulla interdum edita fuiſſe miracula conſtat, tum Exod. 7. & 8. ubi Magi Ægyptii tam ſtupenda coram Pharaone ac ſpectante Moyſe perpetràrunt. Et Chriſtus ipſe, Matth. 24. v. 24. prænuntiat, tot & tanta futura eſſe Antichriſti prodigia, ut etiam electi, ſi fieri poſſet, in errorem inducendi ſint. Deinde refert Suetonius, à Veſpaſiano Imperatore lumen cæco reſtitutum fuiſſe ejus ſputô, & claudum ejus calce ſanatum. Philoſtratus etiam de Apollonio Thianæo è Pythagorica Secta Philoſopho (*m*), cujus vitam octo libris complexus eſt, narrat varia prodigia ab ipſo fuiſſe patrata, quæ tot & tanta fuiſſe ait, ut impius Hierocles quartô Eccleſiæ Sæculô in odium Chriſtianæ Religionis, ea cum miraculis Chriſti comparare, ac illis paria, imò & majora fuiſſe dicere non erubuerit.

Reſp. neg. ant. Ad exempla in ejus probationem adducta, dicimus, pleraque à nobis ſoluta jam fuiſſe in Tractatu noſtro de Eccleſia loco citato Novatiani Epiſcopi illius miraculum, ſi verum eſt, quod narrat Socrates, factum eſt non in confirmationem fidei Novatiani hujus Epiſcopi, ſed catholici Baptiſmi, quo Deus nempe illius iterationem illicitam eſſe teſtari voluit.

(*l*) Lib. de utilitate credendi, c. 17. & lib. cont. Ep. fund. cap. 4. Item c. 5. (*m*) Inſignis magus vixit 1mô Eccleſiæ ſæculô.

Digitized by Google

Prætenſa Donatiſtarum miracula non fuerunt vera miracula, ſed occultæ duntaxat viſiones quædam, quas ſine ullo teſte jactabant ſe habuiſſe.

Mira illa quæ Magi coram Pharaone patrarunt, non fuerunt vera miracula, ſed vel meræ præſtigiæ, ac ſenſuum ludificationes, vel effectus occulti quidem, ſed qui naturæ vires non ſuperant. Vide, quæ ea de re elocuti ſumus citato Tractatu de Eccleſia Item in Tract. de Angelis c. 1. §. pag. 94. Hujusmodi etiam erunt prodigia illa Antichriſti, prout citatis locis oſtendimus.

Quæ de Veſpaſiano refert Suetonius vel ficta ſunt, & ad Principis adulationem turpiter compoſita; vel naturæ, aut artis medicæ vires non ſuperant, prout teſtatur Cornelius Tacitus lib. 4. Hiſtoriarum. Ait Tertullianus, morbos illos à Diabolo fuiſſe, qui binorum horum hominum membrorum uſum impediebat, *ut videretur deindè ſanare, cùm deſineret nocere.* Apolog. c. 22.

Fabulæ ſunt ac puditiſſima mendacia, quæ de Apollonio narrat Philoſtratus, cùm enim primùm centum poſt Apollonium annis vixerit, nec ullum narrationis ſuæ vadem ſatis dignum proferat, necnon aliunde parùm accuratus ſit, ac ſibi frequenter adverſetur, nullam fidem meretur: fabulas ille, quibus voluerit, vendat, non nobis. Portenta illa Apollonii meras fuiſſe artis magicæ incantationes ac Dæmonis præſtigias, quas illius miniſteriô nequam ille ſpiritus operabatur, probant SS. Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, Lactantius. Euſebius datâ operâ Librum ſcripſit adverſus Hieroclem, ubi ſtrenuè refellit inſulſam comparationem, quam inter Apollonium & Chriſtum impius ille inſtituerat. Lege Huetium propoſit. 9. c. 147. ubi paucis omnia Philoſtrati de Apollonio figmenta explodit. Quemadmodùm ergo virga Moyſis in ſerpentem verſa Magorum Ægyptiorum virgas devoravit, ſic miracula Chriſti & Diſcipulorum ejus, magicas Philoſophorum & Gentilium artes & præſtigias traduxerunt.

37 Ob. 5to Mira & ſtupenda Religionis Chriſtianæ propagatio, firmum ac ſolidum eſſe non videtur illius veritatis argumentum, quia ſtupenda pariter ac prodigio ſimilis videtur Religionis ac Imperii Mahumetis per omnes Orientis plagas diffuſio. Ergo, &c.

Reſp. Huic objectioni jam ſatisfecimus, in ſæpe dicto Tract. de Eccleſia c. 2. Paragrapho 2. in Reſp. ad ob. 2. Planè impia & inſulſa eſt comparatio Chriſtum inter & Mahumetem ac utriusque Religionem. Mahumetes nulla edidit prodigia; Chriſtus innumera, Prophetæ Chriſti ortum, vitam, & geſta prænuntiârunt; Mahumetis nulli. Mahumetes vi armorum, ferro ac ſanguine populos ſibi ſubjecit; Chriſtus humilitate, manſuetudine, benefica voluntate; Mahumetes ſpe divitiarum ac voluptatum ſuos ineſcavit; Chriſtus ſuis hac in vita nonniſi cruces & afflictiones propoſuit ac promiſit, nec non divitiarum contemptum imperavit. Ille milites habuit adminiſtros; Chriſtus pauperes Apoſtolos; illi gladiô, iſti verbi prædicatione rem promoverunt. Mahumetis Religio tota ſenſibus immerſa, craſſa, impura, naturæ vitiatæ commoda; Religio verò Chriſtiana tota defoecata, pura, naturæ noſtræ dura & aſpera. Illa effrænam ad omnem ſenſuum voluptatem licentiam laxat; iſta verò damnat ac ſeverè reprimit, totumque hominem per jejunia carniſque macerationem in ſervitutem redigit.

Atqui tamen Religio hæc, tota licèt renuente & contradicente natura Orbem univerſum occupavit. Imperatores, Reges, Principes, nobiles, ignobiles, divites, egenos, ſectatores ac diſcipu-

ſcipulos habuit numerò penè infinitos. Stupendum profectò ac invictum veræ Religionis argumentum. Unde meritò exclamat S. Auguſtinus lib. 22. de Civ. c. 8. n. 1. *Quiſquis adhuc prodigia, ut credat, inquirit, magnum eſt ipſe prodigium, qui mundo credente non credit. Et qui miracula facta non credunt, nobis hoc unum grande miraculum ſufficit, quòd terrarum orbis ſine ullis miraculis credidit.*

38 ## §. II.

Utrum exiſtentia Incarnationis demonſtrari poſſit adversùs Judæos?

Incarnationis exiſtentiam, atque Meſſiam Lege promiſſum veniſſe jam, variis imò penè innumeris ex Veteris Scripturæ libris depromptis argumentis & textibus, prout videre eſt apud Huetium, qui hanc quæſtionem 171. Capitibus definivit (*n*), adversùs Judæos demonſtrare ſolent Theologi. Nos ex iis pauca ſelegimus, quibus, Incarnationis myſterium in Chriſto adimpletum fuiſſe jam, adversùs Judæos demonſtramus.

Primum argumentum ſumitur ex Oraculo Jacobi, Geneſ. 49. v. 9. Qui morti proximus convocatis filiis annuntians, quæ ipſis noviſſimis temporibus ventura erant, Judam ſic alloquitur: *Juda te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum .... Non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium*, vel ut in Hebræo legitur, *usquequo veniat Siloh, & erit ei obedientia populorum.*

Circa iſtud Jacobi Oraculum duplex occurrit difficultas, 1ma adversùs Judæos, an ſcilicet illius ſenſus Meſſiam ſpectet, & in ipſo, Chriſto nempe ſit re ipſa impletum. 2da viget inter Theologos noſtros, videlicet, an & qua ratione Judæorum ſceptrum dici poſſit ad Meſſiæ usque adventum perduraſſe. Quoad primam difficultatem ſit

CONCLUSIO. 39

Vaticinium Jacobi Meſſiam deſignat, & in Chriſto re ipſa fuit adimpletum.

Prob. 1ma pars Concluſionis ex ipſis Jacobi vaticinantis verbis *Non auferetur .... donec veniat, qui mittendus eſt, & erit expectatio gentium*, vel ut legitur in Hebræo textu, *usquequo veniat Siloh*, id eſt, *mittendus, & erit ei obedientia populorum.* Duo iſti characteres, *qui mittendus eſt*, aut *venturus eſt*; *qui erit expectatio gentium*, Meſſiæ adeò proprii ſunt, ut nulli alteri adaptari poſſint. 1mo In Meſſia *benedicendæ ſunt omnes nationes terræ*, Geneſ. 18. v. 18. *Omnes gentes ſervient ei*, Pſalm. 71. v. 11. *Ipſum Gentes deprecabuntur*, Iſai 11. v. 10. *Fluent ad eum omnes populi*, Michææ 4. v. 1. *Veniet deſideratus cunctis gentibus*, Aggæi 2. v. 8. Pſalm. 2. v. 7. Meſſias ſeu Filius Dei ſic inducitur loquens: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu ego hodie genui te. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Quæ quidem de Chriſto dicta eſſe patet Luc. 1. v. 33. *Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur; & dabit illi Dominus Deus Sedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & Regni ejus non erit finis.* 2do. Meſſias per excellentiam mittendus aut venturus dicitur in Scripturis, quòd ardentiùs à Patriarchis & Prophetis exoptaretur. Exod 4. v. 13. *Mitte,*

(*n*) *Demonſt. Evang. propoſit. 9.*

Digitized by Google

Mitte, quem miſſurus es. Iſaiæ 16. v. 1. *Emitte Agnum Domine, dominatorem terræ.* Hinc Diſcipuli Joannis Matth. 11. v. 3. ſolliciti quærunt à Chriſto: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Denique Heb. 10. v. 37. *Adhuc modicum, qui venturus eſt veniet, & non tardabit.* Quæ verba ex ſecundo capite Prophetæ Habacuc deprompta ſunt.

40 Prob. 2do Suffragiis veterum Judæorum, qui nomine *Siloh* (o) Meſſiam denotari aſſerunt; ut Chaldæi Paraphraſtæ, nempe Targum Onkeloſi, Hieroſolymitanum, & Jonathanis. Thargum Onkeloſi ſic habet: *Non auferetur habens principatum à domo Judæ; neque Scriba à filiis filiorum ejus, donec veniat Meſſias, cujus eſt Regnum, & ei obedient populi.* Thalmud Babylonicum Tractatu Sanhedrin c. 11. *Quodnam*, inquit, *nomen Meſſiæ? Siloh nomen ejus; quia dicitur donec veniat Siloh.*

41 Prob. 2da pars Concluſionis 1mo Quia in Chriſto completum fuit Vaticinium Jacobi, cui aptiſſimè convenit, & de quo illud prænuntiatum fuiſſe exitus ſeu eventus comprobavit, idque demonſtrant paulò ante laudata Scripturæ teſtimonia.

2do Quia eo ipſo tempore impleri debet ac revera impletum eſt, Chriſto adveniente, Jacobi vaticinium, quo conſtat, Regnum ſeu Sceptrum de Juda ſublatum, totamque Judæorum gentem non amplius ſui juris, ſed Romanis tributariam fuiſſe, vitæ ac necis ſeu gladii jus amiſiſſe, ac nonniſi precariò facultatem ipſi derelictam ſuis vivendi legibus, atque tandem illius ruinam conſummatam fuiſſe ac plenum excidium eidem obveniſſe. Atqui circa tempus illud, quo Chriſtus verus Meſſias mundo illuxit, hæc omnia evenêre, prout memoriâ certò compertum habemus. Equidem non uno ictu nec ſtatim tota collapſa eſt Judæorum Reſpublica, ſed quaſi per gradus concuſſa ad plenam ſuam ruinam pervenit, ita ut ſub Pompejo primus quaſi fuerit Regni libertatis ac Religionis violatæ gradus, quando, ut ait Euſebius (p), *Hieroſolymam armis expugnavit, & ad intimum usque Sacrarium progreſſus, Templum polluit*, conſtituto à Romanis Rege Judæorum Herode, quem alienigenam fuiſſe ferè unanimiter teſtantur SS. Patres & Scriptores Eccleſiaſtici: tum in deterius adhuc verſa eſt calamitas, & alter quaſi gradus ad ruinam acceſſit, cùm Archelaô Herodis filiô Viennam relegatô, Judæa in Provinciæ formam redacta, Romanis tributum ſolvere coacta eſt: tum denique conſummata Judaici Regni ruina, ac plenum excidium fuit, cùm à Tito (q) Urbs expugnata & ſolo æquata, Templum exuſtum, gens omnis diſperſa, errabunda vagatur. Porro intra iſtas labeſcentis & ad ruinam ultimam corruentis Judæorum Reipublicæ periodos, figi debet Meſſiæ adventus, nec nimis inquietò ac ſcrupoloſò animô inquirendum, ſub qua præcisè cadentis Reipublicæ Judæorum periodo advenire Meſſias debuerit, nec à nobis poſtulanda præciſa & velut mathematica determinatio futuri hujus adventus: venit Chriſtus quandò voluit, venit in plenitudine temporum, venit, cum defecit, vel paulò antequam defecerit, vel ſtatim ac defecit Sceptrum ſeu ſuprema poteſtas ex Juda, & Dux de femore ſeu ſtir-

(o) Hanc vocem derivant à verbo, quod ſignificat *mittere*, ita etiam eam interpretatur S. Joannes c. 9 v. 7. *Vade lava in natatoria Siloë, quod interpretatur miſſus.* Sic quoque eam reddit Vulgata noſtra, *Donec veniat, qui mittendus eſt.* (p) *Lib. 1. Hiſt. c. 6.* (q) Quadraginta poſt Chriſti mortem annis.

ſtirpe ejus; vox enim, *donec*, pati poteſt hos ſenſus. Ergo, &c.

42 Priusquam ſecundam, quæ inter Theologos Chriſtianos viget, difficultatem enucleandam, vel potiùs exponendam ſuſcipiamus, operæ pretium erit, paucis rationem & ordinem regiminis populi Hebræorum à ſuo ex Ægypto egreſſu usque ad Chriſti adventum texere.

Igitur Populus Hebræus ſtatim ac ex Ægypto egreſſus fuit, & Legem à Deo accepit, habere cœpit Principes, qui ex ſua gente eſſent non eadem tamen principatûs ſpecie. Qui Hebræis primùm imperârunt, fuerunt Duces, Moyſes nimirùm & Joſue, penes quos fuit rerum ſumma per annos ſexaginta ſex, neuter tamen fuit ex Tribu Juda, Moyſes enim ex Tribu Levi, & Joſue ex Tribu Ephraim originem duxerant. Ducibus ſucceſſêre Judices, qui ad Saulem usque, hoc eſt, per annos trecentos & ampliùs Hebræorum Rempublicam adminiſtrârunt. Ex quindecim Judicibus, qui ſibi invicem ſucceſſerunt, duo tantùm extiterunt, qui orti eſſent ex Tribu Juda, Othoniel & Abeſam, ut patet ex 1. Reg. c. 10. qui per annos 47. Iſraelitis jus dixerunt. Poſt hæc imperium fuit penes Reges, quorum primus fuit Saul ex Tribu Benjamin. Sauli ſucceſſit David ex Tribu Juda; à Davide usque ad captivitatem Babylonicam, hoc eſt, per annos 473. poteſtas regia manſit in Tribu Juda. Poſt reverſionem autem Hebræorum ex captivitate Babylonica usque ad Herodem (*r*) id eſt per annos viginti ſupra quingentos, Pontifices, qui erant ex Tribu Levi, principatum tenuerunt.

His præmiſſis, quæſtio eſt, qua ratione cum iis factis Prophetia Jacob cohærere poſſit: aſſerit ea nempe, principatum eſſe futurum in Tribu Juda usque ad Chriſti adventum, & tamen conſtat, ex mille & quingentis annis, qui ab egreſſu Hebræorum ex Ægypto ad Chriſtum usque fluxerunt, Tribum Juda per annos dumtaxat & ſolummodò quadringentos ſeptuaginta tres rerum ſummâ potitam fuiſſe.

Circa hanc difficultatem duæ ſunt potiſſimùm Theologorum ſententiæ. Prima eſt eorum, qui Oraculum Jacobi ad unam referunt Tribum Juda, in qua ſceptrum ſeu reipublicæ Judaicæ adminiſtrationem permanſiſſe ajunt uſque ad Meſſiæ adventum.

Altera ſententia eſt illorum, qui nomine Judæ, in laudato Vaticinio, non ſolam hujus nominis Tribum, ſed univerſam Hebræorum gentem intelligi volunt. Porro ſua cuilibet opinioni ſtat probabilitas: ſuos unaquæque, ſalva fide, patronos habet ac defenſores.

Qui primam tuentur ſententiam hac ducuntur potiſſimùm ratione: Quia vel 43
ipſa Oraculi Jacobi verba & ſcopus apertè demonſtrant, illum non de tota gente, ſed de ſolo Juda ejusque poſteris ſermonem habere. Namque 1mo Jacob viritim ſingulis filiis aliquid proprium & ſingulare prædixit: *Hæc locutus eſt eis pater ſuus, benedixitque ſingulis benedictionibus propriis*, Geneſ. 49. v. 28. Ergo cùm Judam appellat, & ad eum ſermonem dirigit, non totam ſpectat gentem, ſed Judam ipſum, ejusque poſteros; aliàs Judas nihil proprium nihil ſingulare accepiſſet. 2do. Sanè quæ de Ruben, ac aliis Jacobi filiis Geneſ. 49. leguntur, de ſolis Tribubus Ruben, Benjamin cum aliarum excluſione intelliguntur: cur ergo quæ eodem capite de Juda dicuntur, non intelligentur de ſola Tribu Juda, hoc eſt, de Tribu Juda cum aliarum excluſione? 3tio Disertè Judas illic à cæteris ſuis

(*r*) Seu adventum Chriſti.

ſuis fratribus diſtinguitur v. 8. *Juda, te laudabunt fratres tui : manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui*, atque apertum eſt, de ſola & ſingulari Judæ perſona & Tribu eſſe intelligenda, ut & hæc alia v. 11. *Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem, ô fili mi, aſinam ſuam*, quibus ſignificatur fertilitas terræ, quæ ipſi in ſortem obventura erat. Ergo & hæc *Non auferetur &c*, quæ ſunt intermedia, ſeu inter illos duos textus poſita ad alium quàm ad Judam ipſum ejusque ſingularem Tribum referri meritò non poſſunt. 4to. Verba iſta, *Et dux de femore*, id eſt, *ſemine ejus*, intelligi vix poſſunt, ſi non de ſolo Juda ejusque poſteris, ſed de tota gente dicta fuêre: tota enim gens ſeu natio Judaica ex Juda orta non eſt; neque quisquam naſci dicitur *ex femore* nationis, ſed ex femore illius, qui gentis caput & parens eſt, qualis erat Judas Tribus ſuæ auctor & princeps. 5to. Nulla fuit ratio, cur Jacob Tribui Juda adſcribere voluit, quæ ei cum aliis Tribubus futura erant communia. Ergo Oraculum Jacobi, inquiunt, ad ſolam Tribum Juda excluſis aliis refertur, idque vi ipſiusmet Oraculi verborum.

44 Hæc plana quidem videri poſſent, niſi quædam obeſſent, quibus oſtendere ſe arbitrantur adverſæ ſententiæ patroni, Oraculum iſtud Jacobi de ſceptro in Tribu Juda non defuturo, donec veniat Meſſias, intelligi nec poſſe nec debere. 1mo. Quia, prout ex initiô deductâ Regiminis Hebræorum ab illorum ex Ægypto egreſſu hiſtoriâ patet, tardiùs incepit ſceptrum illud in Tribu Juda: ante Davidem enim nullus extitit ex Tribu Juda Rex Hebræorum. 2do. Citiùs & longè ante Chriſti adventum ſceptrum defeciſſe dici deberet in Tribu Juda, tum tempore captivitatis Babylonicæ, tum ſoluta captivitate Babylonica, nam iis temporibus Tribus Juda nullum jus habebat ad ſceptrum ſeu Reipublicæ Judaicæ adminiſtrationem: illud enim delatum fuerat ad Chaldæos, & poſteà ad Aſſamonæos ſive ex electione populi, ſive jure præſcriptionis, qui à morte Zorobabelis usque ad Chriſti adventum eo potiti ſunt; fuêre autem non ex Tribu Juda, ſed ex Tribu Levi. Hoc autem repugnat Oraculo Jacobi, prout attendenti patet. 3tio. Si Vox *Juda* in prophetia Jacob de ſola Tribu Juda intelligi debeat, tunc eo tempore, quo Chriſtus veniſſe dicitur, nondum venire debuiſſet, quia tunc Judæis legibus ſuis ac ritibus liberè adhuc licebat vivere, ſiquidem venire non debuit niſi poſt completum Jacobi Oraculum, quod tunc nondum completum erat, ſed primùm ſexaginta, atque ampliùs poſt annis, quando nimirum expugnatâ & everſâ per Titum Hieroſolymâ, nulla regiminis ac Reipublicæ inter Judæos forma ampliùs relicta fuit.

Sed Reſpondent primæ hujus ſententiæ patroni, ad 1mum. In vaticinio Jacobi de iſto initio ſceptri ſeu Reipublicæ adminiſtrationis in Juda non eſſe ſermonem, ſed de ejus fine ac ceſſatione, quapropter nihil ad propoſitum facit, quòd tardiùs ſceptrum illud ſeu Reipublicæ adminiſtratio in Juda inceperit.

Ad 2dum dicunt, ſuæ ſententiæ nihil officere, quòd tempore captivitatis Babylonicæ rebus Judaicis præfuerint Chaldæi, ſoluta autem captivitate poſt Zorobabelem, Aſſamonæi ſeu Machabæi ex tribu Levi oriundi; nam primi per Nabuchodonoſorem Regem per vim ſceptrum abſtulerant à Tribu Juda, adeoque nihilominus Tribus Juda jus & proprietatem ad illud retinuit; enimverò jus ad ſceptrum non eripitur à Principe, qui per vim è ſuo ſolio deturbatur; jus autem ad ſceptrum in Davidis perſona

ſona divinitùs conceſſum fuerat Tribui Juda uſque ad Meſſiæ tempora; proinde nulla vis, nulla populi electio, nulla præſcriptio, contra Dei ordinationem valere poſſunt, unde etiam regnantibus Aſſamonæis, qui erant ex Tribu Levi, jus ad ſceptrum ejusque proprietas ablata non fuerat à Tribu Juda, adeoque ſceptrum reſedit primariò penes Tribum Juda, ſecundariò verò & miniſterialiter ſeu uſuſructûs ratione penes Tribum Levi. Sic olim Romani dicebantur imperare, licèt non rarò exteri, ut Trajanus Hiſpanus, ſceptrum apud illos tenerent; & noſtra ætate in Polonia Dux Saxonum natione Germanus, regiô titulô potitus eſt, ſed ab illa gente acceptô, ut illius nomine & auctoritate communi bono invigilaret. Neque hoc argumento uti poſſunt Judæi, ut probent Meſſiam nondum veniſſe, dicendo ſcilicet, Tribum Juda etiam nunc jus habere ad ſceptrum, ac proinde illud in ea nondum defeciſſe, conſequenter nondum impletum eſſe Jacobi Oraculum. Eversa enim per Titum Urbe Hieroſolyma nulla amplius ſervata, ut priùs, fuit, nec modò ſervatur, nec ſervari poteſt Tribuum diſtinctio, quæ tamen tum in captivitate Babylonica, tum poſt captivitatem illam ad Chriſtum uſque in ſcriniis publicis tam Hieroſolymis in Templo, quàm in aliis regionum locis diligentiſſimè ſervata fuit: unde nec Regni Judaici proprietas, nec ſpes recuperandi illius uſum, in Tribu Juda reperitur.

Ad 3tium ajunt, non tam ſcrupuloſè inquirendum eſſe, ſub qua præciſè cadentis Judæorum Reipublicæ periodo advenire Meſſias debuerit; ſenſum ergo Oraculi non eſſe, quòd Meſſias venturus non ſit niſi ablatô penitùs à Tribu Juda ſceptrô: ſed ſenſus eſt, quòd circa tempus, quo auferri debet, ſit in lucem proditurus: neque enim particula illa, *Donec*, ſemper in Scripturis ſignificat rem, quæ aſſirmatur, tum præciſè deſituram, cùm id evenerit, quod particulæ, *Donec*, ſubjicitur; eo ſenſu dicitur Job. 27. *Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea.* Vide quæ ſup. Prob. 2dæ partis Concluſionis noſtræ diſſeruimus num 41.

Qui ſecundam ſententiam propugnant, 45
his præcipuè ducuntur momentis, 1mo. Quia per ſceptrum ſeu virgam, quæ imperii Symbolum eſt, intelligi ſolet dominatus quilibet, ſeu ea adminiſtratio, qua quis ſui juris eſt ſuisque legibus vivit, non alienis; per Judam autem, non ſola hujus nominis Tribus, ſed tota Judæorum natio, cui illa nomen dedit. Ita Jerem. 23. v. 6. *In diebus illis ſalvabitur Juda, & Iſrael habitabit confidenter.* Nomine Judæ univerſam gentem Judæorum hìc denotari, certiſſimum eſſe ajunt, quidni ergo & in vaticinio Jacobi, per *Judam* univerſa quoque natio intelligenda erit? 2do. Quia hæc expoſitio rectè cohæret cum veritate hiſtoriæ. Siquidem à ſoluta captivitate ex Ægypto usque ad Chriſtum ſemper extitit aliquis natione Judæus, qui genti præfectus fuit; ſemper Judæi ſui juris fuêre, ſuisque vixêre legibus, ſi annos 70. Babylonicæ captivitatis excipias, quo etiam tempore vivebat Jechonias Rex, quem Judæi tanquam Regem venerabantur, quantùm permittere poterat præſens eorum ſtatus (s): ſed hac captivitate liberati, & obtentâ à Cyro redeundi in patriam licentiâ, non alio, quàm domeſtico, regimine Judæi vixerunt.

(s) Communiter aſſerunt Theologi rationem habendam non eſſe 70. annorum illorum, quibus duravit captivitas Babylonica; utpotè quibus non extinctum ſed intermiſſum aliquatenùs duntaxat fuit Judæorum Regnum cum ſpe illud recuperandi ac repetendi, prout prædixerat Jerem c. 29. Deinde etiam in illo interregno, ommiſsò, quòd Jechoniam, quem Evilmerodach Rex Babylonis è carcere eductum in ſummo honore ad obitum usque ſuum habuit, 4 *Reg* c. 25 ut Regem ſuum venerarentur, ſuprema poteſtas, ſeu jus vitæ & necis penes Judæorum Principes reſedit, ut patet ex hiſtoria Suſannæ, *Daniel.* c. 13.

Digitized by Google

46 Verùm huic ſententiæ officere videtur multiplici ratione Oraculum Jacobi, prout ſupra expoſuimus. Sed Reſpondent hujus ſententiæ patroni 1mo. propriam equidem & ſingularem eſſe in Oraculo Jacobi pro Juda benedictionem, quia tum ipſe tum ejus Tribus ſupra cæteras ſingulari prærogativá decorata ſemper fuit, 1mo. Quia hæc Tribus fuit Regno deſtinata, penes quam diu ſtetit ac floruit. 2do. Poſt captivitatem Babylonicam toti genti nomen dedit: ſola quippe Tribus Juda integra remanſerat, cujus quædam veluti acceſſio fuit Tribus Levi, & dimidia Tribus Benjamin. 3tio. Eo ipſo tempore, quo rerum ſumma penes Aſſamonæos aliosve Sacerdotes fuit, regio ipſa, ſedes regni, ſubditi fermè omnes erant de Tribu Juda. 4to. De ipſa Tribu Juda naſciturus erat Meſſias. 5to. Denique, vel ab initio Tribus illa cæteris ſingulari privilegiô antepoſita fuit: primas enim tenuit in caſtris metandis, Num. 2. v. 3. in iisdem mutandis, Num. 10. v 14. in offerendis Deo muneribus, Num. 7. v. 11. in recenſione Tribuum, Num. 34. v. 19. in diviſione terræ Chanaan, Joſue 15. v. 13. Denique in bellis adversùs Chananæos gerendis, Judic. 1. v. 2. & 19.

2do ajunt, difficultatem conciliandi veritatem hiſtoriæ cum prophetiæ eventu eos adigere, ut verba illa intermedia, *Non auferetur*, ad totam gentem referant, non ad ſolam Tribum Judæ: ſiquidem, ut ſupra obſervatum eſt, quingentis annis ante nativitatem Chriſti de Tribu Juda ſceptrum defecerat, regnantibus ſcilicet Machabæis, proinde ſtare non poſſe prophetiæ veritatem, tunc nempe venturum Meſſiam, cùm Sceptrum de Juda defecerit.

3tio. Non eo ſenſu, *Dux de femore* Judæ nunquam defuturus dici poteſt, quòd ſerie non interrupta ſemper de Tribu Juda ſucceſſuri eſſent Reges usque ad Meſſiæ adventum: repugnat enim manifeſtè ſenſus iſte hiſtoriæ veritati: ſed dux de ſemore Judæ dicitur non defuturus usque ad Meſſiam, tùm quòd Jure hæreditario regnum ad illam Tribum pertineret, in qua diu perſeveravit; tum quòd toti genti Judas nomen dederit, in qua ſuprema regiminis auctoritas usque ad tempora Chriſti viguit, ac permanſit. Ex his apertum eſſe concludunt, qua ratione Jacob per ſuum vaticinium Tribui Judæ adſcribere viſus ſit, quæ ei cum aliis Tribubus futura eſſent communia.

Hæc ſecundæ ſententiæ patroni, quæ nos, quantùm poſſunt, etiam valere jubemus; atque etiam per nos licèt, ut adducta ab ipſis Jeremiæ prophetia circa Meſſiam venturum, univerſam Judæorum gentem ſignificet, quamvis textus ipſe ſeparatim ac diſtinctim Tribum Judam commemoret. Quodſi tamen alterutram amplecti conſultum duceremus, profectò priori potiùs, quàm iſti manus daremus, illa enim verbis Oraculi à Jacobo prolati magis conſona videtur, imò ultimæ ſententiæ patroni in ſuis ad prioris ſententiæ argumenta reſponſionibus quædam proferre videntur, quibus prior confirmari videtur, nempe ſceptri Judaici jus & proprietatem penes Tribum Judæ permanſiſſe, quamvis ex alia Tribu Principes genti huic imperaverint.

ARGUMENTUM II. 47

Ex Prophetia Danielis c. 9. depromptum.

Cùm Propheta Daniel, fuſis ad Deum precibus, ſupplex poſtularet populi à duriſſima captivitate Babylonica liberationem, exauditus à Deo, Gabrielis Archangeli miniſteriô cognovit, non tantùm quo tempore populus liberandus foret

Digitized by Google

foret à temporali captivitate, ſed etiam quo advenire deberet Meſſias, qui populum ſuum à captivitate ſpiritali Dæmonis liberum, in libertatem filiorum Dei erat aſſerturus, notatis ferè ſingulis adventûs, paſſionis & mortis Chriſti circumſtantiis. En verba prophetiæ, c. 9. v. 24. & ſequentibus.

Tu ergo animadverte ſermonem, & intellige viſionem. (t) Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam, ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum.

Scito ergo & animadverte: (u) Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem, usque ad Chriſtum ducem, hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt: & rurſum ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum.

(x) Et poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus: & non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt. Et civitatem & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo: & finis ejus vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio.

(y) Confirmabit autem pactum multis hebdomadâ unâ, & in dimidio hebdomadæ deficiet hoſtia & ſacrificium: & erit in Templo abominatio deſolationis & usque ad conſummationem & finem, perſeverabit deſolatio.

Hæc Daniel, ad quæ S. Hieronymus, in proëmio in eundem Prophetam, *Illud commoneo*, inquit, *nullum Prophetarum tam apertè dixiſſe de Chriſto. Non enim ſolùm ſcribit eum eſſe venturum, quod eſt commune cum cæteris; ſed etiam quo tempore venturus ſit, docet, & Reges per ordinem digerit, & annos dinumerat, & manifeſtiſſima ſigna prænuntiat.* Et in c. 9. ejusdem Danielis adducit teſtimonium Julii Africani aſſerentis, omnes Scriptores usque ad ſuam ætatem, hoc eſt, ad ſecundum & tertium ſæculum, hanc prophetiam de Chriſto fuiſſe interpretatos. *Nulli dubium,*

(t) Hic intelliguntur hebdomades annorum, quarum una ſcilicet ſeptem annos complectitur. Annus civilis Hebræorum incipit in autumno; Sacer verò in vere; hic de Annis ſacris eſt ſermo.

(u) Id eſt ab edicto Artaxerxis Longimani Perſarum Regis, datum 20mô annô Regni ejus menſe Niſan, cujus prima dies reſpondet lunationi menſis Martii, an. mundi 3550. ante Chriſtum natum 450. ante æram 454. 2. Esdræ c. 8. intra hedomades ſeptem, id eſt, annos 49 abſoluta eſt ſtructura civitatis Jeruſalem.

(x) Poſt alias 62. hebdomades, id eſt poſt annos ab illis 49. annis, 434 adeoque ab edicto Artaxerxis 483. annos, expletis nempe 70. annorum hedomadis declaratus eſt Chriſtus, & poſteà, id eſt, poſt tres annos occiſus eſt, nempe in medio hebdomadæ, quæ ſexaginta duas illas excepit, id eſt, annô 4tô hujus ſeptem annorum hebdomadis.

(y) Poſtquàm prioribus tribus illius annis legem novam prædicatione ſua confirmaſſet. &c. adeoque anno mundi 4037. an. verò Chriſti 37 Æræ Chriſtianæ 33. Porro quatuor à Regibus Perſarum in gratiam Judæorum data fuerunt edicta: Primum à Cyro annô imperii ſui primô, qui incidit in annum mundi 3469. ante Chr. 519. ante Ær. 523. 1 Esdræ c. 6. v. 3. Secundum à Dario Hyſtaſpe an. m. 34 86. ante Chr. 514. ante Ær. 518. quo prius Cyri edictum confirmatur, 1. Esd. c. 6. Tertium ab Artaxerxe Longimano annô Regni ejus 7mô m. 3537. ante Chr. 463. ante Ær. 467. 1. Esd. c. 7. v. 7. Quartum denique, & de quo intelligi debent verba hæc Danielis *ab exitu ſermonis*, id eſt, edicti, ab eodem Artaxerxe annô imperii ipſius 20mô. 2. Esd. c. 2. v. 1. emanatô, quod Nehemias ſecum in patriam annuente Artaxerxe redeuns attulit.

bium inquit, *quin de adventu Chriſti prædictio ſit*, *qui poſt ſeptuaginta hebdomadas mundo apparuit* : quod & conſequentium Patrum unanimis conſenſio confirmavit, qua de re videri poteſt S. Auguſtinus, Epiſt. 199. aliàs 80. Quin & ipſe Chriſtus Dominus Matth. 24. hanc prophetiam de primo ſuo adventu intelligendam docet. *Cùm ergo videritis*, inquit, *abominationem deſolationis*, *quæ dicta eſt à Daniele Propheta*, *ſtantem in loco ſancto . . . tunc qui in Judæa ſunt*, *fugiant ad montes.* Et Luc. 21. *Cùm videritis circumdari ab exercitu Jeruſalem*, *tunc ſcitote*, *quia appropinquavit deſolatio ejus.*

Veteres quoque Judæos Meſſiam hìc à Daniele prænuntiatum fuiſſe ultrò agnoviſſe teſtatur S. Hieronymus loc. cit. Id quoque agnoſcunt ex Rabbinis recentioribus non pauci, quamvis inter hos longè plures ſint, qui diſtortas omninò & obliquas illius vaticinii interpretationes excogitârunt, quas ſuô locô refellemus. Sit igitur

CONCLUSIO.

48 Danielis Vaticinium de Chriſto Meſſia intelligi debet, atque in eo impletum fuit.

Prob. Illud vaticinium de illo ſolo intelligi debet atque in eo completum eſt, cui ſoli adoptari poſſunt characteres omnes à Daniele delineati. Atqui ſoli Chriſto vero Meſſiæ adoptari poſſunt characteres à Daniele delineati. Ergo.

Prob. min. Qui venturus à Daniele prædicitur, antonomaſticè ſeu per excellentiam Chriſtus nominatur ; Dux ſeu Princeps ; Sanctus ſanctorum ; qui peccatum expiaturus eſt ; qui eſt juſtitia ſempiterna, quam ſecum eſt adducturus ; auctor novi foederis, ſub quo vetera ſacrificia ſunt abroganda ; qui occidendus eſt, & poſt cujus mortem Templum eſſet evertendum. Atqui hæc omnia in Chriſto ad litteram impleta ſunt, poſt expletas hebdomadas 70. à Daniele deſignatas, prout innumera penè tùm Scripturæ ſive Veteris ſive Novæ, tùm Hiſtoriæ ſive ſacræ ſive profanæ monumenta perhibent. Ergo, &c.

Et verò prophetiam hanc ex omni parte in Chriſto impletam cernunt vel ipſi Judæi ; atque ut à lætis, quibus Angelus Danielem conſolatus eſt, exordiamur : pactum ſeu novum Teſtamentum confirmatum eſt ; nam multis dedit Deus Spiritum ſuum in viſceribus eorum, conteſtantibus variis ſignis & prodigiis, Petrus piſcator rete ſuum extendit ſemel & iterum, & octo millia ſimul traxit ad Chriſtum, Act. 2. v. 41. & c. 4. v. 4. augebatur quotidie credentium numerus, ibid. c. 5. v. 14. In his omnibus finem accepit peccatum, & effloruit juſtitia, atque, ut verbis propheticis utamur, Judæis in primis Chriſti diſcipulis factus eſt velut ros vivificus ſuper univerſam faciem terræ : ubique juſtitia & ſanctitas germinavit ; cœperunt gentes concurrere ad montem Domini, dicentes Judæis : Tantummodò inter vos invocatus eſt Deus, venerunt ex Africa & Lydia, ex Italia & Græcia, & ex Inſulis procul, Iſai. 66. & quidem in tanta multitudine, ut conqueri viderentur, quaſi anguſtus eſſet locus, & diceretur ad novam Jeruſalem : *Dilata locum tentorii tui*, *& pelles tabernaculorum tuorum extende*, *ne parcas.* *Iſai.* 54.

His lætis ſubjungit Angelus triſtia de Judæis incredulis : negârunt Chriſtum, qui & ab iiſdem occiſus eſt, atque in pœnam tanti ſceleris, remanſerunt ſine Rege & Principe, ſine ſacrificio : ſecuta eſt talis abominatio in templo, qua major eſſe non potuit, ſive cùm Fanatici illud repleverunt homicidiis, ſacrilegiis, & omni genere ſpurcitiarum, ut refert Joſephus ipſe ; ſive cùm Romani ſub Veſpaſiano & Tito Fanaticos illos expugnâ-

pugnârunt, Templum ſuffoderunt, & incenderunt, eamque Judæorum ſtragem ediderunt, quæ & horrorem incutiat belli Judaici hiſtoriam apud Joſephum legentibus, & veritatem prophetiæ Chriſti demonſtret. *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi*, Matth. 24. Et Luc. 21. *Quia dies ultionis ſunt, ut impleantur omnia, quæ ſcripta ſunt.* Denique ad viſionis complementum perſeverat Judæorum diſperſio & ſervitus, talis deſolatio Templi, & urbis vaſtitas, ut ex iis non remanſerit lapis: nam quæ nunc extat Jeruſalem, non eſt illa, quæ Chriſti tempore extabat, ſed eſt alia, quam Elius Adrianus Romanorum Imperator ædificavit; unde ab ejus nomine Elia vocata eſt.

49 ARGUMENTUM III.

Ex Aggæo & Malachia Prophetis deſumptum.

Aggæus Zorobabelem & alios Judæos Babylone reduces ad reædificandum Templum his promiſſis accendit Prophetiæ ſuæ c. 2. v. 4. & ſeq. *Quis in vobis eſt derelictus, qui vidit domum iſtam in gloria ſua prima? Et quid vos videtis hanc nunc? Numquid non ita eſt, quaſi non ſit in oculis veſtris? . . . Hæc dicit Dominus exercituum. Adbuc unum modicum eſt, & ego commovebo cælum, & terram, & mare, & aridam; & movebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus: & implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum eſt argentum, & meum eſt aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus iſtius noviſſimæ plusquam primæ, dicit Dominus exercituum, & in loco iſto dabo pacem.* Clarum eſt, Prophetam eo loci Templum ſecundum cum primo comparare, atque ſecundum hoc, quamvis ſtructuræ vilioris, quàm alterum, adeò, ut, prout Aggæus c. 2. v. 4. loquitur, quaſi non eſſet in oculis Judæorum, qui primum viderant, illo tamen præſtantius & excellentius in eo eſſe, quòd *venturus ſit deſideratus cunctis gentibus*, pacem ſecum aſſerens, qui præſentiâ ſuâ novum iſtud Templum illuſtraturus eſt. Hoc ipſum confirmat Malachias, qui unacum Aggæo & Zacharia Judæos divinis pollicitationibus ad Templi reædificationem impellens ſic eos affatur, c. 3. v. 1. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam; & ſtatim veniet ad Templum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus Teſtamenti, quem vos vultis.*

Unde ſic arguimus: Major prædicitur futura ſecundi Templi gloria, quàm primi, atque ſtatim ac Templum iſtud ſecundum, quod prophetante Aggæo inchoabatur, abſolutum fuerit, in illud Meſſias venturus dicitur; *ſtatim veniet ad Templum ſuum Dominator*, ait Malachias. Atqui non aliunde Templi ſecundi gloria major futura erat, quàm quòd præſentiâ ſuâ Meſſias illud ornaturus eſſet, *ſtatim veniet ad Templum ſuum*; ſi *ſtatim*, non ergo poſt tot annorum millia, ut ajunt Judæi. Unde duo hîc omnibus ſunt perſpecta, 1mo jam diu abſolutũ fuiſſe ſub Zorobabele Templum illud ſecundum ad quod venire debuit Meſſias. 2do. jam diu ſub Tito illud funditùs dirutum fuiſſe, absque ulla inſtaurationis ſpe. Ergo concludendum, jam diu adveniſſe Meſſiam, quem fruſtra illi adhuc venturum expectant.

Neque verò diffiteri poſſunt Judæi, quin in hoc utroque vaticinio de Meſſia ſermo ſit. In quem enim alium cadere poſſent notæ ac characteres, quibus depingitur? Quis præter ipſum futurus erat gentium expectatio, pacis auctor, & novi fœderis Angelus? Quis *in Templum ſuum venturus*, & ad cujus adventum

tum cœlum & terra commovenda erant? Unde major hujus ſecundi Templi, ad quod venturus erat, gloria, quàm ex ipſa Meſſiæ præſentia & majeſtate? Quæ porro illa pax, quam Templi Dominator allaturus erat? Non terrena certè ac temporalis: nemo enim ignorat, & Templum hoc ſecundum violatum fuiſſe à Seleuco, Antiocho, Pompejo, & Tito; Judæos multis malis oppreſſos fuiſſe, atque etiamnum triſtem & ignominioſam ubique vitam trahere. Pax ergo illa ſpiritualis ac cœleſtis erat futura, quam ipſi Angeli natô Meſſiâ populis annuntiarunt, Luc. 2. v. 14. *Gloria in altiſſimis Deo & in terra pax hominibus, &c.*

50 ## ARGUMENTUM IV.

Jam præteriti adventûs Meſſiæ, ex ſignis, quæ adventum ejus aut comitari, aut ſubſequi debuerunt.

Firmum & inconcuſſum eſt, quod ex illis ſignis ſumitur contra Judæos adventûs Meſſiæ argumentum, adeò ſcilicet ſplendida ſunt, & ad omnem obſtinati animi pertinaciam frangendam comparata. Spectantur autem illa ſigna, ex parte tum Meſſiæ, tum Judæorum, tum denique Gentilium.

51 ### *Ex parte Meſſiæ.*

1mo. Naſci debuit ex Virgine: Iſa. 7. v. 14. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium; & vocabitur nomen ejus Emanuel.* Cui oraculo conſonat iſtud Jerem. 31. v. 22. *Creavit Dominus novum ſuper terram, foemina circumdabit virum.* Quod oraculum impletum eſſe teſtatur Matthæus, c. 1. v. 22. & 23. his verbis: *Hoc autem totum factum eſt, ut adimpleretur, quod dictum eſt à Domino per Prophetam dicentem: Ecce virgo in utero habebit, & pariet filium: & vocabunt nomen ejus Emanuel, quod eſt interbretatum Nobiscum Deus.*

2do. Meſſias naſci debuit in urbe Bethlehem. Michææ 5. v. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui ſit Dominator in Iſrael, & egreſſus ejus ab initio à diebus æternitatis.* Quod impletum fuiſſe narrat S. Matth. c. 2. v. 1. *Cùm natus eſſet Jeſus in Bethlehem Juda.* Et v. 5. & 6. ſciſcitatur à Judæis Herodes, *ubi Chriſtus naſceretur?* at illi dixerunt: *In Bethlehem Judæ: ſic enim ſcriptum eſt per Prophetam:* poſtea referunt mox laudata Michææ verba, ſed paulò aliter, quàm apud hunc Prophetam leguntur, quamvis prorsùs idem ſit eorum ſenſus, quorum verba refert Matth. eodem cap. v. 6. Accuratè igitur exitus ſeu eventus prophetiæ reſpondet.

3tio. Futurus Meſſiæ adventus inter tempora quatuor nobiliſſimorum Orbis imperiorum, hoc eſt, Aſſyriorum, Perſarum, Macedoniorum, & Romanorum apertè aſſignatur à Daniele c. 2. *In diebus autem regnorum illorum*, ait ipſe v. 44. *Suſcitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem & conſumet univerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum.* Et c. 7. poſtquam illa quatuor regna quatuor variis beſtiis deſignavit, ſic pergit, v. 13. & ſeq. *Aſpiciebam ergo in viſione noctis, & ecce cum nubibus cœli, quaſi filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit; & in conſpectu eorum obtulerunt eum. Et dedit ei poteſtatem, & honorem & regnum, & omnes populi, tribus, linguæ ipſi ſervient: poteſtas ejus, poteſtas æterna, quæ non auferetur; & regnum ejus, quod non corrumpetur.... Hæ quatuor beſtiæ magnæ, quatuor ſunt regna, quæ conſurgent de terra.*

Hìc divinus Vates certè non alium deſignat, quàm Meſſiam. Non alius tunc temporis univerſa Orbis imperia jugo

ſuo

Digitized by Google

ſuo ſubjecit; non alius cujus regnum usque in ſæculum ſæculorum & in æternum eſſet duraturum; deinde ſub imagine quatuor beſtiarum deſcribit Daniel quatuor regna à filio hominis conterenda. Atqui contrita ſunt illa regna. Ergo Meſſias venit. Vide Huet. Prop. 7. n. 20. pag. mihi 638.

Pervulgata apud omnes homines erat opinio circa hoc tempus, versùs annum ſcilicet mundi quater milleſimum, Meſſiam venturum, atque ab omnibus tunc temporis expectabatur. Ita Simeon, Luc. 2. v. 25. ita illi, quos ibidem (z) alloquitur Anna Propheteſſa, expectabant conſolationem Iſrael. Ubi prædicare cœpit Joannes Baptiſta, Synagoga miſit Sacerdotes & Levitas ad eum, ut eum interrogarent, num eſſet Chriſtus, Joan. 1. v. 15. & 19. Et ipſemet Joannes hac ſpe plenus, Math. 11. v. 3. duos è ſuis diſcipulis miſit ad Chriſtum, qui ab eo poſtularent, an ipſe eſſet, qui venturus erat, vel an alium expectare deberent? *Invenimus Meſſiam*, ait Andreas, Joan. 1. v. 41. Et *Scio*, inquit Mulier Samaritana, ibid. c. 4. *quia Meſſias venit*. Herodiani (Judæorum Secta) impia adulatione Herodem pronuntiabant Meſſiam (a) Plures Pſeudoprophetæ, de quibus in Actis Apoſtolorum, ut Simon Magus; & in hiſtoria Eccleſiaſtica, ut Barchochebas, pro Meſſia voluerunt haberi, quod ante tempora illa fuerat inauditum. Quin & apud Gentiles percrebuerat ille rumor. Cicero lib. 2. de Divinatione ſic ſcribit de *Rege tunc prodituro, & à Romanis ſuſcipiendo, ſi ſalvi eſſe vellent*. Cecinit Virgilius Eclogâ 4. de progenie è cœlo ventura, & aureo ſæculo mox reducendo. Suetonius in Veſpaſianum, c. 4. *Percrebuerat*, inquit, *Oriente toto vetus & conſtans opinio eſſe in fatis, ut eo tempore Judæâ profecti rerum potirentur*. Denique Tacitus lib. 5. Hiſt. ſcribit: *Perſuaſio inerat antiquis Sacerdotum litteris contineri, eo ipſo tempore fore, ut valeſceret Oriens, profectique Judæâ rerum potirentur*. Quapropter adeo confidebant Judæi, tunc ſuum Regem Meſſiam venturum eſſe, à quo excuſſô Romanorum jugô liberandi forent, ut bellum adversùs Romanos tunc temporis ſuſceperint: ita rerum eventus divina providentia diſponente, ut quæ decreta fuerat in pœnam rejecti & occiſi Meſſiæ, ultima & conſummata eorum ruina & deſolatio, eorum temeritati imputaretur. Ita Joſephus lib. 3. de bello Judaico, c. 28. & lib. 7. c. 31. vid. Huet. prop. 9. c. 8. à pag. 722.

4to. Signa jam diu præteriti Meſſiæ adventûs ſunt defectio Solis, terræ concuſſio, mortuorum reſurrectio, aliaque ſtupenda prodigia, quæ in morte Chriſti universâ ſpectante plebe, contigêre, ſicut Evangelica Hiſtoria fidem facit, & quæ jam diu prænuntiata fuerant. Solis deliquium prædixerat Amos, c. 8. v. 9. *In die illa*, inquit, *occidet Sol in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis*. Solemnis illa, quæ contra

(z) v. 38. (a) Alii Herodianos volunt fuiſſe Judæ Gaulonitæ ſeu Galilæi diſcipulos, qui in *diebus profeſſionis*, nempe censûs ab Auguſto indicti turbas in Judæa moliti ſunt. Judas hic Iſraelitas utpotè Dei populum, nulli hominum jugo ſubjectos eſſe docebat: hæc jactitans plures fefellit. Clientes ipſius alii *Galilæos* appellabant, quòd Gaulon in ſuperiori Galilæa ſita eſſet; alii *Herodianos*, quòd ea urbs Herodi Antipæ pareret. Nullo peculiari nomine apud Joſephum deſignantur, ſed tanquam Judæ Gaulonitæ clientes, & libertatis amatores illos deſcribit; cæterùm ad Phariſæorum opiniones eos accedere ait, Antiquit. l. 18. c. & de bello Judaico l. 2. c. 12. Neque Herodiani in Evangelio alio charactere, quàm Judæ diſcipuli apud Joſephum notantur. Hoſce Hæreticos arguit S. Paulus, teſte S. Hieronymo in Epiſt. ad Tit. c. 3. dum obedientiam Sæcularibus Principibus à Deo conſtitutis enixè commendat.

naturæ leges eclypſis contigit in plenilunio, ac inſolitus terræ motus narratur à Phlegonte, lib. 13. Olympicorum Chronicorum, atque in aliis Ethnicorum Commentariis reperiri teſtatur Euſebius in Chronic. quos inter præcipua eſt Thalli auctoritas, quem librô 3. Hiſtoriarum ſuarum eamdem eclypſim memorare ſcribit Africanus. Undè Tertullianus, Apolog. c. 21. cauſam Chriſtianorum apud Paganos agens, in teſtimonium & probationem hujus miraculi ad ipſorum Tabularia & publica inſtrumenta provocat. *Eodem modo*, inquit, *dies medium orbem ſignante Sole ſubducta eſt: deliquium putaverunt, qui id quoque ſuper Chriſto prædicatum neſcierunt; & tamen eum mundi caſum relatum in archiviis veſtris habetis.*

52 *Signa ex parte Judæorum.*

1mo. Stante adhuc Judæorum Republica, necnon vigente Legis ac Sacrificiorum uſu venire debuit Meſſias, ac re ipſa venit. Iſa. 8. v. 14. *Erit vobis in ſanctificationem. In lapidem autem offenſionis, & in petram ſcandali, duabus domibus Iſrael; in laqueum & in ruinam habitantibus Jeruſalem.* Ad quæ verba alludunt S. Lucas, c. 2. v. 34. & S. Paulus, Rom. 9. v. 31. Rurſus Iſaias c. 28. v. 14. & 16. *Audite verbum Domini, viri illuſores, qui dominamini ſuper populum meum, qui eſt in Jeruſalem . . . . Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretioſum in fundamento fundatum.* Item Malachias, c. 3. v. 1. *Veniet ad Templum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus Teſtamenti, quem vos vultis.* Ergo ſtante adhuc Templo ſecundo, ac vigente Religionis ac Sacrificiorum exercitio, venire debuit Meſſias, ac de facto veniſſe illum teſtantur Evangeliſtæ.

2do. Poſt occiſum Chriſtum, quem Judaica perfidia turpiſſima & crudeliſſima morte affecit, gens tota in poenam tanti ſceleris diſſipanda fuit, ac triſtiſſima ſervitute ubique premenda, ſine ulla Tribuum diſtinctione, ſine Duce, ſine Templo, ſine Sacrificiis; quod etiam ad litteram à Prophetis prædictum fuit, & jam diu impletum videmus. Daniel. 9. v. 26. *Non erit populus, qui eum negaturus eſt; Et civitatem & ſanctuarium diſſipabit populus cum Duce venturo.* Populus ille venturus ſunt Romani, Dux verò Titus, qui Jeruſalem expugnavit ac funditùs diruit, ut verè dixerit Chriſtus: *Non remanebit lapis ſuper lapidem.* Cujus prophetiæ complementum jam à mille ſeptingentis & ampliùs annis triſti experientiâ ſentiunt Judæi; ad quod ſi miſera gens vel leviter attenderet, procul dubio intelligeret, jam diu adveniſſe Meſſiam ab ipſis rejectum ac morti traditum, necnon fruſtrà prorſus & in vanum ab ipſis venturum expectari.

Ex parte Gentilium. 53

Illuſtre ex parte Gentilium argumentum adventûs Meſſiæ petitur ab extincto ſcilicet idolorum cultu, & converſione Gentium ad veri Dei notitiam & adorationem. Geneſ. 12. v. 3. *In te benedicentur omnes cognationes terræ.* Et c. 49. v. 10. *Non auferetur ſceptrum de Juda . . . . donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Pſal. 2. v. 8. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Iſa. 2. v. 2. & ſeq. *Erit in noviſſimis diebus præparatus mons domûs Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes . . . . . . Incurvabitur ſublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum, & elevabitur Dominus ſolus in die illa, & idola penitùs contererentur.* Et c. 31. v. 7. *In die illa abjiciet*

Digitized by Google

jiciet vir idola argenti ſui, & idola auri ſui, quæ fecerunt vobis manus veſtræ in peccatum. Jam verò negare non poſſunt Judæi, diu jam toto terrarum orbe extinctam eſſe idololatriam; Legem Chriſti ad omnes ferè gentes ac nationes pervaſiſſe; ejus Eccleſiam circumquaquè diffundi, atque in conſpectu omnium, velut civitatem ſupra montem poſitam, quæ abſcondi non poteſt, ſumma luce præſulgere. Ergo fateantur vel inviti neceſſe eſt, Meſſiam, quem in vanum adhuc expectant, jam diu adventâſſe.

54 ARGUMENTUM V.

Præteriti Meſſiæ Adventûs, ex teſtimonio Joſephi, lib. 18. *Antiq. c.* 4.

Fuit autem, inquit, *hoc tempore Jeſus, vir ſapiens; ſi tamen virum illum oportet dicere; erat enim mirabilium operum effector, magiſter hominum, qui vera libenter amplectuntur, & plurimos ex Judæis, plurimos etiam ex Gentibus ad ſe pertraxit. Hic erat Chriſtus. Cumque à primoribus gentis ſuæ ad crucem damnatus eſſet, ab eo diligendo non abſtiterunt, qui primùm dilexerant eum. Poſt tertium diem redivivus ipſis apparuit, cùm divini Vates hæc & alia plurima admiranda prædixiſſent.*

Teſtimonium iſtud Joſephi laudant ac commendant, Euſebius, lib. 3. Demonſt. Evang. & Lib. 1. Hiſt. Eccleſ. c. 11. S. Hieronymus, in Catalogo Scriptorum Eccleſ. in Joſepho, S. Iſidorus Peluſiota, lib. 4. Ep. 225. Sozomenus, lib 1. Hiſt. c. 1. Cedrenus, Nicephorus, Suidas & alii.

ARGUMENTUM VI. 55

Præteriti adventûs Meſſiæ, ex Miraculis Chriſti.

Multa eaque ſtupenda palam & in conſpectu omnium Chriſtus edidit miracula, quæ à Judæis ipſis negari non potuêre, ſed ea in nomine Beelzebub facta eſſe criminabantur; at calumniæ hujus falſitatem oſtendebat Chriſtus duplici hoc argumento: 1mo quia perabſurdum eſt, ea dæmoni tribuere, quibus ipſe impugnatur ac regnum ejus deſtruitur, Luc. 11. v. 17. 2do. Quia ſi in nomine Beelzebub Dæmonia ejiceret, ergo & filii Judæorum ea pariter in nomine Beelzebub ejicere dicendi forent, quòd haud dubiè Judæi ipſi non concederent. Inexcuſabiles ergo erant Judæi, qui viſis tot miraculis in eum non crediderunt tanquam Meſſiam, Joan. 15. v. 24. & 10. v. 38. item Luc. 11. v. 20. *Si in digito Dei ejicio Dæmonia*, inquit, *profectò pervenit in vos regnum Dei*; hoc eſt, Meſſias. Ergo in manifeſtum adventûs ſui ſignum tot prodigia patravit Chriſtus. Ergo revera advenit, nam miracula in teſtimonium falſitatis patrari non poſſunt. Vide ſup. §. 1. Concluſ. Prob. 2. pag. 17.

ARGUMENTUM VII. 56

Adventûs Meſſiæ, ejuſque divinæ miſſionis ac naturæ ex comparatione ſeu collatione miraculorum Chriſti cum miraculis Moyſis.

Judæi Moyſem ex miraculis illius tuentur illum tanquam Legislatorem à Dèo ſpecialiter miſſum & inſpiratum fuiſſe. Ergo etiam fateantur oportet, Chriſtum ex miraculis ab ipſo patratis, quæ longe præſtantiora fuêre, quàm Moyſis prodigia, eſſe verum Meſſiam.

Antecedens eſt Judæorum. Conſequentia probatur ex comparatione miraculorum utriusque ad invicem.

1mo. Judæi ſeptuaginta ſex enumerant Moyſis miracula, quamquam ſi propiùs expendantur, videbitur, aut unum & idem miraculum ab illis in plura dividi; aut inter miracula id ab illis reponi, quod verum miraculum non eſt; aut denique aliqua planè conficta eſſe. Atqui hæc, etſi tòt ſupponantur, minimè miraculorum Chriſti numerum ſuperant, imò à longè non adæquant. S. Joannes quippe c. ult. v. 25. poſtquam multa enumeravit Chriſti prodigia, *Sunt autem*, pergit, *& alia multa, quæ fecit Jeſus; quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.* Et revera Chriſtus ſingulos greſſus ſuos aliquo benefico prodigio ſignabat, *Pertranſiit benefaciendo*, inquiunt Acta Apoſt. c. 10. v. 38. *& ſanando omnes oppreſſos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo.* Unde Joan. 7. v. 31. Judæorum aliqui, conſpectis tot Jeſu miraculis, dixerunt: *Chriſtus, cùm venerit, nunquid plura ſigna faciet, quàm quæ hic facit?* eaque exiguô triennii aut ad ſummum quadriennii ſpatiô patravit.

2do. Moyſes vix ullum miraculum feciſſe legitur, niſi præeunte mandato divino, aut precibus ad Deum ſuſis, ſicut hiſtoriam plagarum Ægypti, & miraculorum in deſerto factorum inſpicienti, manifeſtum erit; adeò ut miracula fecerit, non per virtutem ſibi inhabitantem, ſed quam precibus per intervalla à Deo obtinuit, aut ad Dei mandatum exercuit. At Chriſtus virtutem miracula patrandi, utpotè ab ejus natura & eſſentia indiſtinctam, perpetuò ſibi inhærentem habuit, ita ut ubicunque & quandocunque vellet, non tantùm præſens, ſed & abſens ea ediderit, Matth. 8. v. 6. 7. & ſeq. Joan. 4. v. 49. 50. & ſeq. Unde Matth. 28. v. 18. dicebat, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* Et Joan. 5. v. 17. *Pater meus usque modò operatur, & ego operor;* eadem ſcilicet virtute ac poteſtate, qua operatur Deus Pater. Neque etiam propria ſolummodò virtute mira operabatur Chriſtus, ſed, quod Moyſes non potuit, nec de eo uſpiam legitur, aliis quoque poteſtatem illam ac virtutem communicavit, Matth. 10. v. 8. Luc. 10. v. 17. Joan. 14. v. 12. Act. 3. v. 6. & 12. &c.

3tio. Dicunt Judæi Moyſem Deum ipſum vidiſſe, & cum ipſo facie ad faciem locutum fuiſſe; ſed falsò. Ex Moyſis hiſtoria namque liquet, non ipſum Deum, ſed Angelum nomine Dei cum Moyſe locutum fuiſſe: nam & Angelus, qui nomine Dei populo præfuit, etiam expreſsè *Dominus* vocatur. Sic Exodi 13. v. 21. Dominus dicitur *præceſſiſſe* caſtra Iſraelis, qui c. 14. v. 19. *Angelus* fuiſſe dicitur; & qui Moyſi in rubo apparuit, ipſique dixit, Exod. 3. v. 6. *Ego ſum Deus patris tui*, atque ibidem v. 14. ait, *Ego ſum qui ſum*, ille ipſe Angelus fuiſſe dicitur, Act. 7. v. 30. Ex quibus patet, totam revelationem Moyſi factam fuiſſe miniſteriô Angeli, qui perſonam Dei repræſentabat, ac quaſi Deus ipſe foret, locutus eſt. At Chriſtus non miniſteriô Angeli duntaxat miſſionem accepit, ſed immediatè à Deo miſſus in mundum venit, Joan. 5. v. 36. & 37. Deum ipſum immediatè videt, ac clarè cognoſcit, Matth. 11. v. 27. Eſt in Patre, ſicut Pater in ipſo, Joan. 10. v. 38. In cœlos ipſos imperium obtinet. Aſcendit in cœlum, & inde promiſſum Spiritum in Apoſtolos demiſit, qui cùm ſit ipſius Dei Spiritus, & Deus ipſe, manifeſtum eſt, Deum nonniſi à Deo mitti poſſe. Ei ut Domino, dum in terris verſaretur, miniſtraſſe leguntur, Matth. 4. v. 11. Et eidem in cœlis exaltato Angeli eſſe ſubjecti paſſim dicuntur, Philipp. 2. v. 10.

Digitized by Google

Epheſ. 1. v. 20. 21. 1mæ Petri, 3. v. 22. Cœlum, cùm baptizatus eſt, ipſi apertum fuit, & Spiritus ſanctus inſtar columbæ in ipſum deſcendit, auditaque fuit vox de cœlo, *Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi complacui*, Matth. 3. v. 16. & 17. Et ſanè nihil in natura excogitari ferè poteſt, in quod Chriſtus divinam ſuam virtutem mira varietate ſæpiſſimè non exercuerit. Sanavit unicô verbô & in inſtanti omnis generis morbos; cœco nato viſum non tam reſtituit, quàm dedit; mutis loquelam, ſurdis auditum, claudis greſſum, mortuis vitam, impertivit: paralyticos ſanavit, leproſos mundavit, ſedavit tempeſtatem, ambulavit ſuper aquas, piſces in Diſcipulorum retia compulit, panes multiplicavit, dæmonia ejecit, &c. & ita poteſtatem ſuam exercuit in mare, ventos, piſces, panes, dæmones, morbos, quin & in mortem ipſam.

Quid de ſignis & prodigiis, quæ Deus in ipſius gratiam operatus eſt dicemus? Conceptus eſt virtute Spiritus ſancti, natus ex virgine; conceptio illius per Angelum Matri annuntiata fuit; nativitas per immenſam Angelorum multitudinem celebrata, per novæ ſtellæ apparitionem Magis in Oriente indicata. Ipſi poſt Baptiſmum ex aquis aſcendenti Cœlum apertum eſt, Spiritus in eum deſcendit inſtar columbæ, & vox è Cœlo audita, *Hic eſt Filius meus &c.* Poſteà in monte transfiguratus eſt, eademque vox iterum è Cœlo audita. In morte ipſius Sol obſcuratus eſt, terra contremuit, & ſepulchra mortuorum aperta ſunt: & quod omnium prodigiorum maximum eſt, & quo Moyſes deſtitutus fuit, ex morte à Deo ſuſcitatus fuit, Diſcipulis vivus apparuit, in Cœlum aſcendit, Spiritum ſanctum ad illos miſit, quos multis eximiis donis ita cumulavit, ut vel ipſa prætereuntis Petri umbra, & ſudaria Pauli ægris impoſita morbos ſanarent. Act. 5. v. 15. & c. 19. v. 12.

Porro hæc omnia ficta eſſe ac commentitia dicere haud poſſunt Judæi; eodem enim jure idem dici poſſet de miraculis Moyſis, quæ ipſi tantoperè prædicant. Certa ergo & indubitata ſunt hinc & inde miracula illa omnibus cognita & perſpecta, neque fides iis, à quibus, illa referuntur, denegari poteſt, niſi eodem jure omnibus Scriptis ac Scriptoribus & cuicumque hiſtoriæ fidem omnem derogari pariter poſſe, Judæi fateantur. Vide, quæ diſſeruimus Tom. 1. Theologiæ noſtræ, Tract. 1. de S. Scriptura part. 1. c. 2.

Ex hactenus adductis argumentis ſtat ergo firmum & inconcuſſum, Meſſiam toties in veteri Teſtamento promiſſum & delineatum jamdudum adveniſſe, illumque eſſe Chriſtum ſeu Jeſum Nazarenum, quem Judæi inauditâ perfidiâ morte damnârunt. Eidem enim omnes de Meſſia prophetiæ conveniunt. Namque 1mo quantùm ad ejus nativitatem, Prophetæ notant illius tempus, locum, familiam, modum nativitatis, & nonnullas ejus circumſtantias. Ratione temporis Meſſias naſci debuit eo tempore, quo ſceptrum, ſeu ſuprema auctoritas debuit à Judæis auferri, juxta vaticinium Jacobi, Geneſ. 49. & poſt 70. ſeptimanas annorum, id eſt, elapſis 490. annis à captivitate Babylonica, Daniel. 9. tum cùm Davidica domus in ſummo futura erat contemptu. At eo ipſo præcisè tempore Jeſus Chriſtus verus Meſſias mundo illuxit. Ratione loci Meſſias Bethleemi naſci debuit, ex oraculo Michææ c. 5. v. 2. Chriſtus autē natus eſt Bethleemi, Matth. 2. v. 1. Ratione familiæ, Meſſias ex Tribu Juda & ex familia Davidis oriundus fuit, Iſa. 11. v. 1. *Egredietur virga de radice Jeſſe* (*b*).

(*b*) Jeſſe fuit pater Davidis, qui alio nomine in veteri Scriptura lib. 1. Reg. *Iſai* dicitur.

Unde turbæ apud S. Joannem cap. 7. v. 42. profitentur, Meſſiam naſciturum Bethleemi ex ſemine David. *Nonne*, inquiunt, *Scriptura dicit, quia ex ſemine David & de Bethleem caſtello, ubi erat David, venit Chriſtus*? At Jeſum Chriſtum verum Meſſiam noſtrum ex ſemine David ortum eſſe, vel prima Evangelii juxta S. Matthæum verba comprobant, *Liber generationis Jeſu Chriſti filii David.* Ratione modi nativitatis, Meſſias naſci debuit ex Virgine quidem, ſed paupere, Iſa. 7. v. 14. *Ecce Virgo concipiet &c.* At Chriſtus natus eſt ex Virgine matre, Matth. 1. v. 18. *Cùm eſſet deſponſata mater ejus Maria Joſeph, antequam convenirent inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto.* Humilis & abjectus Chriſti adventus deſcribitur Iſaiæ 53. v. 3. & Matth. 8. v. 20. dicitur, *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Circumſtantiæ adventûs Meſſiæ à Prophetis prædictæ ſunt. 1mo. Præcurſor ejus Joannes, Malachiæ 3. v. 1. *Ecce ego mittam Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam*; quod in Joanne Baptiſta impletum fuit, qui fuit *vox clamantis in deſerto*, & præceſſit Chriſtum in ſpiritu Eliæ, ut viam illi ſterneret, Matth. 3. v. 3. & c. 11. v. 14. Luc. 1. v. 17. 2do. Meſſiæ ſeu Salvatoris nomen Jeſu imponendum fore ſcribit Iſa. c. 12. v. 3. c. 51. v. 5. c. 62. v. 1. & 14. c. 63. v. 8. & 9. Et Matth. 1. v. 21. & Luc. 1. v. 31. narratur, Chriſto impoſitum eſſe nomen Jeſu, quod Salvatorem ſonat. Similiter Meſſiam vocandum fore Emmanuelem, ſcribit Iſaias c. 7. v. 14. quod etiam impletum legitur Matth. 1. v. 23. 3tio. Nova ſtella debuit in ortu Meſſiæ oriri, Num. 24. v. 17. *Orietur ſtella ex Jacob.* At Matth. 2. v. 2. narratur, à Magis viſum eſſe novum ſidus in Cœlo. 4to. Reges venturi prædicuntur, ut adorent eum, Pſal. 71. v. 10. *Reges Tharſis & Inſulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes Reges terræ;* quod Matth. 2. v. 2. & 11. legitur impletum. 5to. Infantes versùs Meſſiæ nativitatem miſerè trucidandos vaticinatus eſt Jeremias c. 31. v. 15. quod Matth. 2. v. 18. impletum narratur. 6to. Fugam Meſſiæ in Ægyptum prædicit Oſee c. 11. v. 1. *Ex Ægypto vocavi filium meum*; hoc idem impletum narrat S. Matthæus, c. 2. v. 15.

2do. Quantùm ad ſtatum & conditio- 58
nem Meſſiæ, notant Prophetæ 1mo. quòd erit Verbum Dei, Pſal. 106. v. 20. *Miſit Verbum ſuum, & ſanavit eos.* Et Joan. 1. v. 14. dicitur, *Et Verbum caro factum eſt.* Et Apocalyp. 19. v. 13. *Et vocatur nomen ejus, Verbum Dei.* 2do. Meſſias eſt Filius Dei, Pſal. 2. v. 7. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu.* At Matth. 3. v. 17. dicitur, *Ecce vox de cælo dicens, Hic eſt Filius meus dilectus &c.* 3tio Meſſias eſt Deus, Pſ. 44. v. 7. & 8. *Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi: virga directionis virga regni tui. Dilexiſti juſtitiam & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* At Chriſtus ſæpiſſimè in Novo Teſtamento Deus dicitur, Joan. 1. v. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.... Et Verbum caro factum eſt.* Vide Tract. de Deo, part. 2. c. 1. §. 2. Concluſ. 1. pag. 163. 4to. Meſſias eſt Propheta, Deut. 18. v. 15. & ſeq. 1. Machab. 14. v. 41. At Chriſtus Propheta fuit, Matth. 13. v. 57. & c. 16. v. 21. & ſeq & c. 21. v. 11. 5to. Meſſias eſt Sacerdos, Pſ. 44. v. 8. & Pſ. 109. v. 4. At Chriſtus verus fuit Sacerdos & Pontifex ſummus, Heb. 2. v. 7. & c. 3. v. 1. & c. 4. v. 14. & 15. &c. 6to. Meſſias eſt Princeps & Rex, Iſaiæ 9. v. 6. Jerem. 30. v. 21. 1. Reg. 2. v. 20. 2. Reg. 7. v. 12. & 13. Pſ. 2. v. 6. & ſeq. At Chriſtus Princeps & Rex dicitur in novo Teſtamento, Act. 5. v. 30. & 31. Coloſſ. 2. v. 10. Matth. 2. v. 1. & ſeq. c. 21. v. 4. 5. &c.

3tio.

Digitized by Google

59 3tio. Quantùm ad doctrinam & opera Meſſiæ, Meſſias annum placabilem promulgat, & ſalutarem Evangelii doctrinam affert, *ad medendum contritis corde, & publicandam libertatem captivis & redemptionem*, Iſa. 61. v. 1. Plura verò à Meſſia patranda eſſe miracula idem Iſaias c. 35. v. 4. & 5. affirmat: *Deus ipſe veniet, & ſalvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. Tunc ſaliet ſicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Hæc autem omnia per Chriſtum Jeſum facta fuiſſe narrat Evangelica hiſtoria, prout ſupra argumentô 6tô & 7mô indicavimus.

60 4to. Quantùm ad mortem & reſurrectionem, Prophetæ omnes illius circumſtantias accuratiſſimè deſcribunt. Judæ proditionem, & pretium triginta denariorum, Zachariæ 11. v. 13. *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos.* Flagellationem, Pſal. 128. v. 3. *Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores.* Veſtimentorum diviſionem, Pſal. 21. v. 19. *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Manuum & pedum perforationem, ibid. v. 18. *Foderunt manus meas & pedes meos.* Acetum quo potatus eſt in cruce, Pſal. 68. v. 22. *In ſita mea potaverunt me acetô.* Deriſionem & contumelioſam capitum motionem Pſal. 21. v. 8. *Omnes videntes me deriſerunt me: locuti ſunt labiis, & moverunt caput.* Solis deliquium, Amos 8. v. 9. *In die illa occidet Sol in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis.* Sepulturam, Iſa. 11. v. 10. *Et erit ſepulchrum ejus glorioſum.* Reſurrectionem, Pſal. 67. v. 19. *Aſcendiſti in altum cæpiſti captivitatem, accepiſti dona in hominibus.* Miſſionem Spiritus ſancti, Joel. 2. v. 28. *Effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri & filiæ veſtræ, &c.* Vide Huetium ſæpè cit. propoſ. 9.

Solvuntur Objectiones 61

Contra propoſita Argumenta.

Contra Argumentum I.

Ex Vaticinio Jacobi Geneſ. 49.

Ob. 1mo. Vaticinium Jacobi referri debet vel ad Moyſem Iſraelis liberatorem; vel ad Saulem & Jeroboamum, qui in urbe Silo Reges uncti ſunt; ait enim Jacob, *Donec veniat Schilo*, id eſt is, qui in Silo eſt inaugurandus; vel Nabuchodonoſorem, vel Cyrum, qui ab Iſaia c. 45. vocatur *Chriſtus*: hi enim ſunt *Siloh*, id eſt à Deo miſſi; vel ipſum Davidem, vel Salomonem filium ejus: *Siloh* enim juxta multos Interpretes ſignificare poteſt, *filius ejus* & *pacificus*: David autem inſignis fuit filius Judæ; & Salomon juxta nomen ſuum fuit pacificus. Aut ideo hæc Jacobi verba, *donec veniat Siloh* videntur convenire David; quia ipſe tabernaculum, quod erat in Urbe *Siloh*, tranſtulit in Jeruſalem, quæ erat Sedes regni ejus, &c. Ergo perperam ad Chriſtum noſtrum refertur.

Reſp. neg. ant. leviora ſanè ſunt iſta, quæ hîc objiciuntur, quàm ut iis refellendis diutiùs immoremur. Namque 1mo. hæc prophetiæ verba, *Non auferetur ſceptrum . . . . & dux de femore ejus*, manifeſtè demonſtrant Regum ſeu Ducum ſeriem futuram in Tribu Juda antequam veniat, qui mittendus eſt: atqui ſceptrum nondum ingreſſum erat illam Tribum, quando Moyſes, Saul, & David venerunt, hic enim primus in ea regnavit. Falſum quoque eſt Saulem & Jeroboamum unctos fuiſſe Reges in urbe *Siloh*, tum quia Arca, in qua unctio ſervabatur, non erat in *Siloh*, quando unctus eſt Saul, ſed in *Cariathiarim* in domo Abinadab, 1. *Reg.* 7. v. 1. & quando unctus eſt Jeroboam, Arca erat Jeroſolymis, quo translata fuerat à Davide de domo Abinadab, 2. *Reg.* 6.

Tum

Digitized by Google

Tū quia necSaul nec Jeroboam uncti ſunt in *Siloh*, ſed Saul in *Ramatha*, 1. *Reg.* 10. & Jeroboam in *Sichem*, 3. *Reg.* 12. Et ſicut nec in Moyſe, nec in Saule, nec in Davide, nec in Salomone defecit ſceptrum de Juda, ut quod tunc nondum ad Tribum Juda pervenerat, quod in Davide primùm incepit, ſic etiam in Jeroboamo defeciſſe dici non poteſt; etſi enim tunc decem Tribubus à Regno Judæ diſtractis imperaverit, ac diviſum Iſraelis Regnum tenuerit, ſtetit tamen ſemper incolume Judæ Regnum, &c. Adde, quòd nec Sauli, nec Jeroboamo adaptari poſſint verba iſta Jacobi, *Erit expectatio gentium*, utpore impiis.

Minùs adhuc Vaticinium Jacobi de Nabuchodonoſore, aut Cyro intelligi poteſt; nam qui mittendus eſt, eſt expectatio gentium; at hi duo Principes fuerunt gentium terror & vaſtatores, unde potiùs execratio gentium dici debent, quàm expectatio, præſertim Nabuchodonoſor, qui graviſſimô ſervitutis jugô Judæos oppreſſit. Nonnulla quidem Iſaias de Cyro, quem ab unctione Chriſtum vocat, tanquam populi liberatore dixit; ſed accommodari ipſi non poſſunt, quæcumque ibidem de vero Meſſia prænuntiat Iſaias: ut, *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant juſtum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem*, Iſa. c. 45. v. 8. & v. 14. & 15. *Tantùm in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus. Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Salvator.* Quæ omnia certè nemo ſanus Cyro accommodaverit. Adde, quòd quamvis Judæos in libertatem aſſeruerit, propterea tamen genrium expectatio vocari nequeat, non enim ſub hoc gentium nomine alicubi Scriptura Judæos comprehendit.

62 Ob. 2do. Per vocem *Schebet* non intelligi debet ſceptrum, ſeu regia & ſuprema poteſtas, ſed virga doloris & afflictionis, qua populus Judaicus premendus eſt, donec veniat Meſſias liberator: ita ut prophetiæ ſit iſte ſenſus, non auferetur, ſeu non recedet virga doloris & afflictionis à populo Judaico, donec venerit Meſſias. Ergo, &c.

Reſp. neg ant. Tùm quia vox hebræa *Schebet*, virgam doloris & afflictionis nusquam ſignificat niſi cum addito, quod ſignificationem iſtam figat ac determinet. Ita v.9. cùm Pſal. 2. v. 9. dicitur, *Reges eos in virga ferrea*; & Iſa. 10. v. 5. *Væ Aſſur, virga furoris mei . . . . ipſe eſt*; virga dolorem, afflictionem, ac pœnam ſignificat: in aliis verò locis ubi ſimpliciter & ſine addito legitur, imperium denotat, cujus virga, ſeu ſceptrum Symbolum eſt. Hoc ſenſu uſurpatur Eſther 4. v. 11. & c. 5. v. 2. Pſal. 44. v. 7. & in Jacobi Vaticinio, Geneſ. 49. v. 10. ubi tantum abeſt, ur ſignificatio virgæ per aliquid determinerur ad ſignificandam afflictionem, quin è contra ſequentia hæc verba, *Et Dux de femore ejus*, regnum apertè indicant. Tùm quia quæcumque Tribui Judæ in prophetia promittuntur, proſpera ſunt ac fauſta, ut patet vaticinium ſupra argumentô primò à nobis adductum legentibus. Tùm denique, quia falſum eſt, vexationem ac oppreſſionem à Jacobi morte, usque ad adventum Meſſiæ non receſſiſſe à Tribu Juda: Ex libris Regum namque conſtat, hanc Tribum à Davide usque ad Sedeciam, hoc eſt per annos ferè quingentos ſummâ rerum apud Judæos potitam fuiſſe, eos verò deinceps usque ad Chriſti adventum Ducibus ex propria gente ſua paruiſſe.

Ob. 3tio. Particula iſta *donec veniat*, 63
in vaticinio Jacobi, ſic reddi debet, *poſtquam venerit*; ita ut ſenſus ſit, Poſtquam Meſſias venerit; ſeu poſt adventum Meſſiæ, ſceptrum in Juda conſtans ac perpetuum erit, ab ipſo nusquam auferendum. Particula enim *donec*, in Scriptura, non ſemper finem ac ceſſationem rei, de qua ſermo eſt, denotat, ſed aliquando illius continuarionem, ut Geneſ. 8. v. 7. Num. 20. v. 17. Matth. 1. v. 25. Ergo, &c.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. neg. ant. Interdum quidem in Scriptura particula *donec* rei continuationem denotat, at longè frequentiùs finem ac ceſſationem, ut Geneſ. 26. v. 13. Judic. 4. v. 24. præſertim autem in Jacobi Vaticinio, Geneſ. 49. ubi apertè regni Judaici finem ac deſtructionem ſignificat, eò quòd, prout veteres Judæi ultrò intellexerunt, Jacob tempus, quo venturus eſt Meſſias, figat ac determinet, cujus adventus proximè futuri ſignum dat, finem nempè, ſeu ceſſationem regni Judæ, at verò ſi, juxta opinionem recentiorum Judæorum, non auferendum duntaxat ſit de Juda ſceptrum, quando ſcilicet Meſſias venerit, nulla erit temporis adventûs Meſſiæ determinatio, particula enim, *quando*, nullum huic adventui futuro tempus determinatum aſſignat, ſed vagum & indefinitum. Sanè veteribus Judæis omninò exploratum fuit, venturum Meſſiam cum ſceptrum de Juda deficeret, & circa ea ipſa, quibus Chriſtus mundo apparuit, tempora; prout ſupra. Arg. 4. n. 50. & ſeq. oſtendimus.

64 Ob. 4to. Sceptrum in Juda hactenus permanſit; nam ſtatim poſt excidium Jeroſolymitanum habuerunt Judæi Patriarchas cum ſuprema poteſtate illis imperantes; atque etiam nunc in Aſſyria extat florentiſſimum Hebræorum imperium, in quo præficiunt duces ex Tribu Juda progeniti, quos Benjamin Tudelenſis in ſui itineris hiſtoria Bagdadi ſedem habere memorat. Ergo, &c.

Reſp. neg. ant. Faciliùs mendacium ſuum tegerent recentiores Judæi, ſi fictitiam ſuam monarchiam in globo Lunæ collocarent: nam Mercatores & alii illuc non peregrinantur, ſicut in terram Aſſyriorum, ubi Judæos viles & ſervos deprehendunt, ſicut in aliis regionibus. Fabulam de priſcis illis Patriarchis deriſerunt Origenes, qui jam annô Chriſti 254. floruit, lib. 4. de principiis, c. 1. S. Epiphanius, qui ſcripſit circa annum Chriſti 403. in hæreſi Ebionitarum, & Theodoretus, qui annô Chriſti 460. floruit, in Dialogo 1mo.

65 Ob. 5to. Juxta ſenſum, quèm vaticinio Jacobi tribuimus, Chriſtus mundo apparere debuit eo tempore, quo ſceptrum de Juda ablatum, & in alienigenam translatum eſt. Atqui id falſum videtur; Herodes enim, quo in Judæa regnante Chriſtum veniſſe dicimus, indigena erat & origine Judæus. Ergo, &c.

Reſp. neg. min. Ut ſenſui, quem Jacobi Vaticinio tribuimus, veritas ſua conſtet, ſufficit, quòd Chriſtus ſeu Meſſias circa tempus illud, quo vel jam ablatum erat vel proximè aut paulo pòſt auferri debebat à Tribu Juda ſceptrum, venerit, nec tam ſcrupuloſè inquirendum, ſub qua præciſè cadentis Judæorum Reipublicæ periodo advenire debuerit; unde ſenſui, quem laudato Jacobi Vaticinio tribuimus, nihil officit, ſive Herodes, qui eo, quo Chriſtus mundo illuxit, tempore rebus Judaicis præerat, Judæus fuerit, ſive alienigena, ſatis quippe eſt, ſi ſaltem paulo pòſt gens Judaica ſceptrum amiſit. Vide quæ ſupra argum. 1mo. num. 41. & Reſp. ad 3tium num. 44. diſſeruimus. Certè Antigonus è familia Aſſamonæorum, qui de Regno cum Herode contendebat, apud Joſephum, lib. 14. Antiq. cap. 27. ipſum vocat Idumæum. Id ipſum tradit ipſe Joſephus, eodem lib. cap. 2. & lib. 1. de bello Judaico, c. 5. docetque Avum ejus fuiſſe Antipam Aſcalonitam, id eſt, Philiſtæum: patrem verò Antipatrem apud Idumæos præpotentem, undè Herodes dicitur Aſcalonita & Idumæus, Judæus quoque; quia Hircanus, ſubactis Idumæis, voluit illos Judæos & dici & fieri ſuſcepta circumciſione; quo factum eſt, ut Herodes in Idumæa natus, fuerit Religione Judæus, non autem ſanguine aut genere, ſeu ex ſtirpe

Digitized by Google

Jacob oriundus, quod hîc quæritur. Herodem alienigenam fuiſſe etiam Sæculô 2dô agnovêre Judæi apud ſanctum Juſtinum, Dialogô cum Triphone, *Herodem*, inquit, *Aſcalonitam fuiſſe dicitis.* Id quoque deinceps cuncti Patres tradiderunt; Origenes, Homil. 17. in Geneſ. Julius Africanus, Origeni coætaneus, Epiſt. ad Ariſtidem. Euſebius Cæſarienſis, lib. 1. Hiſt. cap. 7. S. Ambroſius, lib. 3. in Lucam. S. Hieronymus, in cap. 3. Oſee. S. Auguſtinus, lib. 12. contra Fauſtum, cap. 47. & alii. Unde non audiendus Nicolaus Damaſcenus, Herodis familiaris, qui per fœdam adulationem ſcripſit, Herodem genus ducere ex primoribus Judæorum, qui è captivitate Babylonica in Judæam rediêre. Eum aſſentationis inſimulat Joſephus, lib. 14. Antiquit. cap. 2. & lib. 16. c. 1. Neque etiam attendendum, quòd Strabo, lib. 16. Geographiæ ſuæ dicat, Herodem *virum indigenam* fuiſſe, præterquam enim in Herodis origine referenda decipi potuit, ſicut manifeſtè deceptus eſt, cùm ſcripſit, Herodem ad ſummum Pontificatum fuiſſe evectum (conſtat enim, eum nusquam Pontificatum geſſiſſe) Strabo Herodem *indigenam* vocavit, quòd ex eadem Republica, cujus Rex erat, & iisdem regionibus, quibus imperabat, oriundus fuerit, non verò quaſi ex Jacob ſanguine procreatus fuiſſet.

66 Ob. 6to. Si Vaticiniô Jacobi tam clarè ac disertè Meſſias deſignaretur, tunc utique & à Chriſto & ab Apoſtolis contra Judæos alicubi laudatum fuiſſet. Atqui ab ipſis nullibi laudatum fuit. Ergo, &c.

Reſp. neg. ſequel. maj. Non enim omnia Scripturæ veteris, quæ ad Chriſtum pertinent, teſtimonia, aut à Chriſto, aut ab Apoſtolis laudata fuêre: ſatis erat Judæos remittere ad ſcrutandas Scripturas, *Scrutamini Scripturas*, dicebat illis Chriſtus, Joan. 5. v. 39. *illa ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.* Adde, quòd, licèt Vaticinio Jacobi diſertè figatur tempus adventûs Meſſiæ, non tamen æquè diſertè oſtenditur, Chriſtum illum ipſum eſſe Meſſiam, cujus adventum futurum eſſe prædixerat Jacob, quando ſceptrum de Juda defeciſſet; quod tamen unum Judæis probandum erat, quibus fortaſſe rixandi locus circa litteralem Oraculi Jacobi ſenſum datus fuiſſet, ſi ipſis, in probationem Chriſti, Oraculum illud fuiſſet propoſitum.

Contra Argumentum II. 67

Ex Danielis prophetia c. 9. v. 24. &c. depromptum.

Ob. 1mo. Danielis prophetia ita obſcura eſt, & intricata, ut quisque ad ſuum votum poſſit illam interpretari. 1mo enim numerat ſeptuaginta hebdomades, ſed liberum relinquit, quo ſenſu accipiantur, an hebdomades jubilæorum, aut ſæculorum, aut dierum, vel annorum. 2do. Quid illa in tres partes hebdomadum diviſione intelligi debeat non facile eſt aſſequi. Ergo ex iſta prophetia nihil pro Chriſto concludi poteſt.

Reſp. neg. ant. In vulgari Judæorum acceptione & communi Scripturæ uſu nomen hebdomadæ non ſumitur niſi vel prò hebdomada dierum, ut Levit. 23. *Numerabitis . . . . ſeptem hebdomadas plenas usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ ſeptimæ, id eſt, quinquaginta dies:* vel pro hebdomada annorum, ut ibid. cap. 25. *Numerabis tibi ſeptem hebdomadas annorum, id eſt, ſepties ſeptem, quæ ſimul faciunt annos quadraginta novem.* Porro in prophetia Danielis hebdomadæ dierum intelligi non poſſunt, quia in tam brevi ſpatio, quod eſt dierum 490. id eſt, unius anni cum quatuor menſibus, nulla inſignis mutatio in Judæorum

Digitized by Google

dæorum Regno contigit, aut eorum quidquam, quæ à Daniele prænuntiantur, non capta civitas, non attritus populus, nec Chriſtus occiſus, &c. Reſtat ergo, ut intelligatur de Hebdomadis annorum. Porro clarè & nitidè aſſerit prophetia, numerandas eſſe hebdomades ſeptuaginta, quæ conficiunt annos 490. usque ad Chriſtum Ducem; & hæc eſt regula certa, nullique errori obnoxia ad cognoſcendum, quo tempore Meſſias venturus ſit. Tum dividit illorum annorum numerum in tres partes, non obſcuritatis, ſed majoris claritatis gratiâ, nempe ut diſtinguat annos ultimæ hebdomadæ, & notet quid unaquaque eveniet: ait enim poſt ſexaginta novem hebdomadas, hoc eſt, poſt 483. annos, ungetur Sanctus Sanctorum, ſcilicet ineunte ſeptuageſima hebdomada declaratus eſt Meſſias, cùm in Jordane vox Patris de cœlo audita eſt, *Hic eſt Filius meus dilectus:* Et exinde Evangelium ſuum multis miraculis confirmavit usque ad medium ejuſdem hebdomadæ, hoc eſt, annum quartum, quo crucifixus eſt, quæ cùm ſingillatim explicentur in prophetia, hiſtoria potiùs eſſe videtur, quàm vaticinium. Dividuntur autem in prophetia hac ſeptem primæ hebdomades à cæteris, quòd tot hebdomadarum ſpatiô, hoc eſt, annis 49. abſoluta fuerit civitas. Quamvis enim muri Urbis celerrimè ob imminentes undequaque hoſtes, diebus ſcilicet 52. fuerint erecti, attamen platea, ut loquitur Daniel, publica ædificia, ſtrata viarum, fora, porticus, ciſternæ, aquæ ductus, & alia id genus, quæ diſturbaverat Nabuchodonoſor, inſtauranda erant. Quibus perfectis & inſtauratis ſequuntur deinde 62. aliæ hebdomades, quæ ab illa perfecta Civitatis inſtauratione fluxerunt, donec Chriſtus Meſſias advenerit, cui poſtrema & ſeptuageſima hebdomada conſecrata, circa cujus medium occiſus eſt, quo occiſo *defecit hoſtia & ſacrificium*, & deinde *ſecuta eſt in Templo abominatio deſolationis, &c.*

Ob. 2do. Ex hac prophetia non poteſt colligi tempus venturi Meſſiæ, niſi certò numerentur anni in ea prænotati. Atqui certò numerari non poſſunt. Ergo. 68
Min. prob. Ut numerentur illi anni, neceſſe eſt ſcire imprimis, unde ducendum ſit illorum exordium. Atqui de illo exordio non conſtat, utpotè circa quod variæ ſunt Theologorum & Chronologorum opiniones; alii enim illud repetunt ab edicto Cyri, 1. Esdr. cap. 6. v. 3. Alii à ſecundo anno Darii Hyſtaſpis, quem dicunt in conjugem aſſumpſiſſe Eſtherem, & erga Judæos propenſum fuiſſe. Alii hebdomades has inchoant à ſecundo anno Artaxerxis Longimani; alii à ſeptimo ejus anno; alii denique ab ejus filio, qui dictus eſt Darius Nothus. Ergo.

Reſp. Diſt. maj. Non poteſt colligi præciſè ante Oraculi eventum, conc. poſt oraculi eventum, neg. maj. Reſponſio noſtra exemplô illuſtratur. Prædixerat Jeremias, Judæos poſt ſeptuaginta annos Babylone in patriam redituros. Hoc vaticinio nixi Judæi ſperabant ſuam captivitatem non fore diuturnam; ſed, quo præciſè anno finem eſſet acceptura, prævidere non potuerunt; quia Propheta non deſignaverat temporis punctum, ex quo numerandi erant illi ſeptuaginta anni: ex variis tamen propheticæ circumſtantiis intellexerunt inſtare tempus priſtinæ libertatis recipiendæ: hinc frequentes Danielis ad Deum preces, ut verbum ſuum impleret. Soluta autem per Cyrum captivitate, hoc eſt, impletô Jeremiæ vaticiniô, Chriſtiani ſimul & Judæi ſecuriùs inveſtigant exordium illorum ſeptuaginta annorum, & quamvis illud certò figere non poſſint, nec in ſua computatione conveniant etiam Judæi, propterea tamen vaticinium non nutat; namque vaticinii veritas

Digitized by Google

potiſſimùm ex eventu probatur. *Propheta*, inquit Jeremias cap. 28. *qui vaticinatus eſt pacem, cùm venerit verbum ejus, tunc ſcietur Propheta, quem miſit Dominus in veritate.* Ex eventu verò judicatur, quis in computatione illorum ſeptuaginta annorum ad veritatem accedat, quis verò ab ea diſcedat. Veriſimilius eſt, e. g. eos errare, qui illorum annorum initium ſumunt ab undecimo anno Sedeciæ Regis, mundi 3416. quo exciſum eſt Templum; finem verò eorumdem ad primum Cyri Perſarum Regis annum, mundi 3446. collocant, quia exinde 30. duntaxat anni effluxerunt; finis ergo illorum annorum collocari debet ad annum m. 3486. incluſivè, quo Darius Hyſtaſpis filius, alio nomine Aſſuerus dictus, pro Judæis edictum tulit, atque facultatem tribuit Templi reædificandi, quod priùs Cambyſes Cyri ſucceſſor in Regno Babylonis fieri vetuerat. 1. Esd. c. 6. v. 3. & ſeq.

Similiter Judæi ex Prophetia Danielis colligere debuerunt, Meſſiam intra ſeptuaginta hebdomadas, hoc eſt, intra annos 490. venturum, id enim non obſcurè prædixit Propheta; ſed utrum eo anno, qui fuit decimus quintus imperii Tiberii Cæſaris, declarandus eſſet, præſcire non potuerunt; quia ex divino Oraculo non conſtat, quis annus primò locô numerandus ſit in computatione ſeptuaginta hebdomadarum, quamquàm pervulgata eſſet apud Judæos fama, quando Chriſtus advenit, adimpletas eſſe illas hebdomadas, atque ea perſuaſione jugum Romanorum excutere tentaverint, Duce Barchocheba, prout ſupra num. 51. Argumentô 4. poſt Rabbi Manaſſem *in termino vitæ*, adnotavimus. Jam verò cùm in Chriſto cernantur peracta, quæcunque Daniel in adventu Meſſiæ futura prædixit, nullum ſupereſſe poteſt dubium, quin ſeptuaginta hebdomades in illo deſierint; nec proinde varia annorum iſtorum ſeu hebdomadum computandorum ratio hujus oraculi veritatem magis obſcurat, quàm vaticinii Jeremiæ de 70. captivitatis annis varia eorumdem computandorum ratio obſcuret veritatem, utpote cùm hiſce numerandi rationibus non obſtantibus, tamen conſtet, utrumque Vaticinium jam diu fuiſſe impletum.

(*c*) Porro ſententia noſtra eſt, illas ſeptuaginta Danielis annorum hebdomades inchoandas eſſe à vigeſimo anno Imperii Artaxerxis Longimani, qui in annum mundi 3550. incidit, à quo usque ad baptismum Chriſti, qui in annum mundi 4033. incidit (*d*), effluxêre 483. anni, hoc eſt 69. hebdomades. Quarto deinde poſt annô morte à Judæis affectus eſt, id eſt, prout prædicit Daniel, in medio hebdomadæ ſeptuageſimæ, adeoque poſt annos 487. ab edicto Artaxerxis, quod latum perhibetur annô imperii ſui 20mô mundi 3550. reſidui ſunt tres anni, qui ſi 487. illis annis addantur, conficient præcisè ſeptuaginta hebdomadas ſeu annos 490.

Illuſtratur adhuc ſententia noſtra ſumpta ratione numerandi annos ab Olympiadibus. (*e*) Juxta Scriptores tum profa-

(*c*) Vide ſupra num. 47. notam (*x*).

(*d*) Chriſtus communiter ſtatuitur natus annô mundi 4000. 33. annorum ergo erat, cùm baptizatus eſt. Annos igitur Chriſti veros, ſequimur, non illos quos numerat Æra vulgaris, utpotè quæ primùm incipiat annò 4tò Chriſti.

(*e*) Quid ſint Olympiades expoſuimus jam part. 2. Phyſices noſtræ cap. 2. tit. *de Epochis profanis.* Ubi notandum primum Olympiadum annum reſpondere anno 776 ante Æram vulgarem & anno 772 ante Chriſtum natum, ita tamen, ut annus 776tus Olympiadum ſit primus Æræ vulgaris, & annus 772dus Olympiadum ſit primus annus Chriſti Inſtitutæ dicuntur tempore Oziæ Regis Juda.

Digitized by Google

profanos, tum Eccleſiaſticos, annus vigeſimus Artaxerxis Longimani concurrit cum ſecundo anno Olympiadis 81. id eſt, 322dô à primo Olympiadis 1mæ anno; mors verò Chriſti cum Olympiade 202. exeunte, id eſt 808vô Olympiadum annô, ex Phlegonte ſuprà Argumentô 4tô num. 51. prob. 4. citatô, qui ſcribit, inſolentem Solis eclypſim, quæ in Chriſti morte mundum terruit, ea ipſa Olympiade contigiſſe. Numerantur ergo à vigeſimo Artaxerxis anno usque ad Chriſti mortem 121. Olympiades, quæ cum tribus annis Olympiadis 81mæ conficiunt ſexaginta novem hebdomades cum dimidia, in qua mortuus eſt Chriſtus, hoc eſt, annos 487. Nihil ergo expreſſius hoc Danielis vaticinio.

69 Inſt. 1mo. Falsò à nobis ſupponi videtur, annum 20mum Artaxerxis Longimani incidere in añum mundi 3550. (*f*), periodi Julianæ 4260. & in annum ſecundum Olympiadis 81mæ. adeoque illum ad Regnum perveniſſe annô mundi 3531. periodi Julianæ 4241. & annô 4tô Olympiadis 76tæ. Atqui Artaxerxes regnare tunc non cœpit: Xerxes quippe regnavit viginti & ampliùs annis, ut Hiſtorici narrant; Regnum autem primò iniit annô mundi 3519. periodi 4229. & 4tô Olympiadis 73tiæ. Ergo non potuit Artaxerxes ejus filius & ſucceſſor Regnum inire annô mundi 3531. periodi Julianæ 4241. & Olympiadis 76tæ 4tô alioquin Xerxes regnaſſet duntaxat per 12. annos.

Reſp. neg. maj. & min. Revera enim Artaxerxes Regnum adiit annô mundi 3531. periodi Julianæ 4241. & 4tô Olympiadis 76. Habetur id tùm ex Euſebio in Chronico, ubi ſcribit, Themiſtoclem Græciâ profugum ad Perſas confugiſſe annô 4tô Olympiadis 76. tùm ex Thucidide Auctore coætaneo, qui lib. 1. Olympicorum Chronicorum aſſerit, *Themiſtoclem confugiſſe ad Artaxerxem Regem, qui nuper regnare cœperat.* Ergo in iſtud tempus conjicii debet initium Regni Artaxerxis: ſive duodecim tantùm annos regnaverit pater ejus Xerxes, eoque mortuo Regnum capeſſerit Artaxerxes; ſive à Xerxe adhuc regnante, cùm contra Græcos profecturus eſſet, pro Regum Perſarum more, in Imperii conſortium aſcitus fuerit.

Inſt. 2do. In ſupputandis ſeptuaginta iſtis hebdomadibus ſupponitur, Judæos 70
uſos eſſe annis ſolaribus, non lunaribus, qui undecim diebus ſunt ſolaribus breviores. Atqui uſi ſunt annis lunaribus, atque etiamnum hujusmodi lunares annos hìc intelligi oportere declarat iſthæc Angelica & prophetica loquendi ratio, *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt*, quia nempe ſolaribus ſunt breviores. Ergo &c.

Reſp. neg. min. Quia 1mo non videntur Judæi annos illos lunares in uſu habuiſſe: menſes quidem eorum Lunæ, at anni Solis curſu dirigebantur, quod patet ex feſtis eorum quotannis eodem tempore celebratis, Exod. 23. v. 15. 16. Levit. 23. v. 10. Deut. 16. v. 13. 2do. Anni captivitatis 70. quorum Daniel meminit, ſolares utique erant, quî ergo fieri poſſet, ut Daniel in eodem capite loquens de ſeptuaginta hebdomadibus annorum, annos diverſi generis, ſeu lunares intelligeret? 3tio denique, parum refert, an prædicti anni apud Danielem

(*f*) Quid ſit periodus Juliana diximus in cit. 2. part. Phyſices noſtræ cap. 2. tit. *de Periodo Juliana*, ubi eam cum anno 1mo Chriſti juxta æram vulgarem, qui 4tô verò Chriſti Natalis annô figitur, comparavimus, ſimul & cum vero Natalis Chriſti anno, prout hìc facimus, eam compoſuimus.

Digitized by Google

nielem ſolares ſint an lunares, cùm iſti ad illos menſis intercalatione redigantur: ad lunarem enim annum ſolari coæquandum ſolebant, & adhuc ſolent Judæi ſecundô aut tertiô quolibet annô menſem intercalare atque Februarium inter & Martium collocare *Ve - Adar* ab ipſis dictum, quaſi *adbuc Adar*, vel *ſecundum Adar* ſeu *Februarium.* (*g*)

Neque etiam lunares annos intelligere cogit iſthæc Angelica & prophetica loquendi ratio, *ſeptuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt:* nam ita nuncupantur, vel quia deciſæ ſunt ac definitæ à Deo, ut fert verbum hebræum, quòd nempe ex incerto ac indefinito tempore ad certum & conſtitutum ſpatium prophèticô vaticiniô ac divina ordinatione contractus ſit Meſſiæ adventus. Vel quòd ex longiori intervallo, quod ab initio mundi fluxit, breviſſimum reſtabat; quomodò in ſenectute vita hominis abbreviata dicitur. Vel denique hebdomades illæ abbreviatæ dicuntur, quia nòn effluxerant totæ, nec curſum ſuum abſolverant, cùm crui affixus eſt Chriſtus; ſeptuageſima quippè adhuc erat in curſu.

Cætera, quæ hîc vanis & putidis ſuis hujus Danielis textus interpretationibus quærunt Judæi effugia recenſere prætermittimus, ut quæ ſint Chriſtianorum victoria: adeò enim manifeſtè Scripturæ textum depravant, ut ſuperfluum videatur illorum cavillationes refellere.

Contra Argumentum III. 71

Ex Aggæo & Malachia depromptum.

Ob. 1mo. Major illa Templi gloria, de qua Aggæus, referri debet vel ad majorem ædificiorum Templi pompam, divitias, ornamenta, munera; vel ad durationem, quia ſecundum iſtud Templum durare debuit annis 420. id eſt, decenniô plùs, quàm ſteterit primum. Ergo malè ad Meſſiæ adventum adaptantur.

Reſp. neg. ant. Nam 1mo leviora ſunt iſta, quàm ut majorem Templo Dei gloriam conciliare dici poſſint; nec de rebus hujuscemodi caducis tam magnificè loqueretur Deus, ut propterea *commoveri debeat cœlum & terra*, prout textus loquitur. 2do. Deus diſertè profitetur, ſe Templi gloriam ex illis rebus infirmis non æſtimare: *Meum enim eſt*, ait loc. cit. Aggæi, *argentum*, *meum eſt aurum:* ſed ornabo illud re longè præſtantiori, Filii mei ſcilicet præſentiâ, qui eſt gloria Iſrael. 3tio. Qualiacunque ſint munera & dona, quæ Darius, Artaxerxes, Herodes, aliique Principes ad Templi ſtructuram & ornatum contulerint, nusquam æquare multò minùs ſuperare potuerunt gloriam ac ſplendorem Templi Salomonis, in quo erant præcipua iſta decora, & ornamenta, Arca fœderis, ignis perpetuus, virga Aaron, oleum ſanctum, ſpiritus prophetiæ, præſentia Dei in propitiatorio, (*b*) Urim & Thumim, quæ omnia in ſecundo Templo defuiſſe non diſſitentur ipſimet Judæi.

Ob. 2do.

(*g*) Vid. Tom. 1. Theol. noſtræ Tract. 1. de S. Script. part. 1. cap 8.

(*b*) Hæ duæ voces ad litteram ſonant *luces*, & *perfectionem*, ſive *fulgentes & perfectos.* S. Hieronymus vertit, *Doctrinam & veritatem*; Septuaginta, *declarationem & veritatem.* Joſephus, Antiq. lib. 3. cap 8. aliique plures tum veteres tum recentiores contendunt *Urim* & *Thumim* eſſe ipſiſſimas duodecim gemmas rationali ſeu panniculo acu picto & pretioſo 12. circiter pollicibus in quadratum, quem Summus Sacerdos ante pectus appenſum geſtabat, inſertas, quæ inſueti fulgoris irradiatione rerum eventus, de quibus Deus conſulebatur, docebant. &c.

72 Ob. 2do. Verba Aggæi referri videntur ad tertium, quod, ſecundo præ vetuſtate collabente, ab Herode conſtructum proditum eſt. Ergo non ad ſecundum Templum.

Reſp. neg. ant. Ab Herode nullum Templum de novo excitatum fuit, ſed ſecundum à Zorobabele poſt reditum è Babylone conſtructum ornavit ipſe & ditavit, ejusque partes aliquas vetuſtate collapſas aut reparavit aut ampliavit ſuper iisdem fundamentis maxima ſaltem ex parte. Joſephus lib. 13. cap. 13. Joan. cap. 2. v. 20.

73 Contra Argumentum IV.

Ex ſignis, quæ adventum Meſſiæ aut comitari aut ſubſequi debuerunt deductum.

Ob. 1mo. Vox hebræa, *Halma*, qua hîc utitur Iſaias, non virginem, ſed puellam ſeu juvenculam ſignificat, prout re ipſa vertunt Symmachus, Aquila & Theodotion. Ergo ineptè ex eo, quòd Iſaias dixerit, ex puella aliqua filium naſciturum, arguimus illum eſſe Meſſiam ex Virgine natum.

Reſp. neg. ant. Nam *Halma* ex verbo *Halam,* quod eſt *abſcondere* derivatum ſignificat nativa ſua ſignificatione puellam abſconditam, quæ nulli viro pateat; unde Scriptura paſſim nomen *Halma* uſurpat ad virginem ſignificandam, ſeu, ut ait S. Hieronymus in hunc Iſaiæ locum, *puellam, quæ nunquam virorum patuerit aſpectibus, ſed magnâ parentum diligentiâ cuſtodita ſit.* Hoc ſenſu ſumitur Gen. 24. v. 42. Exod. 2. v. 8. Deut. 22. v. 19. Ruth 4. v. 12. Hoc ſenſu etiam interpretantur, qui Judæis ſuſpecti eſſe non poſſunt, Septuaginta Interpretes, & Paraphraſtæ Chaldæi, Onkelos & Jonathan. Et verò ſcopus & conſilium Iſaiæ fuit, ut Achaz Judæorum Regem in urbe Jeroſolyma à Raſin & Phacee Regibus Syriæ & Iſraelis obſeſſum, ac de ſalute quaſi deſperantem confirmaret, ac in ſpem erigeret futuræ liberationis per manum Dei omnipotentis, unde Deo inſpirante rem planè novam & ſtupendam, cujus nullum hactenùs extiterat exemplum, ipſi proponit, futurum nempe, *ut virgo concipiat & pariat filium;* ac quaſi à majori ad minus arguit, nempe: Si poteſt Deus efficere, ut Meſſias naſcatur è Virgine, quantò magis te à duobus illis Regibus liberare valebit. Quòd ſi verò nomine virginis Propheta puellam vel juvenculam ſimpliciter intellexiſſet, ex cujus cum viro conſortio filius naſcatur, nihil profectò in eo mirum, nihil inſolitum ac ſtupendum fuiſſet. Ita paſſim arguunt S. Juſtinus Dial. cum Triphone Judæo, Tertullianus, lib. cont. Judæos, cap. 9. Origenes, lib. 1. contra Celſum. Euſebius, lib. 7. Demonſt. Evang. S. Hieronymus, in cit. Iſa. locum. Nec audiendi ſunt Symmachus, Aquila & Theodotion, qui partium ſtudiô & affectu in Judæos abrepti & excœcati aliter reddunt vocem hebræam *Halma:* Symmachus quippe fuit è Secta Ebionitarum, qui B. Virgini Dei matri ſuam integritatem virginalem detrahebant; Aquila verò & Theodotion Judæi proſelyti fuerunt, ac Chriſtô recentiores, ipſique infenſiſſimi.

Ob. 2do. Adducta à nobis argumentô noſtrô Iſaiæ verba de Ezechia filio Regis Achaz, vel ipſius Iſaiæ filio videntur eſſe intelligenda. Ergo, &c. 74

Reſp. neg. ant. Ezechias enim jam natus erat, cùm oraculum iſtud fudit Iſaias. Rex quippe Achaz decimô ſextô Regni ſui annô è vivis exceſſit, 4. Reg. 16. v. 2. & annô ætatis 25tô Ezechias patris ſui Regnum obtinuit. Iſaias duorum filiorum ſuorum meminit, prior nomine Jaſub ei jam natus fuerat antequam oraculum à nobis laudatum emiſiſſet, & cum

Digitized by Google

cum patre ad Regem acceſſerat, cap. 7. v. 3. Et cùm ei alterum peperit uxor ejus, utique non ampliùs puella aut juvencula dici poterat, ut quæ jam ſobolem unam genuiſſet, unde & ipſe Iſaias eam *prophetiſſam* duntaxat, cap. 8. v. 3. non *virginem* appellat; hicque alter filius re & nomine diſtinguitur ab *Emmanuele*, vocatus eſt enim, Deo mandante, *Accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari.* Et certè nullus præter Chriſtum excogitari poteſt, qui ab Iſaia dictus fuerit *Emmanuel*, ſeu *Deus nobiſcum*, *Deus fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis.* Iſaiæ cap. 7. v. 14. & cap. 9. v. 6. Unde patet, hîc nec Ezechiam nec filium Iſaiæ intelligi poſſe.

75 Ob. 3tio. Adductô à nobis vaticiniô Iſaias Regi Achaz ſignum dare voluit mox liberandæ ab obſeſſione urbis Jeruſalem. Atqui hoc ſignô ſignificare non potuit Meſſiæ adventum, quippe qui longò pôſt temporis intervallô primùm venturus erat; nihil enim inde ſolatii potuiſſent capere Achaz & Judæi. Ergo &c.

Reſp. neg. min. Nam 1mo nec abſurdum eſt, nec ab uſu Scripturæ alienum, rem longè poſt eventuram dare in ſignum rei non multò pôſt futuræ. Sic 1. Reg. cap. 2. v. 34. annô circiter mundi 2860. Heli (*i*) in ſignum eorum, quæ mox futura erant, datur mors filiorum ipſius, quæ primùm annô mundi 2888. accidit. Et Jeremias, qui intra annos mundi 3377. & 3418. vaticinatus eſt, c. 44. v. 29. & 30. in ſignum eorum, quæ populo Iſraelitico brevi pôſt eventura erant, dat interitum Pharaonis, qui primùm annô mundi 3433. accidit, cùm nempe Pharao iſte ad urbem Memphim cum Amaſi congreſſus, victus & captus eſt, ac demùm ſtrangulatus, ut narrant Herodot. lib. 2. & Diodorus Siculus l. 1. 2do. Duo tunc temporis maximè anxium tenebant Regem Achaz; primum, an ſi Jeruſalem in poteſtatem hoſtium veniret, tota Judaica natio & regia familia penitus extingueretur? Alterum an Judæi tunc à furore duorum illorum Regum liberandi forent? Iſaias ergo exemplô ſtupendi prodigii, quod Deus operaturus eſt, *cùm virgo concipiet & pariet filium*, certam ſpem facit, nec gentem nec regiam ſtirpem, ex qua naſciturus erat Meſſias, tunc extinguẽdam fore; ſicque dejectos Judæorum animos erigit, ac fiduciam inſpirat in divinam omnipotentiam, quæ res eorum tametſi velut omninò deſperatas, poteſt brevì in melius convertere.

Ob. 4to. Ille de quo loquitur Iſaias, 76
butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum & eligere bonum. Atqui hæc ignorationem quamdam & profectum in bono denotant. Ergo Meſſiæ convenire non poſſunt, utpote qui juxta nos Deus eſt.

Reſp. neg. min. Per hæc verba, *Butyrum & mel comedet*, Meſſiæ humanitas & puerilis ætas deſignatur. Per iſta verò, *Ut ſciat reprobare malum & eligere bonum*, non ignorationem, *in ipſo enim ſunt omnes theſauri Sapientiæ & Scientiæ abſconditi*, ſed experimentalem, ut ajunt, ſcientiam intelligi oportet; unde dicitur *profeciſſe ſapientiâ & ætate, & gratiâ apud Deum & homines*, Luc. 2. v. 52.

Ob. 5to. Raſin Rex Syriæ, & Phacee 77
Rex Iſrael dicuntur ab Iſaia è Judæa pellendi, aut morte puniendi, antequam puer ille, qui promittitur, ſciat reprobare malum & eligere bonum, c. 7. v. 16. Atqui de Meſſia hæc intelligi non poſſunt; namque paulò poſt editum hoc Iſaiæ vaticinium, expulſi ſunt & mortui duo illi Reges, Chriſtus autem verus Meſſias nonniſi multis poſteà ſæculis mundo illuxit aut illucere debuit. Ergo, &c.

Reſp.

(*i*) Summo Sacerdoti populi Iſraelitici.

Reſp. neg. min. Nam antequam puer (Meſſias) ſciat reprobare malum & eligere bonum, id eſt, ad eam ætatem perveniat, in qua infantes uſu rationis frui vulgò incipiunt, verſùs annum ſextum aut ſeptimum, re vera duo illi Reges fugati ſunt (*k*); quamquam nonniſi poſt multa ſæcula puer ille naſciturus eſſet. More ſcilicet Prophetarum obscurô & involutô loquitur Iſaias, ac rem longiùs diſſitam, quaſi proximè futuram exhibet ad ſolatium Judæorum, eorumque fiduciam in Deum excitandam & confirmandam.

78 Contra Argumentum V.

Ex Joſepho lib. 18. Antiquitatum c. 4. deſumptum.

Ob. 1mo. Teſtimonium iſtud ſtylô prorſus diverſô, quàm Joſephus in ſua ſcriptione ſectetur, exaratum videtur, nec cum iis quæ illud antecedunt ac ſequuntur cohæret, imò maximè ab iis diſſonat. Ergo fictitium eſt & adjectitium.

Reſp. neg. ant. Hanc ſtyli diſcrepantiam ſubodorati non ſunt viri ſagaces Euſebius, Hieronymus, Iſidorus & alii tam veteres, quàm recentiores, qui teſtimonium iſtud pro vero ac genuino Joſephi textu agnovère. Præterea disjuncta non eſt periodus, quâ illud continetur, nec aliena, ſed maximè cum iis, quæ Hiſtoricus narrat de Pilato cohæret, ac quaſi è re ipſa naſcitur: quamquam etſi non cohæreret, nihil adverſum non ſequeretur; Joſephus enim non rerum ſed temporum ſeriem & ordinem ſequitur, ac res diverſas & prorsùs diſparatas narrationes in unum & idem caput confert.

Ob. 2do. In nonnullis Joſephi Codicibus teſtimonium iſtud non reperitur. Ergo, &c. 79

Reſp. neg. conſ. Mendoſi ſunt Codices illi & Judæorum fraude depravati & interpolati, quod teſtatur Baronius ad an. Chr. 34. n. 221. Ubi, *In codice*, inquit, *pervetuſto in quo Joſephi Hiſtoriæ è Græco in Hebraicum ſermonem translatæ, antiquitùs ſcriptæ ſunt, cùm Romæ ejus de Chriſto teſtimonium requireretur, per ſummam perfidorum impudentiam, abraſum inventum fuit, adeo ut nulla ad excuſandum ſcelus poſſet afferri defenſio, cùm membrana ipſa id exclamare videretur.* Item *In Bibliotheca Sorbonica*, inquit Turnelius, Tract. de Incarn. q. 3. a. 1. arg. 5. *aſſervatur vetuſtus Joſephi codex latinus, in quo quidem deſideratur laudatum teſtimonium; ſed, quod obſervandum, deeſt folium, in quo eum locum deſcribi oportuit; deſcriptam enim fuiſſe hanc hiſtoriam in folio, quod deeſt, conſtat ex Lemmate capitulorum hujus libri, ubi de Domino Jeſu Chriſto diſerta mentio habetur.*

Ob. 3tio. Si teſtimonium iſtud verè eſſet Joſephi, tunc Veteres ut Juſtinus & Tertullianus adverſùs Judæos congreſſi tam ſplendidum teſtimonium non prætermiſiſſent. Atqui illud omiſerunt. Ergo. 80

Reſp. neg. ſeq. maj. Nonnulli è Veteribus iſtud Joſephi teſtimonium Judæis, cum quibus diſputabant, non oppoſuerunt, ſive quia mendoſis ac corruptis Joſephi codicibus utebantur, ſive quia ſufficere arbitrabantur tot præclara & eximia, quæ opponebant, Prophetarum de Chriſto Meſſia vaticinia.

Ob. 4to. Origenes Tract. 11. in Matth. & lib. 1. contra Celſum diſertè profitetur, Jeſum à Joſepho nunquam pro 81

(*k*) Id eſt, ſicuti puer ante ſextum aut ſeptimum ætatis ſuæ annum uſu rationis non fruitur, ita intra hos annos expellentur Reges Syriæ & Iſrael.

Digitized by Google

pro Chriſto agnitum fuiſſe. Idem affirmat Theodoretus. Et verò quomodò Joſephus Chriſtum verum Meſſiam agnoviſſet, qui oracula Prophetarum de venturo Meſſia Veſpaſiano Imperatori accommodat? Ergo, &c.

Reſp. neg. conſ. Origenes & Theodoretus non immeritò dicunt, Chriſtum à Joſepho verè cognitum non fuiſſe, ſive, quòd re ipſa non crediderit eum verum eſſe Deum; atque cùm ſcripſit, *Hic erat Chriſtus*, non ex ſua privata fide ac ſcientia loquebatur, ſed ex vulgari appellatione, quia ſcilicet ita nuncupabatur Chriſtus, ut ſenſus ſit, *Hic erat, qui vocabatur Chriſtus*, ſicut verbis conceptis ſcripſit lib. 20. c. 8. & ſicut S. Hieronymus reddit, *Et credebatur eſſe Chriſtus.* Judæi ſcilicet Jeſum ſic deſignare ſolebant, Matth. 1. v. 16. *De qua natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus.* Et c. 27. v. 17. *Quem vultis dimittam vobis*, ajebat Pilatus, *Barabbam, an Jeſum, qui dicitur Chriſtus.* Vel ſi re ipſa interiùs Chriſtum Deum agnovit Joſephus, exteriùs ipſum non eſt profeſſus, ac ſecum ipſo pugnans, factò negavit, quod animò credebat, eo fere modo, quo nonnulli veteres Philoſophi, Plato, Socrates, Tullius apud ſe taciti multitudinem deorum irridebant, quos tamen publicè, ne populum in ſe concitarent, ſimul cum illo venerabantur. Hac ratione ducti Origenes & Theodoretus affirmare potuerunt, Chriſtum à Joſepho verè agnitum non fuiſſe, præſertim cùm non ignorarent, illum ex craſſa & turpi adulatione, propria reclamante conſcientia, vaticinia Prophetarum de venturo Meſſia Veſpaſiano inſcitè adaptaſſe.

82 Ob. 5to (*l*). Photius codice 48. Bibliotecæ ſuæ librum *De univerſo*, ab aliquibus Joſepho adſcriptum, eidem abjudicat, quòd in eo Chriſtus dicatur Deus, ac ipſius æterna generatio deſcribatur. Unde & codice 238. ubi ſummarium & cenſuram Joſephi proponit, de noſtro teſtimonio ſilet. Ergo illud fictitium & ſuppoſititium arbitratur.

Reſp. trans. totum. Ergo quia fortè Photius iſtud teſtimonium falſum arbitratus eſt, etiam te ipſa falſum dici debebit? minimè profectò. Et verò Photius codice 48. non affirmativè, ſed dubitanter loquitur, nec ex ſua propria ſed aliena ſententia, atque clarè innuit, non ſatis firmam ſibi videri hanc recuſationis Libri *de Univerſo* rationem. *Quæ res*, inquit, *ambigendi fortaſsè cuipiam cauſam præbeat, ſitne hoc Joſephi Opuſculum.* Quantùm ad ipſius Bibliothecæ codicem 238. certum eſt, illum in ſua Bibliotheca noluiſſe abſolutiſſimum Antiquitatum Judaicarum Epitomen exſcribere, cujus 14. priores libros omiſit, & in ſuis, quæ ad nos pervenerunt, excerptis multa refert, quæ certè Joſephi non ſunt, v. g. cùm ait, *Herodem filium fuiſſe Antipatris Idumæi, & Abrabiſſæ, nomine Cypris; ſub eo natum eſſe Chriſtum Deum noſtrum pro ſalute Judæorum, & quidem ex virgine matre &c.* quæ certè non ſunt verba Joſephi. Sicut ergo potuit Photius nonnulla tanquam ex ipſo laudare, quæ ipſius non ſunt, ita & potuit nonnulla omittere, quæ ipſius ſunt.

Ob. 6to. Auctor teſtimonii hujus aſſerit, Chriſtum non eſſe hominem appellandum; ergò cenſet illum verum Deum eſſe. Atqui Joſephus nusquam confeſſus eſt, Chriſtum eſſe verum Deum, aliàs Chriſtianam Religionem amplexus fuiſſet. Ergo. 83

Reſp.

(*l*) Fuit Photius Pſeudo-Epiſcopus Conſtantinopolitanus Schiſmaticus vir. Vixit ſæculò IX. circa an. Domini 869.

Digitized by Google

Reſp. Vel Joſephus re ipſa Chriſtum pro vero Deo non habuit, atque oratorio duntaxat more dixit de eo *ſi tamen virum illum oportet dicere* (m), ob ſtupenda ſcilicet prodigia, quæ operabatur, atque longè ſupra hominis vires poſita erant; vel ſi, quod veriſimilius eſt, eum tanquam verum Deum agnovit, nontamen ut talem coluit, atque factô negavit, quod mente credidit.

84 Ob. 7mo Veriſimile non eſt, Joſephum ſectâ Phariſæum tam honorificè de Chriſto locutum fuiſſe, à quo Phariſæi tam durè exagitati & objurgati fuerunt. Ergò nec veriſimile eſt adductum teſtimonium eſſe ipſius.

Reſp. neg. ant. Joſephus ſolâ veritate ſuperatus, quaſi invitus de Chriſto tam præclarè ſcripſit, tametſi ſectâ Phariſæus eſſet, quam Chriſtus tam ſæpè oppugnavit. Plura verò non addidit de illo, quia id non poſtulabat ipſius inſtitutum, ac timuit, ne Veſpaſiano diſpliceret, ſi de Rege Meſſia plura commemoraret: imò finxit, ſe in ea opinione verſari, Veſpaſianum eſſe Meſſiam à Prophetis deſignatum.

85 Ob. 8vo. In prætenſo hoc Joſephi teſtimonio legitur, plurimos è Gentilibus ad Chriſtum confluxiſſe, ejusque doctrinam amplexos eſſe; cùm tamen certum ſit, ex Ethnicis unam duntaxat & alteram mulierem Chananæam & Samaritanam Chriſto adhæſiſſe. Ergo &c.

Reſp. neg. conſ. Reſpicit quippe Joſephus ad eam, qua vivebat, ætatem, annô videlicet poſt Chriſtum ferè 96to. quo certe tempore magna Gentilium multitudo ad Chriſti fidem adducta jam fuerat. Poteſt etiam negari ſecunda pars antecedentis ſeu conſequens. Quia Chriſto adhuc vivente Centurio & Samaritani ad ejus fidem converſi ſunt, multique ex Gentilibus ad eum venerunt, ut eum viderent. Joan. 12. v. 20. Et v. 19. *Ecce*, ajunt Phariſæi, *mundus totus poſt eum abit.*

Ob. 9no. Joſephus apud Origenem contra Celſum, & Euſebium lib. 2. Hiſt. c. 23. cauſam excidii Jeroſolymitani refert ad necem Jacobi, non verò Chriſti. Ergo, &c. 86

Reſp. neg. conſ. Joſephus ultimam Judæorum cladem refert potiùs ad necem Jacobi quàm Chriſti, tùm quia genti ſuæ gratificari voluit, cui maximè odioſam fore præſentiebat illam tanti criminis accuſationem; tùm quia Jacobi martyrium proximè ſecuta eſt illa conſummata gentis Judaicæ ruina & diſperſio.

Ob. 10mo. Iſtud teſtimonium non eodem modò ab auctoribus refertur. Ergo, &c. 87

Reſp. neg. conſ. Varietas illa in legendis Veterum textibus frequentiſſima eſt, quæ tamen ſenſum, ut plurimum non ſpectat, ſed aliquam duntaxat verborum immutationem; prout hîc evenit, dum auctores paulò immutatis verbis hoc Joſephi teſtimonium referunt, quæ varietas illius veritati nullatenus officere videtur.

§. III.

Utrum Incarnatio Verbi peracta ſit debito tempore. 88

Gentiles quondam Chriſtianis exprobrabant, quòd Chriſtus, quem ipſi veritatis ducem ac Magiſtrum prædicabant, prioribus ſæculis ſe ſubduxiſſet, atque adventum ſuum tamdiu diſtuliſſet. Judæi è contra contendunt, Meſſiam tunc non debuiſſe venire, cùm Jeſus Nazarenus in

(m) Admirantis inſtar non verò aſſerentis loquitur hîc Joſephus.

Digitized by Google

in lucem prodiit, ſed eum primùm in noviſſimis, & circa mundi finem diebus venturum. At quia tam adversùs Gentiles, quàm Judæos prioribus duobus paragraphis luculenter demonſtravimus, Incarnationem Verbi, eo, quod inſinuavimus, tempore factam fuiſſe; manifeſtè ſequitur, eam debito, & quo oportuit, tempore peractam fuiſſe, unde ad priora adverſarios noſtros revocantes paucis hìc rem conficiemus, in id præcipuè intenti, ut reliqua quæ adversùs Meſſiæ adventum jam præteritum à Judæis objiciuntur penitùs diluamus. Sit

89 CONCLUSIO I.

Incarnatio fieri non debuit prioribus mundi ſæculis.

Prob. 1mo. ex ratione à S. Auguſtino tract. 31. in Joann. deſumpta. Conveniens fuit, ut homines per præcedentia oracula diſponerentur ad fidem myſterii, quod eſt creditu difficillimum; ac per multa ſæcula præpararentur ad Meſſiam, eâ, quà, par eſt, reverentiâ excipiendum. Ergo &c. *Multi dicunt*, inquit S. Doctor, *quare non ante venit Chriſtus? quibus reſpondendum eſt, quia nondum venerat plenitudo temporis moderante illo, per quem facta ſunt tempora. Sciebat enim quando venire deberet. Primò per multam ſeriem temporum & annorum prædicendus fuit. Diu fuerat prædicendus, ſemper tenendus. Quantò major Judex veniebat, tantò præconum longior ſeries præcedebat.* Eadem habet S. Leo (n).

Prob. 2do. Expediens fuit, ut homo lapſus per multa ſæcula experiretur & imbecilles naturæ ſuæ vires ad operandum bonum, & legis inſufficientiam ad conſequendam juſtificationem, ut nimirum & iſtius inſufficientiâ, & illius imbecillitate, ad Meſſiam confugeret, ac in ejus meritis & auxilio totam ſuam ſpem collocaret. Hanc rationem, quæ deſumpta eſt ex epiſtola ad Romanos, multis proſequitur S. Auguſtinus contra Pelagianos agens (o).

CONCLUSIO II. 90

Incarnatio ad finem usque ſæculorum differri non debuit.

Prob. 1m. Si Incarnatio ad finem usque mundi fuiſſet dilata, periculum fuiſſet, ne deſiiſſet eſſe in votis hominum: ſiquidem cùm homines vident ſua deſideria, etiam poſt multa tempora, non expleri, ſolent in deſperationem abire, ſeu deſinunt rem deſiderare, quam ſe conſecuturos eſſe priùs ſperaverant: at ſummum malum eſſet non expectare Meſſiam, cùm non ſit aliud nomen, in quo nos oporteat ſalvos fieri, ſeu, cùm fides in eum cuique adulto ſemper neceſſaria fuerit neceſſitate medii.

2do. Per adventum Meſſiæ Lex antiqua abrogari debuit, & ſanciri nova. Atqui hæc, ſi Incarnatio tamdiu dilata fuiſſet, paucis ſane, prout liquet, profuiſſet hominibus, nec multi ex Chriſti myſteriis, ex Evangelii prædicatione uberes illos fructus percepiſſent, quos Deus homini per ſuum Filium incarnatum, & per-

(n) Serm. 3. de Nativ. v. 4.

(o) Multas adhuc dilatæ Incarnationis ad temporis plenitudinem afferunt SS. Patres. 1. Ex dignitate Meſſiæ, tanti enim operis expectatio, longè magis tanti beneficii excellentiam apud homines commendare debuit. S. Aug. Tract. 31. in Joan. n. 5. 2. Hominis inveterata malitia & corruptio. Decebat enim tunc cœleſtem advenire Medicum, cùm morbus ad ſummum devenit, ac ferè deſperatus erat. S. Gregor. Nyſſen. Orat. de Nativit Chriſti. Et Theodoretus Serm. 6. de Providentia Dei 3. Tunc voluit hominibus apparere Chriſtus, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & ubi ſciebat eſſe, qui in eum fuerant credituri. S. Aug Ep. 102. aliàs 49. ad Deograt. q. 2. n 14. 4. Non priùs advenit Chriſtus, quia non priùs inventa fuit virgo digna, quæ mater ejus fieret, qualis fuit in plenitudine temporis B. V. Maria. &c.

peracta illius myſteria, contulit. Ergo Incarnatio ad finem uſque ſæculorum differri non debuit, verùm jam peracta eſt, eo quidem, quod conveniebat tempore, cùm nempe expletæ fuerunt de futuro Meſſia prophetiæ, factaque ſigna, quæ adventum ejus aut comitari aut ſubſequi debuerunt. Atqui hæc omnia jam completa eſſe præcedenti §. luculenter demonſtravimus. Ergo eo, quod ibidem ex iis prophetiis & ſignis deſignavimus, tempore facta eſt Verbi Incarnatio, veruſque Meſſias mundo illuxit.

91 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. contra Concluſionem 1mam cum Ethnicis apud S. Auguſtinum (p) ſic loquentibus. *Si Chriſtus ſe ſalutis viam dicit, gratiam & veritatem, in ſeque ſolo ponit animis ſibi credentibus reditum, quid egerunt tot ſæculorum homines ante Chriſtum? Quare Salvator, qui dictus eſt, ſe ſe tot ſæculis ſubduxit?* Ergo conveniens fuit, ut Deus humanam carnem indueret ſtatim poſt Adami peccatum, ut tot hominum millibus, qui ante illius adventum vixêre, conſuleret.

Reſp. Homines, qui ante Chriſtum vixerunt, ſi in eum aliquando venturum crediderunt, per eam in Redemptorem ſuum fidem, ſalutem fuerunt conſecuti; hæc enim fuit virtus Chriſti, ut etiam antequam actu naſceretur, operaretur in eos, qui per fidem ad myſticum illius corpus pertinebant. *Itaque*, ait S. Auguſtinus ep. 49. *ab exordio generis humani, quicumque in eum crediderunt, eumque utcumque intellexerunt, & ſecundùm ejus præcepta piè & juſtè vixerunt, quandolibet, & ubilibet fuerint, per eum procul dubio ſalvi facti ſunt. Sicut enim nos in eum credimus & apud Patrem manentem, & qui in carne jam venerit: ſic credebant in eum antiqui & apud Patrem manentem, & in carne venturum.* Vide quæ diximus Tom. 1. Theol. noſtræ Tract. de Eccleſia, c. 1. §. 2. concluſ. 2. pag. 12. & ſeq.

Ob. 2do. contra Concluſionem 2dam. Geneſ. 49. Jacob prædicturus adventum Meſſiæ ſic filios ſuos alloquitur: *Congregamini, ut annuntiem vobis quæ ventura ſunt noviſſimis diebus.* Iſaias quoque c. 2. hæc de Chriſti Eccleſia vaticinatur: *Et erit in noviſſimis diebus præparatus mons domûs Domini in vertice montium, & fluent ad eum omnes gentes.* Atqui noviſſimis illis diebus deſignatur extrema mundi periodus. Ergo juxta Prophetarum Oracula Incarnatio ſeu adventus Meſſiæ ad finem usque ſæculorum differri debet. 92

Reſp. neg. min. Per noviſſimos dies, de quibus Jacob & Iſaias loquuntur, intelligitur ea mundi ætas in qua verſamur, & quæ reſpectu ſex aliarum præcedentium noviſſima dicitur. Scilicet prima mundi ætas, ut jam alibi diximus (q), ab Adamo ad Diluvium fluxit; Altera à Diluvio ad Abrahamum; tertia, ab Abrahamo ad Exodum ſeu exitum Iſraelitarum ex Ægypto; Quarta, ab exitu ex Ægypto ad jacta Templi fundamenta per Salomonem; Quinta, à jactis Templi fundamentis ad finem captivitatis Babylonicæ; Sexta, à liberatione populi Iſraelitici è captivitate Babylonica usque ad Chriſtum; Septima denique, quæ noviſſima eſt, quamque Prophetæ prænuntiârunt, à Chriſto uſque ad finem ſæculorum perdurabit.

Ob. 3tio. Elias præcedere debuit Incarnationem Verbi ſeu adventum Meſſiæ, Malach. 3. v. 1. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Quis autem ſit ille Angelus, exponitur ibid. c. 4. v. 5. *Ecce ego mittam vobis* 93

 Eliam

(p) *Epiſt. 49. ad Deogratias, q. 2.* (q) In tract. de S. Scriptura, & in Tract. de Angelis &c.

Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini. Atqui nondum venit Elias. Ergo.

Reſp. 1mo. neg. min. Nam Elias, qui Meſſiam præcedere debuit, ad litteram non eſt Elias Thesbites, ſed figuratè & analogicè eſt Joannes Baptiſta, propter ſimilitudinem, quæ illi cum Elia interceſſit in zelo & fervore, qui venire debuit *in ſpiritu & virtute Eliæ*, ut dicitur Luc. 1 v. 17. Et Matth. 11. v. 14. Joannem Baptiſtam Eliæ nomine deſignari, patet manifeſtè ex c. 17. Matth. v. 12. & 13. *Elias jam venit & non cognoverunt eum*, inquit Chriſtus; *Tunc diſcipuli intellexerunt, quia de Joanne Baptiſta dixiſſet eis.* Quòd ſi ad litteram Elias Thesbites intelligi debeat, Reſp. 2do. diſt. maj. Elias præcedere debet adventum Meſſiæ ſecundum, conc. Primum, neg. maj. De ſecundo ergo Meſſiæ adventu non de Incarnatione aut primo adventu intelligendus eſt Malachias, quem ſecundum adventum re ipſa præceſſurus creditur Elias: qui dies magnus & horribilis à Propheta dicitur, cùm ſcilicet in majeſtate gloriæ ſuæ veniet Chriſtus judicaturus vivos & mortuos, & unicuique bonum & malum, prout bene vel malè geſſerit, redditurus.

94 Ob. 4to. In diebus Meſſiæ pax & abundantia erit, Pſal. 71. v. 7. *Orietur in diebus ejus juſtitia, & abundantia pacis.* Unde Iſai. 9. v. 6. Meſſias vocatur, *Princeps pacis.* Et c. 11. v. 6. in ſignum pacis hujus dicitur *lupus habitaturus cum agno, pardus cum hœdo*, & *vitulus cum leone.* Atqui nihil eorum impletum videmus; ſed locò pacis & abundantiæ, qua frui deberent Judæi, ſi Meſſias jam veniſſet, duriſſima ſervitute exules ubique ferè premuntur. Ergo.

Reſp. neg. 1mum. membrum min. Nam pax & abundantia, quam Meſſias eſt allaturus, ſpiritualis duntaxat eſt, non terrena & mundana; neque id ſuos latere voluit Chriſtus: *Nolite arbitrari*, inquit Matth. 10. v. 34. *quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, ſed gladium.* Idem habetur Luc. 12. v. 51. & Joan. 14. v. 27. Cùm lupus habitaturus dicitur cum agno, pardus cum hoedo; vitulus cum leone, figurata eſt locutio, per quam ſignificatur, Gentiles, omni depoſita morum foerocitate, ad fidem Chriſti, velut agnos manſuetos & dociles adducendos fore. Dici etiam non immeritò poſſet, ortam in adventu Meſſiæ pacem etiam temporalem, quia tunc ſumma pace univerſum Romanum Imperium fruebatur.

Ob. 5to. De Meſſia dicitur Pſal. 2. v. 95
8. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Bellatorem quoque illum futurum eſſe oſtendunt verba iſta, Pſal. 44. v. 6. *Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent.* Atqui Chriſtus noſter nec bellator fuit, nec Gentes omnes imperio ſuo ſubjecit; Ergo non eſt Meſſias toties promiſſus, & tamdiu expectatus.

Reſp. diſt. min. Atqui Chriſtus nec bellator fuit, nec Gentes imperio ſuo ſubjecit temporali & caduca dominatione, conc. ſpirituali & æterna, neg. min. Chriſtus Gentes imperio ſuo ſubjecit, non temporali quidem & caduca dominatione, ſed ſpirituali & æterna, fidem interiùs occulta gratiæ ſuæ ſubminiſtratione ſuadendo, mores in melius reformando: quo pariter ſenſu Meſſias bellator futurus dicitur, non illo carnali Judæorum ſenſu, qui Meſſiam Ducem armis & opibus præpotentem expectabant, à quo in plenam libertatem aſſerendi forent, & ab omnibus ſuis hoſtibus liberandi; ſed ſpirituali modò bellator & victor futurus erat; quia de infidelitate, de errore, de dæmone, imò & de ipſa morte plenam reportaturus erat victoriam.

Ob. 6to. Iſaiæ 30. v. 26 in adventu Meſ- 96
ſiæ Lux lunæ erit ſicut lux Solis, & Lux Solis debet eſſe ſeptuplò major, quàm erat anteà: *Sicut lux ſeptem dierum, in die, qua alligaverit Dominus vulnus populi ſui*, id eſt, in adventu Meſſiæ. Atqui nondum viſa

eſt

Digitized by Google

eſt Lux Solis ſeptuplô major, nec lux Lunæ ſicut lux Solis. Ergo, &c.

Reſp. Diſt. maj. Et hæc figuratè & myſticè intelligi debent, conc. ad litteram, neg. maj. Figuratè vel hiſtoricè hæc exponi debent de magnitudine gaudii, quod expertura erat Eccleſia Judaica ſoluta captivitate Babylonica; vel myſticè, de magnitudine gloriæ, cognitionis ac lætitiæ, quam adventus Meſſiæ, ſanatis Eccleſiæ vulneribus, ac diſcuſſis veteris Inſtrumenti umbris allaturus erat.

97 Ob. 7mo. Ezechiel. 40. magnifica extat deſcriptio Templi, quod à Meſſia eſt reſtaurandum. Atqui certum eſt, Templum illud nondum reſtauratum eſſe. Ergo.

Reſp. diſt. maj. Et loquitur hîc Ezechiel de templo ſpirituali ac myſtico, Eccleſia ſcilicet, cujus Symbolum & figura fuit Templum Salomonis, conc. loquitur de Templo materiali, neg. maj. Ezechiel interprete S. Hieronymo, non loquitur de Templo Hieroſolymitano denuò inſtaurando, ſed de templo ſpiritali ac myſtico Eccleſia nempe, cujus perfecta inſtauratio in cœlis futura eſt, cùm ab omnibus hoſtibus liberata æternùm triumphabit. Quòd ſi verò Prophetam quis intelligere velit de Templo materiali, verba ipſius referenda erunt ad reſtaurationem ſeu ædificationem ſecundi Templi ſub Zorobabele & Jeſu filio Joſedech; quo nihil contra nos evincitur.

98 Ob. 8vo. Jeremiæ 23. v. 5. in diebus Meſſiæ Juda ſalvandus dicitur, & Iſraelis pacifica & tranquilla futura habitatio. Atqui iſtud in Judæis jam diu diſperſis & profugis nondum impletum videmus. Ergo, &c.

Reſp. Diſt. maj. Juda ſalvandus dicitur ſalute ſpirituali & quantùm ad animam, Rom. 9. conc. ſecundùm carnem, neg. maj.

99 Ob. 9no. Ezechielis 38. & 39. Meſſias Gog, & Magog debellaturus dicitur. Atqui iſti nondum apparuerunt. Ergo nondum venit Meſſias.

Reſp. neg. maj. Gratis omninò fingitur Meſſiam debellaturum eſſe Gog & Magog, & Ezechielem c. 38. de Meſſia loqui. Verba enim ipſius non ad Meſſiam, ſed ad eos Reges referri debent, qui poſt captivitatem Babylonicam Judæos novis calamitatibus oppreſſerunt, quales fuêre Reges Syriæ, & populi Aſiæ minoris ſic dicti à Gyge Lydorum Rege; vel à Scythis & Tartaris ita vocatis Geneſ. 10. v. 2. qui jam olim Aſiam minorem & Syriam occupaverant; unde Hieropolis in Aſia dicta eſt *Magog* teſte Plinio, l. 5. c. 28. vide Calmet. Dict. Biblic. verb. *Gog & Magog*.

Ob. 10mo. Verus Meſſias falſorum 100
Deorum cultum extinguere debuit. Atqui Chriſtus noſter illum non extinxit. Ergo, &c.

Reſp. Diſt. maj. extinguere debuit paulatim ac per gradus, conc. ſimul & uno eodemque momento. neg. maj. Illa eſt divinæ providentiæ lex, ut nonniſi per quoſdam gradus ad finem perveniat: *Diſponit omnia ſuaviter; & attingit à fine uſque ad finem fortiter*, Sap. 8. v. 1. Non unicô momentô, ſed ſeptem dierum ſpatiô mundum creavit. Innumeris ſucceſſivè prodigiis natio Judaica emollienda fuit, & præparanda, ut Liberatorem ſuum agnoſceret, quem agnoſcere noluit: *Quoties volui congregare filios tuos . . . . & noluiſti*! Plurimis Prophetarum Oraculis priùs fuit annuntiandus Meſſiæ adventus. Multis gratiarum excitationibus indurati hominis cor paulatim emolliri ac frangi debet, ut ad Deum redeat, ejuſque mandatis facilem & obſequentem animum exhibeat.

Ob. 11mo. Verus Meſſias ab Eccleſia 101
recipi ac probari debuit. Atqui Eccleſia Judæorum, quæ tunc ſola erat, eum abjecit, nedum recepit. Ergo.

Reſp. Diſt. maj. Meſſias debuit ab Eccleſia nova, quæ tunc formabatur, reci-

Digitized by Google

recipi, conc. Ab Eccleſia Veteri ſeu Synagoga, neg. maj. Imò ſæpiùs à Prophetis prænuntiatum fuerat, rejiciendum, ac cruci affigendum fore à Jûdæis Meſſiam, quæ prophetiæ in Chriſto Domino ad litteram impletæ Judæos confundunt, ac Meſſiam, quem expectant, jam diu adveniſſe demonſtrant.

102 Ob. 12mo. Si Jeſus fuiſſet verus Meſſias, tunc utique illud ſciviſſet Joannes Baptiſta. Atqui id ipſe neſcivit; nam miſit ad illum ut reſciret, an Meſſias eſſet, necne? Ergo, &c.

Reſp. neg. min. Joannes ad Chriſtum miſit diſcipulos, qui ab ipſo ſciſcitarentur, an ipſe Meſſias foret: non quòd ipſe Joannes dubitaret, qui de Chriſto tam illuſtre teſtimonium dederat, Joan. 1. v. 29. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic eſt, de quo dixi: Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt, quia prior me erat.* Sed ut diſcipulorum fidem nondum ſatis firmam ac ſolidam, visô Chriſtô ejusque miraculis, confirmaret. *Euntes renuntiate Joanni*, ait Chriſtus, Matth. 11. v. 4. *quæ audiſtis, & vidiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt.* Præterea iſtud Joannis nuncium potiùs declarationem, more in Scripturis uſitato, innuit, quàm interrogationem.

103 Ob. 13tio. Equidem ſi computetur tempus à Prophetis deſignatum adventûs Meſſiæ, jam illud effluxit, ac venire debuit liberator Meſſias. Atqui ſub conditione duntaxat intra illud temporis ſpatium promiſſus à Deo fuit, ſi nempe Judæi intra illud reſipiſcerent, ac ſeriam peccatorum ſuorum agerent poenitentiam, eam autem non egerunt. Ergo nec venit adhuc Meſſias.

Reſp. neg. min. 1mo. In vaticiniis Prophetarum, quibus præfigitur tempus venturi Meſſiæ, nullum extat hujus conditionis veſtigium; *ſi non obſtent peccata populi*, vel *ſi ab ipſis reſipiſcant Judæi*, ſed ſunt abſoluta. Porrò quæ Deus eventura eſſe abſolutè decrevit, ea certiſſimè ſuo definito tempore ſunt eventura.

2do. Propter populi Judaici peccata, non diſtulit Deus illius ex Ægypto, vel Babylone liberationem, quam certo tempore futuram decreverat; ut quid ergò etiamnum ob eadem peccata Meſſiæ adventum differret?

3tio. Non tanta ſunt, quanta olim, Judæorum ſcelera, quæ tot calamitates cœlitùs provocaverunt: non falſos Gentilium Deos adorant; non vitulos aureos in deos a ſe colendos erigunt, &c. quod idololatriæ ſcelus ſupremum eſt, ac execrandum. Quare igitur adhuc differretur Meſſiæ adventus? fruſtrà eum expectant, qui jam venit, qui ab ipſis rejectus & turpiſſimæ morti addictus: *Auctorem vitæ interfeciſtis, quem Deus ſuſcitavit à mortuis, cujus nos teſtes ſumus*, liberè increpat Judæos S. Petrus, Act. 3. v. 15.

4to. Meſſias venire debuit ad delenda peccata; hic eſt quippe Incarnationis præcipuus finis; eoque tempore, fatentibus Judæis, quo ipſorum ſcelera ad ſummum futura ſunt. Ergo jam diu venire debuit (r).

5to. Incarnationis myſterium univerſum hominum genus ſpectat: pro omnibus enim venit, *ac pro omnibus mortuus eſt Chriſtus*; non igitur propter Gentis alicujus peccata tantô bonô privari oportuit mortalium univerſitatem, ac tamdiu differri Liberatoris adventum.

CA-

(r) Vid. Huet. Prop. 9. c. 8. n. 133.

Digitized by Google

104 CAPUT III.

De neceſſitate Incarnationis.

SOlent hîc plerumque Theologi Neceſſitatem dividere, in ſtrictè, & latè ſumptam. Strictè ſumitur, inquiunt, cùm res ita exiſtit, ut non poſſit non exiſtere; latè verò, cùm decet & convenit rem eſſe, ita tamen, ut, abſolutè loquendo, poſſit non eſſe; hæc neceſſitas verò, noſtrô quidem judiciô, potiùs ſimpliciter congruentia aut convenientia, quàm neceſſitas dici debet, licèt enim omne néceſſarium, eo, quo hîc ſumitur ſenſu, congruum ac conveniens ſit, non tamen omne congruum & conveniens neceſſarium eſt. Verùm, quoniam ſic neceſſitatem diſtribuere volunt Theologi, & nos cum ipſis velimus. Igitur hîc quærunt Theologi, an Incarnatio neceſſaria fuerit neceſſitate latè ſumpta, id eſt, an Deo & homini congrua & conveniens fuerit non modò, ſed etiam, ſaltem ex parte hominis neceſſaria neceſſitate ſtricte ſumpta. Rem ea, qua poterimus brevitate conficiemus. Sit ergo

§. I.

105 *Utrum Incarnatio neceſſaria fuerit neceſſitate latè ſumpta. Seu an ea Deo & homini congrua & conveniens fuerit?*

Sat multa hîc implere ſolent Theologi, quò oſtendant, Incarnationem Verbi tam Deo, quàm homini fuiſſe convenientem & congruam: Deo quidem, quia bono infinito, quale eſt Deus, maximè convenit, ut ſe ipſum diffundat ac communicet modô præſtantiſſimô, nullus autem Incarnatione præſtantior inveniri poſſit. Et quia etiam in auguſtiſſimo iſthoc Incarnationis myſterio ſummo fulgore reſplendent omnes divinæ perfectiones, imprimis Omnipotentia, cùm Deus duas naturas tam extremas ac diſtantes intimè conjungit, ſine ulla tamen confuſione ac permixtione, ſervatis unicuique ſuis affectionibus ac proprietatibus (s); unde myſterium hoc per excellentiam appellatur Opus Dei, Habac. 3. v. 2. Et B. Virgo Luc. 1. v. 49. ait: *Fecit mihi magna qui potens eſt.* Lege S. Leonem Serm. 1. de Nativit. cap. 2. S. Auguſt. Serm. olim 56. de diverſis, nunc 184. de temp.

Sapientia, 1mo cùm adinventus eſt modus planè divinus conciliandæ juſtitiæ divinæ cum ejus miſericordia ſalvis utriusque juribus. Vide dicta in proœmio hujus Tractatus. 2do. Summum profectò divinæ ſapientiæ opus in eo eſt, quòd ipſo peccato, quo Dæmon uſus fuerat, ut hominem perderet, Deus ipſe uſus fuerit tanquam occaſione, ut eundem ſalvum faceret, omnemque Dæmonis ſpem eluderet, &, ut canit Eccleſia, *ars ut artem falleret, & medelam ferret inde, hoſtis unde læſerat.* Quapropter culpam hanc felicem appellat Eccleſia, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem. 3tio. Cùm Deus perfectiſſimus ſit, nec quidquam poſſit ipſi accreſcere, unde perfectior evadat, mirô tamen ſapientiæ divinæ arcanô, homo Deus gratiâ & ſapientiâ, ſicut ætate, proficere dicitur, Luc. 2. v. 52. 4to. denique, per Incarnationem Deus ſapienter rationem adinvenit tum amplificandæ ſuæ gloriæ ipſa proprii filii demiſſione: tum temperandi naturæ ſuæ ſplendoris, quem ferre homines non potuiſſent, niſi velô humanitatis obductus fuiſſet;

(s) Naturam omnipotentem ad humanæ naturæ vilitatem potuiſſe deſcendere, majus eſt potentiæ argumentum.

fuiſſet; tum denique morte ſua Dæmonis debellandi.

Bonitas & miſericordia Dei in iſto myſterio imprimis emicant. *Apparuit*, inquit Apoſtolus, ad Titum 3. v. 16. *Benignitas & humanitas Salvatoris noſtri.* Et Joan. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret.* Et verò, ſi, ut ait Chriſtus Joan. 15. v. 3. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, quanta eſt Dei benignitas & clementia, ut etiam pro impiis & inimicis redimendis filium ſuum morti acerbiſſimæ tradiderit.

Juſtitia Dei in Myſterio Incarnationis jura ſua rigoroſè vindicat, quæ tam ſeveras pœnas de Chriſto repetiit, in ultionem noſtrorum peccatorum, pro quibus vadem ſe conſtituit. *Verè languores noſtros ipſe tulit*, ait Iſaias c. 53. v. 4. *& dolores noſtros ipſe portavit . . . ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra.* Et Rom. 3. v. 25. *Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum.*

105 Homini verò Incarnationem congruam ac convenientem eſſe oſtendunt Theologi noſtri, ex innumeris beneficiis, quæ ex Verbo Incarnato ad nos defluxerunt; ut 1mo. Gratia ſanctificans, per quam filii Dei ſumus, *hæredes quidem Dei cohæredes autem Chriſti*, Rom. 8. v. 17. *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Peccatorum remiſſio, æternæ gloriæ adeptio, &c. 2do. Doctrina cœleſtis, quam Unigenitus, qui eſt in ſinu Patris, nobis enarravit. 3tio. Liberatio à ſervitute Dæmonis, qui, adveniente Chriſto, foras ejectus eſt. 4to. Virtutum omnium exemplum maximè humilitatis, quam in remedium innatæ nobis ſuperbiæ Chriſtus tam ſedulò in toto ſuæ mortalis vitæ curriculo coluit & obſervavit. 5to. Naturæ noſtræ exaltatio, ac ſublimatio, quæ ex intima ſui cum Verbo conjunctione ad tam ſublime perfectionis ac dignitatis faſtigium evecta eſt, *ut, quò altiùs attollatur, non habeat*, ait S. Auguſtinus, lib. de Prædeſt. SS. c. 15. 6to. Ejusdem naturæ noſtræ depravatæ ac deperditæ reparatio per Chriſtum, qui delevit Chirographum mortalitatis noſtræ. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius*, inquit Apoſtolus mox laudatus, *per redemptionem, quæ eſt in Chriſto JESU, quem propoſuit Deus propitiationem per fidem &c.* 7mo. Facilis & apertus ad Deum acceſſus per Chriſtum, 1. Joan. 2. v. 1. *Advocatum habemus apud Patrem JEſum Chriſtum juſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Et Rom. 8. v. 54. *JEſus Chriſtus, qui mortuus eſt, imò qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Carnem noſtræ ſimilem, iisdemque humanæ vitæ miſeriis obnoxiam Verbum aſſumere voluit, ut hac infirmæ carnis ſimilitudine, majori ſpe ac confidentia ad Chriſtum accederemus: *Non enim*, ait Apoſtolus, Heb. 4. v. 15. *habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum autem per omnia pro ſimilitudine, abſque peccato.* 8vo. Bonorum ac malorum temporalium deſpicientiam nobis exemplô ſuô Chriſtus commendavit. *Omnia terrena bona contempſit homo factus Dominus Chriſtus*, inquit S. Auguſtinus, lib. de Catechiz. rudibus, cap. 22. n. 40. *ut contemnenda monſtraret; & omnia terrena ſuſtinuit mala, quæ ſuſtinenda præcipiebat, ut neque in illis quæreretur felicitas, neque in iſtis infelicitas timeretur.*

Quantùm pariter toti Univerſo decoris ac ornamenti attulerit Incarnatio, probat Apoſtolus, Epheſ. 1. v. 10. ubi ait, omnia per Chriſtum inſtaurata fuiſſe, *quæ in*

in cœlo, & quæ in terra ſunt. Et Joan. 3. v. 16. dicitur: *Sic Deus dilexit mundum, ut unigenitum filium ſuum daret.*

107 Hæc & alia fusè Theologi, ut oſtendant, Incarnationem Verbi Deo & homini congruam ac convenientem fuiſſe, quæ unicò hoc argumentô concludi poſſe arbitramur. Factam à Deo Verbi Incarnationem priori Capite luculenter demonſtravimus. Ergo tùm ipſi, tùm homini conveniens fuit & congrua. Deus enim omnium perfectionum omni genere cumulatiſſimus, prout tùm in Metaphyſica, tùm in Theologia noſtra Tractatu de Deo oſtendimus, nihil niſi quod tùm ipſi, tùm homini conveniens eſt & congruum, efficere poteſt, namque id omne, quod inconveniens & incongruum eſt, imperfectionem involvit.

§. II.

108 ***Utrum Incarnatio neceſſaria fuerit neceſſitate ſtrictè ſumpta?***

Neceſſitas ſtrictè ſumpta dividi ſolet in abſolutam ſeu ſimpliciter talem, & hypotheticam. Prior eſt independens à quacunque ſuppoſitione; poſterior è contrà ab aliqua ſuppoſitione pendet.

Priori neceſſitate ſolus Deus eſt neceſſarius, ut qui ſolus ſit ens per ſe & abſolutè neceſſarium, prout in Tractatu de Deo oſtendimus, *Ego ſum qui ſum*, ait Deus ad Moyſem; & Moyſes ad filios Iſrael, *Qui eſt miſit me ad vos*, Exod. 3. v. 14. Cætera verò ſunt entia contingentia, à Deo liberè condita; ex quo ſequitur, Incarnationem Verbi prout unionem cum natura humana connotat, non ſimpliciter & abſolutè neceſſariam eſſe: enimverò, cùm Dei beatitudo & gloria intrinſeca ſint omninò independentes ab operibus ipſius ad extra (*t*), cujusmodi eſt Incarnatio, quippe per quam Verbum quaſi extra ſe exiit, agendo ſcilicet in humanam naturam, quam terminat ac ſubſtantialiter perficit; hinc ſequitur manifeſtè, Deum potuiſſe non incarnari.

Quæſtio igitur hîc ſolùm eſt de neceſſitate Incarnationis hypothetica, quæ ſcilicet ex ſuppoſitione aliqua pendet, ſeu ſuppoſitum quoddam ſequitur. Hæc etiam duplex eſt, una ſimplex, altera verò ſecundùm quid; quod enim ex hypotheſi neceſſarium eſt, vel ſimpliciter ad finem aſſequendum neceſſarium dicitur, qualis eſt cibus & potus ad conſervationem vitæ; vel neceſſarium duntaxat ſecundùm quid, ad finem faciliùs comparandum, qualia ſunt alimenta melioris ſucci, ad eamdem vitæ conſervationem.

Quæritur ergo, num Incarnatio Verbi ex ſuppoſitione & hypotheſi lapsûs hominis in peccatum, neceſſaria fuerit neceſſitate abſoluta, & ſimplici? 109

Reſpondent communiter Theologi negativè: 1mo. Quia certum eſt ex Scripturis, opus redemptionis humanæ planè gratuitum eſſe, ac purum divinæ miſericordiæ beneficium. Joan. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum &c.* Rom. 3. v. 24. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius per redemptionem quæ eſt in Chriſto JEſu.* Ad Titum 3. v. 5. *Secundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit.* Epheſ. 1. v. 5. *Prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per JEſum Chriſtum in ipſum, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio ſuo, &c.* Ergo Incarnatio non fuit neceſſaria neceſſitate abſoluta & ſimpli-

(*t*) Deus, cùm ſit infinite perfectus, ſufficit ſibi ipſi, nec ulla re extra ſe ipſum poſita illi opus eſt, ut ſumma beatitudine fruatur, alioquin à rebus extra ſe poſitis penderet, quod dictu impium eſt.

ſimplici. 2do. Quia omne opus externum eſt Deo liberum. Atqui Incarnatio eſt opus externum. Ergo. 3tio. Nulla fingi poteſt neceſſaria connexio inter lapſum hominis, & voluntatem Dei illum reparandi. Nam ſicut liberè peccavit homo, ac liberè lapſum ejus Deus permiſit, ita liberè potuit illum in maſſa perditionis relinquere: nulla enim inde in Deum imperfectio, nulla poſitiva reſultaret indecentia. 4to. Nulla major in Deo eſſe poteſt neceſſitas redimendi ac ſalvandi homines lapſos, quàm Angelos ſuperbos ac rebelles. Atqui iſtos à lapſu non erexit, nec ſalvos fecit, prout omnes norunt, noſque in Tractatu noſtro de Angelis adnotavimus. Ergo. 5to. Deus ad gloriam ſuam nobis non indiget. Ergo nec ipſi neceſſe fuit, ut pro nobis incarnaretur. 6to. denique, quia etiam ſuppoſitô decretô liberandi homines à peccato, Deus potentiâ ſuâ abſolutâ & ſaltem extraordinariâ potuit eos aliter liberare, quàm per Incarnationem, vel peccatum ſive ulla ſatisfactione condonando, vel opera creaturæ alicujus in ſummo ſanctitatis gradu conſtitutæ acceptare in ſatisfactionem pro peccatis hominum, non condignam illam quidem, ſed imperfectam, multùm remittendo de Jure ſuo; infinita enim & inexhauſta eſt ejus potentia, cui limites ponere non utique valemus, idque nobis ſufficere debet, quòd multò plura poſſit Deus, quàm nos excogitare valeamus.

110 Quòd ſi verò de ordinaria Dei potentia, & jure virtutibus temporato, ſeu ex legibus divinæ juſtitiæ, necnon condigna pro peccato hominis ſatisfactione ſit quæſtio, tunc tuentur iidem Theologi, Incarnationem fuiſſe ſimpliciter & abſolutè neceſſariam.

Probant id 1mo teſtimoniis SS. Patrum. S. Irenæus, lib. 3. cap. 18. aliàs 20. *Niſi homo*, inquit, *conjunctus fuiſſet Deo, non potuiſſet particeps fieri incorruptibilitatis.*

S. Athanaſius, Orat. de Incarnatione Verbi, de Filio Dei ſic loquitur: *Cùm Patris ſit Verbum & ſupra omnes, meritò etiam ſolus omnia recuperare potuit, & idoneus fuit, qui pro omnibus pateretur.*

S. Baſilius, in Pſal. 48. *Neque enim*, inquit, *fratrem in redemptionem quærit, ſed unum aliquem, qui noſtram exuperet naturam: non item hominem nudum, ſed hominem Deum JEſum Chriſtum, qui ſolus pro nobis omnibus Deo propitiationem dare poteſt.*

S. Cyrillus Alexandrinus, Dialogô de Incarn. Unigeniti, *Apprehendit Deus*, inquit, *non propriam ac peculiarem naturam (neque enim quidquam ad nos utilitatis perveniſſet) ſed neque Angelorum, ſed ſemen Abrahæ, ſicut ſcriptum eſt. Ita enim & non aliter genus ad perniciem devolutum inſtaurandum erat.*

S. Auguſtinus, Enchirid. cap. 108. *Nemo glorietur in homine*, inquit, *ac per hoc nec in ſe. Nam neque per ipſum liberaremur unum Mediatorem Dei & hominum JEſum Chriſtum, niſi eſſet & Deus.*

S. Leo Magnus, Serm. 1. de Nativit. *Niſi eſſet Deus verus, non afferret remedium: niſi eſſet homo verus, non præberet exemplum.*

Hæc SS. Patrum teſtimonia intelligenda ſunt de potentia duntaxat Dei ordinaria &c., ut diximus, atque condigna ſatisfactione: ubi enim ipſis de abſoluta & extraordinaria Dei potentia ſermo eſt, ultrò agnoſcunt, Incarnationem Verbi abſolutè & ſimpliciter ad reparandum ac ſalvandum hominem lapſum non fuiſſe neceſſariam. Ita S. Athanaſius, Orat. 2. aliàs 3. contra Arianos. S. Auguſtinus, lib. 13. de Trinit. cap. 10. S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 9. Theodoretus, Serm. 6. contra Gentes. S. Leo, Serm. 2. de Nativ. &c.

Probant

Probant id 2do. Quia eadem neceſſitate Incarnatio fuit neceſſaria pro reparatione hominis, qua neceſſaria fuit ſatisfactio ad eluendam offenſam Deo per peccatum illatam. Atqui nulla creatura potuit condignè ſatisfacere pro peccato hominis, quo Deum offendit, eluendo. Ergo Incarnatio fuit ſimpliciter neceſſaria pro reparatione hominis.

Maj. patet. Min. prob. Satisfactio condigna, ſeu æqualis offenſæ eſt ea, quæ habet tantum valorem ſeu exiſtimabilitatem tantam, quantam malitiam & indignitatem habet offenſa Dei. Sed nulla pura creatura exhibere poteſt ſatisfactionem, quæ tantum habeat valorem ſeu exiſtimabilitatem, quanta eſt malitia & indignitas offenſæ Dei. Ergo nulla pura creatura potuit condignè ſatisfacere, &c.

Prob. min. Malitia & indignitas offenſæ Dei eſt infinita ſimpliciter, utpotè infinitam Dei majeſtatem & dignitatem impetens, prout oſtendemus Tomo 3. Theolog. noſtræ, in Tractatu de peccatis. Atqui omnis & quæcunque imaginatione apprehendi poteſt puræ creaturæ ſatisfactio finita eſt, utpote à principio finito proveniens. Ergo condigna, ſeu æqualis offenſæ Dei, quæ infinita eſt, eſſe non poteſt.

Igitur ex hypotheſi, quòd Deus potentiâ ſuâ ordinariâ voluerit hominem lapſum reparare per ſatisfactionem condignam pro illius peccato, neceſſe fuit ſimpliciter, ajunt memorati Theologi, perſonam divinam incarnari, quæ ratione dignitatis ſuæ infinitæ infinitè dignam redderet ſatisfactionem, ac proinde condignam efficeret. Non poterat autem perſona divina ſatisfacere, niſi naturæ creatæ intellectivæ uniretur: Nam Deus non poteſt ſe ſubmittere, niſi ſecundùm naturam intellectivam ſibi perſonaliter unitam.

Solvuntur Objectiones.

111 Ob. 1mo contra 1mum Aſſertum. Ex Scriptura neceſſaria fuit Incarnatio, & Paſſio Chriſti ad ſalutem hominum. Ergo.

Reſp. Diſt. ant. neceſſaria fuit reſpectu potentiæ Dei ordinariæ, & conſequenter ad divinum decretum ſalvandi homines hoc unicô modô, & per condignam ſatisfactionem, conc. Reſpectu potentiæ Dei extraordinariæ, & antecedenter ad illud liberum Dei decretum, neg. ant.

Ob. 2do. Patres paſſim aſſerunt, Incarnationem fuiſſe neceſſariam. Ergo, &c. 112

Reſp. ut ad priorem objectionem. De potentia nempe Dei ordinaria & neceſſitate conſequente liberum Dei decretum ſalvandi homines per ſolam Incarnationem, vel de neceſſitate convenientiæ & impropriè dicta loquuntur Patres, volunt ſcilicet, Incarnationem eſſe medium redimendi hominis convenientiſſimum.

Ob. 3tio. Inconveniens fuiſſet Verbum non incarnari, cùm Incarnatio maximè conveniat. Ergo Incarnatio fuit ſimpliciter neceſſaria, nam Deus non poteſt velle aliquid inconveniens. 113

Reſp. diſt. ant. Fuiſſet inconveniens negativè, hoc eſt minùs conveniens & minùs conducens ad Dei gloriam externam, conc. Fuiſſet inconveniens poſitivè, hoc eſt, fuiſſet aliquid, quod Deum poſitivè dedeceret, neg. ant. Nam cùm Deus ſit per ſe infinitè beatus & perfectus, ſibique ſufficientiſſimus; non indiget gloriâ externâ; unde liberè eam ſibi procurat quantam & qualem voluerit.

Ob. 4to. Deus neceſſariò facit optimum; agit quippe neceſſariò ex inclinatione conformi naturæ ſuæ infinitæ ac optimæ. Atqui Incarnatio Verbi eſt quid optimum. Ergo &c. 114

Digitized by Google

Reſp. Diſt. maj. Deus neceſſariò facit optimum, quoad actus ſuos internos, ut ſunt generatio Filii & productio Spiritus ſancti, &c. conc. quoad actus externos, quos liberè ponit extra ſe, ſubdiſt. Semper facit id quod eſt optimum relativè ad ſuum conſilium & finem, quem ſibi præfixit, conc. optimum abſolutè & in omni genere, neg. maj. Aliàs non tantùm libertas, ſed & omnipotentia Deo adimeretur, quæ tota in quolibet opere ſupponeretur exhauſta. Quemadmodùm ergo potuit Deus nihil extra ſe moliri, quia liber eſt; ita potuit, quos voluit perfectionis majoris vel minoris gradus creaturæ ſuæ impertiri, ad finem, quem intendit, ſemper idoneos & proportionatos, quia & liber & ſapientiſſimus. Nulla igitur lege tenetur Deus ad id, quod abſolutè optimum eſt, faciendum; atque multò alia plura facere, quàm quæ re ipſa vult, & quæcumque vult, poteſt; ſicque eo ſenſu Deus neceſſariò facit optimum, quòd neceſſariò agat absque ullo defectu, & aſſumat media optima, ſeu aptiſſima ad aſſequendum finem à ſe efficaciter intentum. Legi poteſt hac de re S. Auguſtinus, Enchiridii c. 95. & lib. de natura & gratia cap. 7. Item lib. 3. de libero arbitrio c. 5. ubi obſervat, rebus etiam non ita perfectis nihil eſſe melius ad ordinem mundi conſtituendum, cùm ille ex variis rerum gradibus eﬄoreſcat; atque credendum ſit, Deum ex optima ſemper ratione operari, tametſi in rebus factis id non deprehendamus.

115 Inſtit. 1mo. Si Deus non eligeret ſemper id quod eſt abſolutè melius, non eſſet ſapientiſſimus artifex in actu ſecundo, ſed tantùm in actu primo. Atqui hoc implicat. Ergo, &c.

Reſp. neg. maj. Sufficit enim, ex mox dictis, quòd, quæ facit Deus, optima ſint, & idonea maximè ad finem, quem intendit aſſequendum: unde voluntas ejus ſola eſt regula ac menſura perfectionum, quas creaturis communicat. *Omnia quæcunque voluit, fecit*, Pſal. 113. v. 3.

Inſt. 2do. Si Deus poſſet velle extra ſe objectum minùs bonum, poſſet incurrere imperfectionem moralem: nam homo hanc incurreret, eligendo minùs perfectum, omiſsô perfectiori. Ergo à fortiori Deus. 116

Ratio neg. ant. & paritatem. Ratio diſparitatis eſt, quia non omnes actus voluntatis humanæ habent æqualem perfectionem moralem: nam ille, cæteris paribus, eſt moraliter perfectior, qui perfectius objectum habet. Unde electio objecti minùs boni eſt minùs perfecta: & conſequenter ſic eligens caret aliqua perfectione, quam habere potuiſſet; ideoque imperfectionem moralem negativam incurrit. At omnes actus voluntatis divinæ æqualem habent perfectionem moralem, licèt habeant objecta inæqualiter perfecta: nam omnis actus liber Dei infinitam habet honeſtatem ac laudabilitatem; omnis enim tendit in objectum ſuum modô infinitè honeſtô, ac laudabili, quia vult objectum propter bonitatem divinam infinitè ac perfectiſſimè amatam, quo nihil honeſtius ac laudabilius eſſe poteſt. Unde actus, quo Deus vult objectum minùs perfectum in ſe, non habet ullam imperfectionem negativam.

Ob. 5to. Debet eſſe aliquid in rebus creatis ipſis, quod reſpondeat dignitati & excellentiæ actionis opificis, quæ infinita eſt. Atqui ſola Verbi divini incarnatio huic infinitæ Dei perfectioni reſpondere poteſt. Ergo &c. 117

Reſp. neg. maj. Cauſa etenim effectu ſuo nobilior quidem eſt, non verò effectus cauſâ; aut ſaltem effectus cauſæ ſuæ perfectionem ac nobilitatem non adæquat. Unde *Deus*, inquit S. Auguſtinus lib. 1. de

de Geneſ. ad litt. cap. 5. *ita magnus eſt in magnis, ut minor non ſit in parvis; quæ parva non ſua granditate, nam nulla eſt, ſed artificis ſapientiâ metienda ſunt.*

118 Ob. 6to. Qui ſe amat amore infinito, *qui omnia propter ſemetipſum operatus eſt*, ac gloriam ſuam in omnibus, tanquam finem intendit, ille gloriam naturæ ſuæ condignam ſeu proportionatam, id eſt, infinitam, proponere ſibi debet. Atqui Deus amore infinito ſe amat, omnia propter ſemetipſum operatus eſt, ac gloriam ſuam in omnibus tanquam finem ſibi proponit; ex ſola autem Incarnatione gloriam infinitam percipere poteſt. Ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Qui ſe amat amore infinito, & qui omnia propter ſemetipſum operatus eſt, ac gloriam ſuam in omnibus, tanquam finem intendit ultimum creaturarum, aut propter gloriam ſuam, cui tanquam fini creata omnia ſubſervire debent, ille proponere ſibi debet gloriam infinitam, eſſentialem & internam, conc. Externam & adventitiam, neg. maj. Gloria interna & eſſentialis Deo ab ejus naturali excellentia & infinita perfectione non diſtinguitur: illâ ſemper ac neceſſariò fruitur Deus, qua ſolus ſibi ſufficit, ac perfectè beatus efficitur. Gloria verò externa petitur à rebus externis, Dei amore, cultu, laudibus, adoratione &c. iſtâ verò Deus non indiget, *Bonorum meorum non eges*, ait David, Pſal. 15. v. 2. ut qui ex ſe ſe perfectè felix eſt, nec illam, ut ſuum finem proprium ad quem tendat & referatur, ſed potiùs tanquam noſtrum intendit. *Quid ergo*, ait ad Deum Auguſtinus, lib. 13. Confeſſ. c. 4. *tibi deeſſet ad bonum, quod tu tibi es, etiamſi iſta vel omninò nulla eſſent, vel informia remanerent, quæ non ex indigentia feciſti, ſed ex plenitudine bonitatis tuæ.*

Inſt. 1mo. Qui ſe ipſum efficaciter amat, vult ſibi omnia bona non ſolùm intrinſeca, ſed etiam extrinſeca, quæ ſibi comparare poteſt. Atqui Deus efficaciter ſe ipſum amat. Ergo &c. 119

Reſp. diſt. maj. Si ſine illis non ſit infinitè beatus, conc. Si ſine illis ſit infinitè beatus, neg. maj. Ex dictis, Deus ſibi neceſſariò non vult niſi bona intrinſeca, quibus eſt infinitè beatus, ac proinde fieri non poteſt beatior ullo modo extrinſeco, nam infinitum augeri non poteſt.

Inſt. 2do. Homo qui non procurat Deo quam maximam poteſt gloriam, Deum minùs perfectè amat. Ergo etiam ſi Deus idem faceret, minùs perfectè ſe amaret. 120

Reſp. neg. conſ. Diſparitas eſt, quia actus hominis fit perfectior ex majore perfectione objecti. At actus Dei cùm ſint omnes intrinſecè infinitè perfecti, non fiunt magis vel minùs perfecti ex majore vel minore perfectione objecti extrinſeci.

Ob. 7mo. Ex infinita Dei bonitate ſequitur, illum habere infinitam inclinationem ad bonum. Atqui quo major eſt inclinatio ad aliquid, eò minor eſt libertas ad oppoſitum. Ergo cùm Deus ex infinita ſua bonitate habeat infinitam inclinationem ad myſterium Incarnationis, liber non fuit, ut incarnaretur, ſed neceſſariò determinatus fuit ad Incarnationem. 121

Reſp. Diſt. maj. Ex infinita Dei bonitate ſequitur illum habere ad bonum infinitam inclinationem, entitativè, ſubjectivè, ac quaſi materialiter infinitam, conc. Infinitam objectivè extra Deum, formaliter & appretiativè, quaſi neceſſe ſit majus bonum à Deo ſemper alteri bono præferri, neg. maj. Habet

Deus

Deus ad Incarnationem, tanquam ad rem bonam inclinationem entitativè, ſeu ſubjectivè, ac quaſi materialiter infinitam; at non infinitam objectivè, formaliter & appretiativè, quaſi vel objectum iſtud aut ſit in ſe quoad entitatem infinitum, aut alteri cuilibet ſit à Deo neceſſariò præferendum. Atque hinc intelligitur, quo ſenſu verum ſit, Deum amare infinitè objectum, quod amat; aut quomodo id cum hoc ſtare poſſit, Deum ſcilicet inter objecta, quæ diligit, aliqua præ aliis diligere. Nempe amor Dei ad omnia objecta terminatus entitativè infinitus eſt, non tamen infinitus appretiativè reſpectu omnium objectorum.

122 Ob. 8vo. Si ſuppoſitô peccatô Deus non incarnaretur, vel totum genus humanum æternæ damnationi addictum remaneret, vel ſi ſalvaretur, ſcelus impunitum remaneret & dimitteretur. Atqui neutrum dici poteſt; Non 1mum. alioquin enim ars diaboli, qui hominem ad interitum rapuit, prævaleret arti Dei ipſius, qui hominem creavit, ut beatitudine frueretur. Non etiam ſecundum, cùm dimiſſio peccati nullâ pœnâ caſtigati, quamdam dicat deordinationem. Ergo, ſuppoſitô peccatô, neceſſe fuit Deum incarnari.

Reſp. neg. min. Ratio eſt 1mo. Quia in perpetua diaboli ex hominibus victoria Dei juſtitia in homines quàm maximè eluceret. 2. In dimiſſione peccati, quod nullâ pœnâ caſtigatum fuiſſet, miſericordia, quæ nullam pœnam expoſcit à reo, plurimùm commendaretur. Unde in neutro caſu aliquid inordinatum in Deo reperiretur: quod enim miſericordiam deprimere videretur, commendaret juſtitiam, quod autem juſtitiæ labem aliquam inferret, miſericordiam faceret illuſtriorem.

Inſt. Merces merito negari non poteſt. Ergo nec pœna peccato.

Reſp. neg. conſ. Diſparitas eſt, quòd meritum acquirat jus perſonæ merenti, peccatum verò perſonæ læſæ. Deus autem poteſt cedere jure ſuo, remittendo pœnas, cùm ſit miſericors; non verò alterum ſpoliare jure acquiſito, cùm ſit juſtus.

Ob. 9no contra 2dum Aſſertum. Furtum contra Regem commiſſum non eſt gravius ex dignitate Regis, & perſona vilis poteſt per eamdem reſtitutionem ſatisfacere perinde ac vir nobilis. Ergo falſum eſt, offenſam creſcere ex dignitate perſonæ offenſæ, & ſatisfactionem decreſcere ex vilitate perſonæ ſatisfacientis. 123

Reſp. neg. conſ. Nam agitur hîc de injuria perſonali, nempe de inhonoratione & contemptu perſonæ, & de ſatisfactione ſtrictè dicta, quæ eſt reparatio talis inhonorationis & contemptus: non autem de injuria reali, ſeu in rebus poſita, quæ ex quantitate & gravitate rei menſuratur, neque de reſtitutione. Unde argumentum non eſt ad rem.

Ob. 10mo. Plebejus poteſt multitudine & præſtantia obſequiorum ſatisfacere condignè pro gravi injuria à ſe in Regem illata. Ergo à pari &c. 124

Reſp. tranſ. ant. neg. conſ. Diſparitas eſt, quia offenſa in Regem commiſſa non contrahit ex ejus dignitate, quæ finita eſt, gravitatem niſi finitam, & compenſabilem à ſubdito, nec eſt ſuperioris ordinis ad omnes ſatisfactiones ſubditi. At gravis offenſa Dei contrahit ex infinita Dei dignitate malitiam ac gravitatem infinitam ſimpliciter, & ſuperioris ordinis ad omnes ſatisfactiones puræ creaturæ Quare offenſa Dei contrahit ex infinita ejus Majeſtate gravitatem

tem longè majorem, quàm habere poſſit quælibet multitudo & præſtantia obſequiorum puræ creaturæ.

125 Ob. 11mo. Purus homo per actum perfectæ charitatis potuit Deo condignè ſatisfacere. Ergo ad id Incarnatio non fuit ſimpliciter neceſſaria. Prob. ant. ut quis perfectè ac condignè ſatisfaciat, ſatis eſt, ut id Deo reddat, quod peccatum abſtulerat. Atqui purus homo per actum perfectæ charitatis reſtituiſſet Deo, quod ipſi per peccatum abſtulerat: reſtituiſſet nimirum Deo rationem ultimi finis, quam ipſi per peccatum ſuum abſtulerat. Ergo, &c.

Reſp. ad 1. neg. ant. ad 2. neg. maj. Ratio eſt, quia licèt redditio rei ablatæ ſufficiat ad reſtitutionem, ſatis tamen non eſt ad condignam ſatisfactionem, ut videre eſt in homine plebejo, quem ſanè nemo dixerit tunc condignè reſarcire injuriam illatam Principi, cùm ab illo poſteà veniam deprecatur, illique reverentiam exhibet.

126 Ob. 12mo. Purus homo adjutus gratia ſanctificante poteſt de condigno mereri vitam æternam, ut docet Concilium Tridentinum. Ergo poteſt quoque pro ſuo peccato ſatisfacere.

Reſp. neg. conſ. Ratio diſparitatis eſt, quia in merito non attenditur dignitas perſonæ merentis, ſed tantùm dignitas operis, quod exercetur: è contra verò in ſatisfactione præcipuè conſideratur dignitas perſonæ ſatisfacientis, quia ſatisfactio eſt actus, quo quis ſe ipſum alteri ſubjicit. Ergo eò dignior eſt ſatisfactio, quò perſona, quæ ſe ſubjicit, dignior eſt, ac præſtantior.

127 Ob. 3tio. Tanta eſt bonitas in actu charitatis, quanta eſt malitia in omiſſione ejuſdem actûs præcepti, cùm utrumque ſe habeat ut forma & privatio: nam vita e. g. æquè eſt bona, ac mors eſt mala. Atqui pura creatura auxiliô gratiæ poteſt elicere, & offerre Deo actum charitatis. Ergo etiam condignum offerre poteſt pro peccato.

Reſp. diſt. maj. Tanta eſt bonitas, &c. quanta eſt malitia, &c. Si phyſicè ſpectentur, hoc eſt actus charitatis ſecundùm entitatem, & valorem intrinſecum; omiſſio verò ut mera privatio actûs debiti, conc. ſi ſpectentur moraliter, ſcilicet actus charitatis ſecundùm valorem extrinſecum, & à perſona derivatum: omiſſio verò, quatenus eſt offenſa Dei à creatura proficiſcentis, neg. maj. bonitas actûs charitatis hoc modo ſpectati, finita eſt, omiſſio verò ejuſdem eſt infinita, prior enim à principio à quo elicitur, denominationem ſuam accipit, poſterior autem à principio, quod impetit, prius eſt finitum, poſterius infinitum.

Inſt. 1mo. Actus charitatis tantùm honorat Deum, quantùm culpa mortalis illum inhonòrat. Ergo pura creatura poteſt per actum charitatis ſatisfacere condignè pro mortali culpa. 128

Reſp. neg. ant. Nam actus charitatis longè minùs eſt æſtimabilis in ordine ad honorandum Deum, quàm peccatum mortale in ordine ad illum inhonorandum. Honor enim, qui per actum charitatis à pura creatura Deo exhibetur, æſtimatur ex dignitate creaturæ honorantis, non ex dignitate Dei: contrà verò inhonoratio Dei ex peccato mortali orta æſtimatur ex infinita Dei dignitate, ſicque infinitam ſimpliciter gravitatem habet ex infinita ejus dignitate.

Inſt. 2do. Actus charitatis à puro homine juſto elicitus tam Deo placet, quàm ei diſplicet peccatum mortale. Ergo. 129

Reſp. neg. ant. Nam actus charitatis à puro homine juſto elicitus placet Deo ut actus perſonæ finitæ, & peccatum

tum mortale ei diſplicet, ut inhonoratio, contemptus & offenſa perſonæ infinitæ.

130 Ob. 14to. Homo juſtus mereri poteſt alteri de condigno veniam peccati mortalis. Ergo & pro eo condignè ſatisfacere.

Reſp. neg. ant. Nam Patres generaliter, & indiſtinctè docent, puram creaturam non poſſe ſimpliciter offerre pretium condignum pro peccato : quod proinde intelligi debet de pretio condigno ſive per modum meriti, ſive per modum ſatisfactionis. Ratio eſt, quia finiti ad infinitum nulla eſt proportio ; meritum autem hominis puri eſt quid finitum, peccatum verò mortale, infinitum.

131 Inſt. 1mo. Homo juſtus poteſt mereri de condigno gratiam ſanctificantem alteri etiam injuſto. Ergo & veniam peccati mortalis.

Reſp. neg. ant. Quia licèt juſtus augmentum gratiæ ſanctificantis ſibi mereri poſſit de condigno, non tamen ideò gratiam ſanctificantem mereri condignè poteſt peccatori, nam juſtus non poteſt gratiam ſanctificantem mereri peccatori, quin ei veniam peccati mortalis mereatur. Pura autem creatura veniam peccati mortalis mereri non poteſt de condigno, cùm pro illo condignè ſatisfacere non poſſit.

132 Inſt 2do. Purus homo Juſtus ſatisfacere condignè poteſt pro peccato veniali. Ergo & pro mortali ; utrumque enim ratione Dei offenſi eſt infinitum.

Reſp. tranſ. ant. quod à multis negatur, & qua de re in Tractatu de peccatis agemus. neg. conſ. Nam peccatum veniale, utpote culpa levis, non eſt contemptus Dei ne virtualis quidem, nec intrinſecè, ſicut peccatum mortale, ſed extrinſecè duntaxat infinitum : unde ejus gravitas non æſtimatur ſecundùm dignitatem Dei, quæ per illud contemnitur ; ideoque non eſt fortaſsè incompenſabilis à pura creatura. At culpa mortalis, cùm ſit contemptus Dei, æſtimatur ſecundùm infinitam ejus dignitatem, ſicque habet gravitatem infinitam ſimpliciter, proindeque incompenſabilem à pura creatura.

Ob. 15to. Homo juſtificatus poteſt adjutus gratiâ actuali de condigno ſatisfacere pro pœna temporali, quæ debetur illius peccatô jam quoad culpam dimiſsô. Ergo à pari poteſt pro culpa ipſa ſatisfacere. 133

Reſp. neg. conſ. Ratio eſt, quia ſatisfactio pro pœna temporali fit quidem ab homine puro ſed ex præſuppoſitis meritis Incarnationis, ut docet Concilium Trident. Seſſ. 14. cap. 8. E contra ſatisfactio pro culpa ſeu ipſo peccato, in ſuppoſitione, de qua agitur, fieret independenter à meritis perſonæ infinitæ ; ac proinde non eſſet æquivalens injuriæ, quæ Deo per peccatum illata fuiſſet.

Ob. 16to. Patres ſæpiùs aſſerunt mortem Chriſti non fuiſſe neceſſariam ad condignam pro peccatis ſatisfactionem. Ergo nec Incarnatio fuit neceſſaria, &c. 134

Reſp. neg. conſ. Ratio, quia alia præter mortem opera Chriſti fuerunt pretii infiniti, quippe quæ à perſona infinitæ ſanctitatis proceſſerint : unde eorum meritum fuit æquale gravitati injuriæ, qua creatura per peccatum Creatorem affecit : Hincque ſequitur, mortem non fuiſſe neceſſariam, niſi quia Chriſtus alia ſua opera ad completam hominis redemptionem non ordinavit.

CAPUT

Digitized by Google

135 # Caput IV.

De motivo Incarnationis.

MOtivum eſt id, quod operantem movet ad agendum. Operans autem movetur vel à clientum meritis, vel à fine, quem ſibi proponit. Quærunt ergo hîc Theologi, an aliqua creaturarum merita Incarnationem præceſſerint; item, ob quem finem Verbum carnem induerit. 1mo igitur agendum nobis de cauſa meritoria; 2do de cauſa finali Incarnationis.

§. I.

136 *De cauſa meritoria Incarnationis.*

Meritum dividitur in meritum de condigno, & in meritum de congruo. Prius eſt illud, cui ſtricto jure merces debetur, ita ut ſine injuſtitia negari non poſſit: Alterum eſt illud, cui præmium conceditur quidem, ſed ita, ut abſolutè negari poſſit, & etiam actu aliquando denegetur. Juſti de condigno, prout ſuô locô dicetur, merentur augmentum gratiæ ſanctificantis, & vitam æternam, de congruo verò res alias, auxilia actualia, quibus ad ſuperandas tentationes indigent.

Porro Incarnatio duobus modis poteſt conſiderari, nimirùm ſecundùm ſubſtantiam, & ſecundùm varias illius circumſtantias. Priori modô conſiderata, dicit hypoſtaticam Verbi cum humana natura unionem; poſteriori verò, dicit locum, tempus, parentes, ex quibus Chriſtus prodiit.

137 Quærunt hîc Theologi, an & quorum meritis Incarnatio fuerit conceſſa. Ii autem, quorum meritis fingi poteſt Incarnationem fuiſſe conceſſam, ſunt humanitas Chriſti, veteres Patriarchæ, & Beatiſſima Virgo Maria.

1mo igitur dicendum videtur, Humanitatem Chriſti nec de condigno, nec de congruo meruiſſe hypoſtaticam cum Verbo unionem. Id apertè declarant Scripturæ, ut quæ non meriti præmio duntaxat, ſed divinæ clementiæ & liberalitati Incarnationem unicè tribuant. Joan. 3. v. 1. *Sic Deus dilexit mundum, ut &c.* Ad Tit. 3. v. 4. *Benignitas & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei, non ex operibus juſtitiæ . . . ſed ſecundùm miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit.*

Suffragatur ſanctus Auguſtinus, qui lib. de prædeſtinatione Sanct. cap. 15. & lib. de Corrept. & Gratia, cap. 11. apertè idem docet. *Hîc*, id eſt, in Myſterio Incarnationis, inquit Enchiridii cap. 39. *granditer, & evidenter Dei gratia commendatur. Quid enim natura humana in homine Chriſto meruit, ut in unitatem perſonæ unici Filii Dei ſingulariter eſſet aſſumpta? Quæ bona voluntas, cujus boni propoſiti ſtudium, quæ bona opera præceſſerunt, quibus mereretur iſte homo una fieri perſona cum Deo?*

Accedit manifeſta ratio. Ut humanitas Chriſti, ſive de condigno ſive de congruo, meruerit hypoſtaticam cum Verbo unionem: neceſſe fuit, ut aliquando extiterit ante illam unionem: nam cauſa debet eſſe prior effectu. Atqui humanitas Chriſti nusquam fuit ante hypoſtaticam cum Verbo unionem: ſiquidem in primo inſtanti ſuæ conceptionis unita fuit cum Verbo, ut fides docet adversùs Photinum & Neſtorium. Ergo.

Nec officit, quòd Apoc. 5. v. 12. de Chriſto dicatur: *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem & divinitatem.* Nam hic divinitas uſurpatur pro manifeſtatione divinitatis; hoc

eſt, pro gloria externa, quæ ex cultu & adoratione hominum in Deum reſultat, de qua ſanctus Paulus, Philipp. 2. v. 8. dicit: *Humiliavit ſemetipſum . . . propter quod Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſemper omne nomen.*

Neque etiam obeſt illud Pſalm. 44. v. 8. *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Nam 1mo. Illa unctio, de qua Pſaltes, non eſt unio humanitatis cum Verbo, prout aliqui contendunt, ſed à multis Patribus intelligitur de gloria, quæ Chriſto in reſurrectione conceſſa eſt in mercedem amoris, quo, dum viveret, flagrarat in juſtitiam. 2do. Si tamen unctio illa de unione hypoſtatica intelligatur, tunc ſenſus eſt, Chriſtum unctum fuiſſe gratia & divinitate ut diligeret juſtitiam; ita ut dilectio juſtitiæ ſit finis unctionis, non ipſius cauſa meritoria. Particula ergo *propterea* ibi idem ſignificat ac *in hunc finem, ad hoc;* nec præteritum tempus ſpectat, ſed futurum.

138 2do. Dicendum videtur, quòd, quamvis Veteres Patriarchæ nulla ratione meruerint Incarnationem ſumptam ſecundùm ſubſtantiam, nihilominùs tamen aliquas Incarnationis circumſtantias ſaltem de congruo meruerint. 1mum habetur ex dictis, quibus probavimus nequidem Chriſtum ſeu ejus humanitatem ſuam unionem hypoſtaticam meruiſſe; omne autem meritum humanum ex Chriſto vim & efficaciam trahit, undè cùm nec ipſe ſubſtantiâ Incarnationis meruerit; ſequitur, nec quoque Veteres illam meruiſſe. 2dum deduci poteſt ex eo, quòd 1mo Abraham ſuâ promptâ obedientiâ hanc gratiam meruerit, ut ex ſemine ſuo Meſſias naſceretur, Gen. 22. verſ. 18. *Benedicentur in ſemine tuo omnes Gentes, quia obediſti voci meæ.* 2do. David Pſalm. 131. v. 11. hæc ait: *Juravit Dominus David veritatem, & non fruſtrabitur eam: de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* 3tio. Daniel ſuis deſideriis ac votis meruit contrahi tempus adventûs Meſſiæ: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt*, ait Angelus, cap. 9. v. 24. *ſuper populum tuum.* Meritum autem hoc, prout dictum, de congruo duntaxat fuit, non de condigno; quia nullum Deum inter & homines pactum interceſſit.

3tio. Dicendum videtur, quòd Virgo Maria nec de condigno nec de congruo meruerit divinam maternitatem. 139
Ratio eſt, quia Verbi incarnati merita, futura fuerunt, antequam Virgo Maria quidquam mereri poſſet. Ergo futura erat ejuſdem Dei incarnati Mater, antequam quidquam poſſet mereri: non enim realiter futurum fuit Verbum Incarnatum niſi ex hac Matre in particulari.

Nec obeſt, quòd de Beata Virgine Maria canat Eccleſia, quòd *Dominum omnium portare meruerit.* Id enim metaphoricè & impropriè ſumi debet, non propriè. Metaphoricè ergo Beata Virgo Maria meruit portare Dominum, quia eum conſecuta eſt ſanctitatis ac puritatis gradum, quo idonea, quantùm tamen id in creatura fieri poteſt, Chriſto concipiendo facta eſt.

§. II.

De cauſa finali Incarnationis. 140

Finem Incarnationis fuiſſe liberationem hominis à peccato fide certum tenemus contra Pelagianos, &, ut refert ſanctus Bernardus, Epiſt. 190. cap. 5. contra Abaelardum. Pelagiani negabant Chriſtum in hunc finem veniſſe, ut homines à labe originali mundaret, quos inno-

innocentes naſci affirmabant, contra expreſſam hanc Apoſtoli ſententiam, Rom. 5. v. 2. *In quo*, Adamo, *omnes peccaverunt.* Non alium ergo Incarnationis finem agnoſcebant, quàm ut Chriſtus exemplô ſuô, doctrinâ, miraculis, homines erudiret, ac promptiores redderet ad vitam æternam capeſſendam. Abaelardus etiam docere viſus eſt, Chriſtum non veniſſe, ut hominem à captivitate diaboli liberaret. *At ut nobis videtur*, ait, *nec diabolus unquam jus aliquod in homine habuit . . . . nec Filius Dei, ut hominem liberaret, carnem aſſumpſit.* Contra hos ſit

141 CONCLUSIO.

Incarnatio facta fuit ad liberandum hominem à peccato tum Originali tum actuali.

Prob. 1mo. Ex ſacra Scriptura. *Vulneratus eſt*, ait Iſaias cap. 53. v. 5. de Chriſto, *propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra.* Matth. 1. verſ. 21. *Ipſe ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Ibidem cap. 18. v. 11. *Venit filius hominis ſalvare, quod perierat*, inquit de ſe Chriſtus. Id etiam habet Paulus 1. Timoth. 1. v. 15. *Fidelis ſermo*, inquit, *& omni acceptione dignus, quia Chriſtus JESUS venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere.* Et Rom. 8. v. 3. *Nam quod impoſſibile erat Legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne.* Joannes item Apoſtolus Epiſt. 1. cap. 1. v. 7. *Sanguis JEſu Chriſti*, ait, *emundat nos ab omni peccato.* Et cap. 2. v. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Item c. 3. v. 8. *In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli.* Denique Apocal. 1. v. 5. *Lavit nos*, Chriſtus, *à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.*

Prob. 2do ex Traditione Conciliorum & Patrum. *Qui propter nos homines*, inquit de Verbo Incarnato Concilium Nicænum I. in Symbolo, *& propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt, & homo factus.* Quod repetunt alia Concilia.

S. Irenæus, lib. 5. cap. 14. *Si non haberet caro ſalvari, nequaquam Verbum Dei caro factum eſſet.*

S. Athanaſius, lib. de Incarnat. pag. 40. veteris editionis, *Noſtra cauſa*, inquit, *occaſionem illi deſcendendi præbuit, & noſtra transgreſſio Verbi divini humanitatem elicuit.*

S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 36. *Quæ*, inquit, *humanitatis à Deo propter nos ſuſceptæ cauſa extitit? Profectò ut nobis ſalus pararetur.*

Sanctus Chryſoſtomus, Hom. 31. in Matth. ad hæc verba, *Non veni vocare juſtos ſed peccatores &c. Adeo procul abeſt*, inquit, *ne peccatores abominetur, ut eorum causâ ſolùm ſe adveniſſe teſtetur.*

Origenes Hom. 24. in Numeros. *Si non fuiſſet peccatum . . . . manſiſſet hoc, quod in principio erat Deus Verbum.*

Tertullianus, lib. de Carne Chriſti cap. 14. *Eadem eſt ergo cauſa, ut hominem geſtaret Chriſtus: ſalus hominis fuit cauſa ſcilicet ad reſtituendum, quod perierat.*

Sanctus Ambroſius, lib. de Incarnat. cap. 6. *Didiciſtis igitur*, inquit, *quia ſacrificium de noſtro obtulit. Nam quæ erat cauſa Incarnationis, niſi ut caro, quæ peccaverat, per ſe redimeretur.*

Sanctus Auguſtinus, lib. 1. de peccat. meritis & remiſſ. cap. 16. ſcribit, *Dominum JEſum Chriſtum non aliam ob cauſam in carne veniſſe, niſi ut hac diſpenſa-*

ſpenſatione miſericordiſſimæ gratiæ omnes . . . . vivificaret, ſalvos faceret, liberaret. Eadem repetit Serm. 174. aliàs 8. & Serm. 175. aliàs 9. de Verbis Apoſt. Item in Pſalm. 140. *Si tu ô homo*, inquit, *non dimitteres Deum, non fieret pro te Deus homo.*

S. Leo, Serm. 3. de Pentecoſte: *Si homo*, inquit, *ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus, in ſuæ honore naturæ manſiſſet, nec Diaboli fraude deceptus, à lege ſibi poſita per concupiſcentiam deviaſſet, Creator mundi creatura non fieret.*

Verùm ſat pugnatum auctoritatibus circa quæſtionem, quam nemo ampliùs trahit in controverſiam; omnes enim, quotquot Chriſtiano utuntur nomine, ultrò agnoſcunt, motivum ſeu cauſam finalem Incarnationis Verbi fuiſſe humani generis redemptionem & à peccato liberationem.

142 Momentoſa tamen, ſi Superis placet, agitari ſolet hîc Thomiſtas inter, & Scotiſtas controverſia; num videlicet ita præcisè ad liberandum hominem à ſervitute peccati Incarnatio Verbi facta fuerit, ut ſi Adam non peccaſſet, minimè Chriſtus veniſſet, adeò ut motivum totale & adæquatum hujus Incarnationis fuerit humani generis redemptio, &c.? An verò, etſi Adam non peccaſſet, tamen Chriſtus veniſſet, non quidem in carne paſſibili, ſed impaſſibili duntaxat, ſicque humani generis à peccato liberatio inadæquatus ſolummodò finis ſeu motivum fuerit Incarnationis Verbi? Primum acriter tuentur Thomiſtæ; poſterius verò Scotiſtæ. Verùm miramur, homines graves amare tam incerta venari. Verbum, ut nos à peccatis ſolveret, humanam induiſſe carnem Scripturâ & Traditione, ut primùm oſtendimus, adeoque fide divina docemur; id nobis ſufficere debet, nec quidquam juvare arbitramur, confiꝺo alio rerum ordine, in rem diſquirere, quam nunquam eveniſſe nedum conſtat, ſed etiam ultrò ſuppoſitâ Adami protoparentis noſtri in bono perſeverantiâ, utrum ea eveniſſet, omninò ignoramus.

Ejuſdem furfuris eſt ea, quæ etiam hîc ab aliquibus movetur, an videlicet Chriſtus principaliùs venerit propter originale peccatum, quàm propter actualia; & an ſolo ſuppoſito originali, vel ſolis actualibus peccatis ſuppoſitis veniſſet Chriſtus? Verùm ab his inutilibus & otioſis quæſtionibus, de quibus nihil habet Scriptura & Traditio, prorsùs abſtinendum judicamus. Viro Theologo ſatis eſt, noſſe, quòd Chriſtus venerit, ut peccata noſtra ſanguine ſuo expiaret: *Sanguis JEſu Chriſti . . . . emundat nos ab omni peccato*, inquit ſanctus Joannes, Epiſt. 1. c. 1. v. 7. Et Joannes Baptiſta in deſerto dicebat: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Joan. 1. v. 29.

CAPUT V. 143

De eſſentia Incarnationis.

IN hujus Tractatus noſtri proœmio definivimus Incarnationem, quòd ſit *Primarium Religionis Chriſtianæ myſterium, quo Verbum divinum aſſumpſit naturam humanam veram & integram, in unitatem perſonæ, ad redimendum genus humanum.* Qua definitione tota illius continetur eſſentia ſeu natura, quæ hisce duobus potiſſimùm comprehenditur, duplici ſcilicet naturâ, divinâ una, alterâ humanâ, & una in Chriſto Domino perſona. Quare nobis hîc probanda venit hæc noſtra Incarnationis definitio, ſingulæque ejus partes contra totidem hæreſes vindicandæ. Quod ſingulis paragraphis exequimur.

§. I.

Digitized by Google

§. I.

144 *Utrum JEſus Chriſtus filius Mariæ ſit verus Deus?*

Chriſti divinitatem negarunt, eumque purum hominem eſſe dixerunt, Carpocrates, Cerinthus, Ebion, Theodoretus Byzantius arte cariarius, Paulus Samoſatenus, & alii quorum mentionem fecimus in noſtro Tractatu de Deo Uno & Trino, part. 2. cap. 1. §. 1. pag. 151. ubi vide. Contra quos ſit

145 CONCLUSIO.

JESUS Chriſtus Filius Mariæ eſt verus Deus.

Prob. 1mo. Ex Scriptura. Rom. c. 9. v. 5. *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.* Philipp. 2. v. 5. *Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto JEſu, qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens.* Ubi per formam intelligitur natura, unde ſenſus eſt: Chriſtus cùm naturam divinam haberet, non rapinam arbitratus eſt, ſe facere æqualem Deo, nempe cùm dixit: *Ego & Pater unum ſumus;* ſed ſe ipſum exinanivit aſſumendo naturam ſervi, nempe humanam.

Joan. 1. v. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum . . . Verbum caro factum eſt.* Ergo Verbum caro factum, eſt verus Deus. At Chriſtus eſt Verbum Caro, ſeu homo, factum. Ergo eſt verus Deus.

1. Joan. cap. 3. v. 16. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit.* Atqui Chriſtus animam ſuam pro nobis poſuit. Ergo eſt Deus.

Joan. 16. v. 15. *Omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt,* inquit Chriſtus ipſe. Certè qui habet omnia, quæ habet verus Deus, is eſt verus Deus, nam etiam habet divinitatem. Atqui Chriſtus aſſerit, ſe habere omnia, quæ habet verus Deus. Ergo aſſerit ſe eſſe verum Deum. Ergo eſt verus Deus, nam ejus teſtimonium verum eſſe fatentur ipſi hæretici.

Prætereà in Scriptura Dei attributa, & opera Dei propria Chriſto tribuuntur, ut æternitas, omnipotentia, creatio, conſervatio, &c. Joan. 17. *Clarifica me Pater apud temetipſum claritate, quam habui, priusquàm mundus eſſet apud te.* Apocal. 4. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt.* 1. Cor. 8. *Unus Dominus JEſus Chriſtus, per quem omnia.* Joan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Hebr. 1. *Portans omnia verbô virtutis ſuæ.* Et Coloſſ. 1. *Omnia in ipſo conſtant.*

Prob. 2do. Ex traditione cujus teſtes ſunt Patres, & Concilia, quorum teſtimonia hanc in rem in laudato Tractatu noſtro de Deo Uno & Trino. Part. 2. cap. 1. §. 2. à pag. 164. jam adduximus, & ubi etiam iis, quæ hîc objici poſſunt, reſpondimus. Ubi vide.

§. II.

An Verbum divinum veram nobisque conſubſtantialem naturam humanam, corpus ſcilicet humanum & animam rationalem aſſumpſerit? 146

Magnâ furoris inſaniâ veteres Hæretici in veram Chriſti humanitatem debachati ſunt. Simon Magus, Cerdon, Marcion, Manes, Manichæi & Priſcillianiſtæ docuerunt Chriſti corpus non fuiſſe verum corpus carneum, ſed apparens tantùm & phantaſticum. Valentinus

Digitized by Google

Adde & omnes vitæ mortalis Chriſti circumſtantias. Circumciditur; à Magis adoratur; parentibus ſubditus eſt; docet; patrat miracula; lacrymas fundit; flagellis cæditur; cruci affixus moritur. Nemo ſanus autem dicet, hæc omnia totidem fuiſſe ſenſuum noſtrorum ludificationes, & ab homine umbratili ac phantaſtico factas præſtigias. Ergo, &c.

Atque hæc potiſſimùm Scripturæ teſtimonia ſancti Eccleſiæ Patres & Doctores, Ignatius Ep. ad Trallianos; Irenæus, lib. 5. c. 1. Tertullianus, lib. 3. contra Marcion. c. 8. & lib. de carne Chriſti, c. 5. & c. 20. Alcimus Avitus, Ep. 3. Biblioth. PP. tom. 9. p. 566. & alii complures adversùs Manichæos, Marcionitas, Apollinariſtas, aliosque veræ ac ſolidæ carnis Chriſti oppugnatores urgebant.

Addebant & iſta rationum momenta. 1mo. Quia, ut Scriptura teſtatur, Chriſtus proprio ſanguine Eccleſiam acquiſivit, & nos à peccato ac dæmonis ſervitute liberavit. 2do. Quia, ex Scriptura, eſt Mediator noſter apud Deum; hic autem verus homo eſſe debet, ut & verus Deus: verus homo, ut poſſit pro nobis intercedere; verus Deus, ut interceſſioni valorem ac pretium tribuat. *Unus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus*, ait Apoſtolus, 1. ad Tim. 2. v. 5. 3tio. Quia Filius hic divinus, ut nos viam ſalutis edoceret, miſſus fuit à Patre; divinæ autem majeſtatis ſplendorem homo mortalis ſuſtinere non potuiſſet, niſi carnis indumentô temperatus, ac conditioni noſtræ fuiſſet accommodatus. Ita S. Irenæus, lib. 5. adv. hæreſ. c. 1. S. Auguſtinus, lib. 1. de doctrina Chriſtiana, c. 11. 4to. Quia ſi Chriſtus verè ac ſubſtantialiter homo non eſſet, nihil foret diſcriminis inter Incarnationem Dei noviſſimis temporibus factam, & modum, quo veteribus Patriarchis in Lege veteri apparuiſſe legitur. Atqui diſcrimen iſtud exponit Apoſtolus, Heb. 1. v. 1. his verbis: *Multifariam, multiſque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, noviſſimè, diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio, &c.* Veteribus Patriarchis loquebatur Deus per Verbum ſuum nondum carne indutum, nobis verò in carne loquitur. Ita S. Irenæus, lib. cit. 5to. Chriſtus nos ad cruces, ærumnas ac labores hujus vitæ patienter tolerandos exemplô ſuô incitavit & adhortatus eſt. Atqui niſi prior ipſe ærumnis ac doloribus ſubditus fuiſſet, nos ſeduxiſſet, ac mendaciter impoſuiſſet nobis, noſque ſupra magiſtrum noſtrum Chriſtum eſſemus, qui verè non fictè, ut Chriſtus, patimur & affligimur. Ergo, &c. Ita S. Irenæus l. 3. c. 20. adverſùs hæreſes. 6to. Suprema & increata veritas nec falli poteſt, nec fallere. Atqui ſi Chriſtus phantaſticum & umbratile corpus, non verum ac ſolidum, aſſumpſiſſet, nos induxiſſet in errorem, qui tam aptè ſimulatâ carnis veritate, ſe verum hominem exteriùs geſſiſſet ac demonſtraſſet, qualis tamen re ipſa non fuiſſet. Ergo, &c. Ita SS. Irenæus loc. cit. Epiphanius; Auguſtinus, lib. 83. q. 1. 7mo. Si Chriſtus fictus duntaxat ac phantaſticus homo erat; ergo & umbratilis & fictus Deus: neque enim evidentiùs Scriptura ejus divinitatem deſignat, quàm humanitatem. Ita Tertullianus, lib. 3. cont. Marcion. c. 8. 8vo. Si Chriſtus humanitatis noſtræ verè ac propriè particeps non fuit, neque nos divinitatis illius ac cœleſtis, qua fruitur, gloriæ, participes eſſe poſſumus; omnis enim ſpes ac ſalus noſtra in Chriſto capite noſtro ac ſponſore, fidei auctore ac conſummatore poſita eſt. Concludimus cum S. Joanne Ep. 1. c. 4. v. 2. 3. *Omnis ſpiritus, qui confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt; & omnis ſpiritus, qui ſolvit Jeſum,* ex

ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus.

148 Igitur ex Concluſione noſtra ſequitur 1mo. Verbum divinum animam & mentem humanam ſibi aſſumpſiſſe. Et verò 1mo. veram in Chriſto animam declarant hæc Scripturæ verba, Joan 10. v. 15. *Ego pono animam meam pro ovibus meis.* Et v. 17. *Ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam. Nemo tollit eam à me; ſed ego pono eam à me ipſo: & poteſtatem habeo ponendi eam, & iterum ſumendi eam.* At anima illa, quam Chriſtus ponit pro ovibus ſuis, quam nemo ab illo invito tollere, quam ſemel dimiſſam ſumere iterum poteſt, haud dubiè non eſt ipſamet divinitas, quam Chriſtus nuſquam dimiſit. Ergo vera eſt quoad ſubſtantiam anima humana, mente ac ratione prædita. 2do. Scriptura animæ humanæ veras affectiones (detractis omnibus imperfectionibus, quæ nobis adhæreſcunt) Chriſto tribuit, ergo & veram animam. Marci 14. v. 33. *Cœpit pavere & tædere.* Matth. 26. v. 38. *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Luc. 22. v. 15. *Deſideriò deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum.* Et c. 2. v. 52. *Jeſus proficiebat ætate & ſapientia.* Denique Heb. 4. v. 15. Chriſtus *tentatus* dicitur *per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.* Iſtæ porro affectiones triſtitiæ, deſiderii, doloris, in divinitatem ipſam cadere non poſſunt. Ergo in animam ipſam humanam cadunt. *Caro enim*, ait S. Leo, Serm. 8. de jejunio, *ſine anima nihil deſiderat, & inde accipit ſenſus, undè ſumit motus.* 3tio. Facultates, quæ animæ humanæ ſunt propriæ intellectum ſcilicet ac voluntatem Chriſto tribuunt Scripturæ. Iſai. 11. v. 2. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilii.* Luc. 2. v. 52. *Proficiebat ætate & ſapientia.* Coloſſ. 2. v. 3. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.* Quæ certè ad intellectum pertinere omnes facilè intelligunt. Et humanam in Chriſto fuiſſe voluntatem declarant ea quæ Luc. 22. v. 42. leguntur, *Non mea voluntas, ſed tua fiat.* Et Joan. 6. v. 38. *Deſcendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, ſed ejus, qui miſit me.* 4to. Mortuum eſſe Chriſtum nemo inficiatur; Joan. 19. v. 30. *Inclinato capite tradidit ſpiritum*, non divinitatis utique, hæc quippe tùm corpus tùm animam etiam in triduo mortis non dereliquit, prout ſuô locô dicemus. Ergo Spiritus ille, quem Chriſtus tradidit, anima ipſa eſt ſpiritalis: mors etenim in illa ſeparatione animæ à corpore poſita eſt.

Communem hanc Eccleſiæ fidem ante 149
Apollinarem propugnaverant unanimi ſuffragiô SS. Patres. S. Juſtinus, Apolog. ad Senatum, in fine. Tertullianus, lib. de carne Chriſti, c. 10. & lib. de reſurrectione carnis, c. 34. Origenes, lib. 6. contra Celſum. Quamobrem cùm Apollinaris caput extulit, ad rei novitatem obſtupuit Eccleſia, atque hæreticum ſimul & hæreſim compreſſit in Synodo Alexandrina, cui præerat S. Athanaſius; in Synodo Occumenica II. Et Romana contra Macedonianos & Apollinariſtas congregata, ubi anathema dicitur iis, qui vice animæ rationalis Verbum fuiſſe cenſent aſſumptæ carni.

Hujus Catholici dogmatis rationes afferunt SS. Patres: 1mo. Quia Chriſtus fuit homo perfectus & nobis per omnia ſimilis abſque peccato. Atqui ſine anima vel mente perfectus non fuiſſet; nec enim corpore tantùm, ſed etiam mente conſtat homo, nec ſine illa vivit aut intelligit. Ita S. Auguſtinus Ep. 187. aliàs 57. ad Dardanum, n. 4. 2do. Chriſtus totum aſſumpſit, quod ſanavit. Sed animam, quam mali labes infecerat, ſanavit. Ergo hanc aſſumpſit. Ita S. Gregorius Nazianzenus Ep. 1. ad Cledonium. 3tio. Verbum aſſumpſit carnem anima mediante, ut ſuô locô dicemus; Ergo

eſt

Digitized by Google

eſt in Chriſto vera anima humana. 4to. Quia variæ affectiones, quæ Chriſto tribuuntur, dolor, triſtitia, mors, deſcenſus ad inferos, in ſolam animam cadere poſſunt, non in divinitatem. Ita S. Athanaſius, lib. de Incarnat. & lib. de ſalutari adventu Chriſti. 5to. Quia beneficia non tribuuntur corpori, niſi animæ interventu. Ergo Verbum carnem non nobilitavit, niſi anima mediante. Ita Petrus Venerabilis lib. 2. Ep. 1. 6to. Quia abſurdum foret, aſſumptum eſſe à Verbo id, quod deterius eſt, nempe corpus, relicta nobiliori parte, animâ ſcilicet. Ita S. Auguſtinus, lib. de agone Chriſtiano c. 19. 7mo. denique, nulla afferri poteſt cauſa & ratio, cur Chriſtus animam humanam aſſumere dedignatus fuerit; non quòd à Deo facta non ſit; Deus enim eſt omnium conditor. Non quòd peccatô vitiata non fuerit; nam ipſa graviùs vulnerata eſt, quàm corpus; atque meriti vel demeriti capax illa eſt. Non quòd carne ſit vilior; nam eâ longè præſtantior eſſe dignoſcitur, ut quæ ſpiritalis ſit, atque carni vitam impertiatur. Non denique, quòd Chriſtus animam ſauciatam curare non potuerit, ſicut corpus curavit, &c. Ita S. Fulgentius, lib. 1. ad Traſ. c. 14.

150 Quoniam fortè de anima Chriſti præcisè diſſerendi non ampliùs occurret occaſio, præſtat hîc difficultatem illam, quam de illius in infernum deſcenſu movent Proteſtantes, paucis enodare.

Cùm enim vox *Infernum* in varia ſignificatione uſurpetur in Scriptura, aliquando ſcilicet pro ſepulchro, Pſal. 48. v. 15. Geneſ. 42. v. 38. & c. 37. v. 35. Aliquando pro loco damnatorum, Luc. 16. v. 23. Num. 16. v. 33. Aliquando pro acerbis & maximis doloribus, 1. Reg. c. 2. v. 6. Aliquando denique pro extrema humiliatione, Iſaiæ 14. v. 15. Matth. 11. v. 3. Hinc Proteſtantes occaſionem arripuêre contra Orthodoxorum mentem animæ Chriſti ad infernũ deſcenſum interpretandi; quamvis inter ſe ſe non conveniant. Non una enim eſt inter ipſos Calviniſtas ratio exponendi illum animæ Chriſti ad inferos deſcenſum; alii ſepulchrum illum interpretantur; alii volunt re ipſa animam Chriſti deſcendiſſe in locum damnatorum, atque ibidem eorumdem pœnas ſuſtinuiſſe; alii verò deſcenſum illum explicant de ſuprema Chriſti exinanitione ac humiliatione, tum ratione corporis in ſepulchro detenti, tum ratione animæ, propter dolores & cruciatus, quos experta eſt decurſu Paſſionis ſuæ, ſive in Olivarum horto, ſive in Prætorio, ſive in cruce.

Lutherani verò communiter aſſerunt, Chriſti animam non tantum in Limbum, ut vulgò dicitur, ſed etiam in locum damnatorum deſcendiſſe, ut ibi victoriam ſuam ac triumphum oſtentaret.

At Orthodoxi omnes communi ſuf- 151
fragiô hîc nomine *inferni* intelligunt inferiores ac profundiores terræ partes, quas Limbum vocamus, ad quas deſcendit anima Chriſti poſt mortem, ut inde animas Patriarcharum, Prophetarum, & aliorum Sanctorum Veteris Teſtamenti, *expectantes beatam ſpem & adventum gloriæ magni Dei*, erueret, ac liberaret.

Et verò Deſcenſus ille Chriſti ad inferos prænuntiatus eſt in Veteri Teſtamento, ac in Novo adimpletus. Eccleſiaſtici c. 24. v. 45. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ*, ait Sapientia, *& inſpiciam omnes dormientes; & illuminabo omnes ſperantes in Domino.* Prophetiæ complementum refert S. Petrus 1mæ. 3. v. 9. *His*, inquit, *qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicavit.* Et S. Paulus, Epheſ. 4. v. 9 *Quod autem*, ait, *aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primùm ad inferiores partes terræ?* hoc eſt, interprete S. Hierony-

Digitized by Google

ronymô, in infernum ſeu Limbum. Denique Act. 2. v. 24. Deſcenſum illum Chriſti non obſcurè indicant iſta S. Petri verba: ***Quem Deus ſuſcitavit ſolutis doloribus inferni, juxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo.*** Et v. 27. iſtud Pſalmi 15. ***Non derelinques animam meam in inferno***, Chriſto adaptat. Quo loco vox ***inferni*** ſepulchrum procul dubio non ſignificat; neque enim anima, ſed ſolùm corpus jacet in ſepulchro. Neque etiam de ſola reſurrectione Chriſti, aut incorruptione carnis ejus citata verba intelligi poſſunt: ſiquidem tria hæc apertè diſtinguit S. Petrus; reſurrectionem, *Quem Deus ſuſcitavit*; incorruptionem, ***Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem***; deſcenſum ad inferos, *Non derelinques animam meam in inferno*

Accedit Symbolum Apoſtolicum, ubi expreſſus ac diſtinctus eſt duplex iſte articulus, *Deſcendit ad inferos. Reſurrexit à mortuis.*

Huic Catholico dogmati conſonat univerſa utriusque Eccleſiæ traditio: nonnullos duntaxat ex utraque Patres & Doctores appellamus. Ex Græcis, S. Juſtinum, Dial. cum Tryphone. S. Irenæum, lib. 4. c. 39. Clementem Alexandrinum lib. 6. Stromat. Athanaſium, lib. de ſalutari adventu Chriſti. Cyrillum Hieroſolymitanum, Catech. 4. Baſilium, in Pſal. 18. Epiphanium, hæreſi 20. &c. Ex Latinis, Tertullianum lib. de anima, c. 4. Lactantium, lib. 4. c. 9. Hilarium, lib. 10. de Trinit. Ambroſium, lib. 5. de Incarnat. Auguſtinum, lib. 12. de Geneſi ad litt. c. 33. & in Pſal. 87. Hieronymum, Ep. 151. ad Algaſiam. Fulgentium, lib. 3. ad Traſimundum, c. 30.

Atque hujusce deſcensus Chriſti ad inferos varias cauſas & rationes adducunt iidem SS. Doctores. 1mo. Ut tempora adventûs ſui à Patribus tamdiu expectata & deſiderata, tandem impleta eſſe Chriſtus oſtenderet, ac plenam redemptionem annuntiaret. Ita S. Irenæus, lib. 4. adverſus Valentinum c. 45. 2do. Ut Patriarchas & Prophetas ſui conſortes faceret; & ut hominis mortui formam in omnibus ſuſciperet. Ita Tertullianus. 3tio. Ut Patres in inferno detenti, audita Chriſti prædicatione, pœnitentiam agerent, & ad ipſum converterentur. Ita cenſent S. Clemens Alexandrinus, lib. 6. Stromat. & ejus diſcipulus Origenes, lib. 2. contra Celſum (*u*). 4to. Ut Patres in Limbo detentos de ſua ſalute Chriſtus certiores faceret, ac Dæmonis poteſtatem deſtrueret. Ita S. Epiphanius, hæreſ. 69. 5to. Ut Patres indè liberaret. Ita S. Auguſtinus, lib. 20. de Civ. Dei c. 15. Denique, ut Chriſtus eò pervaderet, quo homo per peccatum detruſus eſt. &c.

Ex his porro manifeſtum eſt, infernum, ſeu inferni nomine hîc non intelligi ſepulturam Chriſti, quia in Symbolo Apoſtolico articulus deſcenſûs Chriſti ad inferos diſtinctus eſt ab ejus morte, ſepultura, & à mortuis ſuſcitatione. Nec ejus exinanitionem, ſeu incarnationem, quæ pariter diſtinctô articulô proponitur, *Verbum caro factum eſt*, quando ſcilicet accepit formam ſervi. Nec denique

(*u*) Hic deſerendi ſunt hi Patres, niſi intellexerint, in aliquo tertio loco detentos fuiſſe, ut quæ ipſis adhuc expianda reſtabant, expiarent, quem locum Limbum appellamus: eos autem ea duntaxat ratione adduximus, ut oſtenderemus, ipſorum mentem eſſe Chriſti animam verè in infernum ſeu limbum deſcendiſſe; non verò quòd hujus deſcenſus ab ipſis adductam rationem probemus.

que dolores ac cruciatus damnatorum: tum quia Chriſtus deſcendit ad inferos poſt ſuam paſſionem ac mortem, quo tempore nullis doloribus ac infirmitatibus obnoxius erat; tum quia disertè S. Petrus, Act. 2. v. 24. de Chriſto ait: *Quem Deus ſuſcitavit, ſolutis doloribus inferni, juxta quod impoſſibile erat teneri illum.* Ergo liber fuit Chriſtus ab his doloribus. Ita S. Auguſtinus, Ep. 164. aliàs 99. S. Fulgentius, lib. 4. ad Traſim. c. 30. Cæterùm non ſatis mirari poſſumus impietatem eorum, qui contendunt, Chriſtum damnatorum cruciatibus torqueri debuiſſe, ut plenè pro nobis Deo Patri ſatisfaceret, quaſi vel unica pretioſi ſanguinis ipſius gutta omnium hominum peccatis redimendis plusquàm ſufficiens non fuiſſet.

152 Ergo anima Chriſti poſt ejus mortem deſcendit ad inferos, ſcilicet ad Limbum duntaxat, ut inde Veteris Teſtamenti Patres educeret; nec obeſt, quòd Luc. 23. v. 43. Chriſtus Latroni pœnitenti dixerit: *Hodie mecum eris in Paradiſo*, quo videtur declarari, animam Chriſti, ſtatim ac à corpore ſeparata fuit, Paradiſum petiiſſe, nec in infernum deſcendiſſe. Namque Paradiſi nomine hîc non ſedem Beatorum, ubi Deus ſe ipſum clarè ac intuitivè conſpiciendum exhibet, intelligi debere dicimus, ſed locum pacis ac refrigerii, quem Limbum appellamus, in quem Latronis pœnitentis anima deſcendit cum anima Chriſti. Latro igitur, ait S. Thomas, 3. part. q. 52. a. 4. ad 3. ſimul fuit cum Chriſto in inferno, quoad locum; & in Paradiſo, quoad præmium ac refrigerium.

153 Verùm ut ad Concluſionem noſtram redeamus. Ex ea manifeſtè ſequitur, Verbum divinum verum corpus humanum unacum omnibus ſuis partibus, etiam ſanguine aſſumpſiſſe, atque ſibi hypoſtaticè conjunxiſſe. Patet enim id ex dictis in Concluſione. In ea probavimus, Verbum divinum, veram ac noſtræ ſimilem humanitatem, verum corpus, veramque carnem hypoſtaticè ſibi conjunxiſſe, & aſſumpſiſſe, quia verus homo fuit, *Verbum caro factum eſt.* Eas igitur partes omnes ſibi conjunxit, quas anima in humano corpore informat ac vivificat, membra, oſſa, carnem, ſanguinem, &c. per ſanguinem Chriſti enim nos redemptos fuiſſe Scriptura disertè declarat, Epheſ. 1. v. 7. *Habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum.* 1. Pet. 1. v. 18. 19. *Non corruptibilibus aurô & argentô redempti eſtis .... Sed pretioſô ſanguine quaſi immaculati Chriſti.* Denique 1. Joan. 1. v. 7. *Sanguis Jeſu Chriſti Filii ejus, emundat nos ab omni peccato.* Virtus autem illa, ſeu pretium Sanguinis Chriſti, ex ipſa Verbi perſona hypoſtaticè humanitati ſociata naſcitur; unde conſtans Eccleſiæ Doctorum ſententia eſt, vel unicâ pretioſi ſanguinis Chriſti guttâ univerſum genus humanum redimi potuiſſe, propter illam hypoſtaticam Verbi cum humanitate conjunctionem.

Lutherani bene multi, duce Oſiandro, ut impugnent dogma catholicum de concomitantia naturali ſanguinis cum corpore ſub ſpecie panis, & viciſſim corporis cum ſanguine ſub ſpecie vini, contra Scripturæ & Traditionis auctoritatem fingere auſi ſunt, Chriſtum effuſum in Paſſione ſanguinem reſurgendo non reaſſumpſiſſe, nec ſecum in cœlum detuliſſe, ſed eum ibidem eſſe exanguem. Quia, inquiunt, ſanguis eſt neceſſarius tantùm ad vegetandum & nutriendum corpus animale; eſt enim proximum ejus alimentum: Corpus autem glorioſum, quale eſt Corpus Chriſti non eſt animale, ſed ſpirituale, 1. Cor. 15. non eſt nutritioni obnoxium, 154

ſicut nec mutationi : ſed eſt prorſus incorruptibile.

155 Verùm conſtans eſt Eccleſiæ Traditio, Chriſtum omnem effuſum in Paſſione ſanguinem reſurgendo reaſſumpſiſſe, ac in cœlo etiamnum conſervare. Quia Chriſtus à mortuis ſuſcitatus, & qualis ſedet ad dexteram Patris, homo verus eſt ac perfectus. Ergo eas omnes retinet partes, quæ ad perfectionem & integritatem humanitatis pertinent. Similem quæſtionem S. Auguſtino propoſuerat Conſentius, utrum nunc Corpus Domini oſſa & ſanguinem habeat, aut reliqua carnis lineamenta. Cui reſpondet S. Doctor, Ep. 205. aliàs 146. *Ego Domini corpus ita in cælo eſſe credo, ut erat in terra.*

Porrò Argumentum Lutheranorum nimis probat, ſequeretur enim ex eo, corpus glorioſum carere ſtomachô & inteſtinis, quæ nutritioni ſubſerviunt, corde & hepate, quibus ſanguis conficitur (*x*). Et verò, quamvis ſanguis actu non eſſet pars corporis, pertinet tamen ad naturæ humanæ conſtitutionem, & ſpiritus vitales & animales, ſubtiliores ſanguinis partes, ſunt neceſſaria vitæ animalis inſtrumenta. Hîc ergo communi Theologorum axiomati inſiſtendum: *Quod Verbum ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit.*

156 *Solvuntur Objectiones*

Contra poſitam Concluſionem.

Ob. 1mo. Angelus Gabriel, licèt non eſſet propriè Vir, tamen Daniel. 9. vocatur Vir, quia apparuit ſub ſpecie viri. Ergo Chriſtus dici potuit homo, quia ſub ſpecie humana viſus eſt, licèt re ipſa non eſſet homo.

Reſp. neg. conſ. Diſparitas eſt, quia Chriſti humanitas tam clarè exprimitur in Scriptura, ut vox *homo* ei attributa intelligi non poſſit niſi propriè : nempè de Chriſto dicitur, quòd conceptus ac natus ſit de Virgine Maria, quòd ſit filius hominis, & ex ſemine David, quòd paſſus & mortuus ſit. Prætereà Scriptura loqui debuit propriè, non figuratè, in declarando Myſterio Incarnationis, quod eſt primarium Religionis Chriſtianæ fundamentum.

Ob. 2do. Apoſtolus 2. Cor. 5. v. 16. ait: *Itaque nos ex hoc neminem novimus ſecundùm carnem. Et ſi cognovimus ſecundùm carnem Chriſtum; ſed nunc jam non novimus.* Ergo jam ſaltem Chriſtus veram non habet carnem. 157

Reſp. neg. conſ. Senſus Apoſtoli eſt: Et ſi olim gloriabar, Chriſtum carnali generatione eſſe Judæum & ex eodem mecum genere; jam nunc Chriſtum tantùm noſco ſecundùm Spiritum, hoc eſt, ut auctorem gratiæ & ſalutis.

Ob. 3tio. Philipp. 2. v. 7. Chriſtus factus dicitur *in ſimilitudinem hominum, & habitu inventus ut homo.* Et Rom. 8. *Deus Filium ſuum miſit in ſimilitudinem carnis peccati.* Si ergo Chriſtus verè peccari carnem non aſſumpſit, ita nec veram & humanam carnem, ſed tantùm externè & apparenter ſimilem. 158

Reſp. Neg. conſ. Senſus 1mi textûs eſt; Chriſtus, qui cùm in perſona Verbi eſſet ſuâ naturâ verus Deus, ſe ultrò abjecit aſſumendo naturam ſervi, factus hominibus ſimilis ſubſtantialiter ſcilicet & ſpecificè, ſicut homines dicuntur inter ſe ſimiles ſpecie, ſeu naturâ humanâ, atque ſpecie & actionibus ſuis videri voluit ut homo verus, qualis re ipſa

(*x*) Quid ni dicant Novatores iſti, Chriſtum nudam pellem humanam duntaxat ſecum in cœlum detuliſſe?

ipſa erat, quamvis tamen ſimul eſſet verus Deus. Quare in hoc textu forma naturam ſignificat, & ea ſimilitudo eſt ſpecifica in natura, qualis eſt inter individua ejusdem ſpeciei, non verò ſimulata, & apparens tantùm. Senſus 2di textûs eſt, Deum miſiſſe Filium ſuum in ſimilitudinem *carnis peccati*, non quòd hæc ſimilitudo pura fuerit & vacua, quia re vera Chriſtus carnem habebat, ſed quia caro ejus, tametſi re ipſa foret puriſſima, & ab omni vel minima peccati umbra remota, tamen, quoad externam ſpeciem, videbatur caro peccati: atque re ipſa per omnia nobis ſimilis factus eſt, *absque peccato*, quamvis pœnas peccati tulerit, atque ſic *in ſimilitudinem carnis peccati* in terris apparuerit.

159 Ob. 4to. Matth. c. 1. v. 20. Angelus Joſephum alloquens, ait quidem, in Maria natum Chriſtum, non verò ex Maria. Ergo aliundè ſaltem adducta fuit Chriſti caro in Mariam, non ex illa genita.

Confirmatur ex eo, quòd Chriſtus ipſe profiteatur Matth. 12. v. 48. *ſe neque matrem neque fratres habere.* Et Joan. 2. v. 4. atque alibi, Mariam alloquens nusquam eam matrem ſuam appellat, ſed nudè ac ſimpliciter *mulierem.*

Reſp. ad object. neg. conſ. Evangeliſtæ promiſcuè particulas *in* vel *ex* hîc uſurpant; Matthæus quidem dixit, *quod in ea*; S. Lucas verò, *quod ex ea natum eſt*; quæ in eundem ſenſum recidunt; ac perinde ſignificant Chriſtum propriè & re vera ex V. Maria natum fuiſſe.

Ad confirmat. Cit. loc. figuratè loquitur Chriſtus, atque innuit, matrem ac fratres ſpirituales, qui legem Dei religioſè obſervant, carnalibus longè anteponendos eſſe, & potiori in loco apud ſe habendos. Unde ibid. v. 49. extendens manus in Diſcipulos ſuos ſubdit: *Ecce mater mea & fratres mei. Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* Et quamvis porro Chriſtus B. Virginem nusquam conceptis verbis matrem ſuam appellaverit (ne fortè, ait S. Epiphanius hæreſi 79. errandi occaſionem aliquibus daret, atque putandi, eum more aliorum hominum ex viri conſortio ex ea genitum fuiſſe) non obſcurè tamen hanc maternitatis in ea dignitatem declaravit, cùm ſe *filium hominis* profeſſus eſt. Aliundè verò S. Joannes clarè & expreſsè Mariam Chriſti matrem appellat: *Stabat*, inquit, *juxta crucem Jeſu mater ejus . . . . Et cum vidiſſet Jeſus matrem &c.*

Ob. 5to. Verbum dicitur caro factum. 160
Ergo ſaltem animam rationalem non aſſumpſit.

Reſp. neg. conſ. Nam, ut ex aliis Scripturæ locis conſtat, caro hîc ſignificat hominem, per Synedochen accepta parte pro toto, quod in Scriptura frequens eſt, ut Genes. 6. *Omnis caro corruperat viam ſuam.* Et Luc. 3. *Videbit omnis caro ſalutare Dei.* Porro Verbum dicitur caro factum; tum ad oſtendendam veritatem Incarnationis contra Hæreticos negantes verum corpus à Verbo aſſumptum fuiſſe; tum ad declarandam magnitudinem charitatis Dei erga homines, qui tam vilem carnis naturam aſſumpſit ad illos redimendos; tum ad indicandum, Deum ſuſcepiſſe naturam paſſibilem cum infirmitatibus noſtris.

Ob. 6to. Joan. 3. v. 13. Chriſtus ait: 161
Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius hominis qui eſt in cœlo. Et c. 6. v. 41. *Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi.* Item 1. Cor. 15. v. 47. *Primus homo*, inquit Apoſtolus, *de terra terrenus; ſecundus homo*

de

de cœlo cœleſtis. Ergo videtur Corpus Chriſti de cœlo delapſum eſſe, ac per Mariam Virginem duntaxat tanquam per canalem transmeaſſe: neque enim Deus, qui ut Deus ubique diffuſus eſt, è cœlo propriè deſcendere dici poteſt; unde Apoſtolus Corpus Chriſti opponit terreno, quod corruptioni obnoxium eſt; non ita verò Corpus Chriſti, de quo dicitur Act. 2. v. 27. *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.*

Reſp. neg. conſ. Chriſtus de cœlo deſcendit, 1mo. Non ratione corporis, ſed divinæ Verbi perſonæ, non quidem per motum localem, quaſi cœlum aliquando deſeruerit, ſed per aſſumptionem humanæ noſtræ naturæ, qui modus deſcenſûs ſumma eſt Verbi demiſſio & exinanitio. Ita S. Hilarius, lib. 10. de Trinit. 2do. Chriſtus è cœlo deſcendiſſe dicitur ratione cauſæ efficientis, nimirùm Spiritus ſancti, cujus operatione & virtute humanitas Chriſti in utero B. Virginis concepta & formata eſt. 3tio. Ratione conditionis vitæ Chriſti, quæ tota divina & cœleſtis fuit, propria & innata ſanctitate ac poteſtate, non autem ipſa corporis conditione. Cùm verò Apoſtolus, 1. Cor. 15. Chriſtum opponit Adamo; oppoſitio non fit ratione carnis, ſecundùm quam vocatur filius Adami, Luc. 3. v. 38. ſed ratione perſonæ & officii; nec inde probatur, carnem Chriſti è cœlo deſcendiſſe, ſed tantùm nudi & meri homines è terra oriundi Chriſto opponuntur. Pariter Corpus Chriſti ante mortem cœleſtis ac immortalis corporis dotibus ornatum non fuit, tametſi corruptionem non ſenſerit, quamdiu jacuit in ſepulchro: fieri etenim non poterat, ut corpus, cui unita erat divinitas corruptioni aliis corporibus propriæ ac communi ſubjaceret.

162 Ob. 7mo. Chriſtus ipſe carnem deſpicit ac damnat. Et 1. Cor. 15. v. 50. *Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt*, inquit Apoſtolus. Ergo non aliter caro factus eſt dicendus, quàm dicitur pro nobis *maledictum ac peccatum;* non propriè ſcilicet ac verè, ſed apparenter tantùm & ſpecietenùs.

Reſp. Diſt. ant. Chriſtus carnem ipſam, id eſt, opera carnis, ſeu peccata damnat, conc. Carnem, id eſt, ſubſtantiam carnis, neg. ant. Ita Tertullianus lib. 5. contra Marcion. c. 14. Inde patet, longè diſſimili ratione Chriſtum pro nobis *maledictum & peccatum factum:* non quòd peccatum fecerit, qui ſanctus eſt ac impollutus, ſegregatus à peccatoribus; ſed quòd peccati pœnas à nobis, quibus debitæ erant, in ſe tranſtulerit.

Ob. 8vo. Chriſtus olim veteribus Patriarchis carne indutus apparuit, ambulavit, manducavit, locutus eſt, &c. Angeli pariter ſub eo carnis velo viſi ſunt, multas vitæ corporeæ & animalis operationes exercuerunt: neque tamen ex iſtis eorum operationibus inferri poteſt, eos veram humanitatem in unitatem ſuppoſiti aſſumpſiſſe. Ergo pariter concludi illud non poteſt ex operationibus Chriſti dum in terris apparuit. 163

Reſp. neg. conſ. Imò potiùs contrarium inferri debet. Cùm enim Lex vetus novæ duntaxat figura & umbra fuerit, ut veritas figuræ reſponderet, neceſſe fuit, Chriſtum in nova Lege veram ac ſolidam carnem ſibi aſſumere, quam in veteri fictam tantùm & umbratilem geſtaverat: Si tamen verum eſt, quod nonnullis videtur, Chriſtum ipſum, & non potiùs ejus locò Angelos in aſſumptis corporibus aliquando Veteris Teſtamenti Patribus appruiſſe, & cum illis converſatum fuiſſe; *At caro illa*, inquit Tertullianus, *nondum tunc nata erat*,

erat, quia nondum tunc moritura erat: ſi autem vera caro erat, hanc per meram & extrinſecam aſſiſtentiam movebat Deus, non per veram ſui cum illa hypoſtaticam unionem.

Angeli verò, qui viſibiles aliquando facti ſunt, vel ex aëre, aut alia qualibet materia compactum corpus certa quadam ratione moverunt, in quo actiones vitæ, ut ſunt loqui, ambulare, manducare, &c. exercere quidem viſi ſunt: at veræ vitales & animales operationes non erant, ſed apparentes duntaxat & externæ; prout apertè declaravit Angelus Tobiæ, *Videbar quidem*, ait Tob. 12. v. 19. *vobiscum manducare & bibere; ſed ego cibô inviſibili & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, utor.* At Chriſtus plurimis annis cum hominibus converſatus eſt; & Scriptura multa ei attribuit, quæ ſoli vero homini convenire poſſunt, ut ſunt Conceptio, Nativitas ex Virgine, manducare, ſitire, Paſſio, Mors, & Reſurrectio.

164 Ob. 9no. Hoc myſterium dicitur Incarnatio. Ergo non eſt Inhumanatio.

Reſp. neg. conſ. Nam Incarnatio hìc idem eſt ac Inhumanatio, & ſignificat totius humanitatis conſtantis ex anima & corpore unitis aſſumptionem à Verbo factam in Unitate perſonæ, ut ex Scriptura & Traditione conſtat, quamvis hæc appellatio derivetur ex carne, ſed acceptâ pro tota humanitate. Hinc illud S. Auguſtini, Ep. 120. *More ſuo Scriptura, ut Chriſti humilitatem magis oſtenderet, ne carnis nomen quaſi indignum aliquid refugiſſe videretur, carnem pro homine poſuit. Neque enim quia ſcriptum eſt, videbit omnis caro ſalutare Dei, animæ ibi non ſunt intelligendæ.*

§. III. 165

Utrum Verbum divinum ex B. Virgine corpus aſſumpſerit, ſeu an Chriſtus ex ea natus fuerit illibata ſemper ac integra remanente ipſius virginitate.

Beatæ Mariæ Dei genitricis Virginitas ſpectari poteſt vel ante partum, vel in partu, vel poſt partum; quocumque autem modo ſpectata ſuos habuit hoſtes. Jam primô Eccleſiæ ſæculô Cerinthus, Ebion, & Carpocrates docuerunt, B. Virginem ex ſanćto Joſepho Chriſtum concepiſſe. Ita S. Irenæus, lib. 1. c. 15. Tertullianus, lib. de præſcript. c. 48. & lib de carne Chriſti, c. 28. referunt.

Sæculô 4tô. Jovinianus voluit Matrem Dei, licèt in conceptione virgo permanſerit, in partu integritatem amiſiſſe. Joviniano præiverant Tertullianus, lib. de carne Chriſti, c. 23. & Origenes, Hom. 4. in Lucam.

Durandus, quamvis Mariam in partu virginem agnoſcat, ejus tamen integritatem quodammodò labefactat; cùm enim corporum penetrationem non putet poſſibilem, vult beatiſſimam Virginem Chriſtum effudiſſe partium dilatatione abſque fractura aut diviſione. Hanc ſententiam amplectuntur Calviniſtæ, ea ratione ducti, qua negant poſſibile eſſe, Chriſtum in Euchariſtia exiſtere ſine extenſione locali.

Eodem ſæculo 4to. Helvidius docuit B. Virginem, poſt Chriſti nativitatem, ex S. Joſepho filios ſuſcepiſſe, ut teſtatur S. Hieronymus lib. contra eundem Hæreticum, ubi illum facit Auctorem Antidicomarianitarum, id eſt, Mariæ adverſariorum; quamquam Origenes, hom. 7. in Luc. & S. Hilarius, c. 1. in

in Matth. Helvidiô antiquiores hujus hæreſis meminerint. Olim extinctum Helvidii errorem plures è Novatoribus ſuſcitarunt, teſte Caniſio, lib. 2. de B. Maria.

Octavô ſæculô fuêre, qui plus æquô moroſi ac quaſi de potentia Dei diffiderent, ne fortè Corpus Chriſti niſi ruptô virginitatis clauſtrô in lucem exire poſſet, commenti ſunt, illud ex latere B Virginis prodiiſſe. Hos refellit S. Joannes Damaſcenus, lib. 4. c. 15. Sit

166 CONCLUSIO.

Stat invicta catholica veritas in Concilio ſexto generali, actione 11ma. his verbis expreſſa: *Mariæ virginitas ante partum, in partu, & poſt partum intemerabilis.*

Prob. 1ma. pars. Ex Scriptura. Lucæ 1. v. 34. & 45. *Quomodò fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco . . . . Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Ergo non cognitô virô, ſed de Spiritu ſancto B. Virgo Chriſtum concepit. Matth. 1. v. 20. *Quod in ea* (B. Virgine) *natum eſt de Spiritu ſancto eſt. Hoc autem*, addit Evangeliſta v. 22. *totum factum eſt, ut adimpleretur, quod dictum eſt à Domino per Prophetam* (Iſaiam nempe c. 7. v. 14.) *dicentem: Ecce Virgo in utero habebit & pariet filium: & vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod eſt interpretatum Nobiſcum Deus.* Hunc Iſaiæ textum à contortis Judæorum expoſitionibus antea vindicavimus, cùm de vaticiniis Prophetarum agebamus. Denique Matth. 1. v. 18. *Antequam convenirent*, inquit de B. Virgine. Evangeliſta, *inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto.*

Prob. 2do. Ex Symbolis Apoſtolico, in quo dicitur Chriſtus, *natus ex Maria Virgine*, & Conſtantinopolitano, in quo dicitur: *Et incarnatus eſt de Spiritu ſancto, ex Maria Virgine.* Item ex Concilio ſexto generali ſupra relato, Act. 11.

Prob. 3tio. Ex conſtanti Traditione, quæ ſatis colligitur ex Patribus, qui contra errorem oppoſitum ſcripſerunt, ut ſunt Irenæus, Tertullianus, Origenes, Ambroſius, S. Leo, Auguſtinus, Hieronymus, & alii. *Angelo nuntiante*, inquit S. Gregorius Magnus lib. 18. Moral. c. 52. aliàs 36. *& Spiritu ſancto adveniente, mox Verbum in utero, mox intra uterum Verbum caro.*

Prob. 4to. rationibus SS. Patrum. 1mo. Conſentaneum maximè fuit, temporalem Dei nativitatem ex utero Virginis peculiari modô, & extra legem naturæ conſuetam fieri, ut verum dictu ſit, *Generationem ejus quis enarrabit*, Iſai 53. v. 8. Ita S. Ignatius Ep. ad Epheſ. S. Juſtinus Dial. cum Tryphone. 2do. Sicut homo primus immediatè à ſolo Deo productus eſt, atque Eva ex viro ſine fœmina prodiit, cæteri verò mortales ex conſortio viri & mulieris naſcuntur, ita neceſſe fuit quartum ſuperaddi nativitatis modum, ex muliere ſcilicet ſine viro, qui plane novus eſt ac inauditus: unde meritò Jeremias, c. 31. v. 22. *Creavit Dominus*, inquit, *novum ſuper terram, fœmina circumdabit virum*, in utero nempe ſuo. Ita S. Irenæus, lib. 3. cont. Valent. c. 26. & 27. 3tio. Neceſſe erat, ut Salvator, qui ut nos renovaret, in mundum venit, ad nos novô planè & inſolitô modô accederet. Ita Tertullianus, lib. de de carne Chriſti c. 17. 4to. Non decuit, ut idem filius duos haberet patres, æternum unum, & temporalem alterum; ſed ſicut nullam matrem habuit in cœlo qua-

Digitized by Google

quatenus Deus, ita nullum Patrem in terris habere debuit, quatenus homo. Ita Lactantius, lib. 4. Inſtit. 5to. Chriſtus, ſua ex Virgine nativitate, ſuam comprobare voluit infinitam potentiam ac naturam planè divinam. Ita Theodotus Ancyranus, Hom. 1.

167 Prob. 2da pars. 1mo. Ex Scriptura. *Virgo concipiet & pariet filium*, inquit Iſaias, c. 7. v. 14. Quem locum laudat S. Matth. c. 1. v. 22. Ergo non tantùm concipiendo, ſed pariendo filium Maria permanſit Virgo.

Prob. 2do. Ex Symbolis & Conciliis ſupra probatione 1mæ. partis adductis, quæ B. Mariam in partu Virginem fuiſſe declarant. Et verò Eccleſia univerſa pro hæreticis eos ſemper habuit, qui violatô virginitatis clauſtrô Chriſtum ex Maria natum eſſe dixerunt.

Prob. 3tio. Ex univerſa SS. Patrum tum Græcorum tum Latinorum traditione. Quorum nonnullos duntaxat hìc appellaſſe ſufficiet.

S. Epiphanius hæreſi 78. *Quis unquam*, ait, *aut quo ſæculo auſus eſt proferre Mariæ nomen*, & *interrogatus non ſtatim intulit virginis vocem ? ex ipſis enim nominibus etiam Virginitatis ſigna elucent.*

S. Cyrillus in Concilio Epheſino, *Miraculum hoc* (quòd nempe, clauſô nec reſeratô Virginitatis clauſtrô, Chriſtus ex Matris utero prodierit) inquit *ſtupidum me reddit.*

S. Auguſtinus, Ep. 137. aliàs 3. ad Voluſianum. *Ipſa*, inquit, *virtus per inviolatæ matris virginea viſcera membra infantis eduxit, quæ poſteà per clauſa oſtia membra Juvenis introduxit.* Quæ verba Concilium Toletanum II. uſurpat.

S. Leo ſerm. 1. de Nativitate. *Meritò igitur*, inquit, *virgineæ integritati nihil corruptionis intulit partus ſalutis, quia cuſtodia fuit pudoris editio veritatis.*

S. Chryſologus, ſerm. 142. Sic B. Virginem alloquitur: *In tuo conceptu, in tuo partu, crevit pudor, aucta eſt caſtitas, integritas roborata.*

Auctor Sermonis ſub nomine S. Auguſtini, aliàs 15. de tempore, qui à Lovanienſibus S. Fulgentio tribuitur. *Qui dirupta*, inquit, *corporum membra in altis poterat redintegrare tangendo, quantò magis in ſua matre, quod invenit integrum, potuit non violare naſcendo ? Crevit in ejus partu integritas corporis potiùs quàm decrevit, & virginitas ampliata eſt potiùs quàm fugata.*

Tacemus SS. Ambroſium Ep. 7. ad Siricium Papam, quæ eſt Synodica Mediolanenſis Concilii adversùs Jovinianum. Et lib. de Inſtit. Virginis, c. 7. Hieronymum, Comment. in c. 44. Ezechiel. Joannem Damaſcenum, de Fide Orth. c. 15. & alios.

Iſtud verò ſtupendum miraculum duplici alio miraculo exponunt SS. Doctores. Nimirum, ſicut Chriſtus clauſis januis intravit in cubiculum, ubi congregati erant Apoſtoli, & ſicut intactis ſepulchri ſigillis, nec fractô ac revolutô lapide, à mortuis redivivus è ſepulchro exivit; ita integrô ac inviolatô pudoris ac virginitatis clauſtrô ex utero matris in lucem emiſſus eſt.

Prob. 3tia. pars Concluſionis 1mo. Ex S. Scriptura, Luc. 1. v. 34. *Quomodo fiet iſtud*, inquit B. Virgo ad Angelum, *quoniam virum non cognoſco ?* Quibus verbis ſuum ſervandæ virginitatis, quamvis jam deſponſata S. Joſepho, propoſitum ſeu votum indicat. Neque Chriſtus 186

ſtus Joannem pro filio Matri non dediſſet, Joan. 19. v. 26. ſi hæc naturales filios habuiſſet.

Prob. 2do. Ex Eccleſiæ Traditione & judicio, quæ impietatem illam ſemper deteſtata fuit. Eam Origenes, *magnam inſaniam*, Ambroſius, *ſacrilegium*, Gennadius, *blaſphemiam* appellat. *In tantam*, ait Origenes, Hom. 7. in Luc. *neſcio quis prorupit inſaniam, ut aſſereret negatam fuiſſe Mariam à Salvatore, eoquòd poſt nativitatem illius juncta fuerit Joſeph.*

S. Baſilius Homiliâ in ſanctam Chriſti generationem, aliàs 25. *Chriſti amantes*, inquit, *audire non ſuſtinent, quòd Deipara deſierit aliquando eſſe Virgo.*

S. Epiphanius, hær. 78. n. 6. ſcribit eos pro hæreticis haberi, qui dicerent Mariam poſt editum Chriſtum cum Joſepho viro ſuo conſuetudinem habuiſſe, quos *Antidicomarianitas* appellat, variiſque confutat momentis, iſto præſertim, quòd ad ſua uſque tempora, nemo B. Virginem appellâſſet, *niſi præpoſito Virginis nomine.*

S. Ambroſius, lib. de Inſtit. Virg. c. 6. *Fieri non poterat*, ait, *ut Joſeph vir juſtus in hanc prorupiſſet amentiam, ut matri Domini corporeo concubitu miſceretur.*

S. Hieronymus ex profeſſo contra Helvidium oſtendit, Mariam perpetuò conſtanter virginem permanſiſſe. *Natum eſſe Deum de virgine credimus*, ait, quia legimus: *Mariam nupſiſſe poſt partum non credimus, quia non legimus.* Et Comment. in c. 44. Ezech. v. 2. *Pulchrè quidem*, inquit, *clauſam portam, per quam ſolus Dominus Deus Iſrael ingreditur, Mariam virginem intelligunt, quæ & ante partum, & poſt partum virgo permanſit.*

S. Auguſtinus, Tract. 10. in Joan. *Unde*, inquit, *fratres Domino? Num Maria iterum peperit? abſit. Inde capit dignitas virginum. Illa fœmina mater eſſe potuit, mulier eſſe non potuit.*

Denique id apertè declarant Concilia, Mediolanenſe adversùs Bonoſum, in Epiſtola Synòdica ad Siricium Papam, quæ eſt 81ma. inter Ambroſianas. Romanum ſub Siricio Papa Ep. Synodicâ, quæ inter Ambroſianas eſt 80ma. habeturque tom. 1. Concil. Alterum Romanum Concilium ſub Martino Papa, Can. 3. Oecumenicum VI. ſupra citatum. Et generale Chalcedonenſe in allocutione ad Marcianum Imperatorem aſſeverat, *Virginitatem B. Mariæ à Chriſto ſacratam eſſe, etiam poſt partum, uterumque ejus fuiſſe integritate obſignatum, ut nullius injuriæ deinde pateret.*

Solvuntur Objectiones. 169

Ob. 1mo. cum Tertulliano, & Origene ſupra ſtatim initiô citatis, qui ex his Luc. 2. v. 22. verbis, *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ.... tulerunt illum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in Lege Domini, Quia omne maſculinum adaperiens vulvam, ſanctum Domino vocabitur,* inferunt, Chriſtum ex B. Virgine reſeratô virginitatis clauſtrô prodiiſſe.

Reſp. neg. conſ. Verbis citatis hoc unum duntaxat intendit S. Lucas, quod lex ferebat, omne maſculinum primogenitum offerri Deo debere, quocunque tandem modo natum eſſet, ſive ordinariô, ſive extraordinariô & ſingulari. Lex autem iis concepta eſt verbis, quæ communem ſpectant naſcendi modum; in legibus quippe ferendis Legiſlator ad id attendit, quod communi ac conſueto naturæ ordine contingit, non ad id, quod eſt ſingulare, & ſupra ordinarium naturæ ordinem poſitum, qualis eſt nativitas ex virgine. Tertulliani & Origenis auctoritas parùm nos movere debet,

quos,

Digitized by Google

quos, ut & in aliis benè multis, hîc ultrò deſerimus (*y*)

Ob. 2do cum Helvidio, Matth. 1. v.
170 18. dicitur: *Cùm eſſet deſponſata Mater ejus Maria Joſeph, antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto.* Ergo poſteà ſaltem convenerunt, id enim denotare videtur particula *antequam.*

Reſp. neg. conſ. Verba illa, *antequam convenirent*, exponi debent de cohabitatione vel domicilii, vel thori: ſi prius, ſenſus eſt, antequam Maria Joſepho deſponſata ſimul cum eo in eadem domo habitaret, nuptias brevî cum ipſo celebratura, hoc temporis intervallô *inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto.* Huic expoſitioni favere videtur anxietas Joſephi, qui dubitabat, an propterea Mariam in uxorem acciperet, Matth. 1. v. 19. Si verò de cohabitatione thori citata verba intelligantur, dicimus cum S. Hieronymo (*z*), Scripturam quid factum non ſit (nempe non conveniſſe Mariam cum Joſeph, antequam pareret filium) aperire; non verò quid poſteà contigerit, cùm nec quæreretur, nec eſſet neceſſarium. Quapropter falſa eſt iſta conſecutio, Antequam Maria pareret filium, non convenerat cum Joſeph; ergo poſteà convenit. Perinde eſt ac ſi quis diceret: Helvidius antequam pœnitentiam ageret, morte præventus fuit. Ergo poſteà pœnitentiam non egit. Quis non rideat ad tam inſulſam conſecutionem? *Donec diſpenſabatur Chriſti generatio*, inquit S. Baſilius, Hom. 25. de humana Chriſti generatione, *neceſſaria erat virginitas: quid verò poſteà ſit factum, ad myſterii hujus doctrinam non anxiè conjungendum eſt. Verumtamen nec hoc eorum, qui Chriſtum amant, ſuſtinere poſſunt aures, quòd Genitrix Dei deſierit aliquando eſſe virgo, has rationes ſufficere putamus*

Ob. 3tio. Eodem c. 1. v. 25. Joſeph dici- 171
tur *non cognoviſſe eam* (Mariam) *donec peperit filium ſuum primogenitum.* Ergo poſteà eam cognovit: particula quippe *donec*, hunc ſenſum præſeferre videtur.

Reſp. neg. conſ. Particula *donec*, quod anteà factum non ſit ibi duntaxat demonſtrat. Scilicet particula iſta *donec*, non ſemper certum ac definitum tempus deſignat, ſed indefinitum; nec ita tempus præcedens connotat, ut futurum etiam non reſpiciat. v. g. 1. Cor. 15. v. 25. ex Pſal. 109. ait Apoſtolus, *Oportet illum* (Chriſtum) *regnare, donec ponat inimicos ſub pedibus ejus.* Inde autem minimè ſequitur, deſtruendum fore regnum Chriſti, cum ſub pedibus ejus poſiti fuerint ejus inimici. Similiter lib. 2. Reg. c. 6. v. 23. legimus, *Michol filiæ Saul non eſt natus filius usque in diem mortis ſuæ.* Nemo inde inferet, natum ei fuiſſe filium poſt mortem ſuam. Item Apocalyp. 2. v. 25. dicitur: *Id, quod habetis, tenete, donec veniam.* Indè non ſequitur, quòd illud quod habent, cùm venerit, dimittere debeant. Ergo pariter, cùm dicitur, *antequam conve-*

(*y*) S. Epiphanius hæreſ. 78. de Chriſto ait: *Hic eſt qui verè aperuit uterum matris.* Verùm id eo ſenſu intelligendum eſt, quòd illius uterum aperuerit dando ei foecunditatem. ſicut dicitur *Geneſ.* 20. vulvam claudere, qui ſterilem reddit, non verò, quaſi propriè & re vera Mariæ clauſtrum virginitatis aperuiſſet. *Solus Chriſtus*, inquit S. Hieronymus, Dial. 2. cont. Pelagium, *clauſas portas vulvæ virginalis aperuit, quæ tamen clauſa jugiter permanſerunt.*

(*z*) In c. 1. Matth.

Digitized by Google

nirent (Maria & Joſeph) *inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto;* non ſequitur, eos poſteà conveniſſe.

172 Ob. 4to. Chriſtus dicitur Mariæ filius primogenitus. Ergo Maria alios adhuc filios habuit poſt Chriſti ortum.

Reſp. neg. conſ. Nam ſenſus eſt, quòd Maria neminem ante Chriſtum genuerit: primogenitus enim in Scriptura dicitur is omnis, ante quem nullus natus eſt, quamvis ſit Unigenitus. Sic Sapientia æterna dicitur primogenita, licèt ſit unigenita; & Exodi 4. v. 22. Iſrael vocatur *primogenitus Dei*, licèt eſſet ſolus populus à Deo electus. Et c. 13. v. 2. omnia primogenita jubentur Deo donari, ubi certè etiam unigenita intelliguntur; aliàs non-redimenda fuiſſent, ſi poſt ea nulla proles ſuſcepta fuiſſet, quod tamen falſum eſſe Lex oſtendit, quâ præcipitur, ea redimenda eſſe primo à partu menſe, Num. 8. v. 16.

173 Ob. 5to. Matth. 13. v. 55. plures Chriſto fratres aſſignantur. Ergo Maria plures poſt natum Chriſtum filios ſuſcepit ex viro ſuo Joſeph.

Reſp. neg. conſ. Nam, pro more Scripturæ, conſanguinei fratres appellantur. Geneſ. 13. Abraham nepoti ſuo Loth dicebat: *Nos fratres ſumus.* Et c. 29. v. 15. Laban ad Jacob: *Num quia frater meus es, gratis ſervies mihi?* Fratres igitur Chriſti, conſanguinei ac conſobrini ejus ſunt.

174 Ob. 6to. B. Virgo paſſim mulier vocatur. Atqui hoc nomine illa inſignitur, quæ ex viri conſortio filios generat. Ergo, &c.

Reſp. neg. min. Nam vox *mulier* ſexum duntaxat ſignificat, non conditionem, aut qualitatem ſexûs, ut rectè notat Tertullianus. Sic Eva ſtatim à ſua creatione, & antequam à viro ſuo Adam cognoſceretur, mulier appellata eſt, Geneſ. 2.

§. IV.

Utrum Chriſtus habuerit Corpus paſſibile & corruptibile? 175

Ariani & Apollinariſtæ eò dementiæ proruperunt, ut dicerent, etiam divinitatem ipſam paſſam eſſe. Cùm enim docerent, divinitatem animæ ſeu mentis vices ac locum in Chriſto ſupplere, conſequenter eum doloris ſenſum in Chriſto divinitas experiebatur, quem experta fuiſſet anima, ſi adfuiſſet.

Poſt damnatum verò in Concilio Chalcedonenſi an. Chr. 451. Eutychen, qui unicam in Chriſto naturam admittebat, qua de re ſuô locô agemus, in duas præſertim ſectas diviſi ſunt ejus diſcipuli, quarum una *Corrupticolarum*, altera *Incorrupticolarum* dicta fuit. Petrus Cnaphæus Antiochenus Epiſcopus, cùm anathema dixiſſet Concilio Chalcedonenſi, ac Triſagio iſtam adjeciſſet clauſulam, *Qui paſſus es pro nobis, miſerere nobis;* Theopaſchitarum errori ac ſectæ nomen dedit; ſic dicti, quòd exiſtimarent divinitatem carni factam conſubſtantialem verè paſſam fuiſſe. Cùm verò Petrus Moggus Sedem Alexandrinam invaſiſſet, & Chalcedonenſi Concilio anathema dicere cunctaretur, ſciſſi ſunt ab eo Eutychiani hujus Urbis ac Regionis; inde *Acephali*, id eſt, ſine capite, dicti ſunt, inter quos Severus Monachus Corrupticolarum, Julianus verò Halicarnenſis Incorrupticolarum novam ſectam pepererunt: Illi nempe corruptibilem naturâ ſuâ Chriſti carnem fuiſſe, ut quæ vera caro eſſet, noſtræque conſubſtantialis, tuebantur, hi verò eam incorruptibilem, utpote unius jam cum Verbo naturæ, profitebantur; hi alio nomine Phantaſiaſtæ dicebantur, non quod phantaſticum duntaxat, & umbratile corpus Chriſto affingerent; ſed quòd naturales in Chriſto affectiones, non veras, verùm

rùm apparentes duntaxat eſſe contenderent.

In hanc hæreſim Juſtinianus Imperator ex ſua immoderata circa res fidei curioſitate, & ab uxore ſua Eutychiana deceptus, impegit, licèt Eutychianam hæreſim damnaret; voluitque ut Epiſcopi omnes hanc doctrinam approbarent; cumque in Orthodoxos ſtrenuè eidem hac in re adverſantes excandeſceret, atque in eos exilii pœnam eſſet decreturus, repentina morte ſublatus eſt, an. 565. ſuperſtitibusque graves de ſua ſalute dubitandi rationes vir anteà de Eccleſia bene meritus reliquit.

176 CONCLUSIO.

Chriſtus ante mortem ſuam habuit corpus paſſibile, fuitque verè doloribus obnoxius tùm quoad corpus, tùm quoad animam.

Prob. 1mo. Ex S. Scriptura. Iſaias, c. 1. v. 6. de Chriſto ſpiritu prophetico ait: *A planta pedis usque ad verticem non eſt in eo ſanitas.* Et c. 53. v. 3. Chriſtum vocat *virum dolorum, & ſcientem infirmitatem.* Et v. 4. de eo dicit: *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit: & nos putavimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra.*

Hujus Prophetiæ finem ac complementum Evangelica demonſtrat hiſtoria. Acerbiſſima ſcilicet tormenta paſſus eſt Chriſtus, ſive cùm flagellis cædebatur, ſive cùm cruci affigebatur; ad quæ oculos convertens, vel ipſa compellente natura, dicebat, Matth. 26. v. 39. *Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* Hinc ex timore tam acerbi ſupplicii, ſudor ille ſanguinis, quo totus in Olivarum horto perfuſus fuit, Luc. 22. v. 44.

Paſſim in mortalis vitæ ſuæ curſu varia humanæ infirmitatis ſigna & argumenta edidit. Matth. 4. v. 2. poſt jejunium quadraginta dierum & noctiū eſurit. Joan. 4. v. 6. *Fatigatus ex itinere ſedet ad fontem.* Luc. 19. v. 41. *Flevit ſuper Jeruſalem.* Joan. 11. v. 33. & 35. *Infremuit ſpiritu, & lacrymatus eſt.* Marc. 14. v. 33. *Cœpit pavere & tædere.* Matth. 26. v. 37. *Cœpit contriſtari & moeſtus eſſe, Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.*

Heb. 4. v. 15. de Chriſto ait Apoſtolus: *Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris; tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.* Et c. 2. v. 17. *Debuit per omnia fratribus ſimilari, ut miſericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. In eo enim, in quo paſſus eſt ipſe & tentatus, potens eſt eis, qui tentantur auxiliari.* Item 1. Petri c. 4. v. 1. *Chriſto igitur paſſo*, inquit Apoſtolus, *in carne, & vos eadem cogitatione armamini.*

Prob. 2do. Ex Symbolis Fidei & Conciliis, quæ aſſerunt, Chriſtum paſſum fuiſſe, & crucifixum.

Prob. 3tio. Ex SS. Patribus, quos ſupra §. 2dô. laudavimus, ubi de vera Chriſti humanitate, corpore vero ac ſolido, non phantaſtico nec umbratili egimus. Hìc unus ſufficiat Tertullianus, lib. 3. contra Marcion. c. 8. *Sic*, in opinione Marcionis, inquit, *nec paſſiones Chriſti ejus fidem merebuntur: nihil enim paſſus eſt; qui non verè paſſus eſt. Verè autem pati phantaſma non potuit. Everſum eſt igitur totum Dei opus; totum Chriſtiani nominis & pondus & fructus, mors Chriſti negatur.*

Prob. 4to. Ratione ducta ex legibus unionis animæ & corporis, qua fit, ut, prout in Metaphyſica noſtra jam expoſuimus, ex certis animæ cogitationibus ſeu perceptionibus, certa quædam in corpore reſultet ſpirituum & ſanguinis commotio; ac viciſſim, ex commotione corporis, certa quædam excitetur

in

in anima perceptio. Mutuum iſtud commercium impreſſionis animæ in corpus, & corporis in animam impedire ac ſuſpendere potuiſſet Chriſtus; at noluit, quia naturæ, quam aſſumpſit, legibus ea in parte ſe ipſum ſubjicere voluit.

Item conveniens fuit & utile ad Redemptionem hominum, & ad exemplum patientiæ & fortitudinis, quæ ad ſalutem neceſſaria erat, ut Chriſtus verè dolores ſenſibiles experiretur. Imò hoc fuit neceſſarium ex Decreto divino, vi cujus Chriſtus debuit condignè ſatisfacere pro peccatis noſtris, &c.

177 *Solvuntur Objectiones*

Ob. 1mo. Paſſibilitas ſeu neceſſitas ſubjacendi humanis infirmitatibus ex peccato orta eſt; ſi enim Adam non peccâſſet, mortuus non fuiſſet, *Stipendia peccati mors*, Rom. 6. v. 23. Atqui nullum fuit, nec eſſe potuit in Chriſto peccatum, *Tentatus per omnia pro ſimilitudine abſque peccato*, Heb. 4. v. 15. Ergo Chriſtus non fuit paſſibilis ſeu humanis infirmitatibus ſubjectus.

Reſp. Diſt. maj. Paſſibilitas ſeu neceſſitas ſubjacendi infirmitatibus ortâ eſt ex peccato in nobis, ac poſt lapſum Adami, qui potuiſſet non mori, conc. In Chriſto, neg. maj. Chriſtus enim, qui naturam per peccatum ſauciatam liberaturus venit, eam ipſam aſſumpſit, qualis fuit poſt peccatum, nempe infirmitatibus & doloribus obnoxiam. Sunt quidem in homine infirmitates proprii ſui peccati effectus ac pœnæ; in Chriſto verò effectus ſunt ac pœnæ alieni peccati, pro quo ſe vadem ac ſponſorem dedit.

178 Ob. 2do. Sapientiæ 9. dicitur: *Corpus quod corrumpitur aggravat animam.* Et Pſal. 15. *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Ergo Chriſtus corruptibilis non fuit.

Reſp. neg. conſ. Ad 1mum. dicimus, corruptionem, de qua loquitur Sapiens, ex peccato eſſe, quæ tota homini peccatori incumbit, & animam aggravat, qualis profectò in Chriſto non fuit. Ad 2dum. Corruptio illa, cui tradita non fuit caro Chriſti, corruptio eſt putredinis non mortis, verè namque Corpus Chriſti, quamdiu jacuit in ſepulchro, corruptionem non ſenſit.

Ob. 3tio. Anima Chriſti ſtatim à 179
conceptione beata fuit, & intuitiva Dei viſione donata. Ergo implicat ut doloribus fuerit obnoxia.

Reſp. neg. conſ. Hoc enim non implicat, quamvis à nobis intelligi non poſſit. Igitur per miraculum Deus impedivit, ne animæ Chriſti felicitas in potentias inferiores & corpus afflueret.

Ob. 4to. Chriſtus ex Scriptura eſt no- 180
vus Adam. Ergo prioris, hoc eſt, Adami innocentis carnem geſtavit. Atqui caro Adami innocentis fuit incorruptibilis, hoc eſt, non erat Adamo occaſio doloris. Ergo, &c.

Reſp. neg. maj. Ratio eſt, quia Verbum eam carnem aſſumpſit, quam ſanavit, non verò ſanavit carnem Adami innocentis; nec ergo eam aſſumpſit.

Ob. 5to. Debet eſſe diſcrimen inter 181
paſſiones ac infirmitates noſtras, & paſſiones Chriſti. Ergo hæ in Chriſto debuerunt eſſe tantùm apparentes.

Reſp. neg. conſ. Multiplex aliud fuit diſcrimen inter infirmitates noſtras & infirmitates Chriſti. 1mo. enim ex ineluctabili neceſſitate infirmitates patimur, Chriſtus verò carnem paſſibilem liberè voluit aſſumere. 2do Infirmitates & paſſiones ſunt in nobis pœnæ peccati proprii, in Chriſto verò fuerunt effectus ejus in nos amoris, quo voluit eas propter noſtram ſalutem pati. 3tio. Humanæ affectiones in nobis ſæpiſſimè indeliberatæ ſunt, & inordinatæ: in Chriſto au-

Digitized by Google

autem omnes affectiones deliberatæ & ordinatæ erant, necnon ab ejus voluntate ſemper rectiſſima excitabantur & regebantur.

182 Ob. 6to. Sanctus Dionyſius Alexandrinus, Epiſt. contra Paulum Samoſatenum, docet Chriſtum triſtatum fuiſſe methaphoricè tantùm, nempe ſicut de Spiritu ſancto, Epheſ. 4. dicitur: *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei.* Ergo, &c.

Reſp. neg. conſ. S. Dionyſius loc. cit. loquitur de Chriſto ut Deo, non ut homine. Nam Samoſatenus negabat Chriſtum eſſe Deum ex eo quòd triſtatus eſſet; reſpondet Dionyſius, Chriſtum ut Deum fuiſſe triſtatum, ſicut Spiritus ſanctus dicitur contriſtatus.

Inſt. Idem Dionyſius ibidem docet ſanguinem Chriſti non eſſe corruptibilem. Ergo, &c.

Reſp. Intelligit, non eſſe putredini obnoxium, vel potiùs hoc intelligit de ſanguine Chriſti poſt reſurrectionem contra Paulum Samoſatenum, qui docebat, ſanguinem Chriſti in eo ſtatu, in quo nunc eſt, atque etiam in Euchariſtia eſſe corruptibilem. (*a*)

183 Ob. 7mo. Clemens Alexandrinus, lib. 6. Strom. de Chriſto ait: *Ipſe autem paſſionis erat expers; ut quem nullus ſubiret motus affectionis neque voluptas, neque dolor.*

Reſp. Hìc accuratè locutum non fuiſſe Clementem. Sed intelligi debet de paſſione & indeliberatis ac inordinatis affectionis motibus.

184 Ob. 8vo. S. Cyrillus Alexand. lib. 9. de adoratione in ſpiritu & veritate ait: *Incorruptibile namque eſt Chriſti corpus, & Divinam in ſeipſo naturam habet.*

Reſp. Per incorruptibile hìc intelligit immune à putredine, vel à reſolutione in prima elementa, non verò incapax læſionis, paſſionis & doloris: nam Cyrillus ſæpè docet, Chriſtum verè eſuriviſſe, & paſſum eſſe dolores. Igitur hìc ſolùm vult, Chriſti corpus hoc ipſo, quòd fuerit Verbo unitum, in perpetuum non potuiſſe deſinere eſſe per putredinem, vel reſolutionem in prima elementa.

185 Ob. 9no. S. Maximus, Hom. 1. de Jejunio, & S. Auguſtinus, Tract. 49. in Joan. docent, Chriſtum ex ſola voluntate paſſum eſſe. Ergo paſſus non eſt etiam ex conditione ſuæ carnis paſſibilis.

Reſp. neg. conſ. Illi Patres ſolùm volunt, Chriſtum non ineluctabili neceſſitate doloribus & infirmitatibus ſubjectum fuiſſe, ſed neceſſitate, quam ſibi ſpontè & liberè impoſuit, dum naturam humanam paſſibilem & doloribus obnoxiam ſpontè ac liberè aſſumpſit, & in ea liberè pati voluit ad redimendos homines.

186 Ob. 10mo. S. Hilarius, lib. 10. de Trinit. docet, Chriſtum non habuiſſe doloris ſenſum: *In quo* (Chriſto) inquit, *quamvis aut ictus incideret, aut vulnus deſcenderet .... afferrent quidem hæc impetum paſſionis, non tamen dolorem paſſionis inferrent.* Idque explicat exemplis aquæ, ignis, aëris, quæ ſi verberentur, perforentur, aut dividantur, tamen non ſentiunt.

(*a*) Calviniſtæ, apud quos Chriſti corpus & ſanguis nonniſi in figura continetur in Euchariſtia, obſervent velim, qua ratione in Pauli Samoſateni mentem venire potuiſſet ſententia de corruptibilitate Sanguinis Chriſti in Euchariſtia, ſi illi aliunde perſuaſum non fuiſſet, Chriſti corpus & ſanguinem eâ realiter & ſubſtantialiter contineri? Obſervent etiam, S. Dionyſium hoc argumento, *Quod nempe Chriſti ſanguis in figura tantùm Euchariſtiâ contineatur*, uſurum fuiſſe, adversùs Samoſatenum, ſi credidiſſet eum ipsâ realiter ac ſubſtantialiter non contineri: eo tamen uſus non eſt, proindeque perſuaſum illi fuit, Chriſtum eſſe corporaliter præſentem in Euchariſtia.

Reſp. 1mo. A pluribus Sæculis inter Catholicos agitari, quæ in hac parte fuerit mens S. Hilarii. Erroris eum accuſârunt Claudianus Mamertus, lib. 2. de ſtatu animæ, cap. 9. Baronius ad annum 563. num. 4. Illum contra vindicant Lanfrancus, contra Berengarium hanc noxam Hilario impingentem; Magiſter ſententiarum in 3tium. S. Bonaventura in 3. diſt. 16. quæſt. 5. S. Thomas 3. part. & omnes paſſim Theologi. Alii exiſtimant, S. Doctorem incidiſſe quidem in hunc errorem, quem ſubinde revocaverit, ùt Guillelmus Pariſienſis, teſte S.Bonaventura, ut Coc. & Petavius, lib. de Trinit. cap. 5. Nam S. Hilarius Catholicam veritatem clarè tradit, Comment. ſuper Pſal. ſic enim in Pſal. 53. de Chriſto ait: *Eſurivit, ſitivit, dormivit, laſſatus fuit, moeſtus fuit, & flevit, & paſſus & mortuus eſt.* Imò cit. lib. 10. de Trinitate, ex quo deſumpta eſt objectio, num. 47. ſic ſcribit: *Pro nobis dolet.* num. 55. *flevit & doluit.* num. 67. *Paſſus quidem eſt unigenitus Deus quæ homines pati poſſunt.* Unde

Reſp. 2do. S. Hilarium rectè ſecum ipſo conciliari poſſe. Nam ibi agit contra Arianos aſſerentes divinitatem in Chriſto doloribus cæteriſque infirmitatibus ſubjectam fuiſſe, ideoque Chriſtum etiam ut Verbum Patri eſſe inferiorem. *Volunt*, inquit eodem lib. 10. de Trinit. num. 9. *plerique eorum* (Arianorum) *non in natura eum impaſſibilis Dei fuiſſe: ut qui timuit, & doluit, non fuerit vel in ea poteſtatis ſecuritate, quæ non timet, vel in ea Spiritûs incorruptione, quæ non dolet: ſed inferioris à Deo Patre naturæ, & humanæ paſſionis trepidaverit metu, & ad corporalis pœnæ congemuerit atrocitatem.*

187 Inſt. Sanctus Hilarius eodem libro agit etiam de Corpore Chriſti, quod ait naturam noſtri doloris non habere. Ergo &c.

Reſp. Solùm vult, Chriſtum ut hominem non paſſum fuiſſe dolorem, qualem nos patimur, qui nempe à peccato eſt, indeliberatus, impotens, ineluctabilis, & qui mentem perturbat. Unde à Chriſti humanitate ſolùm defectus & imperfectiones excludit, quæ noſtris doloribus ac infirmitatibus ſunt annexæ.

Solent etiam hîc diſquirere Theologi, 188
an Corpus Chriſti decorum, an deforme fuerit? Verùm, præterquam parùm intereſſe videatur, quidquid hac de re dicatur, nihil de ea certò definiri poteſt ſive ex Scripturis, ſive ex SS. Patribus, minùs ex depictis, quæ circumferuntur Chriſti imaginibus. Modò eum ſpecioſum, modò deformem & deſpicabilem Scriptura exhibet, ut Pſalm. 44. v. 3. *Specioſus* forma præ filiis hominum. Iſaiæ 53. v. 2. *Non eſt ſpecies ei neque decor: vidimus eum & non erat aſpectus. &c.*

Eum formâ decorum non fuiſſe, omnes ferè Patres & Scriptores ad quartum usque Sæculum teſtantur.

E contra verò non deſunt inter SS. Patres, præſertim SS. Hieronymus, & Chryſoſtomus, qui exiſtimant, Chriſto venuſtam & elegantem oris formam fuiſſe. Liberum proinde cuique relinquimus, eam, quam maluerit, hîc amplecti opinionem & ſententiam.

§. V.

Utrum unica ſit in Chriſto perſona. 189

Neſtorius è Syria oriundus Epiſcopus Conſtantinopolitanus circa annum 429. docuit Chriſtum fuiſſe Templum Dei non Deum, Hominem Deiferum non Hominem Deum; Virginem Mariam non eſſe Dei-param, ſed ſolùm Chriſti-param; unionem Verbi cum natura humana factam non fuiſſe ſecundùm hypoſtaſim, & ita, ut poſt unionem una ſit perſona, quæ

Digitized by Google

quæ ſit homo ſimul & Deus, unus Chriſtus, idem Deus ſimul & Homo; proindeque hanc unionem non eſſe phyſicam & ſubſtantialem, ſed ſolùm accidentalem & moralem, ſic, ut poſt unionem ſint duæ in Chriſto perſonæ, divina ſcilicet & humana, divina inhabitans, & humana inhabitata.

Quadruplicem autem unionem moralem & accidentalem inter Verbum & humanitatem admittebat: videlicet unionem habitationis, quatenus Verbum habitaret in homine tanquam in Templo; unionem amoris, quatenus homo in Chriſto per gratiam ſanctificantem eximiam eſſet unum quid cum Verbo, moraliter duntaxat, ſicut duo amici dicuntur eſſe quid unum; unionem operationis, quatenùs Verbum in Chriſto uteb atur homine tanquam inſtrumentô ad eximia opera; unionem denique cujusdam communicationis moralis, quatenus Verbum communicabat dignitatem & excellentiam ſuam homini: nam volebat, propter hanc conjunctionem accidentalem & moralem Chriſtum ſimul cum Verbo eſſe adorandum, conglorificandum, & Deum connominandum, quamvis tamen Chriſtus purus homo eſſet. Unde juxta Neſtorium Verbum non fuit incarnatum niſi ſecundùm inhabitationem, dignitatem & affectum voluntatis: ſicque Hæreſiarcha ille Incarnationis myſterium prorſus evertebat. Et ita ſenſiſſe Neſtorium patet ex ejus Scriptis, quæ inſerta ſunt Tomo 3. Conciliorum. Hanc autem impiam doctrinam hauſerat Neſtorius à Theodoro Mopſueſteno Epiſcopo. Sit

190 CONCLUSIO.

Unica eſt in Chriſto perſona, quæ ſimul eſt Deus & homo. Sive, quod idem eſt, Verbum ſic aſſumpſit naturam humanam, ut divinitas, corpus & anima in unam perſonam coaluerint.

Prob. 1mo. Ex Scriptura. Rom. 9. v. 5. *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.* Ergo idem Chriſtus, qui eſt homo, eſt etiam Deus verus. Ergo eadem Chriſti perſona eſt Deus & homo. Ergo in Chriſto eſt unica perſona, quæ ſimul eſt Deus & Homo, atque divinam ſimul & humanam naturam connotat.

1. Joan. 3. v. 16. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit.* Ubi enuntiatur de Deo, quòd ſit mortuus, id autem verum eſſe non poteſt, niſi eadem perſona, quæ eſt homo & mortem ſubiit, ſit etiam Deus; nam pronomen *ille* deſignat perſonam.

Joan. 1. v. 14. *Verbum caro factum eſt*, id eſt, Verbum factum eſt homo: nam Verbum non deſiit eſſe Deus per hoc, quòd factum ſit homo.

Ibid. cap. 10. v. 30. *Ego & Pater unum ſumus.* Ubi vox *Ego* demonſtrat perſonam loquentis, quæ ſibi divinitatem attribuit. Sed perſona ibi loquens eſt perſona Chriſti; nam Chriſtus ibi de ſe loquitur. Ergo perſona Chriſti ſibi divinitatem attribuit. Ergo perſona Chriſti eſt Deus. Atqui perſona Chriſti eſt etiam homo; nam perſona Chriſti eſt Chriſtus ipſe, qui eſt Homo. Ergo perſona Chriſti eſt ſimul Deus & Homo: ac proinde in Chriſto eadem perſona eſt Deus & homo, & ſic in Chriſto unica eſt perſona, quæ ſimul eſt Deus & homo.

Philipp. 2. v. 6. *Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto JEſu, qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, &c.* Ergo Verbum verus Deus ſeipſum exinanivit uniendo ſe naturæ humanæ. At ſi unio Verbi cum humanitate in Chriſto eſſet tantùm ſecundùm inhabitationem, affectum voluntatis, & dignitatis communicationem, ideoque ſolùm acci-

dentalis & moralis, illa unio dici non poſſet exinanitio, nec eſſet verè Incarnatio. Ergo hæc unio non eſt accidentalis & moralis, ſed eſt perſonalis, ſeu facta ſecundùm perſonam, ita ut ex illa reſultet una perſona ſubſiſtens in duabus naturis divinâ & humanâ, unus Chriſtus, qui ſimul eſt Deus & homo.

Prob. 2do. Ex Symbolis Fidei; nam de Filio Dei unico & vero Deo dicitur in Symbolo Apoſtolico, *qui conceptus eſt de Spiritu ſancto natus ex Maria Virgine, paſſus, &c.* Quæ omnia falſa ſunt, ſi eadem perſona non eſt Deus & homo, & ſi perſona Verbi non eſt perſona hominis ex Virgine nati, paſſi, &c.

Item ex Symbolo, quod ſub nomine Athanaſii ab Eccleſia uſurpatur, in quo dicitur: *Eſt ergo fides recta, ut credamus, & confiteamur, quia Dominus noſter JEſus Chriſtus Dei Filius, Deus & homo eſt . . . . qui licèt Deus ſit & homo, non duo tamen ſed unus eſt Chriſtus . . . unus omninò, non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ.*

Prob. 3tio. Ex Conciliis Generalibus, Nicæno I. & Conſtantinopolitano I. in Symbolis. Epheſinô, quod Act. 1ma. Neſtorium ut hæreticum, & ejus doctrinam ut hæreticam damnavit, eumque Epiſcopali dignitate privavit. Chalcedonenſi, Act. 5. ubi ait: *Sequentes igitur ſanctos Patres, unum eumdemque confiteri Filium & Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, conſonanter omnes docemus, eumdem perfectum in deitate, & eumdem perfectum in humanitate, Deum verum & hominem verum . . . - ante Sæcula quidem de Patre genitum ſecundùm deitatem, in noviſſimis autem diebus eumdem propter nos & propter noſtram ſalutem ex Maria Virgine Dei genitrice ſecundùm humanitatem . . . nuſquam ſublatâ differentiâ naturarum propter unionem, magiſque ſalva proprietate utriusque naturæ, & in unam perſonam atque ſubſiſtentiam concurrente: non in duas perſonas partitum aut diviſum, ſed unum eumdemque Filium & Unigenitum Deum Verbum, Dominum JEſum Chriſtum.*

Conſtantinopolitanô III. Act. ult. in ſua definitione verba Concilii Chalcedonenſis citata adhibente.

Nicænô II. Act. 7. ſic definiente: *Confitemur autem & Dominam noſtram ſanctam Mariam propriè ac veraciter Dei Genitricem: quoniam peperit carne unum ex ſancta Trinitate, Chriſtum Deum noſtrum, ſecundùm quod & Epheſinum priùs dogmatizavit Concilium, quod impium Neſtorium cum Collegis ſuis tanquam perſonalem dualitatem introducentem ab Eccleſia pepulit.*

His adde Concilia Lateranenſe IV. cap. 1. & Tridentinum Seſſ. 3. recipiens & confirmans Symbolum Conſtantinopolitanum, quod in Miſſa legi ſolet.

Prob. 4to. Ex unanimi Patrum conſenſu, hîc ſufficiant.

S. Irenæus, Capiti 17. Libri tertii adversùs hæreſes hunc præfigit titulum: *Oſtenſio quoniam unus & idem, & ipſe Deus Chriſtus Verbum ſit Dei.*

S. Athanaſius, Epiſt. ad Epictetum. *Quomodò Chriſtiani hominis appellationem uſurpare non verentur, qui Verbum in hominem ſanctum perinde atque in aliquem Prophetarum deſcendiſſe aſſerunt, & non ipſum, ſumpto ex Maria corpore, hominem factum; ſed alium Chriſtum, alium rursùm eſſe Dei Verbum, quod ante Mariam & ſæcula erat Filius Patris?* Et lib. de Incarnat. Chriſti. *In ipſo nomine* (Chriſti) *quod unum eſt, utraque natura ſignificatur, & divinitatis & humanitatis, ideoque Chriſtus & Deus dicitur, & unus eſt Chriſtus.*

S. Ambroſius, lib. 2. de Fide cap. 4. *Unus in utraque* (Divinitate & humanitate) *loquitur Dei Filius, quia in eodem utraque natura eſt.*

S. Hie-

S. Hieronymus, Epiſt. ad Hebidiam, quæſt. 9. *Hæc dicimus, non quòd alium Deum, alium hominem eſſe credamus, & duas perſonas facimus in uno Filio Dei, ſicut nova hæreſis calumniatur; ſed unus atque idem Filius Dei, & Filius hominis eſt.*

S. Auguſtinus, in Enchiridio cap. 35. *Chriſtus JEſus Dei Filius, eſt & Deus & homo. Deus ante omnia Sæcula. Homo in noſtro Sæculo. Deus, quia Dei Verbum: Homo autem, quia in unitatem perſonæ acceſſit Verbo anima rationalis & caro.*

Prob. 5to. Rationibus Theologicis. 1ma. Idem Chriſtus à Scripturis & SS. Patribus dicitur Deus & homo. Atqui iſtud fieri non poteſt, niſi propter unionem ſubſtantialem & hypoſtaticam naturæ humanæ cum perſona Verbi: impoſſibile quippe eſt, ut duæ naturæ formaliter ab invicem diſtinctæ de ſe invicem in concreto prædicentur, niſi uniantur in perſona ſeu ſuppoſito: nunquam enim duorum, qui hypoſtaſi diſtinguuntur, unus de altero prædicatur, quantacunque ſit inter illos animorum & affectuum conſenſio: nusquam Plato v. g. Socrates, & viciſſim Socrates Plato propriè appellabitur.

2da. Joan. 1. quod ſuprà jam dictum, *Verbum* dicitur *caro factum.* Atqui non eſt caro factum per ſui converſionem in carnem, quod aſſerere impium omninò eſt. Ergo eſt caro factum per aſſumptionem carnis in Verbi perſonam.

3tia. Philipp. 2. prout ſuprà adnotavimus, dicitur: *Exinanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens.* Atqui exinanitio illa concipi non poteſt ſine unione hypoſtatica. Si enim Verbum ſemetipſum exinaniviſſe ideo diceretur, quòd ſit in Chriſto per inhabitationem tanquam in Templo; pari ratione Pater & Spiritus ſanctus, qui in Sanctis inhabitant, exinaniti quoque dicerentur, quod quidem per ſe abſurdiſſimum eſt. Exinanivit ergo ſeipſum Verbum, quòd, cùm in forma Dei eſſet, formam, id eſt, naturam ſervi, in unitatem ſuæ perſonæ aſſumpſerit.

4ta. Pronomina demonſtrativa ad perſonam vel hypoſtaſim referuntur: neque enim v. g. alio currente quis diceret, Ego curro, niſi fortè figurativè, ſi nempe alius ipſius loco curreret. Atqui ille homo, qui dictus eſt JEſus Chriſtus, de ſe ipſo ait: *Ego ſum, qui de cœlo deſcendi. Antequam Abraham fieret, ego ſum. Ego & Pater unum ſumus. Exivi à Patre, & veni in mundum, &c.* Quæ omnia manifeſtè ad divinitatem pertinent. Ergo homo ille Chriſtus verè Deus erat.

5ta. Si Chriſtus verus non eſt ſubſtantiâ Deus, funditùs ruit Chriſtiana Religio; & omnes, quotquot hactenus extitère Chriſtiani, idololatriæ rei ſunt, utpote qui Chriſtum tanquam Deum adoraverint, qui tamen verus Deus non eſt.

6ta. Si duæ ſunt in Chriſto perſonæ, divina una, humana altera, quænam, quæſo, pro nobis paſſa eſt & mortua? quænam pro nobis ſatisfecit, à peccato & damnatione nos redemit, Sacramenta inſtituit, &c.? An divina? Sed hæc nec pati, nec mori, nec pro nobis ſatisfacere poteſt. An humana? verùm hæc, cum finita ſit, pretium infiniti valoris Deo pro nobis offerre non poteſt; nec Sacramenta inſtituere, cùm incapax ſit illis impertiendi vim gratiæ productivam. Ergo niſi in Chriſto adſtruatur unica divina perſona uno ictu ruit Verbi Incarnatio, ejus pro nobis ſatisfactio, humani generis redemptio, inſtitutio & efficacia Sacramentorum; uno verbo, univerſa Religio Chriſtiana funditùs labefactatur ac ſubvertitur.

7ma. denique, Chriſtus eſt verè Deus & homo, ut hactenus probatum eſt.

 Ergo

Ergo Perſona Chriſti eſt verè Deus & homo, nam Chriſtus eſt Perſona Chriſti. Ergo eadem perſona in Chriſto eſt Deus & homo. Ergo non eſt alia Perſona Dei, & alia Perſona hominis in Chriſto, ſed unica eſt. Et verò, ſi alia eſt Perſona Dei, & alia Perſona hominis, Chriſtus non eſt Deus, ſed purus homo.

191 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. Moyſes, Angeli, Judices ipſi nonnunquam in Scripturis Dii appellantur, nec tamen ulla eſt in illis hypoſtatica unio cum divinitate. Ergo pariter Chriſtus dici poteſt Deus, quamvis nulla ſit in ipſo hypoſtatica cum divinitate conjunctio.

Reſp. neg. conſ. Moyſes, Angeli & Judices improprio ac figurato ſenſu Dii appellantur, nempe propter ſingularem auctoritatem ſeu poteſtatem, qua à Deo donati fuêre. Quapropter poſtquam Judices Deos appellavit, ſtatim addit, *Verumtamen ſicut homines moriemini*; quæ verba apertè innuunt, eos impropriè, ac figuratè duntaxat Deos appellari. Vide dicta Tract. de Deo, part. 2. cap. 1. §. 2. pag. 170. ubi jam huic objectioni reſpondimus.

192 Ob. 2do. Joan. 2. Chriſtus ait: *Solvite Templum hoc*, id eſt corpus ſuum ſeu humanitatem. Ergo humanitas Chriſti Templum duntaxat eſt Dei. Atqui inter Templum & Deum, qui in Templo habitat, non intercedit hypoſtatica unio. Ergo &c.

Reſp. Diſt. 1mum conſ. Ergo humanitas Chriſti eſt Templum Dei, cui divinitas in perſona Verbi realiter & ſubſtantialiter conjungitur, conc. accidentaliter tantùm & moraliter, neg. conſ. Humanitas Chriſti eſt quidem Templum divinitatis, ſed ita ut phyſicè & hypoſtaticè ei in perſona Verbi uniatur.

Ob. 3tio. Coloſſ. 2. dicitur: *In ipſo,* 193
Chriſto, *habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Ergo in Chriſto ſunt duo ſuppoſita diverſa, ſicut habitaculum, & ille, qui inhabitat, &c.

Reſp. neg. conſ. Senſus textûs adducti eſt, quòd in Chriſto ſecundùm humanitatem ſpectato omnis plenitudo divinitatis inhabitet realiter & ſubſtantialiter, per Unionem ſcilicet ſubſtantialem Divinitatis cum humanitate in Verbi perſona. Sic anima dicitur habitare in corpore, cui unitur ſubſtantialiter.

Ob. 4to. Philipp. 2. Chriſtus dicitur 194
factus in ſimilitudinem hominum, & habitu inventus ut homo. Ergo Chriſtus verus homo fuit duntaxat, non ſimúl Deus, nec proinde cum divinitate perſonaliter unitus.

Reſp. neg. conſ. Meritò Chriſtus dicitur *in ſimilitudinem hominum factus*, quia re vera cæteris hominibus (exceptô peccatô) quantum ad naturam ſimilis fuit, iiſdem infirmitatibus obnoxius, quibus obnoxia eſt humanitas: vel dicitur habitu inventus ut homo, quia ſpecietenus velut homo purus apparebat, communi cæterorum viâ genitus, qui tamen verus erat Deus, in utero Virginis virtute Spiritus ſancti conceptus.

Ob. 5to. Deus immortalis eſt ac im- 195
paſſibilis. Ergo Chriſtus, qui paſſus eſt ac mortuus, verus Deus non eſt.

Reſp. Diſt. ant. Deus non homo factus impaſſibilis eſt & immortalis, conc. Homo factus, ſubdiſt. ratione divinitatis, conc. ratione humanitatis, neg. ant. Chriſtus ratione humanitatis, quam in unitatem perſonæ aſſumpſit, verè paſſus eſt ac mortuus: *Verbum enim caro factum eſt.*

Ob. 6to. Si Dei Filius paſſus ac mor- 196
tuus dici poteſt. Ergo dici pariter poterit, Divinitas paſſa eſt, mortua, &c.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. neg. conſ. Iſtæ denominationes in ſuppoſitum ipſum, ſeu perſonam Verbi ex duabus naturis conſtantem cadunt, non verò in ipſam divinam naturam.

197 Ob. 7mo. Si unica in Chriſto eſſet perſona, Chriſtus dici poſſet *unus de S. Trinitate paſſus*, adeoque *unum de Trinitate eſſe paſſum*. Atqui Hormiſdas Papa hanc propoſitionem damnavit velut erroneam. Ergo, &c.

Reſp. neg. min. Hanc propoſitionem enim Hormiſdas nuſquam erroris incuſavit, ſed tantùm ut novam ac diſſidiorum cauſam ſilentiô premendam eſſe judicavit, repreſſa Monachorum Scythiæ temeritate ac pertinacia, qui hujusmodi loquendi formam definitioni Concilii Chalcedonenſis neceſſariò adjiciendam eſſe contendebant, quaſi abſque tali additione, manca illa & imperfecta foret. Cæterùm hanc loquendi rationem Eccleſia ſuô judiciô probavit, ac confirmavit in Concilio generali V. Can. 4. & 5. Probavit & Joannes Papa II. Epiſt. ad Juſtinianum, in qua & Imperatorem laudat, qui eam tuebatur, & Acoemetas Monachos contra ſentientes condemnat. (*b*)

198 Ob. 8vo. Aliqui Patres dicunt, 1mo. humanitatem inſtrumentũ eſſe divinitatis. 2do. Verbum aſſumpſiſſe hominem. 3tio. S. Baſilius, in Pſal. 59. vocat Chriſtum Deiſerum. Ergo, &c.

Reſp. neg. conſ. ad 1mum. Humanitas Chriſti vocatur inſtrumentum Divinitatis, ſed conjunctum conjunctione ſubſtantiali, ex qua reſultat Unitas perſonæ in duabus naturis. Sic corpus eſt inſtrumentum animæ eidem ſubſtantialiter unitum, nec aliud ab ea ſuppoſitum habens. Ad 2dum. Patres impropriè locuti ſunt, accipiendo concretum pro abſtracto, ac per hominem intelligendo humanitatem: conſtat enim hos Patres unicam in Chriſto admiſiſſe Perſonam. Ad 3tium S. Baſilius non Chriſtum, ſed Chriſti carnem vocat Deiſeram, quia nempe reipſa Dei propria eſt, propter unionem perſonalem inter ipſam & Deum Verbum.

Ob. 9no. Juxta SS. Patres Verbum aſſumpſit omnes perfectiones naturales hominis, exceptô peccatô, Ergo & perſonam. 199

Reſp. Diſt. ant. Aſſumpſit omnes perfectiones naturales pertinentes ad naturam humanam, conc. Perſonalitatem, neg. ant. Perſonalitas humana non eſt perfectio ſecundùm ſe, cùm conſiſtat in negatione unionis ſubſtantialis cum alio perfectiore.

Inſt. 1mo. Verbum incarnatum eſt perfectus homo. Ergo etiam habet perfectiones ad perſonam humanam pertinentes.

Reſp. neg. conſ. Ut Verbum incarnatum ſit perfectus homo, ſufficit, quòd humanitas ab illo aſſumpta habeat omnes perfectiones ad naturam humanam pertinentes.

Inſt. 2do. Si ita eſt, humanitas Chriſti erit in ſtatu violento.

Reg. neg. Nam longè melius eſt humanitati Chriſti eſſe naturam Perſonæ Divinæ unitam, quàm habere propriam perſonalitatem, ultimò compleri per Verbum infinitè perfectum, quàm per ſe ipſam, ſubſiſtere in Verbo, quàm ſubſiſtere in ſe ipſa. Quia infinitè perficitur per hoc, quod eſt natura Perſonæ divinæ: nam hoc ipſo, quòd Verbum ſit perſona naturæ humanæ, eſt quoddam ejus complementum ſubſtantiale, ſecluſa omni imperfectione ex parte Verbi.

Ob. 10mo. Chriſtus vocatur à ſancto Athanaſio in expoſitione fidei, ***homo Deiſi-*** 200

(*b*) Senſus nempe hujus propoſitionis eſt, quòd unus de Trinitate in noſtra mortali carne paſſus ſit, non verò in Deitate.

Deificatus. Et à S. Auguſtino, lib. 83. quæſt. q. 36. *homo Dominicus.* Ergo &c.

Reſp. neg. conſ. Hæ voces, quæ à Neſtorio in pravo ſenſu adhibebantur, impropriè & in bono ſenſu ab illis Patribus uſurpatæ ſunt: nempe per illas intelligunt, Chriſtum non per naturam humanam, ſed per unionem hypoſtaticam Verbi cum humanitate eſſe Deum, & Dominum. Nam ex aliis textibus conſtat, hos & alios Patres agnoviſſe Divinitatem Chriſti, & Unitatem ejus Perſonæ.

201 Ob. 11mo. S. Chryſoſtomus, Hom. 3. ad cap. 1. Epiſt. ad Hebræos, ſic ait: *Hic & Judæos, & Pauli Samoſateni Aſſeclas, & Arianos ... feriit* (Apoſtolus) *& Marcionem. Quomodo? Judæos quidem, oſtendens duas perſonas, & Deum & hominem .... adverſùs Marcellum autem & alios, quòd ſint duæ perſonæ diviſæ per hypoſtaſim.* Quibus verbis duas in Chriſto perſonas disertè agnoſcere videtur. Ergo.

Reſp. neg. ant. Hæ voces *duas perſonas*, & *duæ perſonæ* dicuntur, non de Chriſto, ſed de Patre & Filio: nam S. Doctor ibi probat Patrem & Filium eſſe duas perſonas realiter diſtinctas, quæ tamen ſunt idem Deus. Aliqui putant voce perſonæ ibi ſignificari naturam ſeu eſſentiam, non perſonam propriè ac ſtrictè ſumptam. Sixtus Senenſis verò lib. 6. Bibl. ſanctæ annotat. 329. ait, hunc locum in Græcis Codicibus depravatum eſſe, ac pro eo, quod in eis ſcriptum eſt, *Deum & hominem*, legendum fore, *Deum & Deum*, geminamque affert hujus depravationis rationem, 1mo. quia Theophilactus hæc eadem Chryſoſtomi verba referens, omiſſa hominis mentione, & Dei nomine bis poſito ſic ſcribit: *Hoc adverſùs Judæos, & Sabellium & Marcellum pugnat, tanquam duas perſonas indicans, Deum & Deum.* 2do. quia conduplicatio particulæ *Dei* aptiſſimè congruit cum propoſita Pauli ſententia, in qua geminato Dei nomine dicitur, *Unxit te Deus, Deus tuus*, ad expreſſionem ſcilicet duarum perſonarum, reclamantibus Judæis, Sabelliô & Marcellô, qui unam tantùm Deitatis perſonam agnoſcunt. Addit idem Sixtus Senenſis, quòd, ſi quis urgeat, lectionem Græcorum Codicum eſſe integram, & legendum eſſe *duas perſonas, Deum & hominem*, non multùm repugnaturus ſit, modò per hominem Chriſti ſimul & hominis perſonam ſignificari intelligamus; per Deum verò Perſonam Patris, aut Spiritus ſancti. Certum porro eſt, S. Chryſoſtomum docuiſſe, Chriſtum eſſe verum Deum & verum hominem, nec in illo duas perſonas ſtrictè ac propriè ſumptas admiſiſſe, prout inter plura alia ejus loca patet ex Epiſt. ad Cæſarium Monachum, ubi, *Etſi*, inquit, *duplex* (in Chriſto) *natura, verumtamen indiviſibilis & indiſſipabilis unitio, in una filiationis confitenda perſona & una ſubſiſtentia.*

Ob. 12mo. Perſona eſt ſubſtantia ſingularis & individua. Atqui humanitas 202 Chriſti talis eſt. Ergo eſt perſona.

Reſp. neg. maj. Nam ad perſonam requiritur inſuper, ut ſubſtantia ſingularis & individua, & completa in ratione naturæ in ſe ſiſtat, ſicque per ſe ultimò completa & in ſe terminata ſit totum ſui juris. Humanitas autem Chriſti talis non eſt; nam per Verbum ultimò completur, in Verbo ſubſiſtit, non eſt ſui juris ſed Verbi, utpotè perfectioris; non eſt ſua ſed Verbi: natura enim ſuæ non eſt, ſed perſonæ, cujus eſt natura; totum quod eſt, Verbi eſt, non ſui; nam totum quod eſt natura, non ipſius naturæ, ſed perſonæ eſt, cujus eſt natura: perſona enim habet, & natura habetur. Quare humanitas Chriſti nullatenus eſt ſubſtantia per ſe tota, nec totum aliquod ſui juris, ſed ſe habet ad modum partis.

Inſt. 1mo. Humanitas Chriſti eſt per ſe completa. Ergo eſt ſubſtantia per ſe tota, &c.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Diſt. ant. Humanitas Chriſti eſt completa in ratione naturæ, conc. In ratione perſonæ, neg. ant. & conſ. Humanitas Chriſti ſubſiſtit in Verbo, non in ſe, & ſe habet per modum partis, ideoque non eſt ſubſtantia tota per ſe.

Inſt. 2do. Perſona definitur à Boëtio *naturæ intellectualis individua ſubſtantia.* Ergo, &c.

Reſp. neg. conſ. Vox *ſubſtantia* à Boëtio hîc ſumitur pro ſubſtantia completa & ultimò terminata, quæ ſit totum aliquod ſui juris. Itaque perſona propriè eſt ſubſtantia intellectualis, per ſe totalis, ultimò completa & terminata. Natura autem humana Chriſti talis non eſt. Nam neque eſt ſubſtantia totalis ſeu totum ſui juris, exiſtens ut quid ſuum & propter ſe, cùm ſit tota Verbi, cui ſubordinatur ut principaliori & digniori, & ſe habeat ad modum partis; neque eſt per ſe ultimò completa ac terminata: nam ulteriùs completur ſubſtantialiter à Verbo per ſuî unionem ſubſtantialem cum illo, & terminatur ac ſiſtit in Verbo non in ſe.

203 Ob. 13tio. Unitas perſonæ divinæ eſt prior unione, cùm ſit ab æterno. Ergo ex unione humanitatis cum Verbo non reſultat unitas perſonæ; aliàs eadem perſona erit æterna ſimul & temporanea, quod implicat.

Reſp. Diſt. ant. Unitas perſonæ divinæ ut ſubſiſtentis in ſola natura divina eſt prior unione, conc. Unitas perſonæ divinæ ut ſubſiſtentis in duabus naturis eſt prior unione humanitatis cum Verbo, neg. ant. Per unionem hypoſtaticam ſeu perſonalem Verbi cum humanitate factum eſt, ut perſona divina Verbi, quæ una erat in unica natura, ſit una in duabus naturis.

204 Ob. 14to. De eodem ſuppoſito verè dici non poſſunt contraria. Atqui de Chriſto multa dicuntur contraria. Ergo, &c.

Reſp. Diſt. Maj. De eodem ſuppoſito verè dici non poſſunt contraria ratione ejusdem naturæ, conc. Ratione diverſarum naturarum, neg. maj. Chriſtus duas habet naturas diverſas, diſtinctas & integras, ſecundùm quas de illo prædicari poſſunt contraria, ut quòd fuerit mortalis & immortalis, paſſibilis & impaſſibilis, quòd ſit Deus & Homo, &c.

Ob. 15to. Filius Dei non potuit generari à B. Virgine, cùm ſit ab æterno. Ergo Filius Mariæ non eſt Filius naturalis Dei. 205

Reſp. Diſt. ant. Filius Dei non potuit generari à B. Virgine ut Deus eſt, conc. ut homo eſt, neg. ant. & conſ. Ut B. Virgo ſit Mater Dei & verè dicatur genuiſſe Deum & Filium Dei, non neceſſe eſt, ut Verbi perſonalitatem vel divinitatem genuerit, ſed ſatis eſt, ut natura, quam generavit, fuerit in inſtanti generationis aſſumpta à Verbo per unionem ſubſtantialem ac perſonalem: nam vi hujus aſſumptionis terminus adæquatus ex ejus generatione reſultans eſt Homo-Deus, Filius Dei verus Deus & Homo. Sic aliæ fœminæ, quamvis animam rationalem hominis conſtitutivam non generent, verè tamen dicuntur & ſunt matres hominis, quia ſcilicet terminus adæquatus generationis eſt homo. Quemadmodum igitur, ut mulier dicatur Mater hominis, ſufficit, ut generet corpus, quod animæ unitum eſt terminus totalis generationis: ſic, ut B. Virgo verè dicatur & ſit Mater Dei, ſufficit, quòd genuerit corpus, quod unitum animæ conſtituat hominem, & ille homo eodem inſtanti uniatur perſonaliter Filio Dei, vero Deo: nam tunc totalis terminus generationis eſt Homo Deus, Deus Homo.

Inſt. 1mo. B. Virgo nuſquam in Scripturis dicitur Mater Dei. Ergo, &c.

Reſp. Dicitur Mater Dei ſaltem æquivalenter & implicitè, cùm dicitur genuiſſe

JEſum, quem Scriptura aſſerit eſſe Deum. Matth. 1. *Jacob autem genuit Joſeph virum Mariæ, de qua natus eſt JEſus, qui vocatur Chriſtus.* Et Luc. 1. Angelus Mariæ dixit: *Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus JEſum: hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur.* Ibid. Eliſabeth repleta Spiritu ſancto dixit: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me.* Porro quamvis B. Virgo ſit verè & propriè Mater Dei, eò quòd eum genuerit, qui eſt Dei Filius naturalis & verus Deus; tamen dici non debet cauſa Dei, quia cauſa ſtrictè ſumpta ſignificat generalem cauſalitatem illius totius, cujus dicitur cauſa. Vox autem *Mater* ſignificat ſolùm cauſalitatem corporis humani, & unionis ejus cum anima.

Inſt. 2do. B. Virgo dici non poteſt Mater Verbi divini. Ergo nec Filii Dei.

Reſp. neg. conſ. Diſparitas eſt, quia per Verbum divinum intelligitur terminus generationis æternæ in ſinu Patris: at per Filium intelligitur terminus tùm æternæ, tùm temporalis generationis in utero Mariæ Virginis.

Inſt. 3tio. B. Virgo non eſt conſubſtantialis Filio Dei. Ergo nec Mater ejus.

Reſp. Diſt. ant. Non eſt conſubſtantialis Filio Dei ſecundùm naturam divinam, & ut Deus eſt, conc. ſecundùm naturam humanam, & ut homo eſt, neg. ant. Unde eſt Mater Filii naturalis Dei, non ut Deus eſt, ſed ut homo eſt. Hinc etiam Filius Dei eſt Filius Mariæ non ratione divinitatis, ſed ratione humanitatis Verbo perſonaliter unitæ.

Inſt. 4to. Nomen *Deus* abſolutè poſitum ſignificat Deum ut communem tribus perſonis. Atqui B. Virgo non genuit Deum ut communem tribus Perſonis: non enim genuit Patrem & Spiritum ſanctum. Ergo dici non debet ſimpliciter Mater Dei.

Reſp. Diſt. Maj. Si vox *Deus* non aliunde determinetur ad aliquam perſonam, conc. ſi aliunde determinetur ad unam perſonam, neg. maj. Quando B. Virgo dicitur Mater Dei; hæc vox *Deus* ſatis ex mente Eccleſiæ determinatur ad Filium, ſeu ſecundam perſonam. Et verò in Scriptura nomen Dei abſolutè poſitum tribuitur ei, qui mortuus eſt, juxta illud, 1. Joan. 3. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit.* Et illud Pauli, Act. 20. *Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit Sanguine ſuo.* Ergo eadem vox abſolutè & ſimpliciter tribui etiam poteſt ei, qui de Virgine natus eſt, cùm ejusdem ſit naſci & mori.

Inſt. 5to. B. Virgo generavit verum hominem. Ergo &c.

Reſp. Generavit verum & perfectum hominem ſubſiſtentem ſubſiſtentiâ Verbi, non verò ſubſiſtentiâ propriâ, unde neg. conſ.

Ob. 15to. S. Hilarius lib. 10. de Trinitat. num. 16. ait: *Corpori Chriſti Mariam originem non dediſſe.* Ergo ſi Maria corpori Chriſti originem non dedit, Dei mater dici non poteſt. 206

Reſp. hoc ipſo argumento, ſi quid valet, oſtendi, Mariam ne quidem Chriſti matrem dici poſſe, ſiquidem *corpori Chriſti originem non dedit.* Mens igitur & ſententia S. Hilarii hæc eſt, Mariam corpus Chriſti cæterorum hominum more, ex commercio viri cum muliere non genuiſſe, ſed operante Spiritu ſancto, & carnem Chriſti è puriſſimo B. Virginis ſanguine efformante. *Virgo*, inquit ibidem num. 15. *nonniſi ex ſuo Spiritu ſancto genuit quod genuit. Et quamvis tantum ad nativitatem carnis ex ſe daret, quantum ex ſe fœminæ edendorum corporum ſuſceptis originibus impenderent, non tamen JESUS Chriſtus per humanæ conceptionis coaluit naturam.*

§. VI.

Digitized by Google

§. VI.

207 *Utrum in Chriſto ſint duæ naturæ integræ & diſtinctæ?*

Entyches Presbyter & Archimandrita, ſeu Abbas celeberrimi Monaſterii Conſtantinopolitani, dum Neſtorianos acriùs inſectaretur, ex imperitia potiùs, quàm ex malitia incidit in errorem oppoſitum, qui à ſuo nomine hæreſis Eutychiana dictus eſt. Hic aſſeruit, unicam eſſe in Chriſto naturam poſt unionem, ſicut unica eſt perſona, ut conſtat ex actis Concilii Conſtantinopolitani annô 448. ſub Flaviano ejuſdem civitatis Epiſcopo, in quo primùm damnatus eſt Eutyches, & ex Epiſtola ejuſdem Flaviani ad S. Leonem Papam, in qua aſſerit, Eutychem dixiſſe, *ante Incarnationem quidem Salvatoris noſtri JEſu Chriſti, duas naturas eſſe divinitatis & humanitatis: poſt unitionem verò unam naturam factam.*

Verùm cùm patroni ipſius multa contra hanc Flaviani Synodum objicientes non quieſcerent, indictum eſt Concilium generale Epheſi celebrandum anno 449. In eo factione Dioſcori Epiſcopi Alexandrini ſancti Cyrilli ſucceſſoris & Eutychis amici jus omne ſic violatum eſt, ut meritò Latrocinium vocatum fuerit; Legati ſummi Pontificis non modò non auditi, ſed & expulſi, Flavianus Sedem Apoſtolicam appellans trucidatus, Eutycheſque in integrum reſtitutus, ipſiuſque hæreſis confirmata.

Quibus auditis S. Leo Papa Conciliabuli hujus acta reſcidit, Dioſcorum damnavit, qui & ipſe contra ſummum Pontificem excommunicationis ſententiam proferre auſus eſt. Verùm paulò pòſt, annô ſcilicet 451. Chalcedone celebratur Concilium IV. Oecumenicum, in quo Legati S. Leonis Papæ præſident, abrogatur Latrocinium Epheſinum, aſſeritur duplex in Chriſto natura; Eutyches ob hæreſim damnatur, Dioſcorus omni dignitate exuitur, &c.

Non conſtat, quo ſenſu Eutyches intellexerit, duas naturas in unam coaluiſſe, an ſcilicet per converſionem unius in aliam, an per conſumptionem unius ab alia, an per compoſitionem, an per confuſionem, aut mixtionem. Sed parvi refert, quid hac in re ſenſerit imperitiſſimus & imprudentiſſimus Senex, ut eum S. Leo vocat, præſertim cùm Fides Catholica omnem hanc unitatem repudiet.

De hujus hæreſis Sectatoribus jam ſuprà §. 4. num. 175. egimus, quibus addimus hîc Jacobitas, à Jacobo quodam natione Syro, qui ineunte ſexto Sæculo vixit, ſic dicti, quibus ſeptimô Sæculô omnes Eutychianorum Sectæ ſe ſe adjunxerunt. Sit

Conclusio. 208

In Chriſto ſunt poſt unionem duæ naturæ integræ, diſtinctæ, & inconfuſæ, nempe Divina & Humana, ac proinde unio Verbi Divini non eſt facta in natura, ſed immediatè in perſonalitate Verbi.

Prob. 1mo. Ex Scriptura. Joan. 1. v. 14. *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* Caro autem factum eſt non converſione divinitatis in carnem, nihil enim inſulſius cogitari poſſet; ſed aſſumptione humanitatis in Deum, per quam habitavit in nobis, per omnia ſimilis nobis abſque peccato.

1. Joan. 1. v. 1. *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de Verbo vitæ.* Duplex hîc Chriſti natura diſtinguitur: divina, *de Verbo vitæ;* humana, quæ oculis viſa eſt, manibus attrectata, &c.

Philipp. 2 v. 6. *Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo; ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus.* Ubi exprimitur

Ddd 2 duplex

duplex in Chriſto forma ſeu natura, nempe Dei, & ſervi ſeu hominis, non confuſa & permixta, ſed integra & diſtincta.

Adde ea Scripturæ loca, quibus contra Neſtorium paragrapho præcedenti probavimus, Chriſtum eſſe verum Deum & verum hominem. Nam Chriſtus non poteſt eſſe verus Deus & verus homo, niſi habet duas ſimul naturas Divinam & humanam, omninò integras, diſtinctas & inconfuſas.

Prob. 2do. Ex Conciliis. Nicænô I. generali. In Symbolo Fidei, poſtquam divinitatem Filii aſſeruit, de ſuſcepta hominis natura ait: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit, & incarnatus eſt, & homo factus eſt.*

Conſtantinopolitanô ſub Flaviano, annô 449. *Confitemur*, inquiunt ibidem Patres, *ex duabus naturis Chriſtum eſſe poſt incarnationem in una ſubſiſtentia, & in una perſona, unum Chriſtum Filium, unum Dominum confitentes.*

Conſtantinopolitano alio, annô 450. ubi Anatolius Conſtantinopolitanus aliique Patres dicto anathemate Neſtorio & Eutychi, ajunt: *Catbolica fides & ante Incarnationem unam tantùm Verbi fuiſſe, & poſt Incarnationem duas, id eſt, Verbi & perfecti hominis, fatetur in una perſona, inconfuſa proprietate ſui manere naturas.*

Chalcedonenſi, annô 451. Act. 5. in definitione fidei. ubi ſic ait: *Sequentes igitur ſanctos Patres, unum eundemque confiteri Filium & Dominum noſtrum JEſum Chriſtum conſonanter omnes docemus, eumdem perfectum in Deitate, & eumdem perfectum in humanitate, Deum verum & hominem verum, eumdem ex anima rationali & corpore, conſubſtantialem Patri ſecundùm deitatem, conſubſtantialem nobiscum ſecundùm humanitatem: ante Sæcula quidem de Patre genitum ſecundùm deitatem, in noviſſimis autem diebus eumdem propter nos & propter noſtram ſalutem ex Maria Virgine Dei genitrice ſecundùm humanitatem, unum eumdemque Chriſtum, Filium, Dominum, Unigenitum, in duabus naturis inconfusè: immutabiliter, indivisè, inſeparabiliter agnoſcendum: nusquam ſublatâ differentiâ naturarum propter unitionem, magisque ſalva proprietate utriusque naturæ, & in unam perſonam atque ſubſiſtentiam concurrente.*

Huic definitioni adde Epiſtolam dogmaticam S. Leonis Papæ ad Flavianum, in qua Incarnationis myſterium egregiè exponit, & duas in Chriſto naturas diſtinctas & inconfuſas eſſe definit, ac fusè probat: qua quidem in Concilio Chalcedonenſi lecta, ſic acclamatum eſt ab omnibus Epiſcopis, qui fuerunt ſexcenti & triginta: *Hæc Patrum fides, hæc Apoſtolorum fides; omnes ita credimus, orthodoxi ita credunt. Anathema ei, qui ita non credit. Petrus per Leonem locutus eſt.*

Ex Conſtantinopolitano II. (*c*) Can. 8. ubi, *Si quis*, inquiunt Patres, *ex duabus naturis deitatis & humanitatis, confitens unitatem factam eſſe, vel unam naturam Dei Verbi incarnatam dicens, non ſic ea excipit, ſicut Patres docuerunt, quòd ex divina natura & humana, unitione ſecundùm ſubſiſtentiam facta, unus Chriſtus effectus eſt, ſed ex talibus vocibus unam naturam ſive ſubſtantiam deitatis & carnis Chriſti introducere conatur; talis anathema ſit.*

Ex Conſtantinopolitano III. (*d*) Quod in fidei definitione Verba Synodi Chalcedonenſis modò citata uſurpat.

Ex

(*c*) Annô 553. ſub Vigilio Papa pro decidenda celebri lite de tribus Capitulis &c. celebratum fuit.

(*d*) Annô 681. ſub Agathone Papa contra Monothelitas coactum eſt.

Digitized by Google

Ex Concilio Nicæno II. (*e*) Quod pariter in definitione fidei ait: *Duas naturas confitemur ejus, qui incarnatus eſt propter nos ex intemerata Dei genitrice ſemper Virgine Maria, perfectum eum Deum, & perfectum hominem cognoſcentes.*

Prob. 3tio. Ex SS. Patribus. Pro omnibus ſint, S. Athanaſius, lib. de Incarnat. ubi ait: *Appellabitur perfectus Deus, & perfectus homo Chriſtus .... ſecundùm rationem exiſtendi ſine defectu plenam & integram, ut unus ſit utrimque per omnia idem & Deus & Homo.*

S. Ambroſius, lib. 2. de Fide, cap. 4. *Servemus*, inquit, *diſtinctionem divinitatis & carnis. Unus in utraque loquitur Dei Filius, quia in eodem utraque natura eſt. Etſi idem loquitur, non uno ſemper loquitur modo. Quaſi Deus loquitur, quæ ſunt divina, quia Verbum eſt: quaſi homo dixit, quæ ſunt humana, quia in mea ſubſtantia loquebatur.*

S. Auguſtinus, Tract. 78. in Joan. *Quid igitur hæretice*, ait, *cùm Chriſtus ſit Deus & Homo, loquitur ut Homo, & calumniaris Deo? Ille in ſe naturam commendat humanam, tu in illo audes deformare divinam?*

S. Cyrillus Alexand. lib. de Incarnat. cap. 12. *Unus igitur eſt & ante Incarnationem Deus verus, & qui in humanitate remanſit id, quod erat, & eſt, & erit. Non diſcernendum igitur unum Dominum JEſum Chriſtum in hominem ſeorſum, & ſeorſum in Deum, ſed unum eumdemque JEſum Chriſtum eſſe dicimus, non ignorantes differentiam naturarum, ſed eas inconfuſas inter ſe ſervantes.* Item Epiſt. ad Joannem Antiochenum, quæ incipit, *Lætentur Cæli*, eadem habet.

Vide Concilium Chalcedonenſe, Act. 2. ubi plura SS. Patrum, qui illius definitionem jam ante præformaverant, teſtimonia referuntur.

Prob. 4to. variis rationibus Theologicis. 1ma. Ex Scriptura, Patribus, & Conciliis Chriſtus eſt verus ac perfectus Deus, verus ac perfectus homo. Sed talis non eſſet, niſi haberet duas naturas integras diſtinctas, & inconfuſas, divinam ſcilicet & humanam: nam ille verus eſt Deus, qui habet naturam divinam, integram & inconfuſam; & ille eſt verus homo, qui habet naturam humanam integram, diſtinctam & inconfuſam, ut per ſe patet. Ergo Chriſtus habet duas naturas integras, diſtinctas, & inconfuſas, divinam ſcilicet & humanam.

2da. Si ex duabus naturis unica in Chriſto facta eſt, nec humana illa eſſet, nec divina; adeoque Chriſtus nec Deus eſſet, nec homo; nec patri nec matri conſubſtantialis.

3tia. Naturæ uni ac ſimplici contrariæ proprietates non conveniunt, cujusmodi ſunt in Chriſto paſſibilem eſſe v. g. & impaſſibilem, mortalem & immortalem. Hæc quidem de uno & eodem Chriſti ſuppoſito in concreto, ut ajunt, rectè prædicantur, ob diverſas, quibus conſtat, naturas: at ſi una ſupponatur, in eam cadunt adeò contrariæ & oppoſitæ proprietates; & ita divinitas paſſa eſſe dicenda erit, ſicut reipſa dicere compulſi ſunt Eutychiani, Theopaſchitæ inde dicti; quo certè nihil abſurdius excogitari poteſt. Ergo, &c.

4ta. Funditùs ruit divinæ diſpenſationis ac reparationis humanæ myſterium, niſi duæ ſint in Chriſto diſtinctæ naturæ, quarum una, humana ſcilicet, ſatisfactionis materiam, altera verò, nempe divinitas, pretium ac valorem infinitum communicet.

(*e*) An. 787. ſub Adriano Papa pro reſtituendo ſacrarum imaginum cultu contra Iconomachos.

5ta. Ex duobus unum fieri non poteſt, niſi aliquo ex his modis : vel ex duobus integris ac perfectis remanentibus ; vel ex duobus perfectis permixtis ac permutatis ; vel denique ex duobus imperfectis in unum coaleſcentibus. Atqui nullo ex his modis facta dici poteſt in Chriſto naturarum unio. Non 1mô tùm quia totum ex duobus integris perfectis remanentibus, non eſt totum per ſe, ſed per accidens, & forma in hujuſcemodi toto non eſt natura ſed ars, ut patet in conſtructione alicujus ædificii : porro Chriſtus non eſt totum per accidens & ex arte, ſed per ſe ac naturâ & ſubſtantiâ. Tum quia totum ex duobus integris perfectis remanentibus, totum non eſt abſolutè & ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, & in duo poteſt æqualiter dividi. Atqui Chriſtus unus eſt ſimpliter, in duos non partitus nec diviſus. Ergo, &c.

Non 2dô. Tùm quia divinitas, quæ puriſſima eſt, ſimpliciſſima, & immutabilis, permiſceri cum alia natura, aut in aliam tranſire ac mutari non poteſt ; vel una divinitatis idea & notio id evincit. Tùm quia humanitas nunquam in divinitatem converti poteſt, utpote à qua infinitô diſtat intervallô. Tùm, quia poſt illam converſionem humanitatis in divinitatem, Corpus Chriſti verum non eſſet & noſtro ſimile, ſed phantaſticum & umbratile, ut contendebant Manichæi. Tùm denique, quia ex his, quorum unum altero longè præſtantius & excellentius eſt, mixtio propriè fieri non poteſt, ſolvitur quippe unius eorum ſpecies : v. g. ſi quis paululum mellis in fluvium injiciat, vera non eſt mellis mixtio, ſed potius corruptio ; & lignum in ignem immiſſum non dicitur cum igne miſceri, ſed ab igne conſumi ac deſtrui. Atqui natura divina infinitè ſuperat humanam, & propriè cum ipſa in Chriſto non permiſcetur, ſed tota penitùs abſorpta foret & deſtructa.

Non 3tiô. denique modô : Quod enim fit ex duobus imperfectis, vel fit tanquam corpus ex pluribus partibus quantitativis, vel tanquam ex materia & forma. Atqui neutro modo concurrere poteſt divinitas ad unam naturam conſtituendam. Non 1mô quia Deus ſimplex eſt & incorporeus : non 2dô. quia divina natura nec materiæ nec formæ rationem habere poteſt.

Solvuntur Objectiones. 209

Ob. 1mo. Joan. 1. v. 14. Eodem modo dicitur *Verbum caro factum*, quo aqua dicitur vinum facta, ibidem cap. 2. v. 9. Atqui aqua dicitur facta vinum per converſionem. Ergo etiam Verbum caro factum eſt per converſionem.

Reſp. 1mo. Nunquam, quod ſciamus, Eutychiani docuêre, Verbum in carnem transmutatum fuiſſe : imò potiùs humanitatem à Divinitate totam abſorptam aſſerebant ; ergo fruſtrà & in vanum citata S. Joannis verba hîc opponuntur.

Reſp. 2do. Diſt. maj. Verbum dicitur caro factum eodem modo quoad formam verborum, quo aqua dicitur vinum facta, conc. Eodem modo quoad ſenſum, neg. maj. Nam ſi idem eſſet ſenſus, ſequeretur Verbum deſiiſſe, ſicut deſiit aqua per ſuam in vinum converſionem. Itaque eadem forma verborum habere poteſt diverſum ſenſum pro diverſitate materiæ ſeu rei ſignificatæ, ut patet ex illo Apoſtoli ad Galat. 3. ubi dicitur *Chriſtus factus maledictum*, ſenſus enim non eſt, Chriſtum converſum eſſe in maledictionem. Igitur Verbum caro factum eſt, non per mutationem ſuî in carnem, ſed per aſſumptionem humanitatis in unitatem perſonæ Verbi. *Verbum caro factum eſt*, ait S. Epiphanius, Hæreſ. 77. *non quòd in carnem commutatum fuerit, ſed quòd carnem pro nobis aſſumpſerit, & homo factus ſit.*

Ob. 2do.

Digitized by Google

210 Ob. 2do. S. Juſtinus Martyr, Apol. 2. dicit, panem in Euchariſtia fieri carnem Chriſti, ſicut Verbum caro factum eſt. Atqui panis fit Caro Chriſti per converſionem. Ergo.

Reſp. S Juſtinus ſolùm vult ſignificare, in Euchariſtia eſſe verè carnem & ſanguinem Chriſti, ſicut Verbum verè habet carnem & ſanguinem: quod patet ex contextu.

211 Ob. 3tio. Multi Patres, ut Irenæus, lib. 2. cap. 21. Tertullianus, Apol. c. 21. Auguſtinus, Ep. ad Voluſianum. S. Cyprianus, lib. de idolorum vanitate. S. Leo, Serm. 3. in die Natalis Domini, Incarnationem vocant mixtionem, & mixturam. Ergo in ea facta eſt naturarum mixtio.

Reſp. Diſt. ant. Mixtionem vocant Incarnationem, ad ſignificandam intimam & hypoſtaticam utriusque naturæ in Chriſto unionem, conc. Ad ſignificandam utriusque naturæ confuſionem, neg. ant. Conſtat enim eos admiſiſſe in Chriſto duas naturas diſtinctas & inconfuſas, atque agnoviſſe, Chriſtum eſſe verum Deum ſimul & hominem. Certè Tertullianus, lib. contra Praxeam c. 27. ex inſtituto refellit illam naturarum in Verbo Dei mixturam & confuſionem. Et S. Auguſtinus, Ep. 3. ad Voluſianum, *Sicut*, inquit, *in unitate perſonæ anima unitur corpori, ut homo ſit: ita in unitate perſonæ Deus unitur homini, ut Chriſtus ſit. In illa ergo perſona mixtura eſt animæ & corporis: in hac perſona mixtura eſt Dei & hominis; ſi tamen recedat auditor à conſuetudine corporum, qua ſolent duo liquores ita commiſceri, ut neuter ſervet integritatem ſuam; quamquam & in ipſis corporibus aëri lux incorrupta miſceatur.*

212 Ob. 4to. Julius Papa, Ep. ad Dionyſium Corinthi Epiſcopum, *Neceſſe eſt eos*, inquit, *cùm duas naturas dicunt, unam adorare, alteram non adorare; ac in divinam quidem baptizari, in humanam verò non baptizari.* Conſonat S. Gregorius Thaumaturgus Neocæſarienſis Epiſcopus, in Expoſitione fidei, ubi, *Non*, inquit, *duæ perſonæ, neque duæ naturæ; non enim quatuor nos adorare dicimus.* Ergo, &c.

Reſp. Epiſtola illa non eſt Julii Papæ, ſed ipſi ab Eutychianis falsò adſcripta fuit. Similiter Expoſitio illa fidei etiam ab Eutychianis falsò attribuitur S. Gregorio. Utrumque opus fœtus eſt Apollinaris, aut Eutychis, aut alterius cujusdam hæretici.

Ob. 5to. A Patribus paſſim comparatur unio divinitatis & humanitatis cum unione animæ rationalis & corporis. Ergo ſicut ex unione animæ cum corpore reſultat una natura, ita ex unione divinitatis cum humanitate reſultat una natura. 213

Reſp. Diſt. ant. Comparatur in aliquo, conc. In omnibus, neg. ant. Patres per hanc comparationem hoc unum intendunt, quòd, ſicut ex unione animæ cum corpore absque confuſione fit unus homo: ita ex unione divinitatis cum humanitate in perſona Verbi absque confuſione naturarum fit unus Chriſtus, una duarum naturarum perſona, quæ eſt Deus & homo; & quòd, ſicut unio animæ cum corpore eſt phyſica & ſubſtantialis, ita & unio Verbi cum humanitate; prout declarat Symbolum Athanaſii.

Ob. 6to. S. Damaſcenus, in ſua Dialectica, cap. ult. ait: *Illud ſcire attinet, hypoſtaticam unionem unam rerum conjunctarum naturam efficere.* Ergo. 214

Reſp. Billius, cujus eſt hæc verſio, malè vertit *naturam* pro hypoſtaſi; nam in textu græco legitur *hypoſtaſin*, *perſonam*, non *phyſin naturam.* Et verò S. Damaſcenus, eodem capite inferiùs aſſerit, ex duabus naturis unam tertiam effici non potuiſſe.

Ob. 7mo. Aliqui Patres dicunt, naturam humanam in Chriſto eſſe deificatam. Ergo, &c. 215

Reſp. Solùm volunt eam eſſe divinitati ſubſtantialiter unitam in perſonalitate Verbi, ita ut hic homo Chriſtus ſit Deus, prout ex eorum doctrina patet.

Ob. 8vo.

216 Ob. 8vo. S. Cyrillus Alexandrinus unicam in Chriſto admiſit naturam poſt unionem.

Reſp. neg. Nam multis in locis expreſsè docet, duas in Chriſto naturas diſtinctas & inconfuſas; prout patet ex textu, quem prob. 3tiâ hîc ex ipſo laudavimus: ut & ex Epiſt. ad Neſtorium, quæ incipit, *Intelligo*, à Concilio Epheſino approbata: Item in Commonitorio ad Eulogium, dicit, Neſtorium errare, non dicendo duas naturas, ſed earum unionem ſubſtantialem negando.

Inſt. 1mo. S. Cyrillus, Ep. ad Succeſſum, dicit, naturam divinam & humanam nonniſi cogitatione diſtingui. Ergo.

Reſp. Per verbum *diſtingui* intelligit dividi ac ſeparari: quod patet ex exemplo animæ & corporis, quod affert, quæ realiter à ſe invicem non ſeparantur in homine vivo; Prætereà, in Ep. ad Joannem Antiochenum, quæ incipit, *Lætentur Cæli*, rejicit omnem in Chriſto mixtionem, qua duo ita confunduntur, ut utrumque vel alterutrum ſuam integritatem amittat.

Inſt. 2do. S. Cyrillus, Ep. 1. ad Succeſſum ait: *Poſt unionem naturas alteram ab altera non dividimus . . . ſed unum aſſerimus filium, ut & SS. Patres dixerunt, unam naturam Dei Verbi incarnatam.* Ergo unicam in Chriſto admiſit naturam.

Reſp. neg. conſ. Nam non dicit, unam naturam Verbi incarnati, ſed *unam naturam Verbi incarnatam:* quorum Verborum ſenſus eſt, naturam divinam Verbi, quæ una eſt, unitam eſſe ſubſtantialiter humanitati in perſonalitate Verbi. Itaque hoc loquendi modô Cyrillus & alii Patres ſolùm intendunt, naturam divinam Verbi eſſe ſubſtantialiter unitam humanitati in perſonalitate Verbi, & per hanc unionem ſubſtantialem illas duas naturas coaleſcere in unam perſonam, unum Chriſtum, qui ſimul Deus eſt & homo. Quod patet ex ipſo Cyrillo, in ſuo ad Eulogium commonitorio, ubi ait: *Licèt duas naturas eſſe dicat* (Neſtorius) *carnis & Verbi Dei differentiam ſignificans, eſt enim alia Verbi, alia carnis natura; attamen unionem unà nobiſcum non confitetur. Nos enim illas adunantes, unum Chriſtum, unum eumdem Filium, unum Dominum confitemur, & unam propterea Dei naturam Incarnatam dicimus.* Hoc etiam conſtat ex Concilio Oecumenico V. Can. 8. eadem verba in hoc ſenſu interpretante: *Si quis*, inquit, *unam naturam Dei Verbi Incarnatam dicens, non ſic ea excipit, ſicut Patres docuerunt, quòd ex divina natura & humana, unitione ſecundùm ſubſiſtentiam facta, unus Chriſtus effectus eſt. . . Talis Anathema ſit.* Alii textum S. Cyrilli ſic explicant, nempe unam naturam unitate ſuppoſiti, non naturæ.

Inſt. 3tio. S. Cyrillus lib. ad Reginas, S. Athanaſium citans ait: *Agnoſcimus illum Dei Filium Deum eſſe ſecundùm Spiritum, Filium autem hominis ſecundùm carnem: non duas naturas, unam adorandam, alteram non adorandam, ſed unam naturam divini Verbi Incarnatam, quæ ſimul cum ejus carne una adoratione adoratur: neque duos rursùm filios, alterum verum adorandumque, nempe Filium Dei; alterum ex Maria hominem non adorandum* (Latriâ) *ſed per gratiam perinde ac cæteri homines in filium cooptatum.*

Reſp. Solùm vult cum S. Athanaſio, ſe non agnoſcere in Chriſto duas naturas accidentaliter tantùm unitas, & ſubſiſtentes in duabus perſonis, quarum proinde una adoretur cultu Latriæ, altera verò non ſic adoretur; ſed agnoſcere naturam divinam Verbi, quæ una eſt, unitam ſubſtantialiter humanitati in perſonalitate Verbi, quæ ſimul cum ejus humanitate una adoratione adoratur, cùm utraque natura in eadem perſona divina ſubſiſtat. Igitur Athanaſius & Cyril. hoc loco

non

Digitized by Google

non negant duas naturas ſimpliciter & abſolutè, ſed duas naturas ſubſiſtentes in duobus ſuppoſitis, quarum una adoretur Latriâ, altera non; voluntque Verbum cum humanitate ſua una eademque adoratione Latriæ adorandum eſſe; cùm Verbum cum ſua humanitate ſit una perſona, unus Chriſtus, unus Dominus, non duo Chriſti, non duo Domini. Quod patet ex his verbis: *Sed unam naturam divini Verbi incarnatam, quæ ſimul cum ejus carne una adoratione adoratur.* Ubi, præter unam naturam Verbi, admittit aliam diſtinctam, nempe humanitatem.

217 Ob. 9no. Si duæ eſſent in Chriſto naturæ eſſent quoque duo Chriſti; ideo enim in Trinitate unus eſt Deus, quamvis ſint tres perſonæ, quia eſt unica natura, unde ſi duæ ſint in Chriſto naturæ, duo ſunt Chriſti. Atqui hoc falſum eſt. Ergo.

Reſp. neg. ſeq. maj. Quia concreta ſubſtantiva non multiplicantur, niſi ſimul multiplicentur natura & ſuppoſitum. Unde Deus in Trinitate non multiplicatur, quia natura divina non multiplicatur, ſed eſt una & eadem in tribus perſonis: Chriſtus verò non multiplicatur, quia non multiplicatur ſuppoſitum ſeu perſona.

Hîc non prætermittendum videtur Eutychem aſſeruiſſe duas ante unionem fuiſſe naturas, unde ſupponebat illas naturas aliquamdiu extitiſſe à ſe invicem ſeparatas. At fides nos docet Naturam humanam Chriſti nullo unquam inſtanti reali temporis extitiſſe ſine unione cum Verbo; quod patet ex hactenus dictis. Nam alioqui B. Virgo non concepiſſet Deum, non eſſet verè Mater Dei: non enim genuiſſet naturam perſonæ divinæ unitam; item in Chriſto fuiſſent aliquando duæ perſonæ, duo Filii, Chriſtus aliquando fuiſſet purus homo. Quæ omnia adverſantur Scripturæ, Patribus & Conciliis. Quare hanc Eutychis propoſitionem S. Leo, Ep. ad Flavianum vocat abſurdam, perverſam blaſphemiam: *cùm tam impiè*, inquit, *duarum naturarum ante Incarnationem Unigenitus Dei Filius fuiſſe dicatur, quàm nefariè, poſtquam Verbum caro factum eſt, natura in eo ſingularis aſſeritur.*

§ VII. 218

Utrum in Chriſto fuerit duplex voluntas & operatio?

Solam voluntatem divinam in Chriſto admittebant Apollinariſtæ, docentes in eo Verbum fuiſſe pro anima rationali: ſolam humanam Neſtoriani, aſſerentes Chriſtum eſſe purum hominem. Unam quoque voluntatem Chriſto tribuebant Eutychiani, unicam in eo agnoſcentes naturam. Sed præter illos ſeptimô ſæculô imperante Heraclio, exorti ſunt novi hæretici, qui licèt in Chriſto duas naturas, ſaltem verbotenùs profiterentur, unicam in eo voluntatem adeoque & operationem admittebant, unde dicti ſunt Monothelitæ (*f*). Horum Hæreticorum duces primarii fuerunt Sergius Conſtantinopolitanus, Cyrus Patriarcha Alexandrinus, Macarius Patriarcha Antiochenus, Pyrrhus & Paulus Sergii ſucceſſores in Sede Conſtantinopolitana, Theodorus Pharanitanus: Sectæ verò author fuit Athanaſius Jacobitarum Patriarcha.

Cùm Sergius callidè ſcripſiſſet ad Honorium Papam, ut duarum voluntatum ac operationum perindè ac unius in Chriſto profeſſione abſtinendum decerne-

(*f*) A Græco nomine μονος quod idem eſt ac *unicus* & verbo θελω latinè *volo* ſeu à nomine θελησις quod *voluntatem* ſignificat.

neret, maximè cùm antiqui Patres hujuſmodi quæſtionem ſilentiô compreſſiſſent, & duarum voluntatum prædicatio contrarietatem in Chriſto invehere videretur: Honorius incautè Sergio conſenſit in duabus epiſtolis ad ipſum reſcriptis, in quibus aſſerit abſtinendum eſſe ab appellatione unius & duplicis operationis: undè poſtmodùm in Concilio Generali VI. an. 680. unacum Sergio & aliis Monothelitis velut ipſorum hæreſis fautor damnatus eſt; quamvis in 2da ad Sergium Epiſtola disertè profiteri videatur duas in Chriſto voluntates & operationes, *utraſque*, inquit ibi, *naturas in uno Chriſto unitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes, atque operatrices: & divinam quidem quæ Dei ſunt operantem, & humanam quæ carnis ſunt exequentem.* Ipſumque ab errore vindicent, S. Maximus ipſi coætaneus, in Dialogo cum Pyrrho, Joannes Symponus Abbas ipſius Honorii Amanuenſis, quique ejus nomine epiſtolam ad Sergium ſcripſerat, in Epiſt. ad Imperatorem Conſtantinum, in qua, *unam*, inquit, *voluntatem diximus in Domino, non divinitatis ejus & humanitatis, ſed humanitatis ſolius. Cùm enim Sergius ſcripſiſſet, quòd quidam duas voluntates in Chriſto contrarias dicerent, diximus, Chriſtum non duas voluntates contrarias habuiſſe, carnis, inquam, & ſpiritus, ſicut nos habemus poſt peccatum, ſed unam tantùm, quæ naturaliter humanitatem ſignabat.* Et Joannes Papa IV. in Apologia pro Honorio ad Conſtantinum eumdem Imperatorem Heraclii filium, ubi ait: *Prædictus ergo deceſſor meus* (Honorius) *docens de myſterio Incarnationis Chriſti, dicebat non fuiſſe in eo, ſicut in nobis peccatoribus mentis & carnis contrarias voluntates: quod quidam*(Monothelitæ ſcilicet) *adproprium ſenſum convertentes, divinitatis ejus* (Chriſti) *& humanitatis unam eum* (Honorium) *voluntatem docuiſſe ſuſpicati ſunt, quod veritati omnimodis eſt contrarium.*

Hæc, inquam, non obfuère, quin, ut primùm diximus, Honorius à Synodo VI. damnatus fuerit & inter Hæreticos connumeratus (quamvis ipſe Hæreticus minimè fuerit, aut Hæreſim docuerit) quòd graſſantem hæreſim nedum non, pro ſummi Pontificis officio ſuo, repreſſerit, quin ſua agendi ratione Orthodoxis claſſicum canentibus ſilentium indicere viſus ſit; Monothelitas, qui jam primas Sedes occupabant, in errore præconcepto velut tutos reddiderit; aliis Epiſcopatum ambientibus ne via obtruderetur, permiſerit: denique Catholicorum cauſam ſuô ſilentiô velut in diſcrimen adduxerit, necnon Hæreticorum partes, non hæreticô quidem animô, ſed imprudenti & incauto, adjuvare quaſi viſus fuerit, fruſtrà præmonitus à S. Sophronio Patriarcha Hieroſolymitano, flammam hæreſeos ubique ſerpere, nec jam tempus eſſe ſilendi.

Honoriô an. 629. è vivis ſublatô, annô ſequenti Ecthesim ſeu fidei expoſitionem à Sergio factam promulgavit Heraclius Imperator, in qua prohibebatur, ne quis unam vel duas diceret operationes in divina Domini Incarnatione, & aſſerebatur, unicam in Chriſto eſſe voluntatem nempe divinam.

Heraclii Ecthesim conſtanter repudiavit Severinus Honorii in Sede Apoſtolica Succeſſor, ut teſtatur Martinus I. Papa in fine Secretarii tertii Synodi Lateranenſis, & eodem anno exeunte mortuus eſt. Ei ſucceſſit Joannes IV. qui in Concilio Romano & Ecthesim, & Monothelitarum hæreſim damnavit, cujus decreto Conſtantinus Heraclii filius adhæſit. Joanni defuncto ſufficitur Theodorus, qui omnem curam & operam poſuit in abolenda Heraclii Ectheſi & Monothelitarum Hæreſi, atque Pyrrhum & Paulum depoſitionis & excommunicationis ſententiâ mulctavit. Verùm

Con-

Conſtans Conſtantini in Imperio ſucceſſor, agente Pyrrho, avi Ecthesim famosô ſuô Typô ſeu Edictô confirmavit, quô, ſub prætextu diſſenſiones & altercationes impediendi, prohibebatur, ne deinceps una aut duæ voluntates, una aut duæ operationes dicerentur. Martinus verò Papa I. coacta Romæ Synodo centum quinque Epiſcoporum, tam Heraclii Ecthesim, quàm Conſtantis Typum, necnon primarios Monotheliſmi duces unà & ipſorum hæreſim damnavit. Hinc commotus Conſtans Imperator Martinum Conſtantinopolim accerſit, ubi crudeliter excipitur, ignominiosè per urbem traducitur, tandemque ærumnis confectus Cherſone exul glorioſus Martyr occumbit, ſed non ſine divina in perſecutorem ultione: nam Conſtans occiditur, ſucceditque Conſtantinus Pogonatus, id eſt, Barbatus, Princeps religioſus, quo favente Concilium Conſtantinopoli indicitur an. 680. quod inter Oecumenica ſextum nuncupatur; in eo præſunt Agathonis Papæ Legati, atque Monothelitarum Hæreſis damnatur, illudque Leo II. Papa confirmavit. Hæc Monotheliſmi ſuccincta hiſtoria. Modò ſit

219 CONCLUSIO.

Duplex in Chriſto fuit voluntas & operatio.

Prob. 1mo. Ex Scriptura. Matth. 26. v. 39. *Pater mi*, ait Chriſtus, *ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte. Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Lucæ, 22. v. 42. *Verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat.* Joan. 6. v. 38. *Deſcendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me.* Atqui voluntas hæc Chriſti humana fuit non divina; ſiquidem ut una eſt in tribus divinis perſonis eſſentia, ita & una voluntas, *Ego & Pater unum ſumus*, Joan. 10. v. 30. Imò & humana illa Chriſti voluntas, quamquam motu & inclinatione naturali mortem refugeret, perfectæ tamen divinæ Patris ſui voluntati ſubdita & obediens fuit.

Joan. 1. v. 43. refertur, voluiſſe Chriſtum *in craſtinum exire in Galilæam.* Ergo ibi nondum erat, non divinitate profectò, quæ ubique eſt, ſed humanitate, igitur non quatenus Deus, ſed quatenus homo voluit ire in Galilæam; ergo humana in ipſo fuit voluntas, non ſolùm divina.

Marci 7. v. 24. dicitur, *Inde ſurgens* (Chriſtus) *abiit in fines Tyri & Sidonis; & ingreſſus domum neminem voluit ſcire, & non potuit latere.* Voluit Chriſtus latere & non potuit: ſed de divina ejus voluntate, cui omnia poſſibilia ſunt, iſtud intelligi non poteſt; ergo intelligi debet de humana ipſius voluntate. Erat ergo in Chriſto humana voluntas à divina diſtincta; ac latere voluit quatenus homo, non quatenus Deus erat.

Joan. 7. v. 1. dicitur: *Poſt hæc ambulabat Jeſus in Galilæam; non enim volebat in Judæam ambulare, quia quærebant Judæi eum interficere.* Chriſtus qua natura ambulabat, eadem voluntate voluit ac noluit ambulare: atqui procul dubio ſecundùm humanam naturam ambulabat; ergo ex voluntate humanâ voluit aut noluit ambulare. Ergo humana fuit in Chriſto voluntas.

Chriſtus paſſim in ſacris litteris, ut ſup. §. 4. pag. 87. jam adnotavimus, turbatur, triſtatur, lacrymas fundit, indignatur, eſurit, ſitit, & alia id genus ſimilia, quæ ſine humana natura & voluntate exponi non poſſunt: Chriſtus igitur ex voluntate humana, ſicut & natura varios illos motus expertus eſt. Item Chriſtus in Scripturis dicitur *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* At virtus obedientiæ in Chriſtum, quatenus Deus eſt, cadere non poteſt; obedientia quippe ſuperiorem indicat, cui ſubjectus eſt ille, qui obſequitur: Deus autem nullum ſupra ſe agnoſcit; ergo in

Digitized by Google

Chriſtum quatenus homo eſt, adeoque in illius humanam voluntatem.

Prob. 2do. Ex Conciliis. Chalcedonenſi Act. 5. definiente in Chriſto duas eſſe naturas inconfusè, *ſalva proprietate utriusque naturæ*, ſalvis nempe utriusque naturæ diſtinctis voluntatibus & operationibus, quæ naturæ ſunt veræ proprietates.

Lateranenſi ſub Martino I. multis Canonibus. Et ex Concilio 6to. generali Act. 18. in definitione fidei, ubi ait, in Chriſto *eſſe duas naturales voluntates & duas naturales operationes indivisè, inconvertibiliter, inſeparabiliter, inconfusè, &c.*

Prob. 3tio. Ex SS. Patribus, quorum textus in Concilio Romano ſub Martino I. & in Ep. Agathonis Papæ à Concilio VI. approbati referuntur. Pro omnibus ſint

S. Gregorius Nyſſenus, lib. contradictionum contra Apollinarem laudatò in VI. Synodo Act. 10. *Igitur*, inquit, *alia eſt* (in Chriſto) *humana voluntas, & alia divina &c.*

S. Athanaſius, lib. de Incarnat. contra Arianos, n. 21. ad hæc Chriſti verba, *Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat &c.* ſic ait: *duas voluntates ibi oſtendit, alteram humanam, quæ eſt carnis; alteram divinam, quæ Dei eſt. Siquidem humana ob infirmitatem carnis, deprecatur paſſionem; divina autem ejus voluntas prompta eſt.*

S. Ambroſius, lib. 10. in Lucam n. 59. & 60. *Quod autem ait* (Chriſtus) *Non mea voluntas, ſed tua fiat; ſuam ad hominem retulit; Patris ad divinitatem: voluntas enim hominis temporalis; voluntas divinitatis æterna.* Et lib. 2. de Fide ad Gratianum c. 3. de Chriſto ait: *Suſcepit ergo voluntatem meam, ſuſcepit triſtitiam meam.*

S. Auguſtinus, lib. 2. contra Maximinum, c. 20. *In hoc*, inquit, *quod ait* (Chriſtus) *non quod ego volo: aliud ſe oſtendit voluiſſe quàm Pater: quod niſi humano corde non potuiſſet, cùm infirmitatem noſtram in ſuum, non in Divinum, ſed humanum transfiguraret affectum. Homine quippe non aſſumpto, nullo modo Patri diceret unicum Verbum, non quod ego volo. Nunquam enim poſſet immutabilis illa natura quidquam aliud velle quàm Pater.*

Prob. 4to. Rationibus Theologicis. 1ma. Ex Scriptura, Conciliis, & Patribus, Chriſtus eſt perfectus Deus, & perfectus homo, habetque duas naturas integras ac diſtinctas, divinam & humanam: Ergo etiam habet ipſarum affectiones ſeu proprietates inconfuſas & impermixtas; non enim aliundè melius oſtenditur, naturas confuſas & permixtas non eſſe, quàm ex proprietatibus, quæ impermixtæ remanent & inconfuſæ. Atqui tales affectiones & proprietates ſunt voluntas & operatio. Ergo ſicut in Chriſto ſunt duæ naturæ perfectæ & inconfuſæ, ſic etiam in ipſo ſunt diſtinctæ & inconfuſæ voluntates & operationes.

2da. Chriſti humanitas eſt perfecta, ut dictum; Ergo habet propriam voluntatem & operationem; nec enim perfecta eſſet, ſi propria careret voluntate & operatione.

3tia. Principium *quo* eliciuntur actiones, eſt ipſa natura. Ergo ſicut natura in Chriſto duplex eſt, ita & voluntas & operatio duplex, non una eſſe poteſt. Id manifeſtè apparet in Myſterio SS. Trinitatis, ubi actio naturam ſequitur: indiviſa quippe ſunt opera SS. Trinitatis, propter unam & indiviſam, quæ in tribus perſonis eſt, operandi virtutem ac potentiam.

4ta. Verbum id aſſumpſit, quod ſanavit. Atqui voluntatem noſtram vulneratam ac depravatam ſanavit. Ergo & eam aſſumpſit.

5ta. denique, fide conſtat Chriſtum meruiſſe & ſatisfeciſſe pro peccatis noſtris. Atqui actus Chriſti non potuerunt eſſe meritorii & ſatisfactorii, niſi eſſent producti à voluntate humana libera: nam divi-

Digitized by Google

divina voluntas non poteſt per ſuos actus mereri propriè & ſatisfacere, hoc enim inferioris naturæ eſt. Ergo.

220 Quærunt hìc Theologi quotuplicis generis in Chriſto fuerint Operationes, atque communiter reſpondent, eas triplicis generis fuiſſe. Nam inter operationes Chriſti aliquæ ſunt divinæ, ſeu quæ fiunt à Chriſto tantùm ut Deus eſt, ſive quæ à ſola divinitate abſque ulla actione humanitatis etiam ut cauſæ inſtrumentalis fiunt: tales ſunt actiones creativæ animarum rationalium, conſervatio mundi, concurſus Divinus ad omnes actiones creaturarum. Aliæ ſunt humanæ, eæ nimirum, quæ naturæ humanæ ſunt propriæ, ut actus amoris à voluntate humana elicitus, & intellectio humana Chriſti: tales etiam fuerunt locutio, comeſtio, fletus, paſſio, quæ tamen ſunt actiones Dei denominativè, quatenus actiones ſunt ſuppoſitorum ſeu perſonarum. Aliæ demum mixtæ, & ſunt eæ, in quibus utraque natura agit, ut cùm Chriſtus ſuo contactu miracula patrabat: nam tunc agebat natura divina per ſuam omnipotentiam, humana verò per ſuum contactum. Hæ actiones dicuntur ſpecialiter Theandricæ (*g*), quia continent actionem divinitatis, & actionem humanitatis unitæ divinitati, licèt hæ actiones inter ſe diſtinctæ ſint & inconfuſæ. *Ipſe Dominus noſter Jeſus Chriſtus* (inquit Agatho Papa in ſua ad Imperatorem Epiſtola) *qui verus & perfectus Deus, verus & perfectus homo eſt in ſacris ſuis Evangeliis proteſtatur in aliquibus humana, in aliquibus divina, & ſimul utraque in aliis de ſe patefaciens, ut ſe verum Deum, verumque hominem credere ac prædicare Fideles ſuos inſtrueret.*

Solvuntur Objectiones. 221

Ob. 1mo. S. Dionyſius, vulgò Areopagita dictus, L. de divinis nominibus ait: *unam eſſe in Chriſto Deivirilem actionem.* Et Ep. 4. ad Cajum, ait: *Deo viro facto, novam quamdam Theandricam, ſeu Deivirilem operationem expreſſit* (Chriſtus) *in vita.*

Reſp. 1. Textus ab hæreticis Monothelitis corruptus fuit, & Dionyſius ſcripſit, *novam* non verò *unam Deivirilem actionem*, ut docent Concilia Romanum ſub Martino I. & Generale VI.

Reſp. 2. Cum S. Maximo, una Theandrica ſeu Deivirilis actio dici potuit à S. Dionyſio, non in ſenſu Monothelitarum, ſed eò quòd actio humanitatis eſſet à Verbo denominativè tanquam ſuppoſito. Nam omnis actio humana eſt ab humanitate ut à principio productivo ac determinativo, & à Verbo ut à principio denominante; actiones enim ſunt ſuppoſitorum. Breviùs, actio Chriſti dicitur una propter unitatem ſuppoſiti agentis in duabus naturis, Deivirilis verò ſeu Theandrica, quia eſt Dei hominis.

Ob. 2do. S. Athanaſius, lib. de ſalutari Adventu Chriſti ait, Chriſtum *fuiſſe ſine carnalibus voluntatibus & cogitationibus humanis, quia ſolius divinitatis voluntas in eo fuit.* 222

Reſp. Hic locus truncatus fuit, ut obſervatum fuit in Synodo generali VI. Act. 8. & S. Doctor ibidem à Chriſto excludit duntaxat voluntates carnales & cogitationes humanas perverſas ac culpabiles, non eas, quæ ſimpliciter humanæ ſunt. Cùm autem ait, voluntatem Chriſti *ſolius fuiſſe divinitatis*, intelligit ſolùm quantùm ad regimen & directionem: Chriſti enim divinitas Verbo identificata tanquam Domina omnes humanitatis ejus actiones ſpecialiter regebat ac moderabatur.

(*g*) Deiviriles.

Digitized by Google

223 Ob. 3tio. S. Gregorius Nyſſenus contra Eunomium ſcribit, *Divinitatem per corpus, quod induit, hominum omnium re vera ſalutem operari, ut propria ſit carnis perpeſſio, Dei autem operatio.*

Reſp. Per carnis perpeſſionem intelligitur etiam pœnarum libera acceptatio, quæ eſt actio voluntatis humanæ; & ſenſus hujus loci eſt, Dei operationem in humanæ redemptionis negotio primas tenere, & humanitatis actiones regere.

224 Ob. 4to S. Cyrillus Alexandrinus, lib. 4. in Joan. ait: Chriſtum *unam & cognatam per ambas naturas oſtendiſſe operationem.*

Reſp. duarum naturarum unam & cognatam dici operationem, tum ratione principii ſeu perſonæ agentis, tum ratione intimæ conjunctionis utriusque naturæ divinæ & humanæ, qua fit, ut omnes actiones Chriſti ſint Dei viriles ac Theandricæ. Porro eo ipſo quo actio Deivirilis dicitur, duplex innuitur ejus principium, utraque ſcilicet Chriſti natura, divina & humana.

225 Ob. 5to. S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 36. ait: *Chriſti voluntatem non fuiſſe Deo contrariam, quia tota Deificata fuit.*

Reſp. Hoc S. Gregorii dictô humana Chriſti voluntas potiùs aſtruitur, quàm evertitur. Nam ſi quæ ſit in Chriſto voluntas divina non contraria ſed Deificata, ea certè humana eſt; neque enim divina propriè Deificata & Deo non contraria niſi abſurdiſſimè dici poteſt.

226 Ob. 6to. Juxta SS. Athanaſium & Cyrillum, Verbum utebatur humanitate tanquam inſtrumentô & organô. Atqui inſtrumentum non habet operationem propriam & diſtinctam ab operatione cauſæ principalis. Ergo.

Reſp. Diſt. Maj. Verbum utebatur humanitate tanquam inſtrumentô activô & liberô, quod eſſet ſuarum propriarum actionum principium productivum & determinativum, conc. Tanquam inſtrumentô inanimi, & quod non eſſet ſuarum operationum principium determinativum ac productivum, neg. maj. Patres ſolùm volunt, Verbum uſum fuiſſe ſua humanitate ad humanæ redemptionis opus perficiendum: ad quod neceſſarii fuerunt actus meritorii & ſatisfactorii humanitatis, qui proinde ab illa liberè elicerentur.

Ob. 7mo. Ubi eſt una perſona operans, ibi una eſt operatio: ex vulgari axiomate, *Actiones ſunt ſuppoſitorum.* Atqui in Chriſto eſt unica perſona. Ergo & unica operatio. 227

Reſp. neg. maj. & retorq. argum. Si ubi eſt una perſona operans, ibi unica eſt operatio; tunc ubi ſunt tres perſonæ, tres quoque operationes admittendæ erunt. Atqui poſtremum hoc eſt falſum, ut vel ipſo Myſterio SS. Trinitatis apertè demonſtratur, in quo tres ſunt perſonæ realiter diſtinctæ, & tamen una ad extrà operatio. Igitur operatio & vis operandi non ſequitur perſonam, ſed naturam, quæ dicitur & eſt principium *quo* elicitivum operationum. Perſonalitas enim, ut jam alibi, ni fallor, obſervavimus, ex ſe iners eſt, non activa, merus naturæ terminus ac ultimum complementum, ſeu tota & perfecta natura ſingularis & individua: atqui operatio non ſemper nec neceſſariò ſequitur naturam, quatenus tota eſt ac ultimò completa in ratione perſonæ, ut conſtat exemplô animæ rationalis corpori unitæ, quæ utique perſona non eſt, nec aliquod totum, ſed pars, & tamen ſuas operationes ſpirituales exerit, intelligendo & volendo. Dicendum nihilominùs, perſonalitatem omninò eſſe neceſſariam, non quidem ut principium activum & elicitivum, ſed tanquam conditionem, ut totum ſeu ſuppoſitum, quod appellatur principium *quod* actionis, operetur: atque inde ductum commune axioma, *Actiones ſunt*

ſup-

Digitized by Google

ſuppoſitorum, non quidem elicitivè, ſed denominativè & attributivè, quia ſuppoſito tribuuntur, à quibus denominatur agens.

Inſt. Voluntas eſt proprietas perſonalis. Ergo.

Reſp. neg. ant. Sed eſt proprietas naturæ intellectualis. *Sanè quidem ſimpliciter velle natura eſt*, ajebat S. Maximus in collatione cum Pyrrho habita. Et verò ſi, prout primùm animadvertimus, voluntas eſſet proprietas perſonalis, tres eſſent in Trinitate voluntates divinæ realiter diſtinctæ, cùm in ea ſint tres perſonæ realiter inter ſe diſtinctæ.

228 Ob. 8vo. Fieri non poteſt, ut in eadem perſona duæ ſimul ſint voluntates, quin una alteri adverſetur. Ergo ſi in Chriſto duæ fuerunt voluntates, illæ fuerunt inter ſe contrariæ, quod tamen dici nequit.

Reſp. neg. ant. Itaque humana Chriſti voluntas nullos habuit contrarios actus divinæ voluntati, ſed ei ſemper conformis fuit. *Deſcendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam* (humanam) inquit ipſe Chriſtus Joan. 6. *ſed voluntatem ejus qui miſit me.* Et c. 8. *Ego, quæ placita ſunt ei, facio ſemper.* &c. Ratio eſt, quia humana Chriſti voluntas fuit ſemper rectiſſima & ſanctiſſima, nec in illa potuit eſſe ulla inordinatio: fuiſſet autem in illa inordinatio, ſi non fuiſſet ſemper conformis voluntati divinæ. Igitur omnis actus humanæ Chriſti voluntatis tùm efficax, tùm etiam inefficax ſemper fuit ſecundùm ſe perfectè conformis voluntati divinæ ut regulæ; hoc eſt, fuit talis, qualem Deus eſſe voluit; & Chriſtus ſemper voluit, quod Deus voluit eum velle, & eo modo voluit, quo Deus volebat eum velle.

Inſt. 1mo. Chriſtus habuit voluntatem inefficacem vitandi mortem & ſupplicia, juxta illud, Matth. 26. *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* Atqui talis actus fuit contrarius voluntati divinæ. Ergo Chriſtus habuit actum contrarium voluntati divinæ.

Reſp. neg. min. Nam Deus volebat, ut Chriſtus haberet illum actum inefficacem, nempe ut ſimplici diſplicentiâ refugeret mortem ac paſſionem tanquam naturæ ſuæ diſconvenientem, ad excitandum majorem paſſionis dolorem, & ſic magis patiendum, atque ad noſtrum exemplum & ſolatium. Et Chriſtus mortem nolebat ſimplici diſplicentiâ ex eodem motivo, ſub quo diſplicebat Deo, ita ut per illam diſplicentiam, quam Deus volebat eum habere, meritus ſit. Unde voluntas divina & voluntas humana Chriſti idem volebant efficaciter, nolebant inefficaciter, ſub diverſo reſpectu.

Inſt. 2do. Deus volebat efficaciter, ut Chriſtus moreretur. Ergo voluntas non moriendi adverſabatur divinæ voluntati.

Reſp. neg conſ. Nam voluntas inefficax & conditionata vitandi mortem, ut naturaliter malam, non adverſabatur actui, quo Deus volebat efficaciter Chriſtum pati & mori, cùm illius executionem non impediret, nec actui, quo Chriſtus ipſe ut homo voluit efficaciter mortem ac paſſionem ſuam ut præceptam à Patre, & hominibus ſalutarem, cùm hunc actum nec excludere nec retardare potuerit.

Inſt. 3tio. Voluntas efficax, & noluntas inefficax ejusdem rei ſunt actus contrarii.

Reſp. neg. Actus enim efficax, quo quis vult aliquid, & actus inefficax, quo idem non vult, ſed propter diverſum motivum, præſertim ſi illi actus omninò liberi ſint, ut fuerunt in Chriſto, nullam habent inter ſe oppoſitionem & repugnantiam. Quod etiam patet, exponendo hos actus voluntatis Chriſti: volo vitare mortem ſecundùm ſe ſpectatam & ut moleſtam naturæ, ſi ſit æqualis Dei gloria & voluntas: volo efficaciter mortem ut gratam ac glorioſam Deo, & hominibus ſalutarem.

§. VIII.

229 ## §. VIII.

De unione hypoſtatica, & ejus extremis, nempe perſona aſſumente & natura aſſumpta.

Debellatis hactenus, ſatis felici, ut arbitramur, ſucceſſu variis hæreſibus & blaſphemiis, quas variis temporibus nefarii homines & Hæreſiarchæ circa, vel potiùs contra Incarnationis Dominicæ ſeu Unionis hypoſtaticæ Verbi divini cum humana natura eſſentiam protulêre; modò ea quoque nobis rimanda veniunt, quæ circa eamdem hypoſtaticam unionem illiusque extrema perſonam nempe aſſumentem & naturam aſſumptam hinc inde, ſalva tamen ubique fide, diſputant Theologi noſtri. Et quia, ut jam alibi paſſim ultrò declaravimus, his Scholæ tricis minùs delectamur, hinc rem totam ea, qua poterimus brevitate unicô hoc §. ſingulis titulis conficiemus.

230 ## I.

Quid ſit unio hypoſtatica, & in quo conſiſtat (b).

Quamquam ex Veteribus quamplures in Incarnationis myſterio exponendo promiſcuè vocibus *unionis*, *unitionis*, & *aſſumptionis* utantur, nihilominus in rigore Scholaſtico nonnihil diſcriminis inter eas ſtatui debet: *unitio* quippe actionem denotat unientis; *unio* verò terminum actionis; *aſſumptio* autem naturam, quæ ad unionem aſſumitur. Unde Verbum divinum rectè quidem dicitur unitum, non verò aſſumptum, quia propriè ac ſtrictè non aſſumitur à natura humana, ſed potiùs illam aſſumit tanquam inferiorem.

Unanimi quidem conſenſu Orthodoxi omnes docent naturam humanam unione intima, reali, phyſica, & hypoſtatica cum Verbo conjungi; at diſſentiunt inter ſe Scholæ Doctores in aſſignanda hujus unionis natura, quæ certè tota in abſtruſo ac recondito myſterio poſita eſt, nec ſatis poteſt explicari: neque verò id mirum videri debet, ſiquidem ne ipſa quidem unio naturalis animæ ſpiritualis cum corpore materiali hactenùs liquidò exponi & explicari potuerit.

Varias, ùt dictum, in partes hîc ſcinduntur Scholaſtici. Alii exiſtimant, unionem hypoſtaticam eſſe qualitatem quamdam ſupernaturalem abſolutam, quam vocant *gratiam unionis*; putant enim duas illas tam diverſas & à ſe invicem diſtinctas naturas copulari ſimul in una perſona non poſſe, quàm per qualitatem quamdam abſolutam. Ita Gabriel, in 1. diſt. 30. q. 4. art. 1. & in 3. diſt. 1. q. 1. art. 1.

Alii putant, unionem eſſe relationem realem, qua humana natura vel ad naturam divinam, vel ad divinam perſonam refertur. Tribuitur hæc opinio Scoto, in 3. diſt. 1. q. 1.

Arbitrantur alii, unionem hypoſtaticam eſſe ipſammet actionem, per quam humanitas Chriſti producta fuit, ita ut eadem actione & producta fuerit & Verbo unita; eo ipſo ferè modo quo, in mente Peripateticorum, forma ſimul è materia educitur, & cum ipſa unitur.

Alii denique ſentiunt, unionem nihil eſſe extremis unitis ſuperadditum, adeoque naturam humanam ſeipſa, abſque ulla qualitate vel modo Verbo divino in unitatem perſonæ conjungi, quæ ſententia cæteris clarior & facilior videtur. Verùm tota

(b) Unio generatim eſt nexus extremorum quæ in eo unum ſunt, in quo uniuntur. Unio ergo hypoſtatica ſeu perſonalis eſt nexus utriusque naturæ, divinæ & humanæ, in una Verbi perſona, quæ proinde ſunt unus Chriſtus.

ta hæc quæſtio videtur eſſe de nomine duntaxat, proinde de ea non curandum nobis.

231 Magis nobis placeret, ſi quis nobis explicaret, quid ſit humanitatem in Verbo ſubſiſtere, & quomodo id concipi poſſit.

Verùm clarè & nitidè id à nemine mortalium exponi poſſe arbitramur, cùm ſit fidei myſterium humanæ rationi prorsùs inacceſſum. *Hic ſi ratio quæritur*, ait S. Auguſtinus (*i*), *non erit mirabile: ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare. Demus Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe. In talibus rebus tota ratio facti eſt potentia facientis.*

Putant tamen aliqui iſtud utrumque exponi ac declarari poſſe exemplô unionis animæ cum corpore. Sicut enim 1mo ex unione illa reſultat una natura totalis per ſe ſubſiſtens ultimò completa & terminata, & idcircò alteri tanquam ſuppoſito incommunicabilis. 2do. Sicut ex illa unione reſultat unum ſuppoſitum, quod talis homo dicitur, atque unum eſt principium & ſubjectum denominationis omnium actionum & paſſionum. 3tio. Denique, ſicut anima rationalis in homine eſt principium ſuperius dirigens ac moderans omnes ejus actiones: Ita quoque per ſubſiſtentiam Verbi humanitas ſubſiſtere dicitur, 1mo. Quia ex unione Verbi cum humanitate reſultat, non quidem una totalis natura (qua ex parte deficit exemplum animæ & corporis) ſed unum totum duplici conſtans naturâ, nempe unus Chriſtus, cujus humana natura ita eſt ultimò completa & terminata ac in Verbo ſubſiſtens, ipſique tam propria & intima, ut non poſſit alteri homini tanquam ſuppoſito communicari. 2do. Ex illa utriusque naturæ in Chriſto unione, una exurgit perſona, quæ eſt principium *quod*, & ſubjectum denominationis omnium Chriſti actionum & paſſionum; hincque naſcitur idiomatum communicatio, de qua mox agemus, qua fit, ut Deus dicatur homo, & viciſſim homo Deus; ut Deus dicatur mortuus, & homo immortalis, &c. 3tio. Denique, quia natura divina tanquam ſuperior ac Domina conjunctam ſibi humanitatem in uno Chriſti ſuppoſito regit, moderatur, ac ſpecialem in eam dominatum exercet: atque inde, velut à fonte, fluit valor ille infinitus, qui univerſas Chriſti actiones afficit, tùm propter Verbi perſonam, quæ eſt illarum actionum principium *quod*, & veluti pars eſt ſatisfactionis Deo Patri oblatæ, ut ſuô locô dicemus; tùm propter divinam naturam, quæ illarum actionum moderatrix eſt, unde vocantur *Theandrica*, id eſt, *Deiviriles*. Jus illud ac dominium ſpeciale Verbi in humanitatem Chriſti, vulgò adducunt SS. Patres, tanquam veram à priori cauſam & rationem, cur una duntaxat ſit in Chriſto perſona. Ita SS. Gregorius Nazianzenus Orat. 55. ſeu 3. de Theologia. Auguſtinus, Epiſt. 137. aliàs 3. ad Voluſ. Cyrillus Alexand. Epiſt. ad Valerian. & 1. ad Succeſſum, & lib. de recta fide. S. Maximus Martyr apud Euthymium in Panoplia. Damaſcenus, lib. 3. de Fide Orthodoxa. &c.

II.

An unio hypoſtatica ſit aliquid creatum. 232

Qui exiſtimant, unionem hypoſtaticam eſſe vel qualitatem, vel modum ab extremis unitis diſtinctum, conſequenter aſſerunt, unionem illam eſſe aliquid creatum. Qui pariter eam non diſtinguunt ab

(*i*) *Epiſt.* 137. *aliàs* 3. *ad Voluſianum.*

Digitized by Google

ab unitione, aſſumptione, incarnatione, id eſt ab actione, qua humanitas cum Verbo intimè copulatur, conſequenter aſſerunt, eam ratione termini in humanitate recepti eſſe quid creatum, quia actio illa Dei humanitatem cum Verbo unientis externa eſt, ac tranſiens, cujus terminus ſequitur conditionem ſubjecti, in quo recipitur: ex vulgari enim Scholæ axiomate, *Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur.*

Qui verò putant unionem nihil eſſe ab extremis diſtinctum, illi conſequenter volunt, illam partim increatam, partim creatam eſſe, pro ratione & natura extremorum, quæ uniuntur, nempe Verbi æterni & increati, & humanitatis creatæ: ubi vides propoſitæ quæſtionis ſolutionem in æquivoco eſſe, ac pendere ex varia ſententia circa naturam unionis.

III.

233 *An unio hypoſtatica ſit in Chriſto naturalis & ſubſtantialis.*

Quatenus naturale & ſubſtantiale opponitur ficto & umbratili, atque quidpiam verum ac reale eſt, hoc ſenſu unio hypoſtatica naturalis eſt ac ſubſtantialis, quia vera eſt & realis, non fictitia & imaginaria. Item quatenus naturale & ſubſtantiale idem eſt ac quod à nativitate inditum eſt, non labore nec arte comparatum; hoc modô etiam unio hypoſtatica naturalis eſt, quia humanitas à primo, quo concepta eſt, inſtanti, Verbo perſonaliter conjuncta fuit. Denique naturale contra perſonam aliquando diſtinguitur; unde duplex dicitur in Chriſto natura, & una perſona: atque hoc ſenſu hypoſtatica unio naturalis dici poteſt, quia natura, non verò perſona hominis à Verbo aſſumpta fuit. Non eſt tamen naturalis perverſo Apollinaris aut Eutychis ſenſu, quaſi ex duabus naturis poſt unionem una conflata fuerit.

IV.

Utrum unio hypoſtatica facta ſit in natura, vel in perſona. 234

Eutyches ſic in natura unionem factam eſſe contendebat, ut poſt Incarnationem, ſeu unitionem una tantùm ſuperfuerit in Chriſto natura, quem errorem §. 6to confutavimus.

Communis Orthodoxorum ſententia eſt, unionem in Chriſto non in natura, ſed in perſona propriè ac immediatè factam eſſe. 1mo. Quia unio in eo propriè ac immediatè facta dici debet, ex quo unus reſultat Chriſtus. Atqui unus reſultat Chriſtus ex unione humanæ naturæ cum una Verbi perſona, non cum una natura; aliàs ex duabus naturis ſimul unitis una compoſita coaluiſſet, qui fuit error Eutychis. 2do. Quia ſi unio immediatè facta fuiſſet in natura divina, Pater & Spiritus ſanctus non minùs dicendi forent incarnati, quàm Filius, cùm natura divina una & eadem numerô ſit in tribus divinis perſonis.

V.

Utrum unio hypoſtatica ſit omnium unionum maxima. 235

Dignitas & magnitudo unionis hypoſtaticæ ſpectari poteſt, vel ex parte extremorum, quæ conjunguntur, vel ex parte illius, in quo conjunguntur. Atqui ex utraque parte unio hypoſtatica eſt omnium maxima. 1mo. Ex parte extremorum realiter diſtinctorum, naturæ ſcilicet divinæ, & naturæ humanæ. Eò enim major æſtimari debet unio extremorum, quò extrema longiùs à ſe invicem diſtant. Sed Deus & homo infinitô à ſe invicem diſtant intervallô. Ergo unio, per quam duo hæc extrema in unum conveniunt, eſt maxima. 2do. Ex parte illius, in quo duæ conveniunt naturæ,

Digitized by Google

turæ, nempe ex parte perſonæ Verbi, unio pariter maxima eſt. Nihil quippe Verbô ſuperius ac dignius cogitari poteſt: nihil etiam excellentius ac præſtantius eo bono, quod humanitati accedit per ſui cum Verbo perſonalem unionem, qua fit, ut homo naturâ & ſubſtantiâ verus Deus evadat. *Tam evecta eſt natura humana*, inquit S. Auguſtinus (*k*), *ut quo attolleretur altiùs non haberet.*

VI.

236 *Utrum unio hypoſtatica ſit perpetua, conſtans, & indiſſolubilis.*

Marcellus Ancyranus, teſte Euſebio (*l*), docuit, Chriſtum poſt ultimum Judicii diem omni ſuô Mediatoris ac Servatoris officiô perfunctum, corpus & animam ſuam depoſiturum, quibus in nihilum redactis, Regnum, quod ad illud uſque tempus occupaverat, dimittet, ac Patri ſuo reſignabit.

Ariani, teſte S. Gregorio Nazianzeno (*m*), cenſuerunt, divinitatem, accedente morte Chriſti, conterritam fuiſſe ita, ut ab ipſo ante obitum receſſerit.

Certum apud omnes Catholicos fidei dogma eſt, ita conſtanti, indiſſolubilique nexu unitum fuiſſe cum humanitate Verbum, ut eam nunquam deſeruerit, aut deſerturum omninò ſit: unde æterna dicitur in Scripturis Chriſti poteſtas, æternum regnum, æternum quoque Sacerdotium. Daniel. 7. v. 14. *Poteſtas ejus* (Chriſti) *poteſtas æterna, quæ non auferetur; & regnum ejus, quod non corrumpetur.* Luc. 1. v. 33. *Regni ejus non erit finis.* Et Joan. 12. v. 34. *Chriſtus manet in æternum.* Hebr. 13. v. 8. *JEſus Chriſtus heri & hodie, ipſe & in ſæcula.* Et cap. 7. v. 24. dixerat: *Hic autem* (Chriſtus) *eò quòd maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium.* Denique Pſalm. 109. v. 4. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Accedit & definitio fidei in Concilio Chalcedonenſi facta, ubi utraque natura dicitur concurriſſe in eamdem perſonam *indiviſibiliter & inſeparabiliter.* Hæc apud omnes Orthodoxos certa ſunt & explorata.

Verùm inter ipſos lis eſt de triduo 237
mortis Chriſti. Quocircà equidem communis ac certa apud ipſos eſt ſententia contra quoſdam Veteres, ut Tertullianum, lib. contra Praxeam, c. 30. Euſebium, lib. 4. Demonſt. Evang. cap. 13. S. Hilarium, Can. 33. in Matth. S. Epiphanium, Hæreſi 20. & 69. S. Ambroſium, lib. 10. in Lucam, & in Expoſit. Symb. cap. 13. &c. qui hac in parte vel deſerendi ſunt, vel benignè, quod ſatiùs videtur, ſunt interpretandi; Communis, inquam, eſt apud ipſos ſententia, triduô mortis Chriſti Verbum divinum neque à corpore neque ab anima receſſiſſe. (*n*)

Id enim apertè declarat publicum fidei Symbolum, in quo Chriſtus dicitur *mortuus, ſepultus, & ad inferos deſcendiſſe.* Jacuit ergo in ſepulchro Chriſtus, quantùm ad corpus, & anima ejus ad inferos deſcendit: qui autem Chriſtum dicit, divinitatem dicit cum humanitate, aut totâ ſimul, aut cum ejus partibus conjunctam. Utrumque autem iſtud Symboli caput, & ſepultum eſſe Chriſtum, & ad inferos deſcendiſſe, expreſsè docet S. Petrus, 1. Epiſt. cap. 3. v. 18. & 19. *Chriſtus*, inquit, *ſemel pro peccatis mortuus eſt . . . . mortificatus quidem carne,*

(*k*) *Lib. de prædeſt. SS. c. 15.* (*l*) *Lib. 3. de Eccleſ. Theol. c. 9.* (*m*) *Orat. 36.*

(*n*) Patres qui contrarium tueri videntur, ſunt interpretandi de ſeparatione divinitatis ab humanitate ipſo mortis Chriſti tempore, quoad ſingularem divinæ protectionis influxum; ſiquidem permiſit Deus, Chriſtum turpiſſimæ & acerbiſſimæ morti addictum fuiſſe.

Digitized by Google

carne, vivificatus autem ſpiritu: in quo & his, qui in carcere erant, ſpiritibus vivens prædicavit. Et Pſal. 15. v. 10. ut & Act. 2. v. 27. *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Iſta autem Corporis Chriſti incorruptio non aliundè eſſe poteſt, quàm ex inſita ipſi ac permanente divinitate.

Id etiam apertis verbis declarant SS. Patres. Athanaſius, lib. de ſalutari adventu Chriſti. Gregorius Nyſſenus, lib. 1. contra Eunom. Auguſtinus, lib. contra Felicianum, cap. 14. ſive Vigilius Tapſenſis, cui liber iſte adſcribitur à noſtris Benedictinis Congregationis S. Mauri in Gallia. Et Tract. 67. in Joan. Item Ep. 187. aliàs 57. ad Dardanum. Leo Serm. 17. de Paſſione Domini. Et Serm. 8. de Nat. Domini. Fulgentius, lib. 3. ad Traſim. cap. 16. Damaſcenus, lib. 3. de Fide Orthod. cap. 27. à quo prodiiſſe illud, quod omnes Scholas pervaſit, effatum perhibetur, nempe, *Quod ſemel Verbum aſſumpſit, nunquam dimiſit.*

Accedit & Clemens Papa VI. in Extravagante *Unigenitus, de pœnitentiis & remiſſionibus.* Ubi de fuſo in ara crucis Chriſti ſanguine ſic loquitur: *In ara crucis innocens immolatus, non guttam ſanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis ſufficiebat, ſed velut quoddam profluvium noſcitur effudiſſe.* Supponit S. Pontifex, tanquam rem certam, Chriſti ſanguinem, qui in ara crucis effuſus eſt, cum Verbo unitum fuiſſe, unde fluxit valor illius infinitus ad redemptionem noſtram plus quam ſufficiens.

At verò inter ipſos quæſtio eſt de 238
Sanguine Chriſti paſſionis ac mortis ejus tempore effuſo & à Corpore ſejuncto, num videlicet in eo ſtatu ſibi hypoſtaticè unitam divinitatem habuerit, necne? (*o*)

Annô 1462. ſedente Pio II. Papa, gravis eą de re orta eſt contentio Dominicanos inter & Franciſcanos: negabant iſti, triduô mortis effuſum Chriſti ſanguinem divinitati unitum permanſiſſe; illi verò pugnaciter affirmabant. Per tres dies, ipſo præſente ſummo Pontifice, magno animorum æſtu hinc & indè agitata fuit hæc quæſtio. Nihil à Pontifice tunc pronuntiatum; ſed bienniô pôſt, Calendis Auguſti, die ante obitum ſuum 1510. Conſtitutione edita, ſub pœna excommunicationis litigantibus ſilentium impoſuit, injuncta lege, ne aliqua erroris, aut alterius cujuslibet cenſuræ nota ſe ſe mutuò ob eam rem configerent, donec à S. Sede res ea concluſa & definita fuiſſet: ſed hactenùs nihil ab ea definitum fuit, verùm adhuc ſub Judice lis eſt. Indè etiamnum in duas partes ſcinduntur Theologi noſtri, quarum una negat, affirmat verò altera; juvat hîc utriusque partis momenta ſtrictim referre.

Negans his momentis ducitur. 1mo. 239
Quia effuſus ſanguis mutatur ac corrumpitur; non ergo in eo intimè unita divinitas reſidet. Act. enim 2. v. 27. dicitur: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* 2do. Naturæ humanæ partes propter totum aſſumuntur: ſed triduô

(*o*) Non eſt hic controverſia, de illis ſanguinis particulis, quæ in aliquibus Eccleſiis aſſervari dicuntur. Nec opus arbitramur, hujusmodi particulas ad ſeverioris criticæ regulas expendere, vel fideles ab illa pia credulitate, & ſancto in Sanguinem Chriſti affectu vel tantillum dimovere. Sufficiat hic obſervaſſe, Theologos, qui pretioſas illas ſanguinis Chriſti reliquias ut veras admittunt, fateri, eas hypoſtaticè cum Verbo unitas jam non eſſe: communis ferè ſententia eſt, totum, qui è Corpore Chriſti tempore cruentæ mortis ipſius effluxit ſanguis, à Chriſto redivivo aſſumptum rursùs fuiſſe. Unde dictæ particulæ, quæ in quibusdam Eccleſiis aſſervari dicuntur, veſtigia potiùs guttarum ſanguinis Chriſti ſunt, quàm veræ illius guttæ.

triduô mortis totum illud, quod Chriſtus eſt, integrum non permanſit, nec Chriſtus verus homo fuit, propter ſeparationem animæ à corpore. 3tio. Unio hypoſtatica ab ea ſanguinis parte, etiam vivente Chriſto, recedebat, quæ calore naturali continuò reſolvebatur: quantò magis à ſanguine effuſo & ſeparato recedere debuit? 4to. Aqua illa mixta ſanguine, quæ de latere Chriſti fluxit, haud dubiè hypoſtaticam cum Verbo unionem non retinuit; quare autem eam ſanguis retinuiſſet? 5to. Unio hypoſtatica non remanſit cum præputio Chriſti. Ergo nec cum effuſo ſanguine. 6to. Communis opinio eſt, Verbum anima mediante carnem & ſanguinem aſſumpſiſſe: Sed triduô mortis anima ſeparata fuit à corpore. Ergo ea mediante non potuit ſanguis effuſus cum Verbo conjungi. 7mo. Cùm tot numerô fuerint guttæ ſanguinis Chriſti tempore Paſſionis diſperſæ, veriſimile non eſt in illis ſingulis perſeveraſſe hypoſtaticam unionem, quæ pro numero illarum guttarum ſanguinis creſcere ac multiplicari pariter debuiſſet. 8vo. Ex unione hypoſtatica Verbi cum humanitate ſequitur idiomatum communicatio, unde dicitur Deus natus, paſſus, mortuus, &c. Atqui dici ſimiliter non poteſt Deus *effuſus*: id tamen dici deberet, ſi in effuſo ſanguine unita perſeveraſſet divinitas. 9no. Commune iſtud effatum: *Quod Verbum ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit*, exponi debet de partibus eſſentialibus, vel integrantibus: aliàs dicendum foret, etiam cum humoribus, pilis, unguibus, &c. Verbum hypoſtaticè conjunctum fuiſſe. 10mo. Denique SS. Patres à nobis ſuprà citati, præſertim Damaſcenus, de corpore & anima duntaxat loquuntur, non de effuſo ſanguine, de quo ne verbum quidem.

240 Affirmans verò ſententia his momentis nititur. 1mo. Quia frequenter teſtatur Scriptura, nos pretioſo Chriſti ſanguine redemptos fuiſſe. Atqui hæc virtus & efficacia hujus Chriſti ſanguinis nonniſi ex unione ipſius cum Verbo provenire poteſt. 2do. SS. Patres à nobis ſupra citati de ſanguine non minùs, quàm de corpore & anima ſunt intelligendi. (p) 3tio. Sanguis Chriſti ab omni corruptione immunis fuit. Vera enim ſimpliciter eſt iſta propoſito, *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* 4to. Multi è SS. Patribus ſanguinem, qui ex aperto Chriſti latere fluxit, ſalutarem ac vivificum appellant. Ergo cum divinitate conjunctum ſupponunt. 5to. Si triduô mortis Apoſtolorum aliquis Sacra peregiſſet, utique vi verborum verus ſanguis Chriſti præſens factus fuiſſet, quamquam ab anima tunc ſejunctus, cultu latriæ adorandus. At cultus ille ſoli divinitati debetur. Ergo neceſſe eſt ſupponere, ſanguinem illum à divinitate tunc ſeparatum ac ſejunctum non fuiſſe. 6to. Gratis omninò ac ſine ullo fundamento commune effatum è S. Damaſceno derivatum, *Quod ſemel Verbum &c.* ſupponitur de anima duntaxat & corpore debere intelligi excluſo ſanguine: in corpore quippè vivente ſanguis tum nutritionis, tum vitæ pars eſt non ignobilis, imò prorsùs neceſſaria. 7mo. Huic ſententiæ apertè favent Pius II. Clemens VI. Paulus II. quamquam nihil eam in rem Pontificia auctoritate ſtatuerint. 8vo. Denique; Quamvis Deus *effuſus* non dicatur, ſicut dicitur ſanguis effuſus; non tamen inde ſequitur, Deum cum effuſo ſanguine conjunctum non fuiſſe, nec in Chriſto locum habere idiomatum communicationem: ſed hoc unum, quòd ſcilicet, cùm

(p) De tota & integra Chriſti carne toto & integro corpore loquuntur, cui divinitatem unitam permanſiſſe declarant.

iſta idiomatum communicatio cadat in totum ſuppoſitum, nec ab aliqua duntaxat parte, ſed à tota & integra humana natura ſumatur, ſanguis autem ſit tantùm pars corporis humani non totum corpus, multò minùs tota humana natura; conſequenter Deus *effuſus* aptè non diceretur, licèt rectè dicatur ſanguis effuſus.

VII.

241 *An Chriſtus dici poſſit compoſitus.*

Tota in æquivoco ac nominis expoſitione poſita eſt iſta quæſtio. Duplex diſtinguitur compoſitio, una quæ fit ex partibus propriè dictis incompletis, mutuam ad ſe ſe invicem habitudinem dicentibus ad totum aliquod efficiendum; quarum una ſe habet per modum actûs, altera verò per modum potentiæ: hoc modò homo componitur ex anima & corpore, tanquam materiâ & formâ. (*q*) Ex hujusmodi partibus compoſitus non eſt Chriſtus, tùm quia quælibet natura in Chriſto completa eſt ac perfecta, non pars propriè dicta & incompleta, quæ cum alia totum aliquod efficiat: *Non duæ una fiunt eſſentia* in Chriſto, ait S. Athanaſius. (*r*) Tùm quia natura utraque etiam poſt unionem inconfuſa & impermixta remanet. Quòd ſi è Veteribus nonnulli aliquando dixerint, divinitatem & humanitatem eſſe *partes* Chriſti; partium nomen impropriè uſurpant, quatenus ſcilicet in unum & idem ſuppoſitum confluunt naturæ ambæ, divina & humana.

Altera verò compoſitio fit, quoties eſt diſtinctorum unio (*s*); & vulgò dicitur compoſitio per modum numeri; numerus enim importat multitudinem unitatum. Nihil proinde officere videtur, quin Chriſtus hoc modo compoſitus dicatur. Neque enim Veteres, ubi ipſis de Chriſto ſermo fuit, compoſitionis nomen refugerunt, ut Concilii V. Oecumenici Patres, Collat. 8. Anathematiſmô 4. S. Cyrillus, lib. de recta Fide ad Theodoſium, qui laudatur Act. 1. Concilii Epheſini. S. Maximus, Tract. contra unam naturam. Sophronius, Epiſt. ad Sergium. S. Damaſcenus, lib. 3. de Fide Orthod. & alii benè multi, qui datâ operâ compoſitum Chriſtum dicunt, ut adverſùs Eutychianos oſtendant, duas eſſe in Chriſto inconfuſas & impermixtas naturas. Ratio ſuffragatur; quia ad compoſitionem ſufficit diſtinctorum unio. Atqui ſunt in Chriſto duæ naturæ diſtinctæ in una Verbi perſona. Ergo, &c.

VIII.

An ſubſiſtentia ſit aliquid à ſubſtantia ſeu natura diſtinctum. 242

Quid nomine ſubſiſtentiæ intelligatur tùm in Metaphyſica noſtra, part. 1. c. 3. tùm ſupra Tract. de Deo &c. part. 2. c. 4. §. 1. ſufficienter expoſuimus.

Cùm verò in myſterio Incarnationis ſubſtantia ſeu natura humana propriâ careat ſubſiſtentiâ, atque per Verbi divini ſubſiſtentiam duntaxat ſubſiſtat: quærunt igitur hìc Theologi, qua ratione ſubſiſtentia à natura diſtinguatur. Sunt, qui velint, ſubſiſtentiam nihil aliud eſſe, quàm ſubſtantialem rei exiſtentiam. At obeſt 1mo. Quia in Deo tres ſunt ſubſiſtentiæ, unica verò ſubſtantialis exiſtentia. 2do. In Chriſto humanitas propriam habet exiſtentiam, non autem propriam ſubſiſtentiam. 3tio. Alia eſt ratio exiſtentiæ & alia ſubſiſtentiæ: per exiſten-tiam

(*q*) Nuncupatur compoſitio *ex his.* (*r*) *Apud Eutymium in Panoplia part. 2. tit. 15.*
(*s*) Dicitur compoſitio *cum his.*

Digitized by Google

tiam res eſt extra nihil, per ſubſiſtentiam verò in ſe ac per ſe ſubſiſtit. Alii volunt ſubſiſtentiam conſiſtere in negatione unionis ſubſtantialis cum alio Ente perfectiore, à quo ſubſtantialiter perficiatur & compleatur; unde cùm natura humana in Chriſto Verbo divino uniatur in ipſius perſona atque ab ipſo perficiatur, ceſſat in eadem natura humana hæc unionis negatio, adeoque propriâ caret ſubſiſtentiâ. Verùm obeſſe videtur, quòd ſubſiſtentia ſit quid poſitivum, cùm ſit ultimum naturæ complementum. Alii contendunt, ſubſiſtentiam eſſe modalem entitatem, à ſubſtantia realiter modaliter diſtinctam. Sed huic opinioni officit 1mo. Quia natura humana in Chriſto eſt perfecta, nec ulla caret entitate naturali; Chriſtus etenim perfectè nobis ſimilis fuit, exceptô peccatô. 2do. Entitas illa naturæ ſupperaddita inutilis ac ſuperflua videtur, quia ſine illa exponi poteſt, quòmodò natura per ſe ſubſiſtat. 3tio. Subſiſtentia eſt naturæ totalitas: ſed totalitas illa non eſt entitàs ſuperaddita. Alii denique aſſerunt, ſubſiſtentiam eſſe ipſammet naturam, prout ſui Juris eſt, non alieni, adeoque nonniſi virtualiter tantùm à ſubſtantia diſtinctam eſſe. Hanc ſententiam amplexi ſumus in noſtra Metaphyſica part. 1. cap. 3. Ratio eſt 1mo. Quia ſubſiſtentia eſt naturæ incommunicabilitas alteri tanquam ſuppoſito. Sed illa incommunicabilitas eſt ipſamet natura ultimò completa & per ſe terminata. Sicut enim ſubſtantia per ſe, nullo ſuperaddito, incommunicabilis eſt alteri tanquam ſubjecto inhæſionis, & alteri tanquam comparti, quia ſubſtantia, quando completa eſt, ex ſe apta non eſt inhærere alteri, & tanquam compars uniri; ita quoque per ſe ipſam ſingularis eſt, & incommunicabilis alteri tanquam ſuppoſito. 2do. Cùm ſubſtantia alteri nobiliori non unitur, nec alterius ſed ſui juris eſt, tunc per ſe, nullo ſuperaddito, ſubſiſtere cenſetur. Ergo humanltas Chriſti ideo per ſe non ſubſiſtit ſuâ propriâ ſubſiſtentiâ ſeu perſonalitate, quia non ſui ſed alieni juris eſt. 3tio. Nihil omninò deeſt naturæ humanæ in Chriſto, nec quidquam impedit, quominùs ſit perſona, niſi quòd hypoſtaticè Verbo divino ſit unita: unde ſi ab eo dimitteretur, ſtatim, ſine ulllus entitatis additione, rationem perſonæ eſſet habitura: ſicut brachium à corpore abſciſſum ſine ullius entitatis adjectione fit totum & ſuppoſitum aliquod; è contrà aquæ gutta in Oceanum immiſſa, abſque ulla entitatis ſuæ jactura deſinit eſſe totum, & Oceani pars evadit.

Videtur ergo, quòd ſubſiſtentia virtualiter tantùm à ſubſtantia diſtinguatur, quatenus ſcilicet hæc ſine illa concipi & aliam nobiliorem connotare, & ſic connotando deſinere eſſe ſui juris, exemplô digiti inflexi, qui quamvis ſine inflexione eſſe poſſit, tamen realiter entitativè ab ea non diſtinguitur, ſed tantùm connotativè, prout ſcilicet digitus inflexus tali, & non alii, ſitui reſpondet.

IX.

An plures divinæ perſonæ poſſint eamdem aſſumere humanitatem aut plures: vel una perſona pluribus uniri. 243

Paucis hanc Scholæ hypotheſim expedimus, hæc omnia ſcilicet nobis non videntur impoſſibilia. Quia nulla videtur eſſe repugnantia, aut ex parte divinarum perſonarum aſſumentium, aut ex parte naturæ creatæ aſſumptæ. Non ex parte divinarum perſonarum, quæ infinitam habent ad terminandum virtutem: & reipſa in Myſterio SS. Trinitatis tres divinæ perſonæ eamdem numerô divinam terminant eſſentiam. Non ex parte naturæ aſſumptæ: illa enim licèt ex ſe

nonniſi

Digitized by Google

nonniſi unam eamque ordinis naturalis ſubſiſtentiam exigat, nihil tamen obſtare videtur, quo minùs reipſa plures actu habeat ſubſiſtentias ſupernaturales; non quòd eas exigat, ſed quòd ex potentia obedientiali eas recipiat.

X.

244 *An congruum magis ac conſentaneum fuerit, Verbum incarnari, quàm Patrem aut Spiritum ſanctum.*

Solum Verbum incarnatum fuiſſe, Fides nos docet: id igitur omnis rationis & argumenti loco eſſe debet; magis congruum ac conſentaneum fuiſſe illud incarnari, quàm Patrem, aut Spiritum ſanctum. Variæ tamen hujus rei cauſæ ac rationes à SS. Patribus afferuntur. 1ma. Ne appellatio Filii ad aliam tranſiret perſonam, & quædam in SS. Trinitatem redundaret indecora confuſio, ſi duo Filii dicti fuiſſent, unus æternus & increatus, alter temporalis in tempore productus. (*t*) 2da. Cùm per Verbum omnia facta ſint, atque ipſi per quamdam appropriationem rerum creatio tribuatur, conſentaneum fuit hominem per Verbum reformari ac reparari, à quo conditus fuerat. (*u*) *Decebat eum*, inquit Apoſtolus, Heb. 2. v. 10. *propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare.* 3tia. Verbum Dei ſapientia eſt, ratio ſubſiſtens ac perſonalis. Ergo congruum ac conſentaneum fuit, hominem, qui ſapientiâ Dei formatus fuerat, ac in tantam ſubinde dementiam lapſus eſt, ut ſimilis factus ſit *jumentis inſipientibus*, ſtæ primævæ rationi ac ſapientiæ per Verbum Dei reſtitui. 4ta. Homo ad imaginem Dei factus eſt, quam peccatô miſerè deformavit. Ergo conſentaneum fuit, priora illa imaginis deformatæ lineamenta reparari ab eo, qui naturâ ſuâ eſt imago Dei inviſibilis, ac character ſubſtantiæ ejus.

XI.

An Verbum divinum humanitatem per ſe ſubſiſtentem, ſeu perſonam hominis aſſumere potuerit. 245

Verbum divinum hominis perſonam non aſſumpſiſſe, ſupra §. 5to contra Neſtorium oſtendimus. Quærunt hîc ergo Theologi num ſaltem eam aſſumere non potuerit? Nos id impoſſibile fuiſſe aſſerimus. 1mo. Quia implicat in terminis, naturam per ſe ſubſiſtentem, ſeu perſonam hypoſtaticè cum altera perſona conjungi. Nam hypoſtaticè uniri cum alio non eſt aliud, quàm naturam in alio ſubſiſtere, per alium compleri, & ultimò terminari in ratione ſuppoſiti. At perſona ex ſe ſe ſubſiſtit, completur, & ultimò terminatur; eſt quippe ſubſiſtentia ſeu perſonalitas naturæ ultimum complementum, reddens eam alteri tanquam ſuppoſito incommunicabilem. 2do. Quod ex duabus naturis completis ac unitis reſultaret, non eſſet totum per ſe, ſed totum per accidens. Atqui implicat Verbum divinum ſummè ac infinitè perfectum, fieri totum per accidens. 3tio. Non alio fundamento SS. Patres Neſtorium refutârunt, quàm quòd unio duarum perſonarum nunquam phyſica eſſe poſſit ac hypoſtatica, ſed moralis duntaxat & accidentalis; unde conſequens erat, Chriſtum naturâ & ſubſtantiâ Deum non eſſe ſed ſolùm per gratiam, adoptionem, & poteſtatem à Deo acceptam, quod tamen falſum eſt.

Hæcque

(*t*) *Gennadius, de dogmat. Eccleſ. cap. 2.*
(*u*) *S. Leo, Serm. 12. de Paſſione Domini.*

Hæcque ſententia Veterum fuit. Ruſticus Diaconus in diſputatione contra Acephalos: *Ex præexiſtentibus*, inquit, *per ſe perſonis unitio ſecundùm ſubſtantiam fieri nequit* (x). S. Maximus Martyr, in Opuſculo de S. Cyrilli ſententia, negat ex duabus hypoſtaſibus ſeparatis quid unum poſſe confici. Boëtius, lib. de duabus naturis & una Chriſti perſona ante medium, *Omnino*, ait, *ex duabus perſonis nihil unquam fieri poteſt. Unum igitur eſſe dicimus Chriſtum: quod ſi ita eſt, unam quoque ſine dubitatione perſonam eſſe neceſſe eſt; nam ſi duæ perſonæ eſſent, unus eſſe non poſſet.*

246 XII.

An Verbum divinum aſſumpſerit naturam univerſalem ab omnibus individuis abſtractam, an ſingularem.

Præſenti quæſtioni locum dediſſe videntur ex Veteribus nonnulli, qui nonnunquam aſſerunt Verbum aſſumpſiſſe naturam communem. Ita Marius Victorinus, lib. 3. contra Arium. S. Damaſcenus, lib. 3. de fid. orth. c. 6. Verùm naturam duntaxat ſingularem à Verbo fuiſſe aſſumptam hæc ratio invictè demonſtrat: Quia ſcilicet Verbum aſſumpſit aliquid reale ac poſitivum. Atqui natura univerſalis ab omnibus individuis abſtracta, nonniſi per mentem abſtrahentem ſubſiſtit: Sola quippe natura ſingularis & individua quid reale ac poſitivum eſt. Ergo hanc aſſumpſit Verbum. Et verò Chriſtus eſt hic homo, non omnis homo. Ergo naturam ſingularem aſſumpſit, non univerſalem.

Veteres ergò, qui nonnunquam aſſerunt, Verbum aſſumpſiſſe naturam communem, loquuntur de communitate phyſica, quia Verbum aſſumpſit naturam noſtræ prorsùs ſimilem ac conſubſtantialem; non de communitate univerſalitatis Logicæ, quæ merus eſt mentis foetus. Vel intelligendi ſunt de aſſumptione morali, quia omnes homines unum quid ſunt in Chriſto, veluti membra in ſuo capite, à quo ſpiritum vitæ ſpiritualis percipiunt.

XIII. 247

Utrum Angelica natura, vel etiam irrationalis potuerit à Verbo aſſumi.

Naturam Angelicam perinde ac humanam à Verbo aſſumptam fuiſſe, nonnulli, de quibus Tertullianus, lib. de carne Chriſti, exiſtimâſſe videntur. Origenes, teſte S. Hieronymo, Ep. ad Avitum, cenſuit Chriſtum etiam in aëre, & in ſupernis locis aliquando paſſurum pro Dæmonum ſalute. Quibus figmentis apertè contradicit Apoſtolus, Heb. 2. v. 16. *Nuſquam*, inquit, *Angelos apprehendit ſed ſemen Abrahæ apprehendit.*

Equidem certum eſt, Verbum divinum, ſi voluiſſet, potuiſſe ſibi naturam Angelicam in unitatem ſuppoſiti conjungere; non enim magis repugnat Angelicam naturam à Verbo aſſumi, quàm humanam; imò major, ſi dicere fas eſt, videtur eſſe repugnantia ex parte humanæ, quàm Angelicæ naturæ. Cum verò eam non aſſumpſerit, cùm id à libera Dei voluntate pependerit, non certò, ſed ex conjecturis duntaxat definiri poteſt, quarum 1ma. hæc eſſe poteſt; Quia gravior fuit Angelorum culpa, quàm hominum. Eò quippe gravior culpa eſt, quò perfectior natura (y). 2da. Quia licèt & An-

(x) *Bibl. PP. tom.* 10. (y) *S. Aug. Tract.* 110. *in Joan.*

Angelus & homo ſuperbiâ lapſus fuerit, ſuperbiæ Angelorum acceſſit invidia: Angeli non tantùm inobedientiæ rei fuêre, ſed & ſuaſores, homines ad peccandum impellendo. *Serpens*, id eſt Dæmon ſub ſpecie ſerpentis, *decepit me*, inquiebat Eva, Geneſ. 3. v. 13 (z). 3tia. Cùm homo ſit Angelô longè magis verſatilis ac mutabilis, eò etiam reparationis magis capax fuit: Angeli enim in propoſito tenaces ſunt & conſtantes, unde à lapſu erecti ac reparati non fuerunt (a). 4ta. Quia non omnes Angeli lapſi ſunt, ſicut in lapſu unius Adami omnes homines incluſi fuêre, in quo omnes peccaverunt (b). 5ta. Quia in Angelica natura non potuiſſet, ſicut in humana, Chriſtus mori (c).

Cæterùm pudet hîc quæſtionem movere, num Verbum naturam irrationalem aſſumere potuiſſet, utpote quæ per ſe ſe abſurda ſit & inſulſa; quaſi brutum animal aſſumi unquam poſſet in unitatem divinæ perſonæ, ac conſequenter Deus naturâ & ſubſtantiâ fieri, ſicut homo Chriſtus Verbo hypoſtaticè conjunctus, Deus eſt, ac dicitur; quaſi proprietates utriusque naturæ, tùm bruti tùm Dei, de una & eadem perſona prædicari unquam poſſent! Verùm hæc omittamus, à quibus refugiunt aures Chriſtianæ.

248 XIV.

An Verbum immediatè carnem aſſumpſerit, an vero anima mediante.

Animas ante corpora creatas eſſe exiſtimavit Origenes, verùm hæc illius de præexiſtentia animarum ſententia ab Eccleſia ſemper fuit rejecta: ſpeciatim verò præexiſtentiam animæ Chriſti damnat Juſtinianus Imperator, Ep. ad Mennam, quam à Vigilio Papa approbatam fuiſſe teſtatur Liberatus. De hoc ipſo errore loquitur S. Damaſcenus, lib. 4. de Fid. orth. c. 6. Et ſanè Verbum divinum nullo temporis inſtanti priùs aſſumpſiſſe animam quàm corpus, ipſa S. Scriptura manifeſtè declarat, Luc. 1. *Quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei.* Non ergo priùs Chriſtus extitit quantùm ad unionem utriusque naturæ, quàm natus ſit ex Maria virgine: humana porrò natura animam includit humanam. Ergo non priùs extitit anima Chriſti, quàm ejus humana natura. Hoc ipſum evincunt verba hæc planè decretoria Joan. 1. *Verbum caro factum eſt. Ubi enim*, ait S. Auguſtinus, *hoc factum eſt? niſi in utero virginali, ubi fuit initium hominis Chriſti.*

Adſtipulantur reliqui SS. Patres. Athanaſius, lib. 1. de Incarn. contra Apollinarium, n. 4. Cyrillus Alexandrinus, Ep. 2. ad Neſtorium. Theodoretus, Dialogô 2. Fulgentius, lib. de fide ad Petrum c. 18. Denique, ut alios plures omittamus, S. Leo, Ep. 25. aliàs 11. *Natura noſtra*, inquit, *non ſic aſſumpta eſt, ut priùs creata, poſt aſſumeretur; ſed ut ipſa aſſumptione crearetur.*

Accedit etiam manifeſta ratio. Anima Chriſti ejusdem planè fuit cum noſtra conditionis. Atqui anima humana non priùs creatur, quàm corpori infundatur, ſed infundendo creatur, & creando infunditur. Hoc unum diſcrimen occurrit, quòd in humana & ordinaria generatione paulatim, & quaſi per gradus materia diſponatur, ac præparetur, organa aptè conformentur; Chriſti corpus verò, operante Spiritu ſancto, ſtatim & præparatum & perfectum fuit.

Ni-

(z) *S. Aug. lib. 3. de lib. arb. c. ult.* (a) *Jobius apud Photium.* (b) *S. Anſelmus, lib. 1. Cur Deus homo, c. 21.* (c) *Idem ibid.*

249 Nihilominùs ex SS. Patrum, ut Gregorii Nazianzeni, Orat. 1. 35. & 51. ſeu Ep. 1. ad Cledonium. S. Ambroſii, Tract. de Trinit. c. 13. Ruffini in Symbolum. Auguſtini, Ep. 137. aliàs 3. ad Voluſ. Item Ep. 140. aliàs 120. c. 4. Gregorii Magni, lib. 18. Moral. c. 20. aliàs 12. Et ante ipſos, Origenis, lib. 2. de principiis c. 6. ſententiâ Verbum divinum carnem aſſumpſit anima mediante: adeoque priùs, prioritate naturæ aut quaſi naturæ, aſſumpta eſt anima, quàm caro. Ratio eſt 1mo. Natura ſpiritualis perfecta & completa, quæ nata non eſt ut ſit alterius pars, non poteſt, cum ſubſtantia corporea ſe ipsâ immediatè conjungi. 2do. Divinitas ex ſe ipſa veritas, ſapientia & ſanctitas eſt. Atqui caro imediatè ac per ſe incapax eſt veritatis, ſapientiæ & ſanctitatis. 3tio. Deus longè faciliùs attingitur operatione quàm ſubſtantiâ. Ergo cùm ſubſtantia materialis ac corporea operatione ſua Deum attrectare non poſſit, eò minùs ſubſtantia eum attingere poteſt. 4to. Subſtantia corporea nonniſi animæ interventu gratiæ & ſanctitatis capax eſt. Ergo nec increatam ac ſubſtantialem divinæ perſonæ gratiam, nonniſi anima mediante, percipere poteſt. 5to. Non corpora, ſed animæ Juſtorum dicuntur, eſſe ſedes ſapientiæ & ſanctitatis. 6to. Vis tota Incarnationis divinæ ſita eſt in altiſſima divinitatis in naturam aſſumptam immeatione. Atqui hæc immeatio divinitatis in carnem vix intelligi poteſt ſine interventu animæ ſpiritualis. Ergo, &c.

Idonea maximè viſa eſt hæc doctrina confutandis tùm Paganis Myſterium hoc irridentibus, tùm Apollinariſtis Chriſtum animâ humanâ ſpoliantibus. Et verò, ſi non potuit divinitas cum humanitate, niſi anima mediante, copulari, omninò neceſſe eſt animam humanam in Chriſto agnoſcere.

Quod verò Paganos ſpectat, iſto imprimis argumento Incarnationem irridebant, quòd fieri non poſſet, ſpiritum ſimpliciſſimum, qualem Deum agnoſcunt & adorant Chriſtiani, intimè uniri cum craſſo corpore. At reponebant Eccleſiæ Doctores 1mo. animam humanam, quæ ſpiritualis eſt, intimè tamen uniri cum humano corpore. 2do. Deum, nonniſi mediante anima ſpirituali, humano corpori copulatum fuiſſe, ac conſequenter nullam ex illa unione maculam contraxiſſe. Et verò ſi anima hominis ex commercio ſeu ſocietate cum corpore non foedatur nec polluitur, multò minùs Deus ex ſui unione cum anima humana: minor quippe diſproportio eſt, ſaltem ratione naturæ ſpiritualis, inter Deum & animam, quàm inter animam & corpus.

§. IX. 250

De Communicatione idiomatum in Chriſto, an, & qua ſit admittenda.

Idioma nomen græcum latinè redditum idem eſt ac *proprietas.* Eſt igitur idiomatum communicatio, ***mutua & reciproca nominum, attributorum & proprietatum utriusque in Chriſto naturæ prædicatio & communio.***

Hæc idiomatum communicatio dupliciter conſiderari poteſt, vel ſecundùm concretum nempe, vel ſecundùm abſtractum (*d*). Certè admiſſa ſemel duarum in Chriſto naturarum hypoſtatica ſeu perſonali unione, negari ampliùs minimè poteſt idiomatum in concreto & ratione unius Chriſti perſonæ communicatio, qua fit, ut de una eademque Chriſti perſona veriſſimæ ſint iſtæ propoſitiones, *Chriſtus eſt homo, Chriſtus eſt Deus; Homo eſt Deus, Deus eſt homo; Deus na-*

(*d*) Quid ſit concretum, quid abſtractum in Logica noſtra explicavimus, part. 1. c. 6 ubi vide.

tus eſt, paſſus ac mortuus; Homo eſt impaſſibilis ac immortalis. Porrò ſupra §. 5to contra Neſtorium luculenter ex omni probationum genere demonſtravimus, divinæ & humanæ naturarum in Chriſto hypoſtaticam ſeu perſonalem unionem; unde hîc iis, quæ ibidem definivimus, nihil addendum arbitramur niſi certas quasdam regulas, quæ circa communicationem in Chriſto, ſecundùm concretum, idiomatum à Theologis obſervandæ præſcribuntur.

251 *Prima.* Nomina concreta ſubſtantiva, id eſt, quæ naturam ipſam, ſive divinam ſive humanam, earumque proprietates exprimunt, de Chriſto prædicari poſſunt: unde veræ ſunt iſtæ propoſitiones, *Deus eſt homo, Homo eſt Deus; Deus eſt mortalis, Homo eſt immortalis. &c.* Ratio eſt, quia prædicatio vera eſt, quoties ſubjectum & prædicatum veram habent unitatem & identitatem. Atqui concreta, ſubſtantia v. g. divina & humana natura unitatem habent perſonæ in Chriſto, ac intimè uniuntur. Ergo.

Huic tamen regulæ triplex adhibenda eſt cautio & limitatio. 1mo. ut nomina ſubſtantiva ſuppoſitum creatum non inferant: ſic dici non poteſt, *Homo factus eſt Deus*, ſicut meritò dicitur, *Deus factus eſt homo.* Ratio eſt, quia in priori propoſitione, vox *Homo* ſuppoſitum humanum adeoque creatum denotat, ac ſenſus eſt, Humana perſona, id eſt homo factus eſt Deus: in poſteriori verò propoſitione, vox *Deus* ſuppoſitum divinum exprimit, de quo verum dictu eſt, *Deus factus eſt homo*, ſeu *Verbum caro factum eſt.* 2da. cautio eſt, ut nulla fiat reduplicatio. Hujus conditionis defectu falſæ ſunt iſtæ propoſitiones, *Chriſtus quatenus Deus, homo eſt, natus eſt, paſſus, mortuus*: Item, *Chriſtus quatenus homo, Deus eſt, immenſus eſt, impaſſibilis &c.* Ratio eſt, quia particula reduplicativa *quatenus* ipſam naturam afficit, non perſonam, ſenſusque eſſet, *Chriſtus ratione naturæ divinæ homo eſt &c.* pariter, *Chriſtus ratione humanitatis Deus eſt &c.* qui ſenſus falſus eſt & abſurdus. 3tia. limitatio eſt, ut propoſitio, tametſi aliundè vera, errori tamen vel hæreſi favere non videatur: atque ita licèt aliqui Veteres Chriſtum aliquando creatum, vel creaturam appellaverint, non tamen ſimpliciter ac nudè admittenda eſt iſta propoſitio, *Chriſtus eſt creatura*: quia errori Arianorum faveret. Similiter hæc Monachorum Scytharum ſub Hormiſda Papa propoſitio, *Unus de Trinitate paſſus eſt*, etſi in rigore Theologico vera ſit, non tamen ſimpliciter enuntianda eſt, quia ſic Eutychianorum errori favere videretur, ſed cum addito, nempe *Unus de Trinitate paſſus eſt carne*, id eſt, *in natura humana.* Ratio eſt, quia prædicata ſubſtantiva, quæ aliquem naturæ defectum important, ac perſonæ non minùs quàm naturæ poſſunt imputari, ſimpliciter de Chriſto enuntianda non ſunt, ſed facta quadam reſtrictione: aliàs defectus aliquis de perſona Chriſti enuntiaretur, qualis eſt v. g. creaturam appellari, aut filium Dei adoptivum. Dici ergo debet, *Chriſtus ratione humanitatis eſt creatura, &c.* Non ita eſt de prædicatis, quæ propriè ac primariò naturæ conveniunt, perſonæ verò denominativè, quales ſunt propoſitiones iſtæ, *Chriſtus eſt paſſus, mortuus, &c.* Ratio eſt, quia actiones & paſſiones propriè ſunt naturæ, denominativè autem perſonarum ſeu ſuppoſitorum, ſicut alibi jam obſervavimus.

Secunda Regula. Concreta adjectiva ſubſtantialia, quæ ſubſtantiam deſignant, non poſſunt prædicari de Chriſto. Sic non probantur iſtæ propoſitiones, *Chriſtus eſt homo Dominicus; eſt homo Deificatus, eſt homo Deifer, &c.* Ratio eſt, quia tales propoſitiones in ſenſu Neſtorii à SS. Patribus damnatæ fuerunt (quamquam ab aliquibus Veteribus, ſive ante hæreſim Neſtorii, ubi ſecuri loquebantur, & nullus aderat hoſtis; ſive poſt, adjecta 252

Digitized by Google

cta nempe aliqua explicatione, uſurpatæ fuerint) Deinde hujuſmodi concreta adjectiva innuere videntur formam accidentaliter tantùm ſubjecto ſeu ſuppoſito unitam eſſe; unde dictarum propoſitionum ſic ſenſus eſſe videretur, *Chriſtus naturam divinam unione tantum morali & accidentali ſibi copulatam & conjunctam habet;* qui ſenſus eſt Neſtorianus.

253 *Tertia Regula.* Concreta Adjectiva, quæ ſignificant proprietates divinæ, vel humanæ naturæ, poſſunt de Chriſto prædicari. Sic legitimè dicitur: *Chriſtus eſt æternus & temporalis, finitus & infinitus, mortalis, & immortalis.* Ratio eſt, quia prædicata illa denominativè in recto ſignificant ſuppoſitum, quod illorum attributorum ſeu prædicatorum, propter unionem hypoſtaticam utriusque naturæ, unum eſt ſubjectum.

254 Verùm hæc in concreto idiomatum communicatio nullam poſt everſam Neſtorii hæreſim ampliùs patitur difficultatem, ut quæ ab omnibus, qui Chriſtiano utuntur nomine, ultrò admittatur. At quantùm ad communicationem idiomatum in abſtracto controverſia eſt Catholicos Theologos inter & Lutheranos. Catholici tuentur, eam in abſtracto & reſpectu naturæ admitti nullatenus poſſe; at contrà affirmant Lutherani. Hi exiſtimant ſcilicet, aliquas naturæ divinæ proprietates in humanam naturam verè transfuſas fuiſſe, v. g. immenſitatem, ubiquitatem, ſeu ubique præſentiam, omnipotentiam, omniſcientiam.

Inſulſus profectò hic error eſt, quem primò aſſeruit Lutherus in *Confeſſione de cœna Domini*, atque latiùs ſubindè propagavit Brentius, *Ubiquiſtarum* idcircò quaſi parens habitus. Non ad omnes tamen Lutheranos tàm abſurda opinio pervaſit. Errori occaſionem dediſſe videtur controverſia inter Lutheranos & Calviniſtas excitata circa realem corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia præſentiam. Nempe cùm Lutherani ex iſtis Chriſti verbis, *Hoc eſt corpus meum,* ſatis ſibi præſidii non eſſe intelligerent ad debellandos Calviniſtas, aliunde verò articulô Aſcenſionis Chriſti in cœlum premerentur, ad dogma *Ubiquitatis* velut ad tutiſſimum portum ſe contulère, contendendo corpori Chriſti hanc vim inditam fuiſſe, ut ſit ubique, quemadmodùm ubique eſt Verbum hypoſtaticè cum Corpore Chriſti conjunctum. Sic aliquas divinæ naturæ proprietates in naturam humanam, vi unionis hypoſtaticæ, transfuſas fuiſſe docere compulſi ſunt. Contra ipſos proinde ſit

CONCLUSIO.

255 Non eſt admittenda communicatio idiomatum in abſtracto, proprietatum ſcilicet naturæ divinæ reſpectu humanæ; multò minùs proprietatum naturæ humanæ reſpectu divinæ. Unde prorsùs falſæ ſunt iſtæ Lutheranorum propoſitiones, *Humanitas Chriſti eſt ubique, & omnipotens, &c.*

Prob. 1mo. Ex S. Scripturæ teſtimoniis, quibus apertum eſt, humanitatem Chriſti ubique non fuiſſe; ſed certò locô, quantùm ad corpus, circumſcriptam fuiſſe, ſive in ſtatu mortalis illius vitæ, ſive in ſtatu exaltationis & gloriæ. Non in primo ſtatu: apertè quippe Scriptura ſignificat Chriſtum ubique non fuiſſe, ſed de loco in locum tranſiſſe. Joan. 11. v. 15. Chriſtus dicebat: *Lazarus mortuus eſt; & gaudeo propter vos ut credatis: quoniam non eram ibi.* Ibid. v. 21. *Domine*, ait Martha, *ſi fuiſſes hîc, frater meus non fuiſſet mortuus.* Matth. 28. v. 6. *Jeſum, qui crucifixus eſt, quæritis: non eſt hîc, ſurrexit.* Ibid. c. 26. v. 11. *Semper pauperes habetis vobiscum*, inquit Chriſtus, *me autem non ſemper habetis.* Joan. 16. v. 28. *Exivi à Patre*, ait iterum, *&* veni

veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Luc. 24. v. 51. *Receſſit ab eis, & ferebatur in cœlum.* Neque etiam in ſtatu gloriæ & exaltationis Chriſtus corporaliter ubique eſt, ſed in cœlo. Joan. 17. v. 11. *Jam non ſum in mundo*, ait Chriſtus: hoc eſt, Brevi diſceſſurus ſum à mundo. *Relinquo mundum*, ut mox dixerat, & *vado ad Patrem.* Act. 3. v. 21. *Quem* (Chriſtum) *oportet cælum ſuſcipere, uſque in tempora reſtitutionis omnium.* Denique Heb. 8. v. 4. *Si ergo eſſet ſuper terram, nec eſſet Sacerdos, cùm eſſent, qui offerrent ſecundùm Legem munera.*

Prob. 2do. ex SS. Patribus. S. Ambroſius, lib. 2. de Fide, c. 4. in hæc Chriſti verba, *Surgite eamus*, ſic loquitur: *In eo ergo vadit & venit, quod eſt commune nobiſcum.* S. Chryſoſtomus, in hæc Evangelii verba: *Filius hominis qui eſt in cælo* hæc ait: *Non de carne loquitur, ſed à humana ſubſtantia ſeipſum denominat.* S. Cyrillus Alexandrinus, lib. 11. in Joan. c. 21. *Quare*, ait, *cùm Deus & homo Chriſtus verè ſit, oportuit* (Apoſtolum) *intellexiſſe ineffabili Dei poteſtate unà cum eis ſemper futurum, etiamſi carne abeſſet.* S. Auguſtinus, Ep. 187. aliàs 57. ad Dardanum, ubi de Chriſto ait: *Secundùm hanc formam* (humanitatis) *non eſt putandus ubique diffuſus . . . . . . una enim perſona Deus & homo eſt . . . . ubique per id quod Deus eſt, in Cælo autem per id quod homo.* S. Leo Magnus, Serm. 2. de Aſcenſione. *Ineffabili*, ait, *modò per aſcenſionem cæpit eſſe divinitate præſentior, qui factus eſt humanitate longinquior.*

Prob. 3tio. Quia Ubiquitatis doctrina pugnat cum multis fidei ac Religionis Chriſtianæ articulis: cum nativitate Chriſti ex utero Virginis Beatæ: cum ejus morte, ſepultura, ad inferos deſcenſu, reſurrectione à mortuis. Quippe ſi ubicunque Verbum eſt, ibi eſt Chriſti humanitas, quomodò ex utero B. Virginis in lucem exire potuit? Quomodò mortuus, ſi anima ſemper cum corpore perinde ac cum Verbo unita fuit? Quomodò jacuit in ſepulchro corpus exanime, cùm totus ibi Chriſtus foret? Quomodò deſcendit ad inferos, ubi jam erat? aſcendit in Cœlum, quod non deſeruerat?

Prob. 4to. Rationibus Theologicis. 1mo. Sicut naturæ duæ in Chriſto diſtinctæ ſunt, nec de ſe invicem in abſtracto prædicari poſſunt, ita & in eo ſunt diſtinctæ proprietates; nec una de altera prædicari poteſt. Sic dici non poteſt, *Divinitas eſt paſſibilis, humanitas eſt impaſſibilis.*

2da. Aut omnes divinæ naturæ proprietates poſſunt humanitati communicari, aut nullæ. Atqui ne Lutherani quidem concedunt, omnes divinæ naturæ proprietates eidem communicari poſſe. Ergo nullæ poſſunt ei communicari: non enim potior ratio eſt pro una quàm pro altera; cur v. g. ubiquitas potiùs quàm æternitas communicetur.

3tia. Non magis proprietates divinæ poſſunt homini communicari, quàm humanæ Deo. Atqui fatentur Lutherani, proprietates humanas, v. g. paſſibilitatem, mutabilitatem, &c. Deo convenire non poſſe. Ergo fateantur etiam neceſſe eſt, divinas proprietates humanitati communicari non poſſe.

4ta. Implicat corpus, quod in ſuo ſtatu naturali circumſcribitur, eſſe ubique. Atqui corpus Chriſti, dum in terris degebat, in ſuo naturali ſtatu erat, ac locò circumſcriptum. Ergo.

Digitized by Google

256 *Solvuntur Objectiones*

Contra poſitam Concluſionem.

Ob. 1mo. Chriſtus eſt ad dexteram Dei, juxta illud Rom. 8. *Chriſtus Jeſus . . . . qui eſt ad dexteram Dei.* Et Matth. 22. v. 44. *ſedet ad dexteram Dei.* Atqui dextera Dei eſt ubique. Ergo Chriſti humanitas eſt ubique.

Reſp. 1mo. Retorq. arg. Animæ Juſtorum dicuntur eſſe *in manu Dei*, Sap. 3. v. 1. Atqui manus Dei eſt ubique. Ergo & animæ Juſtorum ſunt ubique; quod falſum eſt.

Reſp. 2do. Diſt. maj. Chriſtus eſt & ſedet ad dexteram Dei ratione ſuppoſiti & perſonæ, conc. præciſè ratione naturæ, neg. maj. Aliud porrò eſt ſedere ad dexteram Dei, & aliud eſſe dexteram Dei: iſtud nihil aliud denotat, quàm omnipotentiam & majeſtatem ipſam Dei; ſedere verò ad dexteram, idem eſt, ac officium Mediatoris exercere, ad quod exercendum omnis poteſtas & dominatio Chriſto conceſſa fuit. *Oportet illum regnare*, ait Apoſtolus, 1. Cor. 15. v. 25. *donec ponat omnes inimicos ſub pedibus ejus.* Regnare autem ad perſonam pertinet, non ad naturam. Vel hi textus etiam ſignificant, quòd Chriſtus ut homo quietè & in perpetuum poſſideat ſummam dignitatem & auctoritatem in omnes creaturas.

257 Ob. 2do. Matth. 11. *Omnia*, inquit Chriſtus, *mihi tradita ſunt à Patre meo.* Ergo & Ubiquitas, &c.

Reſp. Chriſtus hoc dicit de ſe ipſo ſecundùm divinitatem; & ſignificat ſe omnia accepiſſe à Patre per generationem æternam: ac proinde ſe, prout eſt Deus, eſſe in omnibus æqualem Patri.

258 Ob. 3tio. Matth. 28. v. 18. *Data eſt mihi*, inquit Chriſtus, *omnis poteſtas in Cælo & in terra.* Ergo ut homo eſt omnipotens.

Reſp. neg. conſ. De Chriſti perſona hîc ſermo eſt, non de illius humanitate. Quamquam ſi de hac eſſet ſermo, apertus ſenſus eſſet, datam nempe ei illam omnem poteſtatem, cujus illa capax eſt: majorem quidem & abundantiorem comparatè ad nos, ſed tamen finitam pro conditione & capacitate ſubjecti, quam proinde in omnes creaturas exercere poteſt, etiamſi non ſit ubique.

Ob. 4to. Matth. 18. v. 20. *Ubi ſunt* 259
duo vel tres congregati in nomine meo, ait Chriſtus, *ibi ſum in medio eorum.* Et c. 28. v. 10. *Ecce ego*, inquit, *vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* Ergo eſt ubique &c.

Reſp. neg. conſ. Promittit Chriſtus ſe adfuturum, quoties duo vel tres in ejus nomine congregabuntur, non quidem præſentiâ corporali, ſed auxiliô gratiæ, protectione, auctoritate, directione, qua etiam Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus ſpondet adfuturum. Unde fit, ut adverſus Eccleſiam, ſeu Eccleſiæ Paſtores Eccleſiam repræſentantes, portæ inferi prævalere nunquam poſſint.

Ob. 5to. Coloſſ. 2. v. 9. de Chriſto 260
ait Apoſtolus: *In quo inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter.* Ergo & Ubiquitas, &c.

Reſp. neg. conſ. Senſus textûs eſt, quòd divinitas verè, realiter, per ſubſtantialem ſui cum humanitate unionem in Verbi perſonalitate in Chriſto inhabitet, non verò fictè, non figuratè, nec per meram efficaciam aut aſſiſtentiam. Sed quid inde in gratiam Ubiquitatis humanitati Chriſti conceſſæ? nihil omninò.

Ob. 6to. Epheſ. 4. de Chriſto ait 261
Apoſtolus: *Aſcendit ſuper omnes cælos, ut impleret omnia.* Ergo eſt immenſus, quidnî etiam ubique?

Reſp. neg. conſ. Chriſtus eo ſenſu implevit omnia, quòd ejus in cœlós aſcen-

aſcenſio complementum fuerit omnium Oraculorum, quæ de eo à Prophetis edita fuerant. Chriſtus etiam ſecundùm humanitatem verè loca omnia, nempe infima, media, & ſuprema ſucceſſivè ſuâ præſentiâ, virtute, gloriâ, victoriâ, triumphô implevit, in terra cum hominibus converſando, eosque redimendo, poſt mortem ad inferos deſcendendo, & poſt Reſurrectionem ad cœlos aſcendendo.

262 Ob. 7mo. Verbum divinum eſt ubique; Atqui Chriſtus eſt Verbum divinum. Ergo Chriſtus eſt ubique. Ergo & ejus humanitas.

Reſp. Vitioſum eſſe iſtum Syllogiſmum, in quo plures ſunt, quàm tres termini. In majori quippe propoſitione, *Verbum* ſupponit pro ſola natura divina; in minori verò *Chriſtus* duplicem includit naturam, divinam & humanam: ſecundùm divinam, ſeu prout Deus eſt, ubique eſt, non verò quatenus eſt homo. Diſtinguenda igitur eſt minor propoſitio: Chriſtus eſt Verbum incarnatum duplici conſtans naturâ, conc. Non incarnatum, neg. min.

263 Ob. 8vo. Eorum, quæ intimè & indiſſolubili nexu uniuntur, unum ſine alio eſſe non poteſt. Atqui Verbum & humanitas in Chriſto intimo & indiſſolubili nexu uniuntur. Ergo unum ſine alio eſſe non poteſt. Atqui Verbum ubique eſt. Ergo & humanitas.

Reſp. 1mo. Retorq. arg. contra Lutheranos. Eorum, quæ intimè uniuntur, unum non poteſt eſſe æternum, impaſſibile, immortale, quin alterum ſimiliter æternum ſit, impaſſibile & immortale. Atqui Verbum unitum humanitati æternum eſt, impaſſibile, immortale. Ergo ſimiliter & humanitas æterna eſt, &c. &c.

Reſp. 2do. Diſt. maj. Eorum, quæ intimè uniuntur, unum ſine alio eſſe non poteſt; ſi intimè & adæquatè uniuntur, ita ut unum alium non excedat, ſeu eo latiùs non pateat, conc. Si intimè uniuntur, ſed non adæquatè, quia unum alio latiùs patet, neg. maj. Sic v. g. oculus & anima intimè uniuntur; nec tamen oculus eſt, ubicumque eſt anima: hæc enim ſua virtute & imperio per totum corpus diffuſa eſt, oculus verò, & unumquodque aliud corporis humani membrum, ſuum fixum ac determinatum locum habet & occupat. Porrò divinitas longè latiùs patet ac extenditur, quàm humanitas, cui intimè conjungitur. *Non eſt conſequens*, ait S. Auguſtinus (e) *ut quod in Deo eſt, ita ſit ubique ut Deus*

Ob. 9no. Si humanitas Chriſti non eſt ubique cum Verbo, Verbum alicubi non eſt homo, ibi nempe ubi non eſt humanitas. Falſum conſequens, quia ſequeretur, Verbum humanitatem, quam aſſumpſit, alicubi dimittere ſeu deponere. Ergo &c. 264

Reſp. neg. ſequel. Maj. Nam hæc diverſa ſunt, nec unum ex alio ſequitur. Itaque Verbum alicubi eſt ſine ſua humanitate, quia Verbum immenſum eſt ſecundùm divinitatem, non ſecundùm humanitatem, quæ cum ſit entitas limitata, certo aliquo loco circumſcribitur. Verbum tamen eſt ubique Verbum-homo; Quamvis ubique non ſit cum ſua humanitate; quia ut Verbum ſit ubique Verbum-homo, ſatis eſt, ut alicubi ſit cum humanitate ſibi ſubſtantialiter unita

Ob. 10mo. Si humanitas Chriſti non ſit ubique, Verbum movebatur localiter, quando humanitas movebatur. Atqui hoc eſt abſurdum. Ergo &c. 265

Reſp.

(e) *Loc. ſup. cit*

Reſp. Diſt. maj. Verbum movebatur localiter ſecundùm humanitatem, conc. Secundùm divinitatem, neg. maj. Verbum ſecundùm humanitatem duntaxat localiter movebatur, utpote, quæ, cùm non ſit ubique ſicut divinitas, ſucceſſivè moveri poteſt de uno loco in alium.

266 Ob. 11mo. Chriſtus homo eſt ubique. Ergo & humanitas Chriſti eſt ubique.

Reſp. diſt. ant. Eſt ubique ratione divinitatis, ſeu Chriſtus ut Deus, conc. ratione humanitatis, ſeu Chriſtus ut homo, neg. ant. Sedulò diſtingui debet perſona & natura: nomen iſtud *Chriſtùs* ſuppoſitum ſeu perſonam ſonat: nomen verò *humanitas* naturam. Suppoſitum Chriſti, quia divinum, ubique eſt; humanitas, quia creata, ubique non eſt.

267 Caput VI.

De termino Incarnationis.

Terminus Incarnationis ſumptæ pro actione, per quam humana natura & divina conjunguntur in perſona Verbi, eſt compoſitum illud mirabile, quod Chriſtum nuncupamus. In Chriſto autem præter ea, quæ ſuperioribus quinque Capitibus jam dicta ſunt, poſſunt conſiderari Scientia, Sanctitas, Libertas, Meritum, Satisfactio, Subjectio, Adoptio, Prædeſtinatio, Dignitas Capitis, Sacerdotis, Regis, Redemptoris, Mediatoris, Oratio ab eo fuſa, & tandem Adoratio ipſi debita. Quæ omnia hujus ſexti Capitis ſunt argumentum.

§. I.

268 *De Scientia Chriſti creata.*

Gnoſtici & Valentiniani, ex S. Irenæo, lib. 1. cap. 17. fabulabantur, Chriſtum ſub ferula Præceptoris alphabetum didiciſſe.

Ariani colligebant, Chriſtum non fuiſſe Deum, ob inſcitiam, quam ei tribuebant; ex S. Athanaſio, Orat. 4.

Neſtoriani docebant, Chriſtum in gratia profeciſſe (teſte S. Cyrillo, lib. 3. contra Neſtorium) & ſpeciatim Leporius Neſtorii diſcipulus, qui in Synodo Africana errorem, quo omnimodam ſcientiam Chriſto denegabat, revocare coactus eſt.

Agnoitæ Eutychianorum Secta, ignorantiæ Chriſtum obnoxium fuiſſe aſſerebant; de quibus Eulogius (*f*) apud Photium, Codice 230.

Grotius in cap. 13. S. Marci, docet, Chriſto nonniſi poſt Reſurrectionem omnem ſcientiam fuiſſe conceſſam.

Inter Scholæ Doctores Hugo Victorinus Librum ex profeſſo ſcripſit, ut probaret Chriſtum non modò nihil ignoraſſe, ſed etiam in eo nullam aliam quàm divinam fuiſſe ſcientiam.

Porro triplex in Chriſto diſtinguitur ſcientia creata, nempe *beatifica*, quæ in clara Dei viſione conſiſtit; *per ſe infuſa* ac *ſupernaturalis*; & denique *acquiſita*, quæ verſatur circa res naturales, & poteſt ſtudiô comparari, quamvis aliquando infundatur per accidens.

Conclusio I. 269

In Chriſto à primo ſuæ conceptionis inſtanti fuit ſcientia beatifica.

Prob. 1mo ex Scripturis. Scientia beatifica eſt ea, quæ, ut dictum, petitur ex intuitiva Dei viſione. Atqui, ex Scripturis, in Chriſto fuit ejuſmodi ſcientia: nempe à primo inſtanti ſuæ conceptionis anima Chriſti potita eſt viſione beatifica, prout colligitur 1mo ex duplici loco S. Joannis, cap. 1. v. 18. *Deum* *nemo*

(*f*) Patriarcha Alexandrinus.

Digitized by Google

nemo vidit unquam: inquit, *Unigenitus filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit.* Agit Joannes de Chriſto non tantùm ùt Deus eſt, ſed ùt homo: Chriſtus igitur ut homo, eſt in ſinu Patris; nimirum per claram, intuitivam ac beatificam Dei viſionem, quam nemini hac in vita conceſſam fuiſſe teſtatur Evangeliſta. Alter locus extat Joan. 3. v. 13. *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis, qui eſt in cœlo*; ait ipſe Chriſtus. De ſe tanquam homine hîc eum loqui demonſtrant verba iſta: *filius hominis.* Quo tempore autem hæc dicebat Chriſtus, nondum corpore in cœlum aſcenderat: erat tamen in cœlo, nempe per viſionem Dei intuitivam ac beatificam.

2do. Chriſtus Joan. 8. v. 14. ait: *Et ſi ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, verum eſt teſtimonium meum, quia ſcio unde veni & quo vado: vos autem neſcitis....* Et v. 55. *Non cognoviſtis eum* (Patrem meum) *ego autem novi eum: & ſi dixero, quia non ſcio eum, ero ſimilis vobis, mendax.* Chriſtus ut homo hîc loquitur, ut probant hæc verba, *Sermonem ejus ſervo*, aitque ſe, ut homo, noſſe Deum; at certè non per fidem; ergo per beatificam ſeu intuitivam Dei viſionem.

Prob. 2do. Ex SS. Patribus. S. Auguſtinus, lib. 1. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 31. docet Chriſtum in Cœlo eſſe, *per unitatem perſonæ Verbi, quæ in Cœlo eſt.* Ergo quia hæc unitas à primo conceptionis ipſius inſtanti ſumpſit initium, etiam ab illo inſtanti Chriſtus, ut homo, beatifica & intuitiva Dei viſione donatus fuit. Et in Pſal. 15. ad iſta verba: *Tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi*, ait: *Ut nota ſit & his quos libero, claritas, quæ eram apud te priuſquam mundus fieret. Non enim reſtitues mibi, quod non amiſi, ſed reſtitues his, qui amiſerunt ejus claritatis notitiam; in quibus quia ego ſum, mihi reſtitues.* Humanitas igitur Chriſti non amiſit eam claritatem, quam, virtute unionis hypoſtaticæ cum Verbo, ſtatim adepta eſt; nec conſequenter ea reſtituenda illi fuit, ſed aliis tantùm reſtituenda fuit hujus claritatis notitia, ſeu manifeſtatio.

S. Leo, Epiſt. 25. aliàs 11. ad Julian. *Cùm*, inquit, *ſimplex & incommutabilis natura deitatis tota ſit ſemper in ſua eſſentia, nec damnum ſui recipiens, nec augmentum; & ſic naturam aſſumptam beatificans, ut glorificata in glorificante permaneat.*

Euſebius, lib. 10. Demonſt. Evang. cap. 21. exponens illud Pſal. 21. *In te projectus ſum ex utero*, ſic loquitur Chriſtum loquentem inducens: *Cùm enim adhuc intra cellam geſtantis me in utero laterem, te tamen Deum meum videbam.*

Prob. 3tio. Ex omnium Catholicorum Scriptorum conſenſu, quorum nullus negavit, Chriſtum, ex quo vivere cœpit, divino aſpectu caruiſſe: nullus quoque nunc invenitur ſive peritus, ſive idiota, qui id inficietur. (*g*) Unde concludi poteſt, Eccleſiam caput, de quo agitur, habere ex Apoſtolica Traditione, ut quæ contrarium errorem in memoratis initiò hujus Paragraphi Hæreticis damnavit; cumque univerſa Theologorum Schola improbet, quod ſcripſit Hugo Victorinus, Chriſtum ſcilicet, nullam aliam quàm divinam habuiſſe ſcientiam.

Prob. 4to. Ratione Theologica, 1mo. Quia pertinebat ad dignitatem & auctoritatem Chriſti, qui in ſua vita mortali erat divinæ doctrinæ Magiſter, & Primarius myſteriorum fidei Doctor, ut non audita tantùm, ſed à ſe viſa narraret. 2do. Quia Humanitas Chriſti à primo inſtanti

(*g*) Niſi fortè imperitus aliquis Sciolus.

Digitized by Google

inſtanti conceptionis exigebat viſionem intuitivam Dei, quæ ipſi debebatur vi unionis hypoſtaticæ cum Verbo. Et nulla erat ratio eam differendi, cùm viſio beatifica Redemptioni noſtræ minimè obeſſet.

270 CONCLUSIO II.

Chriſtus ut homo ſcientiam ſupernaturalem, per ſe infuſam, diſtinctam à ſcientia beatifica habuit à primo inſtanti conceptionis.

Prob. Quia hæc ſcientia eſt perfectio, quæ nullam habet oppoſitionem cum viſione beatifica, nec cum Redemptione noſtra. Ergo hanc habuit Chriſtus à primo inſtanti conceptionis, cùm propter unionem hypoſtaticam ejus humanitati ſtatim debita fuerit, & nulla fuerit ratio eam denegandi vel differendi. Hujus autem infuſæ ſcientiæ objectum fuêre res omnes ſupernaturales. Neque enim res ſupernaturales ſunt objectum primarium ſcientiæ beatificæ, quod eſt præcisè eſſentia divina; ſed ſcientiæ infuſæ, quæ Chriſto ut viatori communicata fuit, &c.

271 CONCLUSIO III.

Chriſtus ut homo ſcientiam humanam acquiſitam ſeu Philoſophiam naturalem in ſtatu perfecto habuit à primo inſtanti conceptionis, quæ quamvis in aliis hominibus propriis intellectûs viribus, ſtudio, & labore ſucceſſivè comparetur, per accidens tamen tota ſimul animæ ipſius fuit infuſa, quatenus omnes ſpecies animæ ejus ſtatim inditæ fuerunt. (*b*)

Ratio eſt, quia Chriſtus ut homo ratione unionis hypoſtaticæ, & ſuæ dignitatis habuit à primo inſtanti conceptionis omnem perfectionem naturæ humanæ, quæ nullam habet oppoſitionem cum unione hypoſtatica, viſione beatifica, & munere Redemptoris. Sed ſcientia hæc naturalis eſt magna naturæ humanæ perfectio; & nullam habet oppoſitionem cum unione, &c. Ergo hanc Chriſtus habuit, &c.

Nomine autem ſcientiæ naturalis humanæ intelligitur omnis virtus intellectualis, nempe habitus primorum principiorum, ſapientia, ſcientia, prudentia & ars, imò & omnis cognitio evidens. Unde per illam Chriſtus cognovit res omnes, quæ naturaliter ab anima, tùm unitâ corpori, tum ab eo ſeparatâ cognoſci poſſunt.

Non tamen Chriſtus ut homo à pri- 272
mo inſtanti conceptionis habuit ſcientiam humanam experimentalem, ſed eam ſucceſſu temporis acquiſivit. (*i*) Quia ſcientia experimentalis actualis eſt cognitio rerum ſenſibilium perceptarum parta per impreſſionem ab iis factam in ſenſibus: habitualis verò conſiſtit in ſpeciebus relictis ex præterita perceptione impreſſionis in ſenſibus factæ: unde utraque neceſſariò ſupponit impreſſionem in ſenſibus factam, & illius perceptionem. Atqui Chriſtus ut homo ſucceſſu temporis multa ſenſibus percepit, ſeu multa per impreſſionem in ſenſibus factam percepit. Nam ſucceſſu temporis multa vidit, audivit, guſtavit, quæ antea illis ſenſibus non perceperat. Ergo.

Solvuntur Objectiones. 273

Ob. 1mo contra 1mam Concluſionem. Chriſtus Matth. 24. v. 36. ignorare ſe diem ultimi Judicii ait. Ergo.

Reſp. Huic objectioni jam ſatisfecimus in Tractatu de Deo, part 2. cap. 1. §. 2. pag. 174. in Reſponſione ad Ob. 13.

Hhh 2 (*k*) Chri-

(*b*) Hæc ſcientia ergo infuſa naturalis nuncupari poteſt imò debet.
(*i*) Hæc ſcientia propriè acquiſita dicitur.

(*k*) Chriſtus nempe hanc diem neſcit, quia non aperit, non revelat: quippe nihil hominibus revelat Filius, niſi jubente ac mandante Patre, Joan 12. v. 49. Porro iſtud mandatum à Patre non accepit Chriſtus, ut diem hanc nobis aperiret, quia *noſtrum non eſt, noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Act. 1. v. 7. &c. Vid. cit. loc.

274 Ob. 2do. Ex Scriptura Chriſtus ante Reſurrectionem ſuam non erat clarificatus. Ergo.

Reſp. Diſt. ant. Quoad corpus, conc. Quoad animam, neg. ant. Scriptura hîc intelligi debet de gloria corporis ſui, & omni alia gloria accidentali, atque exaltatione hominis. Quamvis autem hæc gloria debita fuerit Chriſto à primo inſtanti conceptionis ratione unionis hypoſtaticæ, & beatitudinis animæ; tamen ex divina ordinatione dilata fuit ob Redemptionem noſtram, quia Chriſtus nos redimere debebat per Paſſionem, quæ incompoſſibilis eſt cum gloria corporis, non verò cum beatitudine animæ.

275 Ob. 3tio. Viſio Dei intuitiva tollit libertatem. Ergo Chriſtus eâ caruit, aliàs meritus non eſſet.

Reſp. Diſt. ant. Viſio Dei intuitiva tollit libertatem quoad aliquos actus, ut ſunt amor fruitivus, omiſſio peccati, conc. Quoad omnes, neg. ant. Nam beati habent libertatem contradictionis circa multa.

276 Ob. 4to. Status comprehenſoris opponitur ſtatui viatoris. Ergo Chriſtus, qui erat viator, non fuit comprehenſor tempore vitæ ſuæ mortalis.

Reſp. Diſt. ant. Status comprehenſoris fruentis beatitudine completa & integra opponitur ſtatui viatoris, conc. Status comprehenſoris fruentis beatitudine nondum omninò completa & integra, neg. ant. Anima Chriſti, utpote unita corpori & paſſibili erat in via duntaxat ad merendam impaſſibilitatem ac immortalitatem ſui corporis, quam nondum habebat, qua ratione beatitudo Chriſti nondum erat completa & omninò integra &c.

Ob. 5to. Summum gaudium ex clara Dei viſione procedens, & maxima triſtitia non poſſunt eſſe ſimul in eadem anima. Atqui maxima triſtitia fuit in anima Chriſti tempore paſſionis. Ergo tunc non erat gaudium beatificum. 277

Reſp. Diſt. Maj. Gaudium ſummum ſeu beatificum, & triſtitia non poſſunt eſſe ſimul in eadem anima naturaliter, conc. ſupernaturaliter ſeu per miraculum, ſubdiſt. circa idem objectum & ex eodem motivo, conc. circa diverſa objecta & ex diverſo motivo, neg. maj. Beatificum animæ Chriſti gaudium habuit pro objecto ſummum bonum poſſeſſum, in quo ſibi complacebat: triſtitia verò offenſam Dei, ſupplicia, mortem, &c. Quamvis autem gaudium beatificum naturaliter omnem triſtitiam excludat, impediatque efficaciam motivi triſtitiæ; Deus tamen per miraculum poteſt cohibere vim talis gaudii in anima, ita ut ipſa triſtitiæ affectionem percipiat. (*l*)

Ob. 6to contra 2dam Concluſionem. Heb. 5. ait Apoſtolus, *Cùm eſſet Filius Dei* (Chriſtus) *didicit ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam.* Ergo non habuit ſcien- 278

(*k*) Chriſtus diem ultimi Judicii ignoravit reſpectu noſtri eam non revelando, non verò reſpectu ſui.

(*l*) Chriſtus cohibuit ſeu retinuit in ſuperiori animæ ſuæ parte gaudium & voluptatem, quæ ex clara & beatifica Dei viſione per ſe ſe dimanant, ne in partem inferiorem effluerent: cohibuit autem, ut per triſtitiam, dolores, cruciatus, ſalutis noſtræ opus conſummaret ac perficeret; quomodò etiam impedivit, ne in toto vitæ ſuæ mortalis curſu, animæ ſuæ gloria in corpus ſuum redundaret.

Digitized by Google

ſcientiam ſupernaturalem - infuſam per ſe &c.

Reſp. neg. conſ. Apoſtoli textus intelligi debet de ſcientia experimentali poſteà acquiſita, quæ ſcientiam infuſam non excludit. Unde ſenſus eſt, Chriſtum propriò experimentò didiciſſe, quàm arduum eſſet obedientiæ exercitium in rebus, quas Deus ab eo poſtulabat. Quam quidem arduitatem jam anteà noverat ſcientiâ infusâ, non verò experientiâ.

279 Ob. 7mo. In Evangelio ſæpè alios interrogat Chriſtus. Ergo, &c.

Reſp. neg. conſ. Chriſtus alios quidem interrogabat, non ut ab illis quidquam diſceret, ſed ut ipſi ſuas cogitationes aperirent, atque ſic eos docendi occaſionem haberet.

280 Ob. 8vo. Matth. 8. Chriſtus dicitur miratus eſſe fidem Centurionis. Ergo &c.

Reſp. Diſt. ant. miratus eſt ſecundùm ſcientiam experimentalem, conc. Infuſam, neg. ant. Inde ad ſummum ſequitur, accidiſſe Chriſto aliquid novum & inſolitum, non ſecundùm ſcientiam infuſam, ſed ſecundùm ſcientiam experimentalem, ſecundùm quam varia de novo cognovit priùs per illam ignota, quamvis jam per aliam ſcientiam penitùs perſpecta. Igitur Chriſtus aliquid hactenus inexpertum mirari & magnum reputare potuit, licèt illud anteà perfectè noverit.

280 Ob. 9no. Luc. 2. v. ult. Chriſtus dicitur *profeciſſe ſapientia & ætate & gratia apud Deum & homines.* Atqui ei, qui proficit, aliquid novi accideret debet, quod prius non habebat. Ergo Chriſtus ſtatim à primo conceptionis inſtanti non habuit ſcientiam per ſe infuſam &c.

Reſp. 1mo. Diſt. maj. Chriſtus profecit ſapientiâ experimentali, conc. maj. Scientiâ infusâ, neg. maj Chriſtus ſcientiâ experimentali profecit, quando ſcilicet eas in anima ſua humanas doloris ac triſtitiæ affectiones expertus eſt, quas licet anteà noviſſet, non tamen ſenſerat.

Reſp. 2do aliter diſt. maj. Chriſtus ſapientiâ profecit quoad nos, conc. quoad ſe, neg. maj. Chriſtus nobis ſeu hominibus in dies magis ac magis proficere videbatur, enimverò ætatum ordinem ſequebatur; at reipſa tamen non proficiebat.

Inſt. 1mo. Eadem prorſus ratione Chriſtus gratiâ & ſapientiâ proficiebat, qua ætate. Atqui non tantùm apparenter & in opinione hominum, ſed verè ac realiter ætate proficiebat. Ergo, &c.

Reſp. Neg. ant. Alia quippe in Chriſto eſt conditio corporis, alia animæ: omnes corporis noſtri defectus & infirmitates ad opus ſalutis noſtræ perficiendū neceſſarias Verbum aſſumpſit, adeoque varias ætatis vices & incrementa; defectus verò animæ, ignorantiam, concupiſcentiam, non aſſumpſit. Non igitur ut ætate, ita & ſapientia quaſi per gradus proficere debuit.

Inſt. 2do. Non tantùm coram hominibus, & in eorum opinione dicitur Chriſtus profeciſſe in ſapientia, ſed etiam coram Deo. Ergo non opinione tantùm, ſed verè proficiebat.

Reſp. neg. conſ. Namque coram Deo ſicut & coram hominibus ſapientiâ Chriſtus profeciſſe dicitur, quia publica, omnibusque, tùm Deo tùm hominibus perſpecta dedit eximiæ ſapientiæ ſuæ argumenta.

Ob. 10mo. De nonnullis anceps & 281
dubius fuiſſe videtur Chriſtus. Joan. 11. de loco, ubi ſepultus fuiſſet Lazarus, anxius inquirit: *Ubi poſuiſtis eum?* Et cap. 21. quaſi dubitans ter Petrum interrogat: *Petre amas me?* Ergo, &c.

Reſp. Huic objectioni jam ſatisfecimus ſup. in Reſp. ad Ob. 7. Humano ſcilicet more interrogabat Chriſtus, & ubi ſepultus eſſet Lazarus, & utrum plus amaretur à Petro; non quod utrumque ignora-

ignoraret: *Tu ſcis Domine, quia amo te,* reſpondit Petrus. Sed cùm homo eſſet, modô nobis accommodatô ſe gerebat; atque interrogando non dubitabat, neque ignorabat; ſed rei præſtantiam declarare ſeu commendare volebat, nempe ſuſcitationem Lazari à mortuis, & magnitudinem amoris Petri. Deus ipſe Geneſ. 3. interrogans ait: *Adam ubi es?* non quòd ignoraret, ſed ut increparet; non dubitantis enim, ſed increpantis hæc vox eſt.

282 Ob. 11mo. Hebr. 4. v. 15. dicitur Chriſtus *tentatus per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.* Ergo vel ipsâ ignorantiâ tentatus fuit.

Reſp. neg. conſ. Tentatus dicitur per omnia, ſed *abſque peccato* iiſque animæ defectibus, qui ex peccato ſunt, ignorantiâ videlicet, & concupiſcentiâ, quique non modò inutiles forent, ſed noxii peragendo Redemptionis noſtræ negotio.

283 Ob. 12mo. Luc. 22. *Apparuit Chriſto Angelus de cælo confortans eum.* Atqui ſi Chriſtus omnia noviſſet, futuros etiam non ignoraſſet cruciatus, nec opus ipſi fuiſſet Angelo confortante, quaſi aliqua ipſi nova ſuggeſſiſſet motiva patientiæ ac conſolationis. Ergo, &c.

Reſp. 1mo. Hæc ad probationem veræ Humanitatis Chriſti dicta eſſe: naturali quippe inſtinctu natura noſtra mortem refugit & abhorret.

Reſp. 2do. cum S. Epiphanio Hæreſ. 69. num. 60. verba hæc, *confortans eum* idem ſonare, ac laudans fortitudinem ejus, qua ſe morti lubens obtulerat dicens: *Non mea voluntas, ſed tua fiat.* Sæpiùs enim in ſacra Scriptura verbum *confortare* idem ac *laudare* & *benedicere* ſignificat, &c.

Ob. 13tio contra 3tiam Concluſionem. Chriſtus nullam habuit operationem naturalem. Ergo. 284

Reſp. neg. ant. Nam Chriſtus verè habuit operationes elicitas morales, ut ſenſationes, & uſum ſcientiæ naturalis. Sed has omnes actiones naturales imperabat ex motivo ſupernaturali, & ad Dei gloriam referebat, necnon per illas merebatur. Et verò Chriſtus videbat, manducabat ex facultate naturali viſiva & motrice &c. licèt has actiones ad finem ſupernaturalem ordinaret.

§. II.

De Sanctitate & gratia Chriſti. 285

Fide conſtat, veram ſanctitatem Chriſto communicatam fuiſſe à primo inſtanti conceptionis. Nam Luc. 1. v. 35. dicit Angelus ad B. V. Mariam: *Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.* Item Heb. 7. v. 26. de Chriſto ait Apoſtolus, *Talis enim decebat, ut nobis eſſet Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus.* Et Daniel. 9. v. 24. Chriſtus vocatur *Sanctus ſanctorum.* Ipſi quoque Dæmones Chriſti ſanctitatem agnoverunt: *Scio qui ſis,* inquiunt ad eum Marc. 1. v. 24. *Sanctus Dei.* Imò omnis Scriptura Chriſti ſanctitatem prædicat: *Non verba de Scripturis Evangelium ſumpſit, ſed ſenſum* (inquit S. Hieronymus in Matth. 2. v. 23.) *Nazaræus quippe ſanctus interpretatur, Sanctum autem Dominum futurum omnis Scriptura commemorat.*

Duplicem autem in Chriſto fuiſſe ſanctitatem tuentur Theologi, ſubſtantialem unam, alteram accidentalem. Subſtantialis eſt ea, qua ſanctificatus eſt per Verbum vi unionis hypoſtaticæ. Accidentalis verò eſt Charitas ſeu gratia ſanctificans & habitualis. (*m*) Sit

CON-

(*m*) Gratia generatim eſt Donum Dei ſupernaturale, ex pura Dei miſericordia, ſine ullis præcedentibus meritis conceſſum.

286 ## CONCLUSIO.

In Chriſto ut homine tùm ſubſtantialis tùm accidentalis ſanctitas fuit à primo inſtanti conceptionis.

Prob. de ſanctitate ſubſtantiali. 1mo. Ex S. Scriptura. Pſal. 44. de Chriſto ait Propheta, *Unxit te Deus, Deus tuus oleô lætitiæ præ conſortibus tuis.* Et Daniel. 9. v. 24. *Et ungatur Sanctus ſanctorum.* Chriſtus ergo ut homo fuit unctus, id eſt, ſanctificatus divinitate, ſeu Verbo, quod eſt ſanctitas ſubſtantialis. Joan. 10. v. 36. *Quem Pater ſanctificavit*, inquit de ſe ipſo Chriſtus ad Judæos, *& miſit in mundum, vos dicitis quia blaſphemas, quia dixi: Filius Dei ſum.* Ubi Chriſtus ſignificat, ſe ut hominem à Patre ſanctificatum eſſe propter unionem ſuî cum Verbo, ut exponunt SS. Patres, Hilarius, Athanaſius & Chryſoſtomus. Et verò Chriſtus ibi probare vult, ſe eſſe Filium Dei naturalem, quia ſanctificatus, & miſſus fuit à Patre: ac proinde loquitur de ſanctitate ſubſtantiali ſibi per unionem hypoſtaticam communicata.

Prob. 2do. Ex SS. Patribus; hîc ſufficiant, S. Gregorius Nazianz. Orat. 2. in Paſcha, ubi de Chriſto ait: *Perfectus autem non modò propter divinitatem, qua nihil perfectius, ſed etiam propter humanitatem divinitate delibutam.* S. Auguſtinus, lib. 15. de Trinit. cap. 26. *Iſta myſtica*, inquit, *& inviſibili unctione tunc intelligendus eſt unctus* (Chriſtus) *quando Verbum Dei caro factum eſt, id eſt, quando humana natura, ſine ullis præcedentibus bonorum operum meritis, Dei Verbo eſt in utero Virginis copulata, ita ut cum illo fieret una perſona.* Et S. Damaſcenus, lib. 3. de Fide Orth. c. 3. ubi ait: *Chriſti porro vocabulum perſonæ eſſe dicimus, ut quod non unimodè dicatur, ſed duplicem naturam ſignificet. Ipſe etenim ſe ipſum unxit, corpus videlicet divinitate ſua ungens ut Deus; unctus autem ut homo, quandoquidem ipſe & hoc & illud eſt. Unctio porro humanitatis eſt divinitas.*

Prob. 3tio Ratione. Humanitas Chriſti ſanctificatur per Verbum formaliter, ſeu tanquam per formam, aut quaſi formam ſanctificantem ei ſubſtantialiter conjunctam; nam illam reddit participem eſſe divini ſeu divinitatis, Deo gratam, & dignam ſupernaturali amicitiâ Dei, excludit ab ea omne peccatum tum actuale tum habituale, & dat ei jus ad beatitudinem æternam: quæ omnia ſunt effectus formales ſanctitatis, atque à Verbo humanitati præſtantur propter unionem hypoſtaticam, qua ſe ipſum formaliter & phyſicè communicat ei hoc ipſo, quòd illi perſonaliter uniatur. Ergo humanitas Chriſti ſanctificatur formaliter per Verbum ſanctitate ſubſtantiali ratione unionis hypoſtaticè; nam Verbum eſt ſanctitas ſubſtantialis, cùm ſit eſſe divinum ſubſtantiale.

Prob. etiam de Sanctitate accidentali. 1mo. Charitas ſeu gratia ſanctificans & habitualis eſt maxima perfectio ſupernaturalis, & excellens quædam participatio naturæ divinæ, reddens ſubjectum ſuum gratum ac amabile Deo, dignum amicitiâ Dei; incompoſſibilis cum peccato mortali, & dans jus ad beatitudinem ſupernaturalem, nempe fruitionem Dei; & aliunde nullam habet oppoſitionem cum unione hypoſtatica, & aliis Chriſti perfectionibus. Ergo ſtatim debita fuit humanitati Chriſti vi unionis hypoſtaticæ cum Verbo. Ergo fuit illi infuſa à primo inſtanti conceptionis, cùm tunc fuerit unita Verbo, & nulla fuerit ratio illi denegandi vel differendi eam. 287

2do. Sanctitas accidentalis, ut docent Theologi, cùm agunt de forma juſtificationis, non eſt aliud, quàm Charitas, quæ gratia ſanctificans ipſa eſt, vel ſaltem cui hæc inſeparabiliter connexa eſt. Atqui Humanitas Chriſti habuit charitatem

&

& quidem ſummè intenſam à primo conceptionis inſtanti; nam tunc fuit intrinſecè & permanenter habilis & inſtructa ad diligendum Deum ſuper omnia propter ſe, & reipſa Deum ſic dilexit à primo ſuæ conceptionis inſtanti. Ergo etiam in ea fuit ſanctitas accidentalis.

288 Ex his ſequitur, quòd Chriſtus ut homo à primo inſtanti conceptionis habuerit 1mo omnes virtutes morales ſive infuſas, ſive acquiſitas. (*n*) Nam virtus moralis infuſa eſt, quæ ordinatur ad bonum, quod modificatur per Legem divinam, & non per rationem humanam, ac in nobis cauſatur per operationem divinam: virtus autem acquiſita ordinatur ad bonum quod modificatur ſecundùm regulam humanæ rationis, & poteſt cauſari per actus humanos quorum principium eſt ratio. Atqui in Chriſto fuerunt hujusmodi virtutes. 1mo. Fuerunt infuſæ, quia, ex dictis, fuit in Chriſto gratia ſanctificans ſeu habitualis; virtutes autem illæ ſimul cum gratia ſanctificante infunduntur, & animam inclinant ad faciliùs exercendos illarum virtutum actus. 2do. Fuêre quoque virtutes acquiſitæ; quia Chriſtus bonum operabatur, & virtutes exercebat ſicut & alii homines.

2do. Præter charitatem in Chriſto non fuerunt aliæ virtutes Theologicæ (*o*) Spes nempe & Fides. Non Fides: quia verſatur circa res obſcuras & inevidentes; Chriſtus autem omnia clarè ac evidenter cognovit. Non etiam Spes: quia verſatur circa res futuras, & nondum poſſeſſas: at Chriſtus ſtatim à conceptione beatus fuit, & Deum intuitivè poſſedit. Contendunt tamen aliqui, Spei virtutem in Chriſto non omninò vacuam fuiſſe aut inutilem, cùm exercere potuerit aliquos ejus actus, licèt non omnes; potuit enim elicere & re ipſa elicuit actus deſiderii & ſpei circa gloriam corporis, exaltationem nominis, &c.

3tio. In Chriſto fuerunt dona Spiritus ſancti, ſapientia, ſcientia, intellectus, conſilium, timor, pietas, & fortitudo, quorum quatuor priora ad intellectum, tria poſteriora ad voluntatem pertinent. Conſtat ex Iſai. c. 11. v. 2. ubi de Chriſto dicitur: *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini; ſpiritus ſapientiæ & intellectus; ſpiritus conſilii, & fortitudinis; ſpiritus ſcientiæ & pietatis. Et replebit eum ſpiritus timoris Domini.* Timor autem ille non fuit ſervilis, ſed filialis conſiſtens in affectu ſummæ reverentiæ erga infinitam Dei majeſtatem.

3tio. Denique in Chriſto fuerunt gratiæ gratis datæ, quæ novem numerantur; ſcilicet ſermo ſapientiæ, ſermo ſcientiæ, fides, gratia ſanitatum, operatio virtutum, prophetia, diſcretio ſpirituum, genera linguarum, & interpretatio ſermonum. Nam gratiæ illæ dantur præſertim ad utilitatem aliorum, nempè ad eos meliùs & efficaciùs docendos, excitandos, convertendos, & ad ſalutem æternam perducendos. Ergo Chriſtus eas habere debuit, cùm venerit ad hæc omnia erga homines præſtanda.

Porro nomine fidei non hîc intelligitur virtus Theologica, ſed moralis & facilitas res fidei proponendi accommodatè ad captum omnium etiam rudiorum.

§. III.

De Libertate & impeccabilitate Chriſti. 289

Fide conſtat in Chriſto nullum fuiſſe peccatum. Id enim expreſsè docet Scriptura

(*n*) Virtutes morales ſunt eæ, quæ circa mores immediatè verſantur.

(*o*) Virtutes Theologicæ ſunt eæ, quæ circa Deum immediatè verſantur, ſuntque iſtæ tres, Fides, Spes, & Charitas.

Digitized by Google

ptura. 2. Cor. 5. v. 21. Apoſtolus ait: *eum* (Chriſtum) *qui non noverat peccatum*, *pro nobis peccatum* (id eſt, peccati hoſtiam) *fecit* (Deus Pater) *ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.* Heb. 4. v. 15. *Tentatus per omnia pro ſimilitudine ab que peccato.* Et c. 7. v. 26. *Talis decebat, ut nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus.* Hinc 1. Joan. c. 3. v. 5. *Scitis*, inquit Apoſtolus, *quia ille apparuit, ut peccata noſtra tolleret, & peccatum in eo non eſt.* Hinc etiam Chriſtus, Joan. 8. v. 46. confidenter ajebat, *Quis ex vobis arguet me de peccato ?* S. Petrus denique 1. Ep. c. 1. v. 18. *Redempti eſtis*, inquit, ... *pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti & incontaminati.* Et c. 2. v. 21. *Qui*, (Chriſtus) *peccatum non fecit.* Ideo autem Chriſtus Pſal. 21. peccata hominum vocat ſua, quia ea ſuſcepit in ſe expianda, ex Iſa. 53. *Iniquitates eorum ipſe portabit.*:

Certum etiam eſt, in Chriſto non fuiſſe fomitem peccati, ſeu concupiſcentiam inordinatam, quæ eſt propenſio ad malum orta ex peccato originali. Nam 1mo. Chriſtus immunis fuit à peccato originali, cujus pœna eſt concupiſcentia. 2do. Decedebat omninò Chriſtum nec prodeſſe poterat, imò obfuiſſet perfectæ redemptioni noſtræ. 3tio. Chriſtus nullum habuit actum indeliberatum. Unde S. Auguſtinus, lib. 4. Operis imperfecti, n. 47. ait: *Quiſquis credit carnem Chriſti contra ſpiritum concupiſſe, anathema ſit.*

Verùm hæc nullam patiuntur difficultatem; Communis quippe ac certiſſima omnium Theologorum eſt ſententia, Chriſtum ab omni umbra peccati maximè alienum ſemper fuiſſe. (p) At nonnulli Scholæ Magiſtri, ut Durandus, in 3. diſt. 12. q. 2. Gabriel, diſt. 2. & 12. q. 1. & Scotus quærunt an abſolutè peccare potuerit, atque exiſtimant, Chriſtum, ex ſola vi unionis hypoſtaticæ cum Verbo, non habuiſſe ut non poſſet peccare, ſed ex adjunctis, viſione beatifica, virtutibus infuſis, gratia ſanctificante, ſingulari Dei protectione &c. quæ ſi à Chriſto ſepararen ur, ut ea ſeparari abſolutè potuiſſe affirmant, Chriſtus homo Deus peccare poſſet. Hi nempe Magiſtri quæſtionum de poſſibili plus æquô amantes, hypotheſim poſſibilem fingunt; at noſtrò quidem judiciô non ſatis cautè ac reverenter. Ad quid enim hypotheticæ hujusmodi ſubtiles quæſtiones & argutæ, quæ Chriſtianas aures offendunt, nihilque utilitatis afferunt ? ut ex quibus ſequeretur Deum peccatorem & peccantem denominari poſſe; Divinitatis enim eſt, regere ac moderari omnes animæ & corporis Chriſti actiones: quapropter culpa, ſi quæ foret, humanitatis, in ipſam divinitatem recideret. Et profectò Qui ſubſtantiâ & naturâ Deus eſt, & una cum Verbo perſona, is ex ſeſe, vi unionis cum Verbo nunquam peccati capax eſſe poteſt; aliàs dici poſſet, Deum peccare ſaltem poſſe, quod certè vel cogitare impium eſt. Atqui Chriſtus naturâ ſuâ & ſubſtantiâ Deus eſt, & una cum Verbo perſona. Adde, quòd *actiones ſuppoſitorum ſint*: atqui ſup-

(p) Hæc horum Scholæ Magiſtrorum ſententia adverſatur doctrinæ SS. Patrum tùm Græcorum, ut Hippolyti apud Theodoretum, Dial. 1. Origenis Martyris, lib. 2. de princip. c. 6. Dionyſii Alexandrini, Ep. ad Paulum Samoſat. Athanaſii, lib. de Incarnatione Verbi. Cyrilli Alexandrini, lib. 5. in Joan. c. 5. &c. &c. Tùm Latinorum, ut Tertulliani, lib. de Carne Chriſti, c. 16. Ambroſii, Apol. 2. David. c. 4. Auguſtini, lib. de corrept. & grat. c. 11. Et tract. 108. in Joan. ad illa verba: *Sanctifico me ipſum.* Item c. 36. Enchiridii. Fulgentii, lib. 3. ad Traſimund. c. 29. &c. &c. Qui unanimiter tuentur; Chriſtum nec peccaſſe, nec potuiſſe peccare &c.

ſuppoſitum Chriſti eſt perſona Verbi ; Si ergo in Chriſto poſſet eſſe peccatum , tunc illud perſonæ Verbi eſſet , adeoque Dei ipſius ſaltem denominativè. At ſanè nullæ aures Chriſtianæ ferre poſſunt, Deum peccantem aut peccatorem denominari , &c.

290 Operoſior eſt quæſtio illa, quæ circa Chriſti libertatem movetur ; qua ratione ſcilicet conciliari poſſit cum ejus impeccantia (q).

Jam diu Thologos iſta quæſtio exercet, & diu procul dubio adhuc exercebit, adeò intricata eſt & involuta.

Apud omnes quidem certum & exploratum eſſe videtur, Chriſtum circa mortem ſubeundam verè liberum fuiſſe. Id enim Scriptura ipſa apertè teſtatur. Iſa. 53. v.7. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Joan. 10. v. 17. *Ego pono animam meam , ut iterum ſumam eam. Nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à me ipſo.*

Et verò Chriſtus mortem ſubeundo & ſibi, & nobis meruit ; ſibi nominis exaltationem : (r) *Humiliavit ſemetipſum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis ; propter quod & Deus exaltavit illum &c.* nobis verò ſalutem æternam: (s) *Conſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ.* Porrò ſi morte ipſa meruit , tunc liber fuit in ea ſubeunda , quam potuiſſet non ſubire , nullum quippe ſine libertate meritum. Prætereà ſi liber non fuit Chriſtus circa mortem ipſam ſubeundam vel non ſubeundam , alterutrum ſequitur , aut nullam in ipſo fuiſſe obedientiæ virtutem , aut nullum ejus meritum. Ratio eſt aperta : quia vel Chriſtus verum accepit à Patre moriendi mandatum , vel non : ſi non accepit, obedientiæ locus non fuit ; ſi verò accepit, liber non fuit ex adverſa opinione; Ergo non meruit. Profectò Chriſto vero homini neganda non eſt proprietas ſeu appendix naturæ humanæ, qualis eſt libertatis indifferentia , non quidem contrarietatis , qua poſſit malum , ſed contradictionis , qua poſſit hoc vel illud bonum , ex hoc vel illo motivo. Hæc quoque unanimis eſt SS. Patrum ſententia , ut S. Chryſoſtomi , Hom. 28. in Ep. ad Heb. ad iſta verba : *Qui propoſitò ſibi gaudiò ſuſtinuit crucem &c.* S. Ambroſii , lib. 4. de Fide , c. 10. aliàs 5. Et lib. 1. de Spiritu S. c. 12. S. Auguſtini , lib. de natura & gratia , c. 24. Et in Pſal. 93. Item lib. de Trinit. c. 13. S. Leonis , Serm. 17. de Paſſione S. Anſelmi , Lib. 2. *Cur Deus homo* , c. 10. &c. &c.

Verùm , ut jam à nobis dictum , 291
apud omnes Theologos exploratum eſſe debet ac certum , Chriſtum peccare non potuiſſe , & tamen fuiſſe omninò liberum, etiam circa mortem ſubeundam ; at quomodò hæc ejus libertas cum impeccantia ipſius conciliari poſſit, variis id explicant modis, quorum , aliis jam obſoletis ac omni ferè patronô deſtitutis , hi quatuor præcipui ſunt ac magis vulgati , ſuis tamen difficultatibus obnoxii.

Primus eſt : Stante quidem præcepto de ſubeunda morte , Chriſtum in ſenſu compoſito non potuiſſe non mori ; liberum nihilominus fuiſſe, quia abſolutè , & in ſenſu diviſo potuit non mori. Id eſt , connexa ſemel Chriſti voluntate moriendi cum præcepto de morte ſubeunda,

(q) Quid ſit libertas humana & quotuplex in Metaphyſica noſtra expoſuimus c. 3. §. 3. ubi vide.

(r) *Philipp.* 2. v. 8. & 9.

(s) *Heb.* 5. v. 9.

Digitized by Google

eunda, non potuit non mori; at abſtracta ipſius voluntate ab hoc præcepto, potuit non mori &c.

Secundus eſt: Chriſtum liberum fuiſſe circa præcepta, quia licèt omittere non potuerit objectum præcepti veluti genericè conſideratum, & quantùm ad ſubſtantiam v. g. mortem; attamen liber fuit non ſolùm circa mortis circumſtantias; ſed etiam circa actus interiores ſubeundæ mortis, & circa hoc vel illud motivum exequendi præcepti: hæc quippe omnia Chriſto imperata non fuère, ſed ejus arbitrio relicta; quemadmodùm Martyres, qui, ſicut & cæteri homines, licèt neceſſariò ſint aliquando morituri, merentur tamen liberè anticipando mortem, quam à Tyrannis patiuntur.

Tertius modus eſt: Chriſto impoſitum non fuiſſe præceptum mortis obligans ſub peccato, ſed ſolum præceptum ſeu mandatum Dei, quatenùs extenditur ad ordinationem, directionem & regulam Superioris potentis obligare ſub peccato non tamen obligantis; ſicut Regulæ Religionum, & Ordinationes Prælatorum diriguntur ad ſubditos, & tamen regulariter non obligant ſub peccato; ſunt verò materia obedientiæ, & quidem perfectioris.

Quartus denique eſt: Libertatem Chriſti tùm cum mandato Patris de ſubeunda morte in eo conciliari, quòd moriendi mandatum non fuerit abſolutum, & à libero Chriſti illud acceptantis conſenſu omninò independens, ſed conditionatum & ex hypotheſi, quòd Chriſtus vellet illud acceptare, atque homines redimere, adeò ut per Patrem ei liberum fuerit ſalvare vel non ſalvare homines: ſed in hypotheſi, quòd vellet hoc pietatis officium præſtare, atque mandatum iſtud acceptare, prout reipſa volens ac lubens acceptavit, tunc non potuit non illud implere. Conditionem liberè accepit, & in hoc oblatus eſt, quia voluit: jamque duræ conditioni ſubditus, ex obedientia mortem oppetiit. Hic modus primo non multum eſt abſimilis, imò ei convenire videtur, &c. Nos cuique liberum facimus, quem horum modorum maluerit amplecti.

§ IV. 292

De ſatisfactione & merito Chriſti (t).

Circa Chriſti ſatisfactionem olim errârunt Phariſæi Pſeudo-apoſtoli, qui propriam juſtitiam ſtabilire conantes, ſatisfactionem Chriſti elevare ac convellere tentârunt; Valentiniani, Gnoſtici, Ariani, & Photiniani, qui divinitatem Chriſto detrahentes, pretium omne ac valorem ejus operibus pariter detraxerunt; Pelagiani, qui cùm gratiam Chriſti medicinalem in ſola ipſius doctrina & exemplo reponerent, atque

 totum

(t) Satisfactionis nomen generaliter ſumitur ad ſignificandam cujuscunque debiti ſolutionem: propriè tamen & ſtrictè ſumitur pro ſola debiti ſolutione, quod contrahitur ex læſione honoris & famæ, quo ſenſu à Theologis hic definitur, *Redditio voluntaria honoris & reverentiæ æquivalentis, ex propriis, & aliàs indebitis, ad compenſandam injuriam alicui per peccatum illatam.* Dicitur 1mo. *Redditio*, quia eſt actus juſtitiæ ad alterum. 2do. *Voluntaria*, quia eſt actus juſtitiæ, quæ virtus eſt, adeoque debet eſſe liber. 3tio. *Æquivalentis*, id eſt ejusdem æſtimationis & valoris cum debito; Satisfactio enim eſt actus juſtitiæ, quæ ut ſit accurata, perfectam æqualitatem ſtatuere debet ſaltem ſecundùm valorem. 4to. *Ex propriis & aliàs indebitis.* Si enim ſatisfactio fiat ex bonis alterius, ſive creditoris, ſive alterius cujuscunque, tantùm abeſt, ut tunc ſit actus juſtitiæ, quin potiùs nova quædam inæqualitas inducitur.

Digitized by Google

totum miſſionis Chriſti fructum in eo eſſe vellent, quòd viam ſalutis tum exemplis, tum præceptis nobis demonſtraret, non autem, quòd interioris gratiæ ſubminiſtratione humanum genus ſanaret à morbo peccati, conſequenter neceſſariam eſſe Chriſti ſatisfactionem negaſſe cenſentur. Petrus etiam Abaëlardus duodecimô ſæculô in eumdem errorem lapſus eſt, teſte S. Bernardo Ep. 190. ad Innocentium Papam, quæ eſt de erroribus Abaelardi.

Omnium perditiſſimi Sociniani, Chriſti & divinitatem & ſatisfactionem peſtilentiſſimis Scriptis aggreſſi ſunt. Non tantùm negant, Chriſtum reipſa pro nobis ſatisfeciſſe; ſed nec opus fuiſſe, ut ſatisfaceret aſſeverant: quia Deus non tantùm gratis poteſt absque ulla ſatisfactione peccatum remittere, ſed etiam vult, ac reipſa remiſit: voluntque Chriſtum in hoc tantùm ſenſu dici nos redemiſſe, & pro nobis ſatisfeciſſe, quòd patientiæ & pœnitentiæ exemplum nobis præbuerit. Sit

293 CONCLUSIO I.

Chriſtus verè & propriè nos redemit, & pro nobis ſatisfecit.

Prob. 1mo. Ex S. Scriptura Iſai. 53. v. 4. *Verè languores noſtros ipſe tulit*, ait de Chriſto ipſe Propheta, *& dolores noſtros ipſe portavit.* Et v. 5. *Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras; attritus eſt propter ſcelera noſtra. . . . & livore ejus ſanati ſumus.* Et v. 6. *Poſuit Dominus in eo iniquitates omnium noſtrûm . . . & iniquitates eorum ipſe portabit.* 1. Cor. 6. v. 20. *Empti eſtis pretiô magnô.* Epheſ. 1. v. 7. *In quo* (Chriſto) *habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum.* Ad Titum 2. v. 14. *Dedit ſemetipſum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate.* 1. Tim. 2. v. 6. *Qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus*, ſeu, prout textus græcus fert, *pretium redemptionis omnibus.* Rom. 8. *Proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodò non etiam cum illo omnia nobis donavit.* Galat. 3. v. 13. *Chriſtus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum*: id eſt maledictionem ſeu punitionem nobis debitam in ſe transtulit. Heb. 7. v. 22. Chriſtus dicitur *melioris teſtamenti Sponſor factus*, quo verò ſenſu Sponſor ſit, exponit c. 9. v. 15. *Ideo*, inquit, *Novi Teſtamenti mediator eſt, ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priori Teſtamento, repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt, æternæ hæreditatis.* 1. Pet. 1. v. 18. *Redempti eſtis . . . . pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti.* 1. Joan. 2. v. 2. *Ipſa eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Et Apoc. 5. v. 9. *Redemiſti nos Deus in ſanguine tuo ex omni Tribu, & lingua & populo, & natione.* Denique Matth. 20. v. 20. *Filius hominis venit dare animam ſuam redemptionem pro multis;* in Græco, *pretium pro multis.* Ideo impoſitum illi *Jeſu*, id eſt *Salvatoris*, nomen, Matth. 1. v. 21. *Vocabis nomen ejus Jeſum*, inquit Angelus ad S. Joſeph, *ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.*

Perperam Sociniani hos Scripturæ textus ad metaphoram traducere nituntur; nimis enim clari ſunt, quàm ut ullo pacto à vera & propria ſua ſignificatione in alienam detorqueri poſſint.

Prob. 2do. ex Patribus. Pro omnibus ſint S. Auguſtinus, lib. 14. contra Fauſtum,

Digitized by Google

Fauſtum c. 4. *Suſcepit Chriſtus ſine reatu ſupplicium noſtrum, ut inde ſolveret reatum noſtrum.* Et S. Cyrillus Alexand. lib. 2. in Joan. *Quoniam in peccato eramus, atque idcirco morti & interitui debebamur; filium ſuum Pater in redemptionis pretium dedit pro nobis.* Hi ſufficiunt; Neque enim tùm SS. Patres, tùm Traditio quidquam æſtimantur à Socinianis; Hanc enim & illos ultrò ſibi adverſari fatentur eò temeritatis progreſſi, ut contendant, Apoſtolorum diſcipulos Magiſtrorum mentem non fuiſſe aſſecutos, adeò ut veritas detegenda & liberanda Socinum expectaret. *Qui ita ſentit, deſipit;* ait S. Auguſtinus.

Prob. 3tio. Ratione. Quia ex fide Catholica Chriſtus eſt verè ac propriè Salvator noſter ac Redemptor. Et quia alioquin Chriſtus per paſſionem ac mortem ſuam non plus nobis præſtitiſſet, quàm Martyres & Sancti, qui nobis exempla patientiæ & poenitentiæ dederunt: quod fidei Chriſtianæ & ſenſui omnium Chriſtianorum repugnat.

294 CONCLUSIO II.

Chriſtus perfectiſſimè de condigno & æquivalenter, imò ſuperabundanter ſatisfecit pro omnibus hominum peccatis.

Prob. 1mo. ex Scriptura. Heb. 10. v. 14. Hæc de Chriſto ait Apoſtolus: *Una . . . . . oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos.* Et Rom. 5. v. 20. *Non ſicut delictum*, inquit, *ita & donum. Si enim unius delicto multi mortui ſunt: multò magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jeſu Chriſti in plures abundavit . . . . gratia autem ex multis delictis in juſtificationem . . . Ubi autem abundavit delictum, ſuperabundavit gratia.* Hìc Apoſtolus docet, ſatisfactionem Chriſti habuiſſe majorem efficaciam ad delenda omnia peccata, quàm peccatum Adami ad perdendos homines: hanc autem efficaciam habere non potuiſſet, ſi non fuiſſet condigna & æquivalens.

Prob. 2do. ex Patribus. S. Cyrillus Jeroſolymitanus, Catecheſ. 3. *Non tantùm*, inquit, *nos peccavimus, quantùm ille juſtè egit.* S. Chryſoſtomus, Hom. 10. in Ep. ad Rom. hæc inter alia loquitur: *Multò plura, quàm debebamus, pro nobis ſolvit* (Chriſtus) *tantòque plura, quantò guttulam exiguam excedit pelagus immenſum.*

S. Anſelmus, lib. de conceptu virginali, c. 22. *Quoniam*, ait, *nullus poteſt reddere* (Deo) *quantum debet, ſolus Chriſtus reddidit pro omnibus qui ſalvantur, plus quam debent.* Adde textus aliorum Patrum docentium, Incarnationem fuiſſe neceſſariam ex hypotheſi condignæ ſatisfactionis Deo pro peccatis hominum exhibendæ, quos vide ſupra c. 3. §. 2. pag. 60.

Prob. 3tio. Ratione. Quia pretium in Chriſti ſatisfactione exhibitum fuit vita propria, quam pro nobis obtulit, ſanguis, quem pro nobis fudit: debitum vero, quod per homines erga Deum contractum eſt, fuit poena æterna. Atqui Chriſti vita, ſanguis ab eo fuſus, fuerunt prorſùs condigna & æquivalentia poenæ æternæ peccato debitæ: nempe Chriſti vita, ſanguis illius, propter unionem hypoſtaticam cum Verbo meriti fuerunt infiniti: meritum enim operis ſumitur à dignitate operantis. Ergo &c.

Quærunt hîc Scholæ Theologi, num 952
ſatisfactio Chriſti fuerit ex juſtitia; circa quam quæſtionem, ut quæ ad fidem non pertinet, variè opinantur. Negant alii; quia, inquiunt, non eſt juſtitia ſui ipſius ad ſe ipſum, nec Filii ad Patrem, nec viciſſim Patris ad Filium, cùm Pa-

ter & Filius quaſi una perſona habeantur: juſtitia enim neceſſariò intercedit inter perſonas diſtinctas, quibus competant jura diſtincta. Atqui ſatisfactio Chriſti non eſt ad alterum ſed ad ſe ipſum; ſatisfecit enim Deo, qui unus eſt in tribus perſonis, ergo ſibiipſi: equidem perſona eſt à Patre & Spiritu ſancto diſtincta; ſed præterquàm, quòd perſona Filii non habeat jus ſpeciale & diſtinctum, non minùs læſa eſt peccatis hominum, quàm perſona Patris & Spiritus ſancti. Ergo, quomodolibèt ſpectetur Chriſtus, ſibiipſi ſatisfecit (*u*).

296 Alii cenſent ſatisfactionem Chriſti ex juſtitia quidem profluxiſſe, ſed minus accurata & latè duntaxat dicta. Chriſtum ſatisfaciendo exercuiſſe actum aliquem juſtitiæ ſaltem latè dictæ probant 1mo. ex illo Rom. 3. v. 25. *Quem* (Chriſtum) *propoſuit propitiationem Deus... ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ.* 2do. Ex S. Auguſtino, lib. 3. de lib. arb. c. 10. ubi ait, *Chriſtum diabolum ſubjugaſſe, non violento dominatu, ſed lege juſtitiæ.* Et S. Leone dicente, *ad dominationem diaboli deſtruendam magis uſus eſt* (Deus) *juſtitiâ rationis, quàm potentiâ virtutis.* 3tio. Ratione, tùm quia exhibuit ſatisfactionem æqualem debito & offenſæ, quod eſt de ratione juſtitiæ, imò ſuperabundantem. Tum quia ſatisfecit alterius debito, quod in ſe ſuſceperat, acceptando mortem ad ſatisfaciendum pro hominibus: cui acceptationi & executioni Deus promiſerat redemptionem generis humani.

297 Alii denique contendunt, ſatisfactionem Chriſti fuiſſe ex juſtitia ſtrictè ſumpta, & accurata atque ad ſtrictos juris apices. Sed quia aliqui ad juſtitiam ſtrictam certas conditiones exigunt, quas alii minimè neceſſarias putant, hæc quæſtio videtur eſſe de nomine.

Quæri etiam hîc ſolet, num hæc Chriſti ſatisfactio ad hominem à peccato ſolvendum fuerit neceſſaria, & qua ratione. Nos breviter reſpondemus, illam ea prorsùs ratione fuiſſe neceſſariam, qua ſupra c. 3. ejus Incarnationem neceſſariam fuiſſe diximus. Ubi vide.

Quæſtioni de ſatisfactione Chriſti affinis eſt altera de merito ipſius, unde & eam illi adjungendam eſſe duximus. 298

Meritum autem generatim nihil aliud eſt, quàm *operis dignitas ac valor in ordine ad præmium.* Aliud eſt de condigno, cui ſcilicet merces & præmium ex juſtitia debetur; aliud de congruo, cui nempe ex quadam decentia & congruitate præmium debetur.

Porro in actionibus, quibus Chriſtus pro nobis Deo ſatisfecit, diſtingui debent, Entitas, Valor, Satisfactio, & Meritum. Entitas actionis phyſica eſt efficienter ſeu elicitivè ab humana natura; Valor à perſona Verbi unita cum humanitate; Satisfactio eſt ab homine Deo, ſolvente, quod divinæ juſtitiæ debebamus; Meritum à Chriſto, cui Deus juſtam mercedem retribuit. Cæterùm ad merendum, prout in Tract. de Angelis ſeu Deo creatore c. 1. §. 4. jam adnotavimus, iſtæ requiruntur conditiones: ſtatus viatoris, ſanctitas in operante, libertas in opere, & promiſſio in remunerante. His ita prænotatis.

Cer-

(*u*) Hæc etiam eſt objectio Socinianorum contra veram & propriam Chriſti pro nobis ſatisfactionem cui infrà reſpondebimus. Unde nemini auctores ſumus ut hanc amplectatur opinionem.

299 Certum eſt 1mo. Chriſtum verè & propriè meritum fuiſſe. Idque declarant ea Scripturæ teſtimonia, quibus demonſtravimus, illum pro nobis ſatisfeciſſe. Atque etiamnum patet ex eo, quòd nulla ex conditionibus mox recenſitis ad merendum Chriſto defuerit. Non ſtatus Viatoris, qui ad terminum tendit. Luc. 24. v. 26. *Nonne oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Gloria igitur terminus & præmium fuit, ad quod tendebat Chriſtus, dum erat in via, ſeu dum mortalem vitam degebat. Non ſanctitas Luc. 1. v. 35. *Quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur filius Dei.* Non operis dignitas & præſtantia. 1. Cor. 6. v. 20. *Empti eſtis pretiô magnô.* Non libertas in opere. Iſa. 53. v. 7. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Item Joan. 10. v. 17. *Ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam Nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à me ipſo.* Non promiſſio in remunerante. Pſal. 2. v. 8. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Iſa. 53. v. 10. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum.* Unde Concilium Tridentinum Seſſ. 6. c. 7. declarat, Chriſtum eſſe cauſam meritoriam noſtræ juſtificationis.

300 Certum eſt 2do. Chriſtum meritum fuiſſe à primo conceptionis inſtanti, uſque ad extremum vitæ ſuæ mortalis ſpiritum. *Ingrediens*, inquit Apoſtolus de ipſo Heb. 10. v. 5. *in mundum dicit: Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi ecce venio... ut faciam, Deus, voluntatem tuam... in qua voluntate*, pergit Apoſtolus, *ſanctificati ſumus per oblationem corporis Jeſu Chriſti ſemel.* Per ingreſſum autem in mundum, intelligi debet primum illud inſtans, quo perſona Verbi in utero Virginis humanitati hypoſtaticè conjuncta fuit, in hoc enim primo inſtanti Filius Dei *exinanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens*, quæ exinanitio meritoria profectò fuit, cùm Chriſtus vel in ipſo primo conceptionis ſuæ inſtanti cognitione ac libertate præditus, adeoque & meriti capax fuerit, longè ſupra communem cæterorum infantium conditionem, quantùm ad animam conſtitutus: vir quippe erat, id eſt, homo perfectus, juxta iſtud Jeremiæ, 31. v. 22. *fœmina circumdabit virum.*

Certum eſt 3tio. Chriſtum ſibi meruiſſe gloriam corporis, nominis exaltationem, &c. fuit enim ſimul comprehenſor & viator: comprehenſor, tanquam eſſentialiter beatus Deô intuitivè fruens: viator autem, tanquam nondum adeptus accidentalem nominis gloriam &c. quam poſt ſuam à mortuis ſuſcitationem obtinuit. Conſtat ex Apoſtolo, Heb. 2. v. 9. *Videmus Jeſum propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum.* Et Philipp. 2. v. 8. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, &c.* 301

Certum eſt 4to. Chriſtum, ut cæteta omittamus, de quibus conſuli poſſunt paſſim Theologi, ea omnia gratiæ cœleſtis dona, quæ vel antecedunt vel ſubſequuntur juſtificationem nobis abundè promeritum fuiſſe. Conſtat ex Apoſtolo Epheſ. 1. v. 3. *Qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati.* Et v. 7. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum ſecundùm divitias gratiæ ejus.* 302

Certum eſt 5to. Merita Chriſti fuiſſe valoris infiniti. Conſtat ex Apoſtolo 303

Rom.

Rom. 5. v. 15. *Sed non ſicut delictum, ita & donum; ſi enim unius delictô multi mortui ſunt: multò magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jeſu Chriſti in plures abundavit..... ubi autem abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia*, utique per Jeſum Chriſtum, ut patet ex contextu. Ibi efficacia meritorum Chriſti præfertur efficaciæ peccati Adami ad perdendos homines. Atqui peccatum Adami habuit efficaciam perdendi omnes homines poſſibiles, qui ab ipſo naſci poſſunt. Ergo merita Chriſti habuerunt efficaciam ad ſalvandos homines omnes poſſibiles, ideoque infinitam.

Adſtipulantur SS. Patres, *Multò plura*, inquit S. Chryſoſtomus, Hom. 10. in Ep. ad Rom. *quàm debebamus pro nobis ſolvit, tantoque plura, quantò guttulam exiguam excedit Pelagus immenſum.* S. Baſilius dicit, *pretium mortis Chriſti ſuperare omnem valorem.* S. Anſelmus, c. 14. de ſatisfactione Chriſti, *Poteſt*, ait, *ſufficere ad ſolvendum, quod debetur pro peccatis totius mundi plusquàm in infinitum.* His & ſimilibus teſtimoniis ſignificatur, Chriſti merita fuiſſe ſuperſufficientia ad condignè delenda quotlibet, & quælibet, ac quantalibet peccata in infinitum: quod eſt eſſe valoris ſimpliciter infiniti in ratione meriti & ſatisfactionis. Nam cùm peccatum mortale habeat malitiam infinitam, ejus condigna ſatisfactio debet eſſe valoris infiniti.

Ratio eſt aperta, quia, ut ſupra adnotavimus, valor actionum Chriſti eſt à perſona Verbi unita humanitati, actiones enim ſunt ſuppoſitorum. Atqui perſona Verbi eſt infinita, adeoque & meritum, ſeu actio quælibet meritoria Chriſti eſt infinita.

Solvuntur Objectiones. 304

Ob. 1mo. Contra 1mam. Concluſionem. Sociniani. Deus gratis condonat & remittit peccata, Matth. 8. v. 13. & ſeq. Epheſ. 4. v. 32. Coloſſ. 1. v. 13. Rom. 3. v. 34. Ergo nulla fit ei ſatisfactio.

Reſp. diſt. conſ. reſpectu perſonæ, cui fit gratuita remiſſio, conc. reſpectu alterius perſonæ, à qua exigitur ſatisfactio, neg. conſ. In præſenti myſterio tres debent attendi perſonæ, Deus, qui ſummè miſericors eſt & juſtus; Chriſtus ſponſor noſter, qui pretium ſolvit pro nobis; & homo qui peccavit, & ſatisfactioni ſolvendæ incapax eſt. Deus, ut ſummè miſericors, gratis & ex viſceribus miſericordiæ ſuæ condonat; ut ſumme juſtus, ſatisfactionem exigit, & læſi honoris reparationem: cùm autem homo ſatisfactionis ſit incapax, Mediator Chriſtus adeſt, qui cùm vadem pro peccatis noſtris ſe fecerit, illorum omnium peccatorum pœnas in ſe tulit, eoque nomine divinæ juſtitiæ perfectè ſatisfacit: à Chriſto ſatisfactio exigitur, nobis verò gratuita remiſſio peccatorum impenditur. *Juſtificati gratis*, inquit Apoſtolus Rom. 3. v. 34 *per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, quem propoſuit Deus propitiationem &c.*. Ergo gratuita eſt reſpectu noſtri peccatorum remiſſio. Chriſtus tamen pro nobis ſatisfacit, & ſic reſpectu ipſius adeſt exercitium divinæ juſtitiæ, utpote qui afflictus eſt & attritus propter peccata noſtra: atque in hoc mirificè eluxit divinæ miſericordiæ ac juſtitiæ temperamentum.

Inſt. 1mo. Illi debitum propriè gra- 305
tis non remittitur, qui vadem habet, à quo plena ſatisfactio ſolvitur, & omne extinguitur debitum. Atqui homo peccator vadem ac ſponſorem habet Chriſtum, qui plenè & perfectè ſatisfecit

Digitized by Google

fecit divinæ juſtitiæ. Ergo homini peccatori debitum gratis non remittitur; quod tamen Scripturæ repugnat.

Reſp. Diſt. maj. in debitis pecuniariis, aut res quaslibet externas ſpectantibus, conc. in debitis perſonalibus, & quæ ex violato honore contrahuntur, neg. maj. In debitis pecuniariis æqualitas reſtituenda eſt rei ad rem, & tota obligatio contracta extinguitur, cùm res eadem aut æquivalens ſive à debitore ſive à ſponſore ſolvitur. In debitis verò perſonalibus, quæ ex læſione honoris reſultant, æqualitas reſtituenda eſt perſonæ ad perſonam, debitum perſonam ipſam ream afficit, eamque pœnæ reddit obligatam: adeoque non ipſa perſona rea ſatisfacit, quando alius ejus loco pœnam ſuſtinet, &c.

306 Inſt. 2do. Ut debitum gratis remitti dicatur, neceſſe eſt, obligationem ſola creditoris liberalitate ſolvi. Atqui hìc peccatum non ex ſola liberalitate Dei remittitur, ſed ex juſtitia ſeveriſſimè in Chriſto punitur. Ergo, &c.

Reſp. Diſt. maj. neceſſe eſt &c. reſpectu hominis debitoris, à quo nihil exigitur, conc. Reſpectu ſponſoris Chriſti, in quem pœna hominis debitoris transfertur, neg. maj. Ut debitum gratis extingui dicatur, ſufficit, quòd illi gratuitò remittatur, à quo contracta eſt obligatio; nihilque ab eo exigatur, licèt à ſponſore illius pœna debita tota repetatur, prout à Chriſto repetitur. Satisfactio ergo Chriſtum ſponſorem, gratuita autem remiſſio hominem debitorem ſpectat.

307 Inſt. 3tio. Translatô in ſponſorem alienô debitô commutatur quidem debitum. Atqui per hoc dici non poteſt debitum remiſſum; creditor enim ad ultimum uſque quadrantem recipit, quod ipſi debebatur. Ergo, &c.

Reſp. neg. min. Quamdiu debitor propria & perſonali ſolutione non ſolvit, quod debet, ſed debitum ejus in alium transfertur, cenſetur debitum gratis remiſſum reſpectu debitoris primarii. Sic res ſe habet in præſenti myſterio. Debet homo pœnas perſolvere: impar eſt ſolvendo ad æquivalentiam; Deus ex benignitate dat vadem, qui pro ipſo homine ſolvat, ejusque ſolutionem acceptat: in his duobus utique eſt gratuita debiti reſpectu hominis remiſſio, licèt aliundè accurata repetatur ex vade ſatisfactio.

Inſt. 4to. Si Chriſtus locô noſtrî ſolvit, tum in eo & cum eo nos ſolviſſe cenſeri debemus; ſiquidem humanam noſtram naturam aſſumpſit, in qua ſolvit; nos ejus membra ſumus ipſe verò caput noſtrum. Atqui ſi ſolviſſe cenſemur, non jam ex gratia, ſed ex juſtitia ſtricta Deus peccata noſtra dimittit. Ergo, &c. 308

Reſp. neg. ſeq. maj. Quamvis in noſtra natura pro nobis ſolverit Chriſtus, nosque ejus membra ſimus, non tamen ſequitur, nos unacum ipſo ſolviſſe, prout patet. Porro intuitu ſolutionis ejus peccata dici poſſunt nobis remitti ex juſtitia ſimul & ex gratia: ex juſtitia reſpectu Chriſti abundè ſolventis; ex gratia, reſpectu noſtrî, qui nihil ſolvimus, & quidem ex mera liberalitate conceſſit Deus Filium ſuum vadem ac ſponſorem pro nobis fieri.

Inſt. 5to. Si Chriſtus ex juſtitia pro nobis omnibus ſatisfecit, tunc nobis omnibus ex juſtitia debetur Chriſti gratia & vita æterna, adeoque nemini jure poteſt denegari. Atqui Chriſtus ex juſtitia ſatisfecit. Ergo, &c. 309

Reſp. neg. ſeq. maj. Etſi Chriſtus ſanguine ſuo pretium ſuperabundans Deo Patri ſolvit pro gratia & vita æterna nobis comparanda, neque jure poſſit Deus gratiam & gloriam iis denegare, quibus eam Chriſtus conſtitutus Judex vivorum & mortuorum dandam decre-

vit: attamen gratia hæc nobis debita non eſt titulô juſtitiæ, ſed ex pura Chriſti liberalitate ac clementia conceditur, qui dona ſua, quæ proprii ſanguinis pretio acquiſivit, quibus vult, gratuitò largitur, &c.

310 Inſt. 6to. Si Chriſtus pro nobis abundè ſatisfecit, inanes ſunt & ſuperfluæ noſtræ privatæ actiones ſatisfactoriæ. Falſum conſeq. Ergo.

Reſp. neg ſeq. máj. Nam ex ſatisfactione Chriſti minimè ſequitur, inanes eſſe noſtras actiones ſatisfactorias, quia licèt Chriſtus omne pretium pro nobis ſolverit, ejus tamen merita nobis non applicantur, niſi per bona opera noſtra ex gratia Chriſti elicita; cooperari quippe debemus, & de noſtro conferre ad noſtram ſalutem. Unde ait Apoſtolus (*x*), *Satagite, ut per bona veſtra opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* Et, *Qui creavit te ſine te*, inquit S. Auguſtinus, *non ſalvabit te ſine te.*

311 Ob. 2do. Injuſtum eſt innocentem plecti pro reo, idque expreſſè à Deo improbatur, Deut. 24. v. 16. Et Ezechiel. 18. v. 4. Sed hoc factum eſſet, ſi Chriſtus verè pro peccatis noſtris ſatisfeciſſet. Ergo.

Reſp. Diſt. maj. Si innocens ſe ipſum liberè & ſpontè vadem & ſponſorem dederit pro reo, neg. maj. ſecus, trans. maj. Ubi innocens ſe vadem & ſponſorem pro reò conſtituit, tunc rei & debitoris peccata in ipſum conjecta & transmiſſa cenſentur, non quidem, quoad reatum culpæ ſed pœnæ. Equidem hominibus privatis non licet in cauſa capitali ſe ſe privata auctoritate conſtituere vadem pro alio, ſicut aliquando contigiſſe legimus Decio, Codro, & Curtio. Nam privatus quilibet ſui corporis dominium non habet, neque ſibi, ſed Reipublicæ vivit. At Chriſto, qui vitæ ſuæ Dominus fuit, & ſupremus rerum omnium arbiter, vitio verti non poteſt, imò ferventiſſima illius charitas ſummè commendari debet, qua ſemet ipſum pro nobis vadem ac ſponſorem Patri ſuo obtulit.

Ob. 3tio. Si Chriſtus ſatisfecit pro nobis, tunc ſibimet ipſi ſatisfecit; eſt enim Deus, atque Deo debetur ſatisfactio. Atqui hoc planè eſt abſurdum, quippe ex quo ſequeretur, eum ſimul & ſemel dare & accipere ſolutionem; ſimul & ſemel eſſe iratum, qui poſtulat, & placatum, qui exhibet ſatisfactionem. Ergo, &c. 312

Reſp. Diſt. maj. ſibimet ipſi ſatisfecit, ut Deus eſt, conc. maj. ut homo eſt & mediator inter Deum & hominem neg. maj. Chriſtus non eſt ſimplex Deus, nec ſimplex homo, ſed Deus homo, utramque naturam ſimul habens, divinam & humanam in unitate perſonæ, igitur ſimpliciter dici non debet, Chriſtum ſibimet ipſi ſatisfeciſſe, non enim ſatisfecit ſibi ut homini & mediatori inter Deum & hominem: ſub illo quidem reſpectu Deo ſatisfecit, licèt dici poſſit ſibi ſatisfeciſſe ut Deo. Argumentum adverſariorum Sophiſma eſt, quod vocatur *à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter.* Concludunt enim ſimpliciter & abſolutè Chriſtum ſibi ſatisfeciſſe, cùm tamen ſibi non ſatisfecerit niſi ut Deo, non autem ut homini. &c.

Ob. 4to. Chriſtus non ſolvit id omne, quod à nobis debebatur; debebamus enim ex juſtitia Dei pœnam ſeu mortem æternam ſuſtinere, quam tamen Chriſtus non ſuſtinuit. Ergo pro nobis verè non ſatisfecit. 313

Reſp.

(*x*) 1. *Pet. c.* 1. *v.* 10.

Reſp. diſt. ant. Non ſolvit &c. quoad pœnæ durationem, conc. quoad pretium & valorem æquivalentem, neg. ant. Pœnæ Chriſti ac mors illius fuerunt quidem temporaneæ ac finitæ phyſicè, pœnæ autem damnatorum æternæ; ſed pœnæ Chriſti valorem habent æquivalentem pro redemptione à pœnis ſecundùm durationem æternis, quia ſunt à perſona infinita toleratæ, adeoque infinitatem quamdam moralem ex illa contrahunt, quæ plusquam ſufficienter compenſat pœnas æternas.

314 Ob. 5to. Singulis peccatoribus mors una infinita debebatur. Ergo, quia Chriſtus unicam mortem toleravit duntaxat, plenè & verè pro omnibus non ſatisfecit.

Reſp. neg. conſ. Unica Chriſti mors pro omnibus omnium hominum peccatis expiandis ſufficientiſſima fuit, cùm fuerit à perſona infinita, & à Deo ipſo tolerata. Id expreſſè Scriptura teſtatur, 2. Cor. 5. v. 14. & Rom. 5. v. 18.

315 Ob. 6to. Si Chriſtus pro nobis ſatisfecit plus ipſi debemus quàm Patri cœleſti, qui pro nobis non ſatisfecit. Atqui hoc dicere impium eſt. Ergo.

Reſp. neg. maj. Tribus SS. Trinitatis perſonis æquè obligati ſumus, quia etſi Incarnationis myſterium ſubjectivè & terminativè ſit ſolius Filii, efficienter tamen eſt à tota Trinitate. Quòd ſi multum debemus Filio, qui pro nobis homo factus eſt, multum etiam debemus Patri, qui Filium ſuum unigenitum dedit; multum quoque Spiritui ſancto, qui Charitas eſt diffuſa in cordibus noſtris.

316 Ob. 7mo. Si Chriſtus pro nobis ſatisfecit Legi divinæ, tunc non ampliùs tenemur Legem obſervare: cùm enim pro re aliqua pretium locô alterius ſolutum eſt, non tenetur iſte denuò ſolvere, ſicque aditus panditur ſocordiæ & projectæ ad peccatum licentiæ. Ergo &c.

Reſp. neg. ant. Chriſtus non eo fine pro nobis ſatisfecit, & Legem implevit, ut nos à ſatisfactione ac Legis obſervantia immunes faceret, ſed ut noſtris bonis operibus ac Legis obſervantiæ noſtræ pretium & valorem vitæ æternæ condignum acquireret. Tantumque abeſt, ut doctrina ſatisfactionis Chriſti ſit impietatis janua, ac ſecuritatis & negligentiæ incitamentum, quin potiùs eo potiſſimùm motivo ad bona opera excitari debemus, quòd præeunte Chriſto capite noſtro non poſſimus niſi per illa ad æternam gloriam pervenire: *Hæredes ſumus Dei, & cohæredes Chriſti*, inquit Apoſtolus (y), *ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur.*

Ob. 8vo. Si Chriſtus prò omnibus ſatisfecit, tunc omnes etiam manifeſti impii ſalvabuntur. Atqui falſum conſequens. Ergo. 317

Reſp. neg. ſeq. maj. Etſi Chriſtus pro omnibus ſatisfecerit ac mortuus ſit, non tamen omnes in impietate perſeverantes & in ea ultimum diem obeuntes ſalvabuntur; mortuus quippe eſt, ut in novitate vitæ ambulemus, (z) *ut abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobriè, & juſtè, & piè vivamus in hoc ſæculo.* Qui ergo ex inveterata malitia & impietate in malo pertinaces ſunt ac moriuntur, culpâ ſuâ fructu meritorum ac ſatisfactionis Chriſti privantur, & à vita æterna excluduntur.

Ob. 9no. Poſita ſatisfactione Chriſti, gloria & omnipotentia Dei tota obſcuratur: nam Deus peccata noſtra ſine ſatisfactione remittere vel noluit, vel non potuit; ſi noluit, injuria fit ejus mi- 319

Kkk 2

(y) *Rom. 8. v. 17.* (z) *Ad Tit. 2. v. 12.*

miſericordiæ; ſi non potuit, ejus omnipotentiæ. Ergo.

Reſp. neg. ant. Nec miſericordia nec omnipotentia Dei per Chriſti ſatisfactionem obſcurantur, imò magis illuſtrantur. Noluit quidem Deus infinitè juſtus, imò nec, ut putamus (*a*), ex lege ordinaria potuit peccatum impunitum relinquere: at in eo plurimùm eluxit ipſius benignitas & miſericordia, quòd, cùm inimici eſſemus, ipſe prior dilexerit nos, dando nobis proprium ſuum ac dilectum Filium, qui pro nobis Deo Patri abundè & plusquàm abundè ſatisfaceret: omnipotentia quoque ac ſempiterna ejus virtus in eo apparuit, quòd per crucem ſuam, quæ *Judæis ſcandalum & Gentibus ſtultitia fuit*, omnes inferni adversùs nos conjurati vires ac conatus fregerit ac ſuperaverit.

320 Ob. 10mo. Contra 2dam Concluſionem. Satisfactioni Chriſti aliquid deeſt, dicente Apoſtolo, Coloſſ. 1. v. 24. *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea.* Ergo ſatisfactio Chriſti ex ſe ſe perfecta & condigna non eſt.

Reſp. Diſt. ant. Satisfactioni Chriſti aliquid deeſt, ex parte carnis noſtræ, quæ affligenda eſt & caſtiganda, ut merita Paſſionis Chriſti nobis applicentur, conc. Aliquid deeſt ex parte Chriſti, neg. ant. Quoad pretii ſolutionē ex parte Chriſti paſſionum *nihil deeſt*, vel, ut Græcus Interpres habet, *nihil ſupereſt*, ut qui pretii ſolutionem plusquam ſufficientem præſtitit; ſed quoad illius nobis factam applicationem, quæ fieri non poteſt, niſi accedant & bona opera noſtra.

321 Inſt. 1mo. Chriſtus oravit, ut nobis veniam delictorum impetraret, Luc. 23. v. 34. Atqui ſi Chriſti ſatisfactio fuiſſet infinita, delictorum noſtrorum venia ipſi debita fuiſſet, non precibus exoranda. Ergo.

Reſp. Neg. min. Etſi enim debita eſſet, precibus tamen eam exorare voluit, tùm ut orandi præceptum ac exemplum nobis daret; tum ut hac ipſa ratione, quæ demiſſionem & obedientiam ejus demonſtrabat, impetraret àc mereretur, quod poſtulabat; erat enim ipſamet oratio Chriſti pars quædam ipſius ſatisfactionis: ſic autem orabat Patrem, ut ſimul ſignificaret, omnia ſibi eſſe cum ipſo communia, *Omnia tua mea ſunt.* Tùm denique, ut Mediatoris officium & partes adimpleret.

Inſt. 2do. Neceſſe fuit ad valorem ſatisfactionis Chriſti, ut à Deo acceptaretur. Ergo ex ſe ſe ſufficiens ac condigna non fuit. 322

Reſp. diſt. ant. Neceſſe fuit ut à Deo acceptaretur, nec potuit, ſuppoſitô Incarnationis decretô non acceptari, conc. & potuit non acceptari. neg. ant. Acceptatio ſeu approbatio ſatisfactionis nihil detrahit de ipſius condigna perfectione, quia nulla pars debiti per acceptationem gratuitò remittitur. Neque etiam ſatis intelligitur, quomodò recuſari, ſeu non acceptari potuiſſet Chriſti ſatisfactio, ſuppoſitô decretô liberô futuræ Incarnationis.

Ob. 11mo. Si ſatisfactio Chriſti condigna eſſet & æquivalens ad ſolvendum, 323 quod ex peccato contraximus, debitum, ſuperflua forent Sacramenta aliaque ſalutis aſſequendæ ſubſidia, & immeritò novæ pœnæ ſatisfactoriæ à nobis exigerentur: cùm enim totum debitum ſolutum eſt à ſponſore, iterata ejus ſolutio à reo exigenda non eſt. Atqui. Ergo.

Reſp. Neg. ſeq. maj. Sacramenta & alia ſalutis ſubſidia, novæque pœnæ, quæ

(*a*) Vide dicta ſuperiùs c. 3. §. 2.

Digitized by Google

quæ à nobis exiguntur, non ſunt neceſſaria, ut ſolvatur pretium redemptionis noſtræ, quod abundè imò ſuperabundè Chriſtus perſolvit, ſed ut nobis applicetur & communicetur; ſunt enim Sacramenta inſtrumenta publica, quibus Deus utitur, ut gratia, quam ſanguine ſuo promeruit, nobis communicetur. Et etiam totum redemptionis noſtræ pretium à Chriſto quidem ſolutum eſt, ſed hac conditione & lege, ut pretii hujus participes non ſimus, niſi per cruces, dolores & afflictiones, *cohæredes Chriſti ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Ita ſapienter divina ordinavit ſapientia & juſtitia 1mo. Ut membra ſuo capiti conformia eſſent, & quemadmodùm Chriſtus per crucē pervenit ad gloriam ſuam, *Hæc oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam*, Luc. 24. v. 26. ita & nos per vitæ hujus dolores & ærumnas ad vitam æternam perduceremur. 2do. Ut à bonis temporalibus abſtracti, ac hujus vitæ pœnis fatigati cœleſtia bona ardentiùs concupiſceremus. 3tio. Ut nobis tolleretur negligentiæ occaſio. 4to. Ut gloriæ noſtræ conſuleretur: glorioſum quippe homini eſt, in negotio ſalutis ſuæ Redemptori ſuo cooperari.

324 Ob. 12mo. Chriſtus pro nobis ſatisfecit per actiones humanas ſeu per humanitatem duntaxat. Atqui hæc finita eſt. Ergo & ipſius ſatisfactio finita fuit, adeoque non perfecta & condigna.

Reſp. Diſt. maj. Chriſtus ſatisfecit per actiones humanas quoad entitatem phyſicam conc. quoad valorem moralem, neg. maj. Actiones Chriſti ſatisfactoriæ ſpectari poſſunt, vel quoad entitatem phyſicam, ſub quo reſpectu ſunt finitæ; vel quoad pretium & valorem moralem, quo reſpectu infinitæ ſunt propter unionem Verbi perſonalem cum humanitate. Tria ergo in Chriſto ſunt attendenda: perſona ipſa ſatisfaciens; natura divina, quæ valorem & pretium infinitum actionibus Chriſti communicat; & natura humana, quæ phyſicam illarum actionum, quas elicit, entitatem ſubminiſtrat.

Inſt. 1mo. Vix intelligitur, qua ratione Verbi perſona pars eſſe poſſit ſatisfactionis; ad hoc enim neceſſe foret, Verbum ſe ſe demittere, ac ſubjicere legi ſatisfactionis: Atqui de divina perſona id concipi non poteſt. Ergo. 325

Reſp. Diſt. min. De divina perſona ſolitariè ſumpta id concipi non poteſt, con. Hypoſtaticè unitâ cum natura humana, neg. min. Verbum quippe cùm caro factum eſt, *exinanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens.... & humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem*, Philipp. 2. v. 7. & 8. Re ipſa mens humana non capit quomodò id fieri poſſit: myſterium enim eſt à ſæculo abſconditum.

Inſt. 2do. Quoties duæ cauſæ concurrunt ad eundem effectum, quarum una eſt infinita, altera verò finita, effectus ſimpliciter eſt finitus, ut patet in Deo cum creaturis agente, & in viſione beatifica. Atqui divinitas & humanitas concurrunt ad eamdem actionem Chriſti meritoriam. Ergo effectus ex duplici illa cauſa reſultans ſimpliciter eſt finitus. 326

Reſp. Diſt. maj. Si duæ illæ cauſæ eodem modo nempe phyſicè ac effectivè concurrant, conc. Si diverſô modô, ità ut cauſa infinita moraliter tantùm, cauſa verò finita phyſicè ac effectivè concurrat, neg. maj. Deus agens cum creaturis, & in ipſa etiam viſione beatifica phyſicè influit ac concurrit: in actionibus verò Chriſti ſatisfactoriis divinitas moraliter duntaxat influit, iis valorem ac pretium infinitum communicando; humanitas autem phyſicè & effectivè, entitatem actionis producendo.

Inſt. 3tio. Si omnis & quælibet actio Chriſti ſatisfactoria foret infinita, om- 327

nes in merito æquales forent, nec una eſſet alterâ nobilior; imò omnes ſimul ſumptæ majorem dignitatem ac valorem non haberent, quàm una ſimplex; infinito quippe nihil addi poteſt. Atqui conſequens iſtud eſt abſurdum. Ergo &c.

Reſp. Diſt. maj. Omnes æquales forent in merito ratione valoris perſonalis, conc. Valoris objectivi, neg. maj. Valor perſonalis, qui eſt ab ipſa Verbi perſona, æqualis eſt: valor autem objectivus, qui eſt ab objecto & circumſtantiis actionis, major vel minor eſſe poteſt, pro majori vel minori dignitate objecti.

328 Inſt. 4to. Si unica Chriſti actio ſit infiniti valoris ac meriti, ſuperfluè Chriſtus tot dira perpeſſus eſt, ac moriendo totum effudit ſanguinem, cujus vel unica gutta univerſo mundo redimendo ſufficiens erat. Atqui &c. Ergo &c.

Reſp. Neg. ſeq. maj. Voluit enim Chriſtus ex abundantiſſima charitate opus redemptionis noſtræ morte ſua complere ac conſummare, ad quam quodlibet vitæ ſuæ mortalis opus ſatisfactorium ordinavit. *Mors*, inquit S. Auguſtinus (*b*), *niſi à morte ſuperari non poterat; ideo mortem Chriſtus ſuſtinuit, ut injuſta mors juſtam vinceret mortem, & liberaret reos juſtè, dum pro eis occidebatur injuſtè.* Non major ergo eſt valor perſonalis & intenſivus, ut ajunt, in una quàm in altera Chriſti actione; licèt major ſit objectivè & extenſivè in pluribus.

329 Inſt. 5to. Valor actionum Chriſti non eſt quid increatum, alioquin eſſet ab æterno. Ergo eſt quid creatum, & conſequenter finitum.

Reſp. Diſt. ant. Non eſt quid increatum prout ſe tenet ex parte actionum ab humana natura elicitarum, conc. prout ſe tenet ex parte perſonæ Verbi, quæ illum actionibus illis moraliter impertitur, neg. ant. Valor iſte eſt quid aggregatum ex ipſis operibus & ex dignitate increata Verbi; nihil enim aliud eſt valor iſte, quàm bonitas operis exigentis à Deo præmium eximium, & majeſtas operantis, cui nihil finitum eſt magnum in ratione præmii: hoc autem aggregatum infinitum eſt ratione valoris, licèt includat aliquid creatum.

330 Inſt. 6to. Iſtud aggregatum ergo componitur ex aliquo finito, & ex aliquo infinito. Ergo non eſt ſimpliciter infinitum, ſed ſecundùm quid duntaxat.

Reſp. Neg. conſ. Iſtud aggregatum quantùm ad valorem & pretium ſimpliciter eſt infinitum, tametſi ratione entitatis aliquid finitum includat: eo ferè modo, quo actiones meritoriæ hominis juſti merentur præmium extenſivè & quoad durationem infinitum, nempe vitam æternam; tametſi quoad entitatem ſint finitæ ac limitatæ.

§. V. 331

De ſubjectione ſeu ſervitute, nec non de filiatione ſeu adoptione Chriſti.

Hìc binas de ſubjectione & filiatione Chriſti quæſtiones conjungimus, utpote quarum una ex alia ſequi videatur, & pro quarum vera expoſitione adversùs Elipandum Epiſcopum Toletanum, & Felicem Epiſcopum Urgelitanum Hiſpanos ſub finem ſæculi octavi Eccleſia, præeunte Adriano Romano Pontifice, decertavit in Synodis Forojulienſi an. 791. Ratiſbonenſi an. 792. & Francofordienſi an. 794.

(*b*) Hi

(*b*) *Serm.* 101. *de temp. nunc* 32. *in Append.*

Digitized by Google

(c) Hi duo Hiſpani Epiſcopi tuebantur Chriſtum ſaltem ratione humanitatis dici debere & eſſe Filium Dei adoptivum & ſervum. Propterea ab Eccleſia erroris & impietatis damnati. Igitur peccarunt Scotus & Durandus. Iſte cùm ſcripſit, Chriſtum dici poſſe filium Dei adoptivum, non quidem ſimpliciter & abſolutè ſed ſecundùm humanitatem, vel prout eſt homo. Ille verò cùm in 1. diſt. 6. q. 1. in Reportatis eadem diſt. q. 1. concedit quidem id dici poſſe; at non expedire ut dicatur, propter Hæreticos, qui hac denominatione abutuntur.

332 Quod ſubjectionem ſpectat, idea, quæ illius nomini convenit, tria complectitur, inæqualitatem, dependentiam, obedientiam.

Nemo revocat in dubium, quin Chriſtus prout eſt homo, ea triplici ratione æterno Patri ſubjectus fuerit. Joan. 14. ipſe ſuam inæqualitatem prædicat, *Pater major me eſt*. Scripturæ eum factum vel creatum non ſemel appellant, Act. 2. Rom. 1. Galat. 4. unde ipſius à Patre dependentia arguitur, quippe à quo humana Chriſti natura creata & ex nihilo educta fuerit (d). Sæpiùs etiam in Evangelio Chriſtus meminit perfectæ obedientiæ, quam exhibuit Patri ſuo. Non ſemel ait, ſe nihil operaturum eſſe, quàm id, quòd à Patre præceptum fuiſſet, *A me ipſo facio nihil*, Joan. 8.

333 Quæſtio igitur hîc volvitur, num ex his ſubjectionis proprietatibus, quæ in Chriſto fuerunt, inferri poſſit aut debeat, ipſum ſervum poſſe appellari. Sunt, qui tuentur eum ſaltem in latiori & improprio ſenſu ſervum dici poſſe: dupliciter igitur ſervi nomen ſumi poſſe ajunt, in latiori nempe & ſtricta ſignificatione. Servus in rigore ac ſtricta ſignificatione apud ipſos ille dicitur, qui ſui juris non eſt ſed alieni, nec per ſe ullum habet jus ad bona domini. Servus verò in latiori ſignificatione eſt ille, qui dependentem habet naturam, qui alterius voluntati obtemperat, eique ſubditus eſt.

Verùm quàm impropriè hæc attributa Servi ſignificationem evincant, quivis animadvertere poteſt: unde contempta hac latiori ſervi ſignificatione alii contendunt, Chriſtum nullatenus ſervum dici oportere (e). Ita S. Dionyſius Alexandrinus, Ep. ad Paulum Samoſatenum, negat Chriſtum, qui naturâ Dominus erat, fuiſſe naturâ ſervum. S. Auguſtinus, Hom. 39. quam laudant Patres Synodi Francofordienſis Ep. Synodicâ, *Dominus noſter*, inquit, *etiam in forma ſervi non ſervus*. S. Damaſcenus l. 3. de fide, c. 21. *Illi*, inquit, *qui ſervum eum* (Chriſtum) *dicunt*, *unum Chriſtum ad inſtar Neſtorii in duos dividunt*. Denique Patres Francofordienſes in cit. Synodica Epiſtola, & Adrianus Papa Ep. ad Hiſpaniæ Epiſcopos, iiſdem plane momentis oſtendunt Chriſtum nec filium adoptivum, nec ſervum dici poſſe. Momenta autem ſunt iſta. 1mo. Auctoritas Scripturæ, in qua nec Chriſtus ipſe nec Evangeliſtæ, nec cæteri Apoſtoli æternum Patrem Chriſti dominum appellavêre, vel Chriſto ſervi nomen tribuerunt, ſed Domini. Apoſtolus,

(c) Eginhardus ad an. 792. ubi Ratisbonam *Reginum Bojariæ* nuncupat.

(d) Nihilominùs S. Thomas hic q. 16. a. 8. docet, ne hæreticorum errori favere videamur, non eſſe abſolutè dicendùm quòd Chriſtus ſit creatura, ſed cum determinatione, ſcilicet ſecundùm humanam naturam. Quia ſcilicet Ariani contendebant non tantùm Chriſti naturam, ſed & perſonam eſſe creaturam: vox quippe *creatura* ad utramque referri poteſt.

(e) Hæcque ſententia tutior imò certa videtur, prior verò periculoſa admodum.

Digitized by Google

lus, Heb. 1. Chriſtum Angelis anteponit, quòd ſit filius Dei, Angeli autem ſervi ſint in miniſterium miſſi. Et c. 3. anteponit Chriſtum Moyſi, quòd Moyſes eſſet *fidelis in tota domo ejus tanquam famulus. . . . Chriſtus verò tanquam filius in domo ſua.* 2do. Quia ſervi ſicut & filii denominatio ad perſonam pertinet, non ad naturam: unde periculum eſt ne ſi Chriſtus ſervus dicatur, duo filii cum Neſtorio inducantur. 3tio. Quia Chriſtus ſui juris eſt, non alieni, eaque omnia poſſidet, quæ Patris ſunt....

Quòd ſi alicubi in Veteri Teſtamento, apud Iſaiam nempe & Pſalmiſtam Chriſtus ſervus nuncupari videatur, id de perſona aliena, non propria intelligendum volunt, nempe, quia ſub Iſaia, aut Davide, aut aliquibus aliis Prophetis, qui ſervi erant, in officiis, quibus perfunctus eſt, adumbrabatur. *Is autem,* inquit Adrianus Papa I. Ep. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, *qui per alium adumbratur, non poteſt propriè loquendo illius nomine vocari.* Equidem Apoſtolus etiam ait Chriſtum formam ſervi accepiſſe, Philipp. 2. non quoad conditionem ſed quoad officia duntaxat. Patres verò quidam è veteribus, cùm ſcripſerunt Chriſtum, prout eſt homo, ſeu ſecundùm humanitatem poſſe dici ſervum Patris; atque Arianis Chriſtum in Scripturis vocari ſervum objicientibus, reſponderunt, id de humana ejus natura eſſe intelligendum; in ſenſu ſeu quoad ſenſum metaphoricum locuti ſunt, nempe in quantùm ii, de quibus ad litteram loquebantur Prophetæ, erant typus Chriſti; item ob rationem formæ ſervi, quam Verbum aſſumpſit, non verò ratione conditionis ſervilis, quæ quidem ex natura humana fluxiſſet, ſi ſui juris permanſiſſet, nec Verbum eam ſibi hypoſtaticè conjunxiſſet, non verò propriè & quaſi re ipſa ſervus eſſet. *Denominativè igitur,* inquit S. Damaſcenus, lib. de Fide Orthod. c. 2. *dicitur ſervus* (Chriſtus) *non quòd ipſe ſanè hoc exiſtat, ſed quòd propter nos formam ſervi accepit, & ſervus nobiſcum vocatus eſt.*

Quantùm ad Chriſti adoptionem ſpe- 334
ctat, ille filius adoptivus dicitur, qui tantùm per aſſumptionem & gratiam ad hæreditatem vocatur; unde Juriſconſulti adoptionem definiunt, *perſonæ extraneæ gratuitam acceptationem ad hæreditatem.* Cùm è contra filius naturalis ſit ille, cui jure nativitatis & ſanguinis paterna hæreditas debetur.

Duplex eſt Adoptio, humana ſcilicet, & divina. Adoptio humana eſt gratuita aſſumptio perſonæ extraneæ ad hæreditatem humanam. Adoptio divina eſt gratuita aſſumptio perſonæ extraneæ ad hæreditatem divinam, quæ in beatitudine æterna & perfecta conſiſtit. Perfecta enim beatitudo eſt hæreditas Dei, ad quam Angeli & homines adoptantur; adoptantur autem per gratiam ſanctificantem, per quam acquirunt jus ad hæreditatem æternam juxta illud ad Tit. c. 3. *Ut juſtificati gratiâ ipſius, hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ.* Hinc omnis & ſola creatura intellectualis Angelus nempe & homo capax eſt adoptionis divinæ; cùm omnis & ſola fieri poſſit capax beatitudinis æternæ, quæ in Dei viſione intuitiva & amore fruitivo conſiſtit.

CONCLUSIO. 335

Chriſtus etiam ſecundùm humanitatem, ſeu quatenus eſt homo, nec eſt nec dici poteſt filius Dei adoptivus.

Prob. 1mo. ex S. Scriptura, Chriſtus eſt unigenitus Dei Filius; *Unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris ipſe enarravit.* Joan. 1. v. 18. Sed idem unigenitus Filius eſt quoque filius proprius, verus filius naturalis. Pſal. 2. v. 7. *Filius meus es tu ego genui te.* Matth. 3. v. 17. *Hic eſt filius meus dilectus, in*

quo

quo mihi benè complacui. 1. Joan. 5. v. 20. *Scimus quoniam filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, ut cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero filio ejus.* Ergo non eſt nec dici poteſt filius Dei adoptivus. Rom. 8. v. 32. *Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro omnibus nobis tradidit illum.* Ubi, ut obſervat Adrianus Papa Ep. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, Chriſtus proprius filius vocatur ſecundùm eam ipſam naturam, qua traditus fuit, id eſt humanam. Ergo Chriſtus ne quidem ſub expreſſa reſtrictione humanitatis dici poteſt filius adoptivus; aliàs duo admittendi eſſent filii, unus naturalis, adoptivus alter, qui fuit error Neſtorii.

Prob. 2. ex SS. Patribus. S. Hilarius lib. 3. de Trinit. de Chriſto *Hic eſt*, ait, *& verus & proprius filius origine non adoptione; veritate non nuncupatione.* Et lib. 6. ait, *Filium Dei Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ab Apoſtolis creditum, non ex nuncupatione, ſed ex natura, non ex adoptione, ſed ex nativitate.*

S. Auguſtinus, Tract. 7. in Joan. *Oportebat*, inquit, *ut ille baptizaret, qui eſt filius Dei unicus non adoptatus. Adoptati filii miniſtri ſunt Unici: Unicus habet poteſtatem, adoptati miniſterium.*

(*f*) Africani Præſules in Libello emendationis Leporii, *In hoc*, ajunt, *maximè fides noſtra conſiſtit, ut credamus unicum filium Dei, non adoptivum ſed proprium.*

Plura ex SS. Patribus & Traditione hîc non adducimus teſtimonia, quæ accuratè & diligenter prolata & expenſa ſunt à Patribus Francofordienſibus, atque à fraudibus hæreticorum ea inverecundè truncantium vindicata fuêre: qua traditione rectè inſpecta & probata ſic in ſua Synodica Epiſtola loquuntur: *Quiſquis es, qui Chriſtum prædicas adoptivum, unde tibi iſte ſenſus veniſſet voluiſſem ſcire: ubi hoc nomen didiciſſes, oſtende. Patriarchæ neſcierunt, Prophetæ non dixerunt, Apoſtoli non prædicaverunt, ſancti Tractatores hoc nomen tacuerunt, Doctores fidei noſtræ non docuerunt. . . . . . . Quid eſt aliud dicere eamdem Virginem adoptivum vel ſervum genuiſſe, niſi negare Deum illam genuiſſe? Si Deus generatus eſt, nequaquam adoptivus ſed filius, quia alia perſona eſt proprii filii, alia adoptivi filii ſervi: & ſcimus unam eſſe perſonam in Chriſto Deo.*

His adde definitionem Adriani Papæ I. qua Felix & Elipandus damnantur, quòd aſſererent Chriſtum ſecundùm humanitatem, & prout eſt homo, eſſe filium Dei adoptivum, ut patet ex ejus Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ ubi ait: *Materia autem cauſalis perfidiæ inter cætera rejicienda de adoptione Jeſu Chriſti Filii Dei ſecundùm carnem, falſis argumentis digeſta perfidorum verborum ibi ſtramina, in compoſito calamo legebantur. Hoc Catholica Eccleſia nunquam credidit, nunquam docuit, nunquam malè credentibus aſſenſum præbuit.*

Prob. 3tio. Ratione Theologica. Adoptio cadit in perſonam extraneam, quæ non ex origine ac natura, ſed favore ac gratiâ vocatur ad hæreditatem. Atqui nulla eſt in Chriſto Domino extranea perſona, ſed unica, eaque divina, quæ à natura ſua & origine jus habet ad hæreditatem paternam ſeu cœleſtem. Ergo Chriſtus ex nulla parte eſt, aut dici poteſt filius adoptivus.

(*f*) *Bibl. PP. Tom. 7. p. 2. H.*

Digitized by Google

336 *Solvuntur Objectiones*

Contra poſitam Concluſionem.

Ob. 1mo. Nonnulli ex Veteribus, ut Irenæus, lib. 3. adv. hæres. c. 21. Theodoretus, Dial. 1. Hilarius, lib. 2. de Trinit. Auguſtinus, lib. de prædeſt. SS. c. 15. cùm agunt de Chriſto, *adoptionis* nomine utuntur. Ergo &c.

Reſp. neg. conſ. Senſus horum Patrum eſt, naturam humanam gratis & abſque ullis antecedentibus meritis adoptatam fuiſſe, id eſt, aſſumptam ad unionem hypoſtaticam cum Verbo. Non de perſona Chriſti loquuntur, ſed de natura: neque enim perſona hominis, ſed ejus natura à Verbo aſſumpta fuit, & quidem gratuitò ex mera Dei liberalitate; quæ aſſumptio dicitur *adoptio* ſenſu longè diversò ab eo, de quo hîc agitur.

337 Ob. 2do. Ubi eſt cauſa & ratio formalis adoptionis, ibi etiam agnoſcenda eſt adoptio ſaltem cum reſtrictione humanæ naturæ. Atqui eſt in Chriſto cauſa & ratiò formalis adoptionis, nempe humana nàtura, & gratia habitualis. Namque vel humanitas eſt ratio formalis filiationis naturalis, vel filiationis adoptivæ. Atqui prius dici non poteſt. Ergo &c.

Reſp. neg. min. Ratio quippe formalis, ſeu potiùs fundamentum filiationis eſt ipſa perſona, ex mox dictis, non natura: gratia quidem habitualis in perſona extranea, qualis eſt homo, fundamentum eſt adoptivæ filiationis; at in perſona intranea, qualis eſt homo Chriſtus neutiquam: imò potiùs gratia habitualis derivatur ex ipſamet perſona, ſeu ex hypoſtatica unione humanæ naturæ cum Verbo.

338 Ob. 3tio. Vel Chriſtus quatenus homo filius eſt adoptivus, vel filius naturalis; atqui quatenus homo non eſt filius naturalis. Filiatio enim naturalis fundatur in generatione, ſeu in ſubſtantia quam filius à Patre per veram generationem acceptam habet. Atqui Chriſtus quatenus homo ex ſubſtantia Dei per veram generationem non prodiit. Ergo non eſt filius naturalis, ſed adoptivus.

Reſp. 1mo. neg. maj. Reduplicatio iſta *quatenus homo* vel humanam perſonam denotat, vel humanam naturam: ſi prius, certum eſt ex fide, humanam in Chriſto non eſſe perſonam: ſi poſteriùs, humanitas fundamentum non eſt filiationis aut naturalis, aut adoptivæ, ſed una Verbi perſona.

Reſp. 2do. neg. min. Chriſtus quippe quatenus homo hypoſtaticè junctus cum Verbo, filius eſt naturalis. Ad prob. diſt. maj. filiatio naturalis per viam generationis fundatur in generatione, conc. per viam unionis ſubſtantialis & perſonalis cum Verbo, neg. maj. Duplici modô poteſt quis filius naturalis dici & eſſe: vel quia genitus eſt de ſubſtantia Dei, vel quia ſubſtantialiter & hypoſtaticè unitur cum Deo; virtute cujus unionis fit, ut una ſit cum Deo perſona, & conſequenter filius naturalis.

Ob. 4to. Chriſtus ut homo non poteſt dici Deus. Ergo nec filius Dei naturalis. 339

Reſp. diſt ant. Chriſtus ut homo, id eſt, Chriſtus ratione humanitatis non poteſt dici Deus, conc. Chriſtus ut homo, id eſt, ut perſona divina ſubſiſtens in natura humana, ſive ut perſona naturæ humanæ non poteſt dici Deus, neg. ant. Igitur Chriſtus eſt Deus & Filius Dei naturalis quatenus homo, quando vox *homo* denotat ſolum ſuppoſitum humanitatis, ita ut ſenſus ſit, Chriſtus ut ſuppoſitum humanitatis eſt Deus & Filius Dei naturalis. Nam ſuppoſitum humanitatis eſt Verbum divinum à Patre per generationem æternam procedens,

Ob. 5to. Verbum quatenus Deus habet ex conditione ſuæ naturæ divinæ ut ſit filius naturalis. Ergo quatenus homo habet ex conditione humanitatis, ut ſit filius adoptivus. 340

Reſp.

Reſp. neg. conſ. & paritatem. Diſparitas eſt, quòd Verbum, ut Deus, ſit vera perſona divina ſubſiſtens, adeoque verus & naturalis Dei filius; Verbum autem ut homo, non ſit humana perſona, nec conſequenter filius adoptivus: adoptio enim perſonam reſpicit, non naturam; unde prout eſt ſuppoſitum humanitatis, filius Dei naturalis etiam eſt.

341 Ob. 6to. Chriſtus eſt filius naturalis per generationem vel æternam vel temporalem: non per æternam, Chriſtus quippe ut homo, non eſt ab æterno. Ergo per temporalem, adeoque filius adoptivus.

Reſp. dicendo, Chriſtum etiam hominem naturalem eſſe Dei filium per generationem æternam, *In ſplendoribus Sanctorum ante luciferum genui te.* Pſal. 109. v. 3. ratione perſonalitatis nempe. Quamquam enim humanitas Chriſti ab æterno non fuerit, Chriſtus nihilominus perſonaliter Verbo conjunctus, & una cum ipſo perſona, ab æterno in ſinu Patris genitus eſt ac filius Dei verus & naturalis. Neque inde inferri poteſt, duas eſſe in Chriſto filiationes naturales, unam, quæ Verbum ipſum in ſe, alteram, quæ Verbum hominem factum reſpiciat; cùm enim unicus ſit filius Dei naturalis, unica pariter eſt filiatio.

342 Ob. 7mo. Fuit in Chriſto gratia habitualis, accidentalis & adventitia. Ergo & filiatio adoptiva, utpote quæ colligitur ex gratia habituali & adventitia.

Reſp. conc. ant. neg. conſ. Ex gratia quidem habituali & adventitia colligi poteſt in nobis filiatio adoptiva, non autem in Chriſto Domino, utpote in quo omnis gratia fuit naturalis & ſubſtantialis orta ex unione hypoſtatica, quæ fundamentum eſt, aut ratio formalis filiationis naturalis.

343 Ob. 8vo. Non major eſt imperfectio in Chriſto dici filium adoptivum, quàm paſſum & mortuum. Atqui. Ergo.

Reſp. neg. maj. & paritatem. Diſparitas eſt, quòd denominatio paſſi &c. cadat directè ac primariò in naturam; denominatio autem filii in perſonam. Triplex genus attributorum in Chriſto diſtingui poteſt: alia ſolam humanam naturam ſpectant, ut mutari; alia perſonam ſimul & naturam humanam, ut naſci, pati, mori; alia denique ſolam perſonam, ut incarnari, filium eſſe. Igitur mirum non eſt, ſi Chriſtus ut homo dicatur natus, paſſus, mortuus, quia natura ipſa nata eſt, paſſa, mortua: non poteſt autem dici ut homo, filius adoptivus; quia ad naturam humanam non pertinet eſſe filium, ſed ad perſonam.

§ VI. 344

De Prædeſtinatione Chriſti.

Occaſione hujus ſententiæ S. Pauli ad Rom. 1. v. 3. & 4. *Qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundùm carnem, qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundùm Spiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Jeſu Chriſti Domini noſtri.* Magna inter Scholaſticos orta eſt de Chriſti prædeſtinatione controverſia: quidnam videlicet in Chriſto poſſit eſſe prædeſtinationis ſubjectum; an natura humana, an verò perſona Verbi? item quinam ſit prædeſtinationis terminus, an filiatio divina, an viſio beatifica?

Chriſtum & eſſe & verè dici prædeſtinatum, ex eo colligi videtur, quòd de eo ab æterno decretum fuerit, ut eſſet in tempore: nam *prædeſtinatio eſt rerum, quæ fiunt in tempore in mente divina præordinatio.* Ab æterno autem decretum fuit, ut Chriſtus eſſet in tempore, nihil enim, prout part. 1. Tract. de Deo dictum eſt, fit in tempore, quod ab

ab æterno prædefinitum ac præordinatum non fuerit, ut exiſteret in tempore. Unde in eo ſubjectum prædeſtinationis videtur eſſe perſona Verbi prout in natura humana ſubſiſtit eamque complet ac terminat; terminus verò filiatio divina, & quæ ex ea ſequitur viſio beatifica; par nimirum eſt, ut is Deô fruatur, qui naturâ eſt filius Dei. Igitur Chriſtus ut homo, id eſt, Verbum prout in natura humana ſubſiſtit prædeſtinatus fuit, ut eſſet Filius Dei, in qua cœpit eſſe in tempore filius Dei, & cui humanæ naturæ unio hypoſtatica non debebatur &c.

345 Verùm, Quia Chriſtus dicitur prædeſtinatus ad filiationem divinam, quæritur, num etiam humanitas ad eam prædeſtinata dici non poſſit? Reſpondendum videtur, quòd quamvis humanitas dici poſſit fuiſſe prædeſtinata ad unionem hypoſtaticam, quippe quæ re vera in unitate perſonæ naturæ divinæ unita fuit in tempore, prout docet S. Auguſtinus Enchiridii c. 40. tamen dici non poſſit prædeſtinata fuiſſe ad filiationem divinam, quia, ut §. præcedenti oſtendimus, filiatio cadit in perſonam, non in naturam, conſequenter naturâ humana non poteſt dici & eſſe filius, quia in abſtracto non dicit perſonam, ſed ab illa abſtrahit, prout docet S. Thomas 3. p. q. 24. a. 1. in Corp. ubi, *Eſſe filium Dei*, ait, *non convenit humanæ naturæ: eſt enim falſa hæc propoſitio: Humana natura eſt filius Dei, niſi fortè quis velit ſic exponere unitatem perſonæ: Qui prædeſtinatus eſt, ut humana natura uniretur filio Dei in perſona.*

346 Porro Prædeſtinatio Chriſti non modo exemplar, ſed & cauſa eſt noſtræ prædeſtinationis; nam ſicut Chriſtus homo electus eſt ad naturalem Dei filiationem & viſionem beatificam nullis præcedentibus meritis, ita etiam nos in ſtatu naturæ lapſæ, ſine præcedentibus meritis prædeſtinamur ad gratiam, quam gloria ſequitur. Ita S. Auguſtinus, lib. de prædeſt. SS. c. 15. Hæcque Prædeſtinatio Chriſti eſt cauſa efficiens moralis ſeu meritoria omnium auxiliorum & donorum, quæ ad noſtram ſalutem conferunt, prout definit Conc. Trid. Seſſ. 6. c. 7. atque teſtatur Apoſtolus Epheſ. 1. v. 3. & 4. ubi ſic de Patre æterno loquitur: *Qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto.... Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus.* Conſequenter & prædeſtinationis noſtræ.

At initiô relata Apoſtoli ſententia Rom. 1. nullam controverſiæ occaſionem præbet, ſi cum Græcis Patribus vocem *Prædeſtinatus*, interpretemur *Declaratus* ſeu *manifeſtatus*, prout eam interpretari & intelligi debere arbitramur. Adeo ut hic ſit Apoſtolicæ ſententiæ hujus ſenſus; Idem ille, qui factus eſt ex ſemine David ſecundùm carnem, quem proinde conſtat verum hominem fuiſſe, etiam declaratus eſt, & certiſſimis argumentis comprobatus eſſe filius Dei, nempe 1mo. *Ex virtute*, hoc eſt, per miracula. 2do. *Secundùm ſpiritum ſanctificationis*, id eſt, per Spiritum ſanctum, quem in ſe credentibus, per evidentia ſigna, multipliciter impertitus eſt. 3tio. *Ex reſurrectione mortuorum*, ſive à mortuis: ſe ipſum enim, prout prædixerat, à mortuis ſuſcitavit. 347

§. VII. 348

De aliis variis titulis & officiis Chriſto competentibus.

Cæteri Chriſto competentes tituli & officia, quæ à nobis ſunt expendenda ſunt dignitas Capitis, Sacerdotis, Regis, Redemptoris & Mediatoris, &c. Quæ breviter expedimus.

Chri-

Digitized by Google

Chriſtus eſt Caput totius Eccleſiæ tam militantis in terra, quàm triumphantis in cœlo. Conſtat ex Apoſtolo, Epheſ. 1. v. 22. ubi de Chriſto ut homine hæc ait: *Omnia ſubjecit ſub pedibus ejus; & ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius.* Ratio eſt, quia ſicut caput naturale cæteris omnibus membris corporis naturalis ſupereminet, & omnia membra per influxum ſpirituum animalium vegetat ac corroborat, exteriusque per pedum & manuum directionem gubernat: ita Chriſtus omnibus dignitate ſupereminet, omnibus Eccleſiæ membris internum gratiæ ac donorum influxum præbet, & omnia exteriùs per ſuum Vicarium in terris & Prælatos Eccleſiaſticos gubernat. Quare Chriſtus eſt caput morale 1mo. omnium fidelium non ſolùm juſtorum, qui ab illo vitam ſpiritualem recipiunt, ſed etiam peccatorum non excommunicatorum, quippe qui ſunt Eccleſiæ militantis membra & fidem retinent. 2do. Angelorum beatorum juxta illud Coloſſ. 2. v. 10. *Qui* (Chriſtus) *eſt caput omnis principatus & poteſtatis.* Nam eos gubernat, & iis aliqua interna gratiæ dona confert.

At Chriſtus non eſt caput hominum jam damnatorum, quippe qui ſunt ab eo in perpetuum ſeparati, nec jam ullum ab ea accipiunt influxum. Quamvis autem non ſit actu caput infidelium, quia non ſunt membra Eccleſiæ; eſt tamen illorum caput in potentia, quia infideles à Chriſto gratias accipiunt, quibus poſſunt ejus membra fieri & ſalvari, quatenus ſi gratiis acceptis cooperarentur non peccando graviter contra legem naturalem, ulterioribus auxiliis inſtruerentur, quibus poſſent ad Fidem, Spem, & Charitatem pervenire, baptizari & ſalvari.

349 Chriſtus verè & propriè fuit Sacerdos. Conſtat 1mo. ex Scriptura, Heb. 5. v. 6. Chriſto attribuuntur hæc verba Pſal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Et c. 8. v. 1. *Talem habemus Pontificem, qui conſedit in dextera Sedis magnitudinis in cœlo.* 2do. Ex Concilio Trid. Seſſ. 22. c. 1. Ratio eſt, quia Chriſtus ex deputatione Patris obtulit pro humano genere ſacrificium, & quidem omnium perfectiſſimum, illudque duplex, nempe unum cruentum in ara crucis, ſeipſum liberè ad mortem offerendo, & vitam profundendo; & alterum incruentum in Euchariſtia, corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri offerendo. Ille autem eſt verè ac propriè Sacerdos, qui ex deputatione Dei verum ſacrificium Deo offert. Unde Martyres, licèt ſe ipſos liberè ad mortem propter Deum offerant, non tamen ideò cenſendi ſunt Sacerdotes; quia non ſunt à Deo deputati, ut ſe ipſos Deo offerant in ſacrificium pro peccatis & ſalute populi tanquam mediatores inter Deum & homines

Chriſtus autem eſt Sacerdos ſecundùm humanitatem, non ſecundùm divinitatem. Quia ſecundùm divinitatem non habuit ſuperiorem, cui ſacrificium offerre poſſet. Chriſtus igitur eſt Sacerdos ratione humanitatis, non quidem nudè ſpectatæ, ſed ſubſiſtentis ſubſiſtentiâ divinâ, à qua Chriſti Sacrificium valorem ſuum haurit. Illiusque Sacerdotium fuit altioris ordinis, & longè perfectioris rationis, quàm ullum aliud Sacerdotium, propter infinitam dignitatem perſonæ offerentis, ampliorem ejus poteſtatem, finem præſtantiorem, qui eſt humani generis redemptio, & victimam infinitè dignam, qui eſt Chriſtus ipſe ut homo, qui fuit ſimul Sacerdos & Sacrificium, juxta illud, Epheſ. 5. v. 2. *Tradidit ſemetipſum pro nobis oblationē & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis.*

Digitized by Google

Chriſtus igitur eſt Sacerdos & usque in finem mundi futurus eſt. Conſtat tùm ex Apoſtolo, Heb. c. 7. v. 23. 24. & 25. dicente: *Et alii quidem plures facti ſunt Sacerdotes, idcircò quòd morte prohiberentur permanere. Hic autem eoquòd maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium: unde & ſalvare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum, ſemper vivens ad interpellandum pro nobis.* Tùm ex Concil Trident. Seſſ. 22. c. 1. ubi ait: *Quia tamen per mortem Sacerdotium ejus extinguendum non erat . . . . Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit.* Ratio eſt, quia Sacerdotis munere etiamnum fungitur, & usque in finem mundi functurus eſt, Patrem pro hominibus in cœlo interpellando, ei merita ſua pro illis exhibendo, atque per Sacerdotes ut Miniſtros ſuos in perſona & nomine ipſius agentes, ſacrificium Euchariſtiæ offerendo.

Porro Chriſtus fuit & eſt Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, non quòd Chriſti Sacerdotium ab eo initium & originem ſumeret, ſed duntaxat propter repræſentationem, quatenus Melchiſedech panem & vinum in Sacrificium obtulit, Chriſtus verò corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini obtulit per ſe pridie mortis ſuæ, & Sacerdotum miniſterio nunc offert, & usque ad finem mundi oblaturus eſt.

350 Chriſtus ut homo eſt Rex, Legislator, & Judex. Ut homo eſt ſpiritualis Rex totius Eccleſiæ. Conſtat ex Pſal. 2. v. 6. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus*; hoc eſt, Eccleſiam. Et Luc. 1. *Dabit illi Dominus Deus Sedem David Patris ejus: & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Ratione autem ſpiritualis Regiæ poteſtatis competit Chriſto inſtitutio, diſpenſatio, adminiſtratio ac diſpoſitio rerum omnium quæ ad ſalutem conducunt & ordinantur. Unde potuit Sacramenta inſtituere, Magiſtratus Eccleſiaſticos creare, Leges condere, & omnes homines ad ſuarum Legum obſervationem obligare; atque etiam ad ipſum pertinet bonos remunerari & malos punire. Ut homo tamen non fuit Rex temporalis in ſua mortali vita, prout ipſemet teſtatur, Joan. 18. v. 36. *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Nec etiam in hac vita Regis temporalis officium exercuit.

Fuit etiam verè Legislator. Conſtat 351
tùm ex Scriptura, Iſai. 33. v. 22. *Dominus Judex noſter, Dominus Legifer noſter, Dominus Rex noſter ipſe ſalvabit nos.* Et Joan. 14. v. 15. *Si diligitis me, mandata mea ſervate.* Item Matth. ult. v. 19. & 20. *Docete omnes gentes baptizantes eos . . . . docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis.* Tùm ex Concil. Trid. Seſſ. 6. can. 21. ubi ait: *Si quis dixerit Chriſtum Jeſum à Deo hominibus datum fuiſſe ut Redemptorem cui fidant, non etiam ut Legislatorem cui obediant; anathema ſit.* Ratio eſt aperta, quia nempe Legem Evangelicam tulit.

Poteſtas autem legislativa Chriſti ex dignitate Verbi oriebatur. Unde jus per poteſtatem illam ſtatutum, eſt ſimpliciter divinum.

Fuit denique ut homo Judex om- 352
nium. Conſtat ex Scriptura, Joan. 5. v. 22. & 23. *Neque enim Pater judicat quemquam: ſed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium . . . & poteſtatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis eſt.* Et Act. 10. v. 42. *Ipſe* (Chriſtus) *eſt, qui conſtitutus eſt à Deo Judex vivorum & mortuorum.* Et meritò, nam in Chriſto omnes dotes

Digitized by Google

tes ad regiam & judiciariam poteſtatem requiſitæ, excellentiſſimô modô reperiuntur.

353 Chriſtum quoque eſſe omnium hominum Redemptorem, eorumque & Dei perfectum Mediatorem ex iis abundè liquet, quæ ſupra §. 4. de ejus ſatisfactione & merito contra Socinianos diſputavimus (*g*). Nam, ut ibidem oſtendimus, plenè & condignè ſatisfecit Deo pro omnibus offenſis, & omnibus hominibus reconciliationem cum Deo & ſalutem æternam meruit. Eſt quoque perfectus Redemptor, quia pro omnibus hominibus infinitum Deo obtulit ſolutionis pretium, vi cujus poſſunt omnes ſalvari ſi velint. Idemque pretium ſemper offert Deo Patri pro nobis, *ſemper vivens ad interpellandum pro nobis*, ait Apoſtolus Heb. 7. v. 25. Unde Chriſtus etiamnum exercet & uſque ad finem mundi exerciturus eſt officium Mediatoris & Redemptoris. Eſtque Mediator Dei & hominum, quatenas homo-Deus, juxta illud 1. Tim. c. 2. v. 5. *Unus Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus.* Nam Chriſtus pro nobis ſatisfecit, nos reconciliavit, & ſalutem nobis meruit, quatenus perſona Verbi verè per ſuam humanitatem actus ſatisfactorios & meritorios liberè efficiebat, eoſque nomine ſuo offerebat Patri & ſic infinitè dignificabat, ſi ita loqui fas eſt; nam actiones humanitatis Chriſti infinitam dignitatem & infinitum valorem hauriebant à Verbi perſona, cui ſubſtantialiter erat unita. Hinc Perſona Verbi in natura humana exiſtens erat Mediator inter homines & ſe ipſum in natura divina exiſtentem. Vide dicta cit. §. 4.

Chriſtus etiam in ſua mortali vita verè ac propriè Patrem ſuum oravit. Conſtat ex Scriptura, Luc. 6. v. 12. *Exiit* (Chriſtus) *in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Oravit autem non ſolùm pro hominibus, ſed etiam pro ſe ipſo quà homine, juxta illud, Joan. 17. v. 1. *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te.* Ut homo nunc quoque in cœlo verè ac propriè orat pro nobis. Conſtat 1mo. Ex Scriptura Rom. 8. v. 34. *Jeſus Chriſtus, qui mortuus eſt, imò qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Et 1. Joan. 2. v. 1. *Advocatum habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum juſtum.* 2do. Ex Patribus. Pro omnibus ſufficiat S. Auguſtinus, in Pſal. 85. ubi de Chriſto nunc in cœlis regnante ait: *Orat pro nobis ut Sacerdos noſter: orat in nobis ut caput noſtrum: oratur à nobis ut Deus noſter.* Ratio eſt, quia Chriſtus etiamnum Sacerdotis officiò fungitur pro nobis in cœlo. Ad officium autem Sacerdotis pertinet non ſolùm ſacrificia, ſed etiam preces pro hominibus offerre. 354

§. VIII. 355

De Adoratione Chriſti.

Adorationis nomine generatim ſignificatur *cultus quilibet, qui alicui exbibetur propter ejus dignitatem & excellen-*

(*g*) *Mediator* dicitur, qui medius eſt inter partes diſſidentes, ut eas reconciliet: *Sequeſter* aliquando à Latinis vocatur, quia eum utraque pars contendentium ſequitur. Multis modis poteſt quis Mediatoris partes ſuſtinere, 1mo. Ut Internuntius ac Interpres partis utriuſque. 2do. Ut arbiter electus ad componendam litem. 3tio. Ut Interceſſor & advocatus. 4to. Ut Sponſor, qui parti læſæ pro altera, quæ offendit, plenè ſolvat ac ſatisfaciat. Quo præcipuè nomine Chriſtum Deo Patri ſatisfeciſſe pro nobis, cit. §. 4. oſtendimus.

lentiam. Unde vox iſta *Adoratio* generica eſt, quæ in Scripturis rebus & ſubjectis naturâ & dignitate maximè diverſis accommodatur: Deo ſcilicet, Regibus & Principibus, Arcæ, Virgæ Joſephi, quam Jacob Heb. 11. v. 21. adoraſſe refertur, &c.

Generatim dividitur in *politicam* ſeu *civilem*, & *ſacram* ſeu *religioſam*; *Politica* ſeu *civilis* impenditur propter ſæcularem, aut naturalem aliquam præſtantiam & excellentiam: ita Reges, Principes, Magiſtratus, viros inſigniter peritos, &c. Colimus & honoramus: ita mutuo honore ſe ſe homines proſequuntur, & invicem prævenire debent. *Religioſa* eſt ea, quæ motivô ſuperiori Religionis propter ſupernaturalem aliquam excellentiam, innitur.

Ulteriùs *Adoratio* ſeu *cultus religioſus* dividitur in *abſolutum*, & *relativum*. *Abſolutus* dicitur, qui rei exhibetur propter ſe ſeu propter excellentiam ſibi vel ſuo ſuppoſito intrinſecam. Ita Deum, ita Chriſtum abſoluto, & quidem ſupremo latriæ cultu adoramus. *Relativus* eſt ille, qui rei alicui exhibetur non propter ſe, ſed propter excellentiam perſonæ quam repræſentat & ad quam refertur. Ita cultus, qui Sanctorum Imaginibus defertur, relativus eſt ad prototypum ſeu exemplar, cujus ſunt imagines.

Hujusmodi Religioſæ adorationis ſeu cultus triplex eſt ſpecies; *Latria* ſcilicet, quæ uni Deo debetur: *Dulia*, quæ creaturis; *Hyperdulia*, quæ B. V. Mariæ ob eximiam ejus ſupra cæteras creaturas dignitatem & præeminentiam impenditur: qui cultus ſolo gradu, non ſpecie diſtat à *Dulia* cultu; nam B. V. Maria creatura eſt, quamvis Dei genitrix.

Porro in omni adoratione duplex actus diſtinguitur, *internus*, & *externus*. Prior fit ſola mente ſeu intellectu & voluntate præſtantiam objecti cognoſcente ac ſe ſe ob illam demittente & obſequente. *Externus* verò eſt, qui exteriùs patet, eſtque quodcunque ſignum exterius poteſtativum interioris adorationis. Hujusmodi ſigna externa varia ſunt pro varia populorum, temporum, & Eccleſiarum diſciplina adorationem ſignificandi. Orientales cooperto capite adorant; Occidentales nudo & inflexo; alii recti, alii humi procumbentes; alii extenſis manibus, alii complicatis; alii totius corporis proſtratione; alii aliis modis, quorum quidem omnium idem eſt internus ſenſus, ſed exteriùs variè demonſtratus.

Chriſtum Deum ſupremo Latriæ cul- 356
tu adorandum eſſe nemo dubitat: de humana duntaxat ejus natura quæſtio vertitur, an ſcilicet eodem Latriæ cultu, quo Verbum ipſum, honoranda ſit propter intimam & indiſſolubilem ipſius cum Verbo unionem, non verò propter ipſam præcisè ac in ſe ſpectatam humanitatem, quaſi hæc ſit formalis cauſa & ratio adorationis.

Quicunque veram & phyſicam in Chriſto naturæ utriusque unionem inficiati ſunt, ut Neſtoriani, Apollinariſtæ, &c. Ii conſequenter homini Chriſto veram denegârunt adorationem. Ex Noſtris autem nonnulli poſt Gilbertum Porretanum in Scholiis ad Pſal. 98. volunt homini Chriſto non ſupremum Latriæ cultum impendi debere; neque etiam ſolum, qui Duliæ dicitur, ac hominibus communiter defertur, ſed Duliæ cujusdam ſuperioris. Alii Latriæ cultum quidem illi concedunt, ſed relativum, non abſolutum. Ita Alexander Alenſis, 3. p. q. 30. Gabriel. in 3. diſt. 9. q. 2. art. 1.

So-

Digitized by Google

Sociniani hîc inter ſe non conveniunt: nonnulli divinos honores adorationis Chriſto concedunt, alii verò negant. Sit noſtra

357 CONCLUSIO

Humana Chriſti natura hypoſtaticè Verbo conjuncta eadem & unica cum divinitate Verbi adoratione colenda eſt.

Prob. 1mo. ex Scriptura. Heb. 1. v. 5. iſta Pſal. 96. verba, *Et adorent eum omnes Angeli ejus*, Apoſtolus Chriſto adaptat. Philipp. 2. verſ. 10. *In nomine Jeſu, omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Unde Joan. 9. v. 35. Chriſtus interrogans cœcum natum, ait: *Tu credis in Filium Dei?* cui reſpondens cœcus, *Credo Domine*, inquit, *& procidens adoravit eum.* Quæ adoratio non tantùm externa erat, ſed interna, proveniens ex fide in Chriſtum hominem Deum. Matth. 28. v. 17. Chriſto à mortuis ſuſcitato eamdem adorationem impendunt Apoſtoli: *Videntes eum adoraverunt.* Denique Joan. 5. v. 22. & 23. eundem latriæ cultum, qui Deo Patri debetur, ſibi Chriſtus vindicat: *Neque Pater*, inquit, *judicat quemquam: ſed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem. Qui non honorificant Filium, non honorificant Patrem, qui miſit illum.* In his autem teſtimoniis nulla fit diſcretio, nulla diſtinctio divinæ & humanæ in Chriſto naturæ, ſed adoratio ad Chriſtum duplici naturâ conſtantem terminatur.

Prob. 2do ex Conciliis. (*b*) Epheſinum approbat epiſtolam Synodicam S. Cyrilli Alexandrini continentem duodecim anathematiſmos, quorum octavô anathematizatur, *qui dicere audet humanitatam aſſumptam adorandam non eſſe cum Verbo Deo una eademque adoratione.* (*i*) Concilium Generale 5tum. Can. 9. *Si quis*, inquit, *in duabus naturis adorari dicit Chriſtum, ex quo duas adorationes introducunt, ſeparatim Deo Verbo, & ſeparatim homini . . . . Sed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipſius carne adorat, ſicut ab initio Eccleſiæ Dei traditum eſt; talis anathema ſit* (*k*).

Prob. 3tio. ex SS. Patribus. S. Athanaſius, Ep. ad Adelphium: *Rem creatam*, inquit, *non adoramus . . . . . ſed rerum creatarum Dominum carnem factum. Dei Verbum adoramus. Et ſi enim ipſa caro ſeorſum ſpectata pars ſit rerum creatarum, attamen Dei facta eſt corpus. Neque verò hujusmodi corpus à Verbo dividentes adoramus, neque cùm Verbum volumus adorare, ipſum à carne removimus.* Eundem S. Doctorem ſic loquentem inducit S. Cyrillus lib. ad Reginas: *Agnoſcimus.... unam naturam divini Verbi incarnatam, quæ ſimul cum ejus carne una adoratione adoratur.* Latriæ ſcilicet, qua ſola adorari poteſt divinitas.

S. Ambroſius lib. 3. de Spiritu ſancto, c. 11. aliàs 12. n. 79. ad hæc verba Pſal. 98. *Adorate ſcabellum pedum ejus, quia ſanctum eſt*; ſic loquitur: *Per ſcabellum terra intelligitur: per terram autem Chriſti caro, quam hodie in myſteriis adoramus, & quam Apoſtoli in Domino Jeſu adorârunt; neque enim diviſus eſt Chriſtus, ſed unus; neque cùm adoratur* tan-

(*b*) An. 431. ſub Cœleſtino Papa
(*i*) An. 553. ſub Vigilio Papa.
(*k*) Adde Concilium Lateranenſe ſub Martino Papa I. an. 649. celebratum, quod Conſult. 4. can. 9 *Si quis*, inquit, *non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne non adorat, juxta quod ſancta Dei Eccleſia ab initio traditum eſt, talis anathema ſit.*

tanquam Dei Filius, natus ex Virgine denegatur.

S. Auguſtinus, Enarratione in Pſal. eundem ad citata illius verba, *Quæro*, inquit, *quid ſit ſcabellum pedum ejus, & dicit mihi Scriptura, terra ſcabellum pedum meorum. Fluctuans converto me ad Chriſtum, quia ipſum quæro hîc, & invenio quomodò ſine impietate adoretur terra, ſine impietate adoretur ſcabellum pedum ejus. Suſcepit enim de terra terram; quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipſa carne hîc ambulavit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit; nemo autem carnem illam manducat, niſi priùs adoraverit; inventum eſt autem, quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolùm non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando.*

S. Damaſcenus, lib. 3. de Fide, c. 8. *Unus igitur*, inquit, *Deus perfectus & homo perfectus, quem adoramus, cum Patre & Spiritu, unica adoratione cum ejus immaculata carne. Neque tamen hoc agentes creaturæ ſervimus; non enim velut nudam carnem adoramus, ſed ut divinitati conjunctam.*

Prob. 4to. Ratione Theologica. Adoratio, honor & cultus qui exhibetur primò & per ſe reſpicit perſonam, cui exhibetur, ſecundariò autem & ex conſequenti ea omnia, quæ in illa perſona exiſtunt, ut patet. Atqui perſonæ Chriſti adoratio, honor & cultus latriæ exhibetur. Ergo etiam ejus humanitati idem cultus exhibetur, quippe quæ in Chriſti perſona, cui Latriæ cultus ſeu adoratio exhibetur, exiſtit ac continetur.

Hæc eſt ratio SS. Patrum, qui cauſam ſcilicet adorationis, quæ humanitati Chriſti defertur, repetunt non quidem ex ipſa præcisè natura in ſe ſpectata, ſed ex hypoſtatica ipſius cum Verbo unione. *Caro ipſa ſeorſum ſpectata*, ait ſupra citatus S. Athanaſius, *pars eſt rerum creatarum, attamen Dei corpus facta eſt.* Ex illa quippe unione fit, ut homo Chriſtus Jeſus verus ſit naturâ & ſubſtantiâ Deus ea ipſa colendus adoratione, qua Verbum ipſum, in quo ſubſiſtit, & una eſt cum ipſo perſona; nulla facta naturarum, quæ nexu indiſſolubili copulantur, diſtractione ſeu diviſione. Prout patet ex adductis Conciliorum & Patrum teſtimoniis.

Solvuntur Objectiones. 358

Ob. 1mo. S. Damaſcenus, orat. 1. de Imaginibus, dicit carnem Chriſti non adorari ut Deum: *Non materiam*, ait, *ſed materiæ auctorem adoro, qui propter me materia factus eſt . . . Materiam verò, per quam mihi ſalus parta eſt, colere non deſinam, non tamen ut Deum, abſit.* Ergo &c.

Reſp. neg. conſ. S. Damaſcenus ſolùm vult humanitatem Chriſti ſeparatim à Verbo non adorari cultu latriæ, vel non ſic adorari cum Verbo, ut objectum primarium & propter propriam ſuam excellentiam, ſicut Verbum adoratur, ſed duntaxat ut objectum ſecundarium, & quatenus eſt aliqua perſonæ Verbi natura, & propter excellentiam ipſius Verbi. Prout liquet ex mox adducto ipſius teſtimonio.

359 Ob. 2do. Adoratio latriæ ſoli Deo debetur, & ei ſoli tribui poteſt. Atqui humanitas Chriſti non eſt Deus. Ergo adoratio latriæ exhiberi non poteſt humanitati Chriſti.

Reſp. Diſt. maj. Adoratio latriæ ſoli Deo primò & per ſe debetur, conc. Soli Deo debetur, ſecundò & ex conſequenti, neg. maj. Et conc. min diſt. conſ. Ergo adoratio latriæ primò & per ſe exhiberi non poteſt humanitati Chriſti, conc.

Digitized by Google

conc. exhiberi non poteſt ſecundò & ex conſequenti, neg. conſ. Adoratio latriæ ſumpta quoad internum adorantis affectum primò & per ſe reſpicit objectum in quo eſt ratio formalis, quæ movet ad adorationem exhibendam: unde cùm in perſona Chriſti, non autem in illius humanitate ſit ratio formalis (divinitas nimirùm) quæ nos movet ad Chriſtum adoratione latriæ colendum, humanitas primò & per ſe non adoratur in Chriſto, ſed tantùm ſecundariò & ex conſequenti.

360 Ob. 3tio. Sacrificium offerri poteſt Chriſto ſolùm ut Deo, non ut homini. Ergo Chriſtus ſolùm adorari poteſt latriâ ut Deus, non ut homo.

Reſp. neg. conſ. Diſparitas eſt, quia unicum in lege nova ſacrificium offerri poteſt, nempe Euchariſtiæ ſacrificium, quod à Sacerdotibus offertur in perſona ipſius Chriſti, in quo proinde Chriſtus ipſe ut homo eſt offerrens miniſteriò Sacerdotum. Chriſtus autem quatenus homo non poteſt ſibi ut homini, ſed ſolùm ut Deo ſacrificare; nam idem ſub eodem reſpectu non poteſt eſſe offerens ſacrificium, & is, cui offertur. At quando Chriſtum adoramus, illum adoramus, non in perſona ipſius, ſed in noſtra propria perſona, in qua rectè poſſumus illum adorare cultu Latriæ non ſolùm quà Deum, ſed etiam quà hominem.

361 Ob. 4to. Humanitas adoratur tantùm in Chriſto adoratione relativa. Ergo non adoratur latriâ abſolutâ ſicut Verbum.

Reſp. neg. ant. Nam humanitas Chriſti adoratur propter excellentiam ſui ſuppoſiti. Adoratio autem relativa eſt ea, qua adoratur aliquod ſuppoſitum propter excellentiam alterius ſuppoſiti, ad quod refertur & quod repræſentat.

Inſt. 1mo. Quando Rex purpurâ indutus adoratur, quamvis purpura cum Rege adoretur per modum unius objecti, tamen adoratio Regis eſt abſoluta, & adoratio purpuræ eſt adoratio relativa & inferior Regis adoratione. Ergo à pari, quando Verbum cum ſua humanitate adoratur, adoratio Verbi eſt abſoluta, & adoratio humanitatis relativa & inferior.

Reſp. neg. conſ. Diſparitas eſt, quia purpura in toto illo, quod ex ipſa & Rege conſtat, eſt ſuppoſitum diſtinctum à ſuppoſito Regis, propter cujus ſolius excellentiam totum illud adoratur: ac proinde adoratio Regis purpurâ induti, quatenus partialiter terminatur ad purpuram eſt adoratio relativa, cùm ſit propter excellentiam alterius ſuppoſiti. Unde in adoratione Regis purpurâ induti affectus ſubmiſſionis internæ ad ſolam Regis perſonam terminatur. At cùm adoratur Chriſtus, adoratio eſt abſoluta, etiam quà partialiter terminatur ad humanitatem; quia humanitas Chriſti non eſt perſona, ſed natura adorata propter excellentiam perſonæ cujus eſt natura: ac proinde adoratur propter excellentiam ſui ſuppoſiti, non alterius; & affectus ſummæ ſubmiſſionis terminatur non ſolùm ad Verbum, ſed etiam ad humanitatem aſſumptam: ad Verbum quidem primariò per ſe & propter ſe: ad humanitatem verò tantùm ſecundariò, concomitanter, & propter excellentiam Verbi ſuppoſiti ſui.

Inſt. 2do. Adoratio humanitati Chriſti exhibita comparatur honori, qui defertur purpuræ qua Rex indutus eſt: ita Epiphanius in Anchorato. Ergo valet paritas.

Reſp. Diſt. ant. Et hæc comparatio valet quoad aliqua, conc. Quoad omnia, neg. ant. Comparatio illa ſolùm in hoc valet, & rectè adhibetur ab Epiphanio, nempe quòd ſicut purpura non adoratur primariò, per ſe, propter ſe, & propter ſuam excellentiam: ita in adoratione Chriſti non adoratur humanitas primariò, per ſe, & propter ſe, ſed ſecundariò tantùm, concomitanter, &

Digitized by Google

propter excellentiam Verbi, cujus eſt natura, non autem propter ſuam propriam excellentiam.

362 Ob. 5to. Si humanitas Chriſti ſimul cum Verbo adoratur, adoratio, qua adoratur Verbum incarnatum, eſt diverſa ab adoratione, qua Verbum ante incarnationem adorabatur. Falſum conſequens. Ergo &c.

Reſp. Diſt. ſeq. maj. Eſt diverſa ex parte objecti materialis ſeu rei adoratæ, quatenus nempe adoratio illa terminatur ad divinitatem & humanitatem, licèt diverſô modô, cùm ante Incarnationem ad ſolam divinitatem terminaretur, conc. Eſt diverſa ex parte objecti formalis ſeu motivi, neg. ſeq. maj. Nam nunc Verbum ut ante Incarnationem ſuprema adoratione adoratur primariò & propter excellentiam increatam divinitatis ſibi identificatæ

363 Ob. 6to. Quando Chriſtus adoratur, humanitatis adoratio eſt inferior adoratione divinitatis. Ergo humanitas non adoratur cultu latriæ.

Reſp. Diſt. ant. Quando adoratur Chriſtus, adoratio humanitatis eſt inferior adoratione divinitatis quoad modum, conc. quoad actum adorationis internum & externum, neg. ant. Nam divinitas & humanitas eodem affectu ſummæ ſubmiſſionis internæ, & eodem actu hanc manifeſtante adorantur, ſed non eodem modo. Divinitas enim adoratur primariò, & propter ſe, ſeu propter excellentiam propriam: humanitas verò tantùm ſecundariò, concomitanter, & propter excellentiam divinitatis, quacum ſubſtantialiter unita eſt in Verbi perſonalitate.

364 Ob. 7mo. Humanitas non debet adorari ut Deus. Ergo non debet adorari cultu latriæ.

Reſp. neg. conſ. Humanitas non adoratur ut Deus, ſed tamen cultu latriæ adoratur ſecundariò duntaxat, non quidem propter ſe, ſed propter excellentiam increatam Verbi, quod eſt ipſius ſuppoſitum.

Solent etiam circa Myſterium Incar- 365 nationis hactenùs à nobis ſummâ & qua potuimus diligentiâ expenſum adhuc quærere Theologi Scholaſtici, num illud Angelis ſive bonis ſive malis, necnon Judæis, & Gentilibus cognitum fuerit. De beatis Angelis id videtur indubitatum. Nam Apoſtolus Heb. 1. v. 6. *Cùm*, inquit de Deo Patre, *introducit primogenitum in orbem terræ dicit: Et adorent eum omnes Angeli ejus.* Igitur Filium Dei cognoverunt, ſecus enim quomodò eum adoraſſent? Luc. 1. v. 31. *Ecce*, inquit Angelus Gabriel ad B. V. Mariam, *concipies in utero, & paries filium .... Hic erit magnus & filius Altiſſimi vocabitur.* Ibid. c. 2. v. 10. feſtis acclamationibus Filii Dei nativitatem celebrant: *Ecce Evangelizo vobis.... quia natus eſt vobis hodie Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus.* Et Matth. 4. v. 11. *Ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.* Denique 1. ad Tim. 3. v. 16. *Manifeſtè*, inquit Apoſtolus de Incarnationis myſterio, *magnum eſt pietatis Sacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne .... Apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus &c.*

Nec obſtat, quòd idem Apoſtolus, Epheſ. 3. poſtquàm v. 8. declaravit, *ſibi ... datam eſſe gratiam hanc in Gentibus evangelizare inveſtigabiles divitias Chriſti*, v. 10. dicat, *ut innoteſcat principatibus & poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam, multiformis Sapientia Dei.* Senſus enim eſt, Angelos nonniſi ex prædicatione Apoſtolorum Chriſtum plenè & perfectè cognoviſſe, & quantum ad omnes redemptionis humanæ, quos uſu

&

Digitized by Google

& experientiâ compertos habuêre duntaxat; non verò, quaſi priùs illum ſimpliciter & abſolutè non cognoverint. Et cùm Pſal. 23. v. 8. 9. & 10. ſciſcitantur de Chriſto Angeli, *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* necnon Iſaiæ 6. v. 1. *Quis eſt iſte qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra?* his locis admiratio exprimitur, non anxietas & dubitatio.

366 Dæmones verò ſeu mali Angeli aliquando dubii & anxii videntur fuiſſe circa Chriſti divinitatem: *Si Filius Dei es*, dicebat ad eum Dæmon, Matth. 4. v. 3. *dic, ut lapides iſti panes fiant.* S. quoque Ignatius Ep. ad Epheſ. n. 19. ait, Chriſtum ex virgine naſci voluiſſe, *ut partus ejus celaretur diabolo.* Aliquando autem videntur eam certò cognoviſſe. *Quid nobis & tibi Jeſu Nazarene?* inquit immundus Spiritus ad Chriſtum, Marci 1. v. 24. *veniſti perdere nos? Scio quis ſis ſanctus Dei.* Et v. 34. Chriſtus *Dæmonia multa ejiciebat, & non ſinebat ea loqui, quoniam ſciebant eum*, ſive tantummodò ex conjectura, ſive ex certa cognitione.

367 Adamo ante lapſum confusè ſaltem ac generatim cognitum fuiſſe Meſſiæ adventum, quamvis illius finem ignoraret, innuere videntur ea, quæ Geneſ. 2. v. 23. de Eva ait in hæc verba: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea . . . . . Relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una;* Utpote quæ verba de Chriſto & Eccleſia interpretatur Apoſtolus Epheſ. 5. v. 32. *Sacramentum hoc*, inquit, *magnum eſt in Chriſto & Eccleſia.* Citatis igitur verbis, jam tum ab Adamo, interprete S. Paulo, prænuntiatum fuit myſterium ſeu Sacramentum Incarnationis (*i*).

At poſt lapſum ſuum paulò diſtinctiùs intellexit Adamus venturum Meſſiam culpæ reparatorem. Iſtud indicant verba Geneſ. 3. v. 15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius; ipſa conteret caput tuum;* ſeu ut habet textus Hebræus apud 70. Interpretes, & legitur in Editione Samaritana, & apud SS. Irenæum, Cyprianum, Hieronymum; *ipſe conteret*: referendo ad Chriſtum, qui futurus erat ſemen mulieris ſecundùm carnem, & à quo ſerpentis caput, hoc eſt dæmonis imperium atterendum erat penitusque abolendum.

Abrahamo longè clariùs promiſſus eſt 368
Meſſias, ex cujus ſemine naſciturus prædicitur, Gen. 22. v. 18. *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ.* Cùm verò duæ gentes ſeu populi ex Abrahamo oriundi eſſent, Iſmaëlitarum nempe & Iſraëlitarum, declarat Deus ex qua gente naſciturus eſſet Meſſias, ex ſemine ſcilicet Iſaac, Geneſ. 26. v. 4.

Tandem clariſſimè determinando tempus, familiam, dignitatem, circumſtantias, Meſſiæ promiſſio ac revelatio facta eſt, vaticinante Jacobo Geneſ. 49. v. 10. his verbis: *Non auferetur ſceptrum de Juda & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.*

Nec Moyſem myſterium iſtud latuiſ- 369
ſe declarat ipſe Chriſtus, Joan. 5. v. 46.

(*i*) Unde bellè Tertullianus, lib. de reſurrectione carnis, c. 6. agens de formatione hominis, *Quodcunque*, ait, *limus exprimebatur, Chriſtus cogitabatur homo futurus.* Item S. Auguſtinus, lib 9. de Gen. ad litt. c. 19 citata Geneſis verba prophetico ſpiritu ab Adamo prolata eſſe affirmat, *ut hinc intelligeremus*, inquit, *propter ecſtaſim, quæ præceſſerat in Adam, hoc eum divinitùs tanquam prophetam dicere potuiſſe.*

Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan, id eſt, utique, *& mihi: de me enim ſcripſit ille.*

370 Denique tota gens Judaica potuit ac debuit hujus myſterii notitiam habere, utpote cujus gentis *Prophetæ omnes prænuntiarunt de adventu juſti*, ut loquitur S. Stephanus, Act. 7. v. 52. & ſacrificia & cæremoniæ illum adumbrarunt; *finis enim legis Chriſtus*, ait Apoſtolus, Rom. 10. v. 4. imò tota lex vetus inſtar pædagogi Judæos ad Chriſtum quaſi manu ducebat, prout loquitur idem Apoſtolus, Galat. 3. v. 24. Unde Chriſtus ipſe, *Scrutamini Scripturas*, ajebat ad Judæos, Joan. 5. v. 39. *illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.*

Et certè cum fides ſaltem implicita(*m*), ſi non omninò explicita, in Chriſtum Mediatorem omni tempore neceſſaria & quidem neceſſitate medii, utpote ſine qua impoſſibile fuit ſalutem conſequi; non tantùm præcepti, ſeu præceptô divinô ſuppoſitô duntaxat, fuerit; Nam *Qui non credit* inquit Chriſtus Joan. 3. v. 18. *jam judicatus eſt, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* Et Act. 4. v. 12. *Non eſt*, inquit S. Petrus, *in alio aliquo ſalus: nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Et c. 10. v. *Huic*, inquit idem Apoſtolus, *omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.* Unde S. Irenæus lib. 3. c. 21. docet, *ignorantes eum, qui ex Virgine eſt Emmanuel, privari munere ejus, quod eſt vita æterna.* Et S. Auguſtinus, lib. de corrept. & grat. c. 7. *Nemo*, ait, *liberatur à damnatione, quæ facta eſt per Adam, niſi per fidem Jeſu Chriſti.* Item Ep. 102. aliàs 49. *Cujus hominis*, inquit, *ejusdemque Dei ſaluberrima fide etiam illi juſti ſalvi facti ſunt, qui priusquam veniret in carne, crediderunt in carne venturum &c.* S. Leo Serm. 63. *Una fides*, inquit, *juſtificat univerſorum temporum Sanctos, & ad eamdem ſpem & fidem pertinet, quidquid per Mediatorem Dei & hominum Jeſum Chriſtum vel nos confitemur factum, vel Patres noſtri adoravêre faciendum.* Denique, ut alios plures omittamus, S. Gregorius, lib. 7. Ep. 98. definit, *ſalutis noſtræ fundamentum eſſe fidem in Chriſtum Dei & hominis filium.* Cùm, inquam, fides ſaltem implicita, quoad modum redemptionis noſtræ, in mediatorem omni tempore neceſſaria fuerit ad ſalutem, neceſſe prorſus eſt, in eum credidiſſe, quotquot in Veteri Lege ſanctitatis laude floruerunt, ac æternam ſalutem ſunt aſſecuti. Unde *Hunc*, ait Euſebius, lib. 1. Hiſt. c. 2. *quotquot à prima humani generis origine juſtitiæ ac religionis laude maxime floruerunt..... omnes puris mentis oculis contemplati agno-*

(*m*) Fides alia implicita eſt, explicita alia, prior eſt ea, per quam quid creditur in alio tanquam in univerſali in quo continetur. Talis eſt fides de numero Sacramentorum in eo, qui non ſciens diſtinctè quot ſunt Sacramenta, credit omnia, quæ ab Eccleſia Catholica proponuntur. Altera eſt ea, per quam quid diſtinctè & in particulari creditur. Sic in eo, qui in particulari profitetur, ſe credere incarnationem Verbi, eſt explicita fides de Verbi incarnatione. Aliqui docent nullam fidem explicitam in Chriſtum antiquis ad ſalutem fuiſſe neceſſariam, ſed implicitam tantùm, quæ includitur in fide in Deum remuneratorem, aut in fide de Dei providentia, hæc enim utraque fides, ajunt, includit fidem de remiſſione peccatorum, in qua fide continetur fides in eum per cujus merita fit ejusmodi peccatorum remiſſio, ac proinde fides in Chriſtum Mediatorem Alii verò contendunt fidem in Chriſtum fuiſſe neceſſariam, quæ partim explicata, partim implicita foret: explicita, quòd in aliquem redemptorem quovis tempore fides fuerit neceſſaria: implicita verò, quòd hæc fides abſtraheret à modis, quibus redemptionem operaturus eſſet ille Redemptor ſeu Mediator.

Digitized by Google

agnoverunt, eidemque, tanquam Dei filio, debitum cultum exhibuerunt.

371 Nec etiam negari debet, aliquos ex Gentilibus extitiſſe, qui compertum habuerunt hoc Myſterium. *Scio*, inquit Job, qui ex Idumæis originem trahebat(*n*), ac proinde gentilis erat, *quòd Redemptor meus vivit, & in noviſſimo Die de terra ſurrecturus ſum: & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius.* c. 19. v. 25. 26. & 27. Num 24. v. 17. Balaam Ariolus gente Ammonita, Chriſtum his verbis prædixit, *Orietur Stella ex Jacob.* Item Aggæus Propheta c. 2. v. 8. *Veniet*, inquit, *deſideratus cunctis gentibus*; quem textum ſic expendit Hugo Victorinus, de Incarnat. c. 8. *Non dicit deſiderandus, ſed deſideratus, ut intelligat in omni gente aliquos aliquando ejus deſideriô flagraſſe.* Idem etiam ſentiendum de Ninivitis ad Jonæ prædicationem plenè ad Deum converſis. Unde S. Auguſtinus, l. 18. de civ. c. 47. *Non incongruè*, inquit, *creditur, fuiſſe & in aliis Gentibus homines, quibus hoc myſterium revelatum eſt, & qui hoc etiam prædicere impulſi ſunt.* Et Ep. 102. aliàs 49. *Cur*, ait, *non credamus etiam in cæteris hac illac gentibus fuiſſe, qui hujus ſacramenti participes fuerunt.*

Accedit teſtimonium magni illius apud Sinenſes Philoſophorum Principis Confucii, qui annis quinquaginta ſuprà quingentos ortum Chriſti anteceſſit, quem tamen prævidiſſe videtur in eo ſecundo libro quem latinè reddidit Proſper Intorcetta Siculus è Societate Jeſu, ubi Philoſophus ille Principem ad virtutem adhortans dicit: *Legibus cœli ac terræ facta ejus conſentiunt; neque vereri debet, ut cùm ſanctus ille expectatus advenerit, idem tùm virtuti ejus ac dum regnaret, bonos habeatur.* Hæc profectò, ſi de vero Meſſia intelligantur, ut intelligi haud dubiè poſſunt, ex Hebræorum oraculis, quæ ad Sinas usque tum temporis pervaſerant, hauſta fuiſſe nemo dubitare poteſt.

Proferuntur etiam libri Sibyllarum, quæ ita dictæ ſunt, quaſi divinorum ſecretorum conſciæ, quia multa propheticè ſcripſiſſe creduntur, præſertim de Chriſto longè antequam naſceretur; ut conſtat vel ex prophanis Scriptoribus, putà Varrone, Virgilio, Cicerone (*o*), & aliis, qui ante Chriſti nativitatem floruerunt, atque libros illos commemorarunt. Et quamvis Cicero, illorum oracula in dubium adducere videatur, certum eſt ſaltem nonnulla apud cæteros Gentiles ſummo in pretio fuiſſe. Quin & Suetonius refert, Cæſarem Auguſtum tanti feciſſe hujusmodi lucubrationes, ut eas ex omnibus mundi partibus colligendas, Romamque afferendas præceperit, peritiorum examini ſubjecerit, rejectis, quæ ſpuria videbantur, genuina ſumma cum Religione ſervari curaverit. In his autem libris nativitas Chriſti ex virgine, paſſio & reſurrectio tam claré deſcribuntur, ut non futurorum prophetia, ſed rerum geſtarum hiſtoria videatur. Unde antiquiſſimi Patres ut S. Juſtinus, Athenagoras, ſanctus Clemens Alexandrinus, & poſt eos Lactantius, Euſebis Cæſarienſis, S. Hieronymus, S. Auguſtinus,

(*n*) *Vid. Tract. de Script. part. 2. c. 2. Tom. 1. Theologia noſtra.*

(*o*) Cicero Sibyllarum Oraculorum fidem & auctoritatem non multi facit. Nam lib. 2. de divinatione ſic loquitur: *Hæc callidè, qui illa compoſuit, perfecit, ut quodcumque accidiſſet, prædictum videretur, & hominum & temporum definitione ſublata. Adhibuit etiam latebram obſcuritatis, ut iidem verſus aliàs in aliam rem poſſe accommodari viderentur . . . . Quamobrem Sybillam quidem ſepoſitam & conditam habeamus, ut, id quod proditum eſt à Majoribus, injuſſu Senatûs ne legantur quidem Libri, valeantque ad deponendas potius, quàm ad ſuſcipiendas religiones.*

guſtinus, & alii bene multi, Gentiles propriis eorum armis tam validè expugnabant, ut Imperatores, ſub pœna capitis, illorum librorum lectionem prohibuerint: quod S. Juſtinus exprobrat in ſua Apologia.

Verùm his Sibyllinis libris multa fuiſſe addita & interpolata à quibusdam Chriſtianis, idque inordinatô zelô, quo pro Chriſtiana Religione fervebant, probant Critici, quibus facilè aſſentimur, modò hanc interpolationem non ſtatuant factam primis ſtatim Eccleſiæ ſæculis, & ut nonnulli contendunt, ſuperſtitibus adhuc Apoſtolis: durum enim eſt, fraudem per quatuor ſæcula non fuiſſe detectam, & Patres tam Græcos, quàm Latinos, armis mendacii decertaſſe. Libros igitur Sibyllinos non habemus, quales habuêre S. Juſtinus, Athenagoras, &c. Quando autem fuerint immutati, aliis examinandum relinquimus.

372 Quod ſi igitur Auguſtiſſimum & primarium iſtud Religionis noſtræ Incarnationis myſterium non modò Gentilibus cognitum fuit, ſed & Judæis, atque illius notitia omni tempore ad ſalutem conſequendam omninò neceſſaria fuit; quantò magis nunc & in Lege nova adultis neceſſaria videtur, non modò ea, quæ implicita, ſed omninò explicita eſt, & quidem etiam neceſſitate medii, ita ut ſine ea actu habita nemo ſalutem conſequi poſſit; prout apertè palam faciunt tùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum teſtimonia ſuperiùs pag. 166. à nobis adducta. Unde meritò Innocentius Papa XI. tres ſequentes propoſitiones proſcripſit. 1ma. *Nonniſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita remuneratoris.* 2da. *Fides latè dicta ex teſtimonio creaturarum, ſimilive motivô ad juſtificationem ſufficit.* 3tia. *Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantiâ myſteriorum Fidei, & etiamſi per negligentia etiam culpabili neſciat myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini.*

Quæ cùm ita ſint, quis dubitet, Deum requiſiturum ſanguinem tot animarum, quæ in ignorantia pereunt, de manibus eorum, quorum curæ ſunt traditæ; uti re vera tradidit illas patribus-familias, & Paſtoribus? Conſolationem non admittunt parentes, ſi unus ex ipſorum liberis fortè ſine baptiſmo decedat: Paſtores quoque intimo doloris ſenſu percelluntur, & meritò, cùm ex illorum parochianis aliquis moritur non perceptô Pœnitentiæ Sacramentô; & nullam gerunt conſcientiam, quòd plurimi è ſuis ſubditis ſine hujus myſterii notitia moriantur, quorum tamen certior eſt damnatio, quàm eorum, qui necdum ſacramentaliter reconciliati fatô funguntur: in his namque Sacramenti votum ſupplet miniſterium Sacerdotis; in illis verò nihil ſupplere poteſt hujus myſterii notitiam. Hinc Apoſtolus 1. ad Cor. 1. v. 17. teſtatur, ſe minùs ſollicitum fuiſſe baptizare, quàm prædicare: *Non enim* inquit, *miſit me Chriſtus baptizare, ſed Evangelizare.* Quid verò prædicaret, ipſe declarat c. 2. v. 2. *Non judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* Neque hæc doctrina, quæ à ſalute excludit innumeros homines myſterium iſtud ignorantes, quales ſunt plures idiotæ, & omnes infideles negativi, durior eſt: nam hujusmodi homines non addicuntur pœnis æternis præcisè propter ignorantiam, quæ in illis peccatum non eſt, niſi materiale, utpote quæ ſupponatur invincibilis; ſed propter peccata, quæ mala voluntate contraxerunt. Attamen ignorantia illa eſt juſta peccati originalis pœna, quæ niſi miſericordiâ Dei ſolvatur, meritò excludit nondum juſtificatos à vita æterna. Et verò hæc doctrina nihil durius habet, quàm doctrina Catholica de infantibus, qui in pœnam peccati originalis pereunt, ſi præfocentur, antequam baptiſmus illis applicari potuerit &c.

AP-

Digitized by Google

APPENDIX
DE
CULTU ET INVOCATIONE
SANCTORUM,
NEC NON
DE VENERATIONE RELIQUIARUM
ET
SANCTARUM IMAGINUM.

Digitized by Google

INDEX

Paragraphorum Appendicis ad Tractatum tertium Tomi ſecundi Theologiæ Univerſalis, de cultu & invocatione Sanctorum, necnon de veneratione ſacrarum Reliquiarum & ſanctarum Imaginum &c.

Num.

§. I. *Texitur Catalogus Hæreticorum, qui Catholicam Doctrinam de cultu & invocatione Sanctorum; ac Reliquiarum & ſanctarum Imaginum veneratione impugnârunt.* - - - 2.

§ II. *De Adoratione ſeu Cultu Sanctorum.* - - - 3.

§. III. *De Invocatione Sanctorum.* - - - 29.

§. IV. *De Cultu Crucis Chriſti & ejusdem Crucis effigiei, Reliquiarum ac Imaginum Sanctorum.* - - - 44.

APPENDIX

De cultu & invocatione Sanctorum; necnon de veneratione Reliquiarum & ſanctarum Imaginum &c.

SOlent plerumque Theologi noſtri ad calcem Tractatûs de Myſterio Incarnationis Catholicam de cultu & invocatione Sanctorum, necnon de Reliquiarum & ſanctarum Imaginum veneratione doctrinam expendere, ut cujus appendix ſit. Cùm enim noſtræ Religionis Adverſarii Proteſtantes, antiquorum Hæreſiarcharum veſtigiis inhærentes, criminentur, hanc noſtram doctrinam idololatriam redolere, necnon Deo & Chriſto Mediatori eſſe injurioſam; nullibi in Theologia ob doctrinæ conſecutionem opportuniùs eorum calumniæ retunduntur, quàm ubi jam de Deo ac Chriſto Mediatore actum eſt, ſcilicet poſt abſolutum de Verbo Incarnato Tractatum. Quod ſingulis Paragraphis exequimur.

§. I.

Texitur Catalogus Hæreticorum, qui Catholicam doctrinam de cultu & invocatione Sanctorum, ac Reliquiarum, & ſanctarum Imaginum veneratione impugnârunt.

Manichæi tertiô Sæculô omnem Sanctorum cultum reſpuerunt, objeceruntque Catholicis, teſte S. Auguſtino, quòd pro Diis Gentium Martyres invexiſſent. Agnoſcebant ergo Hæretici illi, cultum Sanctorum ſua ætate in Eccleſia Catholica celebrem fuiſſe.

Manichæorum errorem amplexus eſt Sæculô 4tô in Oriente Eunomius Arianus; & initiô Sæculi 5ti Vigilantius natione Gallus & Barcinonenſis Eccleſiæ in Hiſpania Presbyter in Occidente, contra quem calamum ſtrinxit S. Hieronymus.

Signum Crucis, quod à Catholicis manuum agitatione exprimi ſolet, deriſerunt iidem Manichæi ex S. Auguſtino, lib. 6. contra Fauſtum; & alii recentiores Manichæi in Galliis apud Pithæum in Hiſtoria Aquitanica.

Amalarius Sæculô 9nô. refert lib. de Off. Eccleſ. c. 14. quorumdam errorem, ſtatim tamen extinctum, qui veram Chriſti crucem ita honorandam cenſebant, ut reliquas ad ejus ſimilitudinem efformatas rejicerent. Alii paulò pôſt eruperunt, qui, duce Claudio Taurinenſi Epiſcopo, tam veram, quàm cæteras Cruces conculcarent. Hujus impietatis ſocii in Oriente extiterunt Pauliciani à quodam Paulo ſic nuncupati, veterum Manichæorum propago. Hos ſecuti ſunt undecimô Sæculô in Occidente Henriciani ſeu Petrobuſiani.

Quartô Sæculô ſanctarum Reliquiarum ho-

hoſtes extitère in Oriente prædictus Eunomius Arianus; & initiò Sæculi 5ti. in Occidente Vigilantius, qui, teſte S. Hieronymo, Catholicos per contemptum *Cinerarios*, imò & *Idololatras* vocabat.

Sacras Imagines impugnârunt 1mo. Judæi ex peculiari ſuæ legis inſtituto. 2do. Mahumetani, quorum Secta prodiit Sæculô ſeptimô. 3tio. Ex Chriſtianis Manichæi, teſte Tharaſio Epiſcopo Conſtantinopolitano, Act. 4tâ. Concilii VII. Oecumenici. Sed præ cæteris Leo Iſaurus Imperator à quodam Judæo deceptus, an. 730. publicô edictô in ſacras Imagines tanto furore debacchatus eſt, ut (*p*) Iconomachorum Princeps meritò ab omnibus habeatur. Impietatem paternam Conſtantinus Copronymus, toto conatu proſecutus eſt; congregatisque ex variis provinciis Epiſcopis numerô 338. Conſtantinopoli, juſſit imagines abrogari an. 754. Legatos inſuper miſit ad Pipinum Francorum Regem, ut eum in ſceleris ſocietatè pertraheret. VerùmPipinus in conventu hac de cauſa Gentiliaci habito an. 767 Imperatorem per eosdem Legatos ab errore revocare conatus eſt, fruſtra tamen, nam præconceptum in Imagines odium Copronymus non depoſuit; filium quoque nomine Leonem pertinaciæ ſimul & imperii hæredem reliquit.

Leoni Iſauro obſtiterunt, in Oriente Sancti Joannes Damaſcenus, & Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus; in Occidente Gregorius Papa II. in Synodo Romana, & Gregorius III. in Concilio 93. Epiſcoporum annô 732. ex Anaſtaſio in ejus vita. Stephanus IV. quoque an. 769. damnavit Conciliabulum Iconomachorum Conſtantinopoli juſſu Conſtantini Copronymi coactum, ex eodem Anaſtaſio.

Tandem Conſtantinus pius Imperator cum Irene matre collapſum in Oriente Imaginum cultum reſtituere curavit; igitur ipſo agente an. 787. Nicææ Bithyniæ Metropoli celebratum eſt Concilium Generale VII. dictum Nicænum II. cui Adrianus I. Papa per ſuos Legatos præſedit; in quo ſacris Imaginibus cultus ſuus & honos reſtitutus eſt.

Iconomachorum errorem ubique proſcriptum duodecimô Sæculô renovârunt Valdenſes, Petrobuſſiani, Henriciani & Albigenſes; & tandem decimô ſextô Lutherani & Calviniſtæ inſuper amplexi ſunt impietatem Manichæorum, Vigilantii, & aliorum hujusmodi hæreticorum circa cultum Sanctorum & Reliquiarum, imò & pretioſiſſimæ Crucis Domini, adeò ut Sectas eorum rectè dixeris ſentinam, in quam omnium hæreſum ſordes confluunt. Quòd ſi præcedentium Hæreticorum traditionem prætendant, indeque glorientur, profectò gloria hæc illis in confuſionem cedit; cùm impietates illæ, ubi prodierunt, continuò fuerint proſcriptæ ab Eccleſia, cui reſiſtere inſolentiſſimæ eſt inſaniæ, ait S. Auguſtinus.

§. II.

De adoratione ſeu cultu Sanctorum.

Jam ſupra c. 6. §. 8. diximus Religioſæ adorationis ſeu cultûs triplicem eſſe ſpeciem; Latriæ, *qui eſt cultus, qui exhibetur ob excellentiam divinam ſeu increatam*, & hic uni Deo debetur. Duliæ, *qui eſt cultus, qui exhibetur propter excellentiam creatam & ſupernaturalem, ſed multis communem & non alicui omninò ſingularem.* Et Hyperduliæ, *qui eſt adoratio, quæ exhibetur propter excellentiam creatam ſupernaturalem, ſed eximiam & uni ſubjecto ſingularem.* Prima adorationis ſeu cultûs ſpecies, ut dictum, uni Deo de-

(*p*) *Iconomachus* è Græco idem eſt ac Imaginum debellator.

Digitized by Google

debetur. Altera exhibetur Sanctis ſive cum Chriſto jam regnent in cœlis; ſive adhuc in Eccleſia militent. Tertia adorationis ſpecie ſola Virgo Deipara colitur, propter dignitatem Matris Dei & affinitatem cum Verbo incarnato, quâ ſupra cæteras creaturas eminet, atque illius ſanctitatem, quæ licèt creata ſit, ita tamen eximia & ſingularis eſt, ut nulli alii creaturæ conveniat, unde ſic de ea loquitur S. Ambroſius, lib. 2. de Virginibus, *Quid nobilius Dei Matre? quid ſplendidius eâ quam ſplendor elegit.*

4 CONCLUSIO.

(*q*) Sancti in cœlo cum Chriſto regnantes aliquo cultu digni ſunt, nempe Duliæ; B. Virgo Maria verò Hyperduliæ. Tres ſunt hujus concluſionis partes

Quod hanc Concluſionem ſpectat, quamvis Proteſtantium vulgus, quidamque minùs eruditi Nos Catholicos infectentur tanquam idololatras, quòd Sanctis cultum exhibeamus; tamen qui inter illos ſunt perſpicaciores & præſtantioris eruditionis Concluſionis noſtræ veritatem non inficiantur, ſic enim ſcribit Molinæus inſignis Miniſter Calvinianus: *Venerentur* (Catholici) *Sanctos, eosque in exemplum proponant, ſed non eos invocent.* Et Carolus I. Angliæ Rex in ſua reſponſione ad Cardinalem Peronium: *Sua Majeſtas veneratur Martyres, & alios Sanctos modò cùm Jeſu Chriſto regnantes, nec dubitat, quin orent pro Eccleſiæ neceſſitatibus; firmiterque credit, ipſorum orationes non eſſe inutiles.* Dallæus quoque in ſua Apologia: *Hæc ipſa Roma*, inquit, *de qua conquerimur, à potiori nobiscum convenit: enimverò quamvis variis creaturis magnos honores exhibeat: ſemper tamen agnovit, certam quamdam dari obſequii ſeu cultûs ſpeciem, qui nulli alteri niſi Deo exhiberi debet aut poteſt; hunc cultum communiter adorationem latriæ appellat, ut ab aliis, quos ei, qui non eſt Deus, deferri poſſe arbitratur, eum diſtinguat. &c. &c.*

Prob. 1ma. pars ex S. Scriptura. Geneſis 18. v. 2. de Abrahamo dicitur: 5
cucurrit in occurſum eorum (Angelorum) *de oſtio tabernaculi ſui, & adoravit in terram.* Ibid. c. 19. v. 1. Loth *adoravit* (Angelos) *pronus in terram & dixit: obſecro Domini &c.* Joſue 5. v. 13. 14. & 15. *Vidit virum ſtantem contra ſe, evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, & ait: noſter es: an adverſariorum? Qui reſpondit: nequaquam; ſed ſum Princeps exercitûs Domini, & nunc venio. Cecidit Joſue pronus in terram & adorans ait, &c.* Tobiæ 12. v. 16. Tobias pater & filius Raphaelem Angelum adorarunt, *ceciderunt ſuper terram &c.* Quibus locis *adoratio* non ſupremum latriæ cultum, ſed alium longè inferiorem ſignificat, religioſum tamen non purè civilem ac politicum: Sancti nempe viri illi in Angelis honorârunt eximiam eorum ſanctitatem, dotes ſupernaturales, quibus cum Deo intimè conjunguntur: at eadem eſt ratio de hominibus beatis ac de Angelis, ut patet. Ergo ſi Angeli, quemadmodùm adducti S. Scripturæ textus declarant, piè ac licitè colantur cultu religioſo, eo quoque piè ac licitè coli poſſunt, qui cœleſti beatitudine cum Chriſto fruuntur, at-

(*q*) Non de cultu civili, de quo nemo dubitat, ſed de religioſo hic nobis ſermo eſt, quo Sanctos propter eximia ſua merita, fidei conſtantiam, charitatis ardorem, infracti animi mediis in cruciatibus fortitudinem, immenſum Religionis Chriſti tuendæ ac propagandæ ſtudium, cæteraque cœleſtia, quibus à Deo cumulati fuerunt, dona; verbô, propter eorum excellentiam honoramus & veneramur, & ſic per hunc cultum ipſis à nobis exhibitum Deum colimus & adoramus, qui dona ſua in Sanctis coronat; & ita cultus hic noſter ad Deum tendit.

atque Deo in omni ſanctitate intimè conjunguntur.

Et verò 3. Reg. c. 18. v. 7. hæc leguntur: *Cumque eſſet Abdias in via, Elias occurrit ei, qui cùm agnoviſſet eum, cecidit ſuper faciem ſuam.* Honor autem, quo Abdias Eliam hîc proſecutus eſt, non fuit honor politicus & civilis, qui alicui exhibetur propter ſæcularem aliquam excellentiam & poteſtatem; neque enim Elias, habita ratione ſocietatis politicæ ac civilis, ſuperior erat Abdiâ, qui unus erat è regni Proceribus, atque Diſpenſatoris Domus Regis Achab munere fungebatur. Ergo erat cultus Religioſus,hoc eſt, Eliæ exhibitus propter excellentiam ſuam ſpiritualem & ſupernaturalem, qua eminebat, ſanctitatem nempe & ſpiritum propheticum, quo eum præditum eſſe cognoverat. Item, ut alia plura loca omittamus, lib. 4. Reg. c. 2. v. 15. Cùm filii Prophetarum intellexiſſent Eliæ Spiritum in Eliſæum tranſiiſſe, *venientes in occurſum ejus adoraverunt eum proni in terram* cultu nempe religioſo ob prophetiæ donum, quo eminebat ſcilicet; nam, ut dictum, hic cultus creaturis defertur propter dotes ſupernaturales, ac præſertim eximiam, qua eminent, ſanctitatem.

Quod ſi ergo licitum eſt homines in hac mortali vita degentes, corruptioni, miſeriis & infirmitatibus corporis, quod geſtant, obnoxios religioſo cultu proſequi, quantò magis licebit Sanctis hac miſera mortalitate exutis & viſione Dei plenè fruentibus ſimilem imò majorem exhibere cultum.

Conſonat Traditio SS. Patrum. *Debemus*, inquit S. Ambroſius (*r*), Serm. 6. *reddere illis honorificentiam, qui nobis ſalutem profuſione ſui ſanguinis pepererunt.... Quiſquis ergo honorat Martyres, honorat & Chriſtum; & qui ſpernit Sanctos, ſpernit & Dominum.*

(*s*) S. Gregorius Nazianzenus, Orat. in laudem Cypriani Martyris. *Cyprianus*, ait, *ferè nobis effluxit, ò grave damnum! idque vos paſſi eſtis, qui in eum maximè ſuſpicitis, annuisque honoribus feſtisque celebratis.*

(*t*) Euſebius, lib. 7. Hiſt. c. 19. refert ſummâ reverentiâ ſervatam fuiſſe S. Jacobi Hieroſolymitani Cathedram; cujus reverentiæ cauſam & rationem reddit his verbis: *Satis perſpicuè declarantes, qualiter tùm antiquiores, tùm noſtri temporis Chriſtiani, viros ſanctos ob ipſorum erga Deum amorem debito ſemper honore venerati ſunt, & hactenus venerantur.*

(*u*) S. Hieronymus, Ep. ad Riparium de erroribus Vigilantii, *Honoramus*, inquit, *ſervos, ut honor ſervorum redundet ad Dominum, qui ait: Qui vos ſuſcipit, me ſuſcipit.*

(*x*) S. Auguſtinus, Serm. 1. de SS. Petro & Paulo, *Beatiſſimum Petrum piſcatorem*, inquit, *modò genibus provolutis adorat gentium multitudo credentium.* Et lib. 20. contra Fauſtum, c. 21. *Populus Chriſtianus*, inquit, *memorias Martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat... colimus Martyres eo cultu dilectionis & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur ſancti homines Dei.... At illo cultu, qui græcè λατρεία dicitur, latinè uno verbo dici non poteſt, cùm ſit quædam propriè divinitati debita ſervitus, nec colimus, nec colendum docemus, niſi unum Deum.*

Ratio eſt, quia Sancti habent propriam ac ſupernaturalem excellentiam gratiæ ſanctificantis, luminis gloriæ, viſionis & amoris beatifici, quæ reddit illos Dei amicitiâ dignos, & à fortiori honore, reverentia ac ſubmiſſione noſtra; quæ proinde ipſis licitè exhiberi poſſunt, & decenter impenduntur. Et verò

(*r*) Obiit an. 397. (*s*) Obiit an. 390. (*t*) Obiit 340. (*u*) Obiit 420. (*x*) Obiit 430.

verò utique tam licet cultu religioſo proſequi Sanctos ob eximias eorum dotes ſupernaturales, quàm liceat cultu politico & civili honorare viros Principes, aliquosque in poteſtate conſtitutos, vel aliqua in ſcientia aut arte inſignes.

6 Prob. 2da pars Concluſionis. Namque ſunt digni cultu duliæ (y). Quia ſunt digni cultu, qui ſit inferior latriâ, & major politicâ. Sed talis eſt dulia, vel hyperdulia: non eſt autem hyperdulia, quia eorum excellentia non eſt unico ſubjecto eximiè ſingularis. Ergo eſt dulia. Major conſtat, nam adoratio proportionatur excellentiæ, in qua fundatur, & eſt in eorum ordine. Excellentia autem Sanctorum, cùm ſit finita & creata, eſt infinitè inferior excellentiâ divinâ; & cùm ſit ſupernaturalis, eſt major politicâ, quæ eſt naturalis. Igitur ſancti Angeli & homines ob ſuam excellentiam ſupernaturalem creatam ſunt digni cultu duliæ, qui eſt medius inter latriam & adorationem politicam. Dulia autem qua digni ſunt Sancti, eſt abſoluta, non relativa duntaxat (z); Nam adoratio abſoluta eſt ea, quæ fundatur in excellentia propria & intrinſeca perſonæ, quæ adoratur. Excellentia autem Sanctorum eſt ipſis propria & intrinſeca, cùm conſiſtat in gratia ſanctificante & gloria, quæ ipſis inhærent, illosque in excellenti gradu perfectionis & ſanctitatis conſtituunt.

7 Prob. 3tia pars Concluſionis. Nam B. Virgo Maria habet excellentiam ſupernaturalem creatam, omninò eximiam ac ſingularem ſibi propriam & intrinſecam longè præſtantiorem excellentiâ Angelorum & hominum, conſiſtentem tùm in gratia habituali & gloria excellentiſſima ipſi phyſicè intrinſeca, tùm in dignitate maternitatis Dei, quæ ei moraliter intrinſeca eſt. Ergo B. Virgo Maria eſt digna Dulia quadam ſingulari & eximia, quæ nulli alteri puræ creaturæ convenit, quæque *hyperdulia* dicitur, quaſi *ſuperdulia*, nam cultus proportionatur excellentiæ. Unde de illa ſic ait S. Ambroſius l. 2. de Virg. ſuprà jam à nobis laudatus, *Quid nobilius Dei Matre? Quid ſplendidius ea, quam ſplendor elegit?* Hinc effectum eſt, ut quovis Sæculo fidelibus perſuaſum fuerit, plurimum eam ſuis precibus apud Chriſtum valere. Auguſtinus lib. de ſancta Virginitate c. 6. docet, Mariam non tantùm naturalis corporis Chriſti matrem eſſe, ſed etiam myſtici, quod eſt Eccleſia. Mirum igitur non eſt, quòd Chriſtiani ad eam tanquam filii ad matrem ſemper confugerint, eamque eo nomine ſupplices invocaverint. Fatentur Proteſtantes totam Eccleſiam tùm in Occidente tùm in Oriente, quartô Sæculô B. Virginem Mariam religioſè & præ cæteris Sanctis coluiſſe, ejusque opem & auxilium invocaſſe; fateantur ergo, neceſſe eſt etiam, Patres tertii, ſecundi, & primi Sæculi, ipſosque Apoſtolos illum B. Virginis Mariæ cultum, eum illam invocandi morem ad praxim reduxiſſe; alioqui oſtendant nobis, quandonam, in quo loco, quo auctore, quibus præſidiis inſtitutus fuerit, & ubique invaluerit cultus ille. Certè huc valet illud S. Auguſtini lib. 4. de Baptiſmo, c. 24. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur.*

Ex

(y) *Dulia* vox Græca Latinè reddita idem eſt ac *ſervitus*. *Hyperdulia* verò idem ac *ſupraſervitus* ſeu *major ſervitus*, & *obſequium*.

(z) Quid ſit adoratio abſoluta, quid relativa diximus ſup. c. 6. §. 8. de Adoratione Chriſti, ubi vide.

Digitized by Google

Ex dictis colligitur, piè ac religioſè in honorem Deiparæ & aliorum Sanctorum unà cum Chriſto in cœlis regnantium inſtitutos fuiſſe dies feſtos, eiſque Oratoria, Baſilicas, Memorias fuiſſe erectas, & adhuc erigi. Nam Feſtorum inſtitutio eſt determinatio quorumdam dierum, quibus Sancti peculiariter honorentur, eorum virtutes laudibus celebrentur, ad eorum imitationem excitemur, petamusque eorum apud Deum orationes, & Deo ſacrificium offeramus in gratiarum actionem propter beneficia ab eo in Sanctos collata. Atqui hujuſmodi determinatio eſt pia, cùm cultus Sanctorum ſit pius, rectus, ac ſacer, ut probatum eſt, hicque eorum cultus redundet in honorem Dei, cujus ſunt amici. Ergò Feſtorum inſtitutio ad honorandum Sanctos pia eſt & recta. Undè etiam meritò Deiparæ & Sanctis erecta fuêre & adhuc eriguntur à Chriſtianis Oratoria, Baſilicæ, Memoriæ, à Græcis indiſcriminatim Templa vocata (*a*); in quibus hujuſmodi pietatis officia exercerentur & exerceantur. Nulla quippe, quæ Scripturis aut Patrum Traditione contineatur, lege prohibitum eſt, ne Oratoria, Baſilicæ, Memoriæ Sanctis unà cum Chriſto in cœlis regnantibus conſecrentur. Ergo cùm, ubi non eſt lex, ibi neque ſit prævaricatio, Chriſtiani, à quibus id fit, non peccant. Et verò primævis illis etiamnum temporibus, quibus Adverſarii noſtri Proteſtantes fatentur puriſſimam ſeu omnis labis expertem fuiſſe Eccleſiam, Oratoria, Baſilicæ, Memoriæ Sanctis cum Chriſto in cœlis regnantibus conſecratæ ſunt. Enimverò Concilium Gangrenſe ſub Sylveſtro Papa, paulò poſt Concilium Nicænum I. Oecumenicum, celebratum (*b*), & cui præſedit Oſius Cordubenſis, Can. 10. de Martyrum Baſilicis loquitur, easque probat. Idem præſtat Synodus Laodicena ſub Damaſo Papa, Can. 51. (*c*)

Patres Concilii Epheſini I. Oecumenici III (*d*). dicunt, ſe conveniſſe *in ſanctiſſima Eccleſia quæ dicitur Mariæ.* Patres Calcedonenſes in Actis Concilii (*e*) dicuntur congregati *in Eccleſia ſanctæ ac triumphantis Martyris Euphemiæ.* Et Canone ultimo de Martyrum Baſilicis faciunt mentionem.

Concilium quoque Carthaginenſe V. (*f*) Can. 14. vetat, ne Ædes (*g*) ulli Martyri ædificentur, niſi ibi ſit aut corpus, aut aliquæ ejus reliquiæ, aut in eo loco Martyr aliquamdiu fuerit commoratus, aut Martyrium paſſus.

S. Cyrillus Jeroſolymitanus Catecheſi 16tâ. meminit Eccleſiæ Apoſtolorum Jeroſolymis in loco, ubi Spiritus Sanctus in Apoſtolos deſcenderat, erectæ (*h*). S. Athanaſius in Epiſtola ad Solitarios nominat Templum ſancti Quirini. (*i*)

S. Gregorius Nazianzenus, Orat. in Julian. ſcribit, Gallum & Julianum Ædem ſacram Mamæ Martyri ingentibus ſumptibus

(*a*) Latini verò paſſim Templa à Baſilicis diſtinxerunt: illa ſoli Deo conſecranda eſſe docuerunt: Oratoria verò & Baſilicas Sanctis unà cum Chriſto in cœlo regnantibus: Sed hic de nomine lis eſſe videtur Dicamus ergò Templa Deo conſecrari in honorem Sanctorum. Vide S Aug. lib. 12, de Civ. Dei, c. 10. (*b*) Sæculo 4tô. ſed quo anno incertum. (*c*) Eodem ſæculo ſed incertò etiam annò. (*d*) Annô 431. celebratum fuit, ſub Cœleſtino Papa I (*e* An. 451. ſub Leone Papa I. (*f* Annô 398. celebratum. (*g*) Ædes Martyribus dicatæ nihil aliud ſunt, quàm ingentes tumuli, qui Martyribus conſecrati fuerunt. Hi verò tumuli nonnunquam Eccleſiæ nuncupati fuerunt, eoquòd ad eos populi fideles ad colendos Martyres congregarentur. (*h*) Obiit S. Cyrillus Jeroſolymitanus an. 386. (*i*) Obiit S. Athanaſius an. Chr. 371.

bus erexiſſe (*k*). S. Chryſoſtomus, Hom. 28. ad populum Antiochenum, *Ad veras*, inquit, *& regias Eccleſias dico*, *& oratorias Ædes*, *& Martyrum Templa* (*l*). Euſebius, lib. 4. de vita Conſtantini, c. 58. ſcribit inter alia, Templum elegantiſſimum à Conſtantino ſanctis Apoſtolis erectum fuiſſe Conſtantinopoli (*m*). Evagrius, qui annô duodecimô, ut ipſemet ſcribit lib. 6. Hiſt. Eccleſ. c. 24. Mauritii Imperatoris Principatûs, Chriſti 594. Hiſtoriam ſuam finivit, lib. 3. c. 8. Templi S. Theclæ à Zenone exſtructi meminit. Hæc ex Orientalibus.

Non in Oriente tantùm, ſed etiam in Occidente mos, de quo agitur, obtinuit: S. Ambroſius, qui annô Chriſti 397. mortem oppetiit, lib. 1. Epiſt. 5. ad Felicem Epiſcopum Comenſem, ſic loquitur: *Ortus eſt ſermo de Baſilica quam condidit Apoſtolorum nomine dedicanda.* Sic etiam Hieronymus (*n*) lib. contra Vigilantium, *Ingredere Baſilicas Martyrum.* Tandem Patres omnes, qui ad hæc usque tempora à quarto Sæculo vixerunt, ad exemplum eorum, qui præceſſerant, probârunt uſum de Baſilicis, Oratoriis, Ædibus, Memoriis (ea enim nomina rem eamdem ſignificant) aut Martyribus aut ſanctis Confeſſoribus conſecrandis; ac proinde Novatores Sæculi decimi ſexti, qui praxim illam inſimulant idololatriæ, crimen illud impingunt Eccleſiæ, quam prioribus temporibus puriſſimam ac ſanctiſſimam fuiſſe conſiteri coguntur.

9 Feſtorum in honorem Sanctorum inſtitutio autem ab ipſis Eccleſiæ incunabulis apud Chriſtianos eſt in uſu. Conſtitutiones Apoſtolicæ, quæ vulgò Sancto Clementi tribuuntur, præſcribunt fidelibus, ut diebus S. Stephano & aliis Martyribus ſacris, temperent ab operibus quæ ſervilia vocantur: *In die autem Stephani protomartyris, item vacent; ac reliquis diebus Sanctorum Martyrum qui Chriſtum vitæ ſuæ antepoſuerunt.* (*o*) Eccleſia Smyrnenſis in epiſtola, quam de martyrio Polycarpi, qui Joannem Evangeliſtam audierat, ſcribit ad Eccleſias Ponti, recenſet, tanquam uſum multo tempore jam probatum, morem feſtos in honorem Martyrum celebrandi dies: ſic enim loquitur apud Euſebium hiſtoriæ lib. 4. c. 15. *Oſſa illius* (Polycarpi) *gemmis pretioſiſſimis & quovis auro puriora colligentes, ubi decebat, condimus. Quo etiam in loco nobis, ſi fieri poterit, convenientibus, concedet Deus natalem ipſius martyrii diem cum hilaritate & gaudio celebrare, tùm in memoriam eorum, qui glorioſo certamine perfuncti ſunt, tùm ad poſteros hujusmodi exemplô inſtruendos & confirmandos.*

Vigebat & ille uſus in Eccleſia Latina Cypriani temporibus (*p*): ſiquidem lib. 4. Ep. 5. ſcribit ſe per ſacrificii oblationem Laurentii, & Ignatii, qui martyrium paſſi fuerant, agere memoriam: *Quoties*, inquit, *Martyrum paſſiones & dies anniverſaria commemoratione celebramus*, *&c.* Lib. 3. Ep. 6. Clero præſcribit, ut diem, qua Martyres paſſi fuerint, diligenter litteris commendent, Ut, inquit, *commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus.* Nomine verò Martyrum S. Doctor non eos tantùm intelligit, in quos aut igne aut gladio animadverſum fuerat, ſed eos etiam, qui in carceribus pro Chriſti causa obierant: *Qui*, inquit lib. 5. Ep. 6. *etſi torti non ſunt, in carcere tamen glorioſo mortis exitu ex-*

(*k*) Obiit S. Gregorius Nazianzenus an. Chr. 390. (*l*) Obiit S. Chryſoſtomus an. Chr. 407. (*m*) Obiit Euſebius Cæſarienſis an. Chr. 340. (*n*) Obiit S. Hieronymus an. Chr 420. (*o*) Initiô Sæculi ſecundi Eccleſiæ Chriſti. (*p*) Obiit S. Cyprianus an. Chr. 258

cedunt. Neque enim virtus eorum aut honor minor eſt, quo minùs ipſi quoque inter beatos Martyres aggregentur.

Poſt tertium Sæculum in honorem Sanctorum, qui in ſolitudine vitam egerant, pietatemque ſive dum viverent, ſive poſt mortem, miraculis probaverant, inſtituta fuerunt feſta: ſcilicet vita per multos annos in pœnitentiæ exercitiis transacta, habita fuit martyrii locô: *Secura eſto Euſtochium*, inquit S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ, *mater tua longô martyriô coronata eſt. Non ſolùm enim effuſio ſanguinis in confeſſione reputatur, ſed devotæ quoque mentis ſervitus immaculata quotidianum martyrium eſt: unde & in Cantico ſcribitur Canticorum: Fratruelis meus candidus & rubicundus: & in pace & in bello præmia eadem vincentibus tribuens.*

10 Cæterùm licèt, ut jam diximus, Virginis Deiparæ cultus ab ipſis Eccleſiæ incunabulis in uſu fuerit, feſta tamen in illius honorem inſtituta eadem antiquitate non commendantur. Feſtum Nativitatis cœpit circa annum milleſimum: de eo enim tanquam de re nuper inſtituta circa annum 1000. Fulbertus ſic loquebatur, Serm. 1. de Nativit. *Inter omnes Sanctos memoria beatiſſimæ Virginis eò frequentiùs agitur atque feſtiviùs, quò majorem gratiam apud Dominum creditur inveniſſe. Unde poſt alia quædam ipſius antiquiora ſolemnia, non fuit contenta devotio fidelium, quin Nativitatis ſolemne ſuperadderet hodiernum.* Ex quo Baronius arbitratur Sermones *de Nativitate Deiparæ*, qui antiquioribus Patribus tribuuntur, re vera non eſſe germanum eorum fœtum.

Feſtum in honorem Conceptionis novum erat S. Bernardi temporibus: ſic enim de eo loquitur Ep. ad Canonicos Lugdunenſes, *Unde miramur ſatis, quòd viſum fuerit hoc tempore quibusdam veſtrûm voluiſſe mutare colorem optimum novam inducendo celebritatem, quam ritus Eccleſiæ neſcit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio.*

Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum, ſcribit feſtum *Purificationis B. V. Mariæ* Juſtiniani temporibus inſtitutû fuiſſe.(q) Nicephorus Caliſtus narrat, eum edixiſſe, ut feſtus ille dies toto terrarum orbe celebraretur, quod Imperatoris hujus decretum Eccleſia ubique executioni mandari juſſit.

Feſti *Annuntiationis B. V. Deiparæ* in monumentis Græcorum non fit mentio niſi poſt ſextum Sæculum: prima illius memoria reperitur in Concilio Quiniſexto ſeu potiùs Orientalium Præſulum conventu Conſtantinopoli in Trullo habito an. 692. ibi enim Can. 52. edicitur, ut per quadrageſimam Miſſa non fiat, *præterquam Sabbatô & Dominicâ, & ſancto Annuntiationis Die.*(r) Ex quo tamen habetur, jam ante hujus conventus tempora inſtitutum fuiſſe iſtud *Annuntiationis* feſtum. Apud Latinos ejusdem feſti meminit Concilium Toletanum X. an. 656. celebratum, c. 1.

Mox laudatus Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum aſſerit, feſtum *Vi-*

(q) Juſtinianus paulo poſt Sæculi 6ti initium circa an. 527. Imperium adiit ac Imperator renuntiatus eſt.

(r) En integer Canon: *In omnibus Sanctæ Quadrageſimæ diebus, præterquam Sabbatô & Dominicâ, & ſancto Annuntiationis die, fiat ſacrum præſanctificatorum myſterium* Id eſt, *tantùm præſanctificata offerantur*, ut moris eſt apud nos ſancto Paraſceves die. *Præſanctificatorum Liturgiam*, inquit Balſamon in hunc locum, *non intelligimus ſacrificium incruentum; ſed adductionem ſeu oblationem Sacrificii jam antea peracti & oblati.*

Digitized by Google

Viſitationis B. V. Mariæ inſtitutum fuiſſe ab Urbano Papa VI. & circa an. 1389. promulgatum a Bonifacio Papa IX. & tandem annô 1441. à Concilio Baſileenſi.

Circa finem Sæculi 5ti. primùm prodierunt libri, qui Dionyſio Areopagitæ tribuuntur; ubi c. 3. art. 2. lib. de Divinis nominibus, hæc leguntur : *Cùm & nos, & ipſe, plurimorum ſanctorum fratrum noſtrorum ad corpus illud, quod dedit principium vitæ, Deumque ſuſceperat, contuendum veniſſemus; aderat autem & frater Domini Jacobus & Petrus &c.* Hæc verba fundamento fuerunt ſententiæ, in quam ierunt Eccleſiæ non de morte tantùm, ſed etiam de reſurrectione & aſſumptione B. Mariæ Virginis in cœlum; quamquam nonnulli crederent in Dionyſii textu legi vocem ἥματος, quæ ſignificat *ſepulchrum*, non autem σώματος, quæ ſignificat *corpus* : hoc eſt, quamvis nonnulli cenſerent Dionyſium eo in loco non de corpore Mariæ Virginis, ſed de Chriſti ſepulchro locutum fuiſſe, quòd abſurdum omninò videtur, oppoſita tamen meritò prævaluit ſententia, indeque concluſum eſt, Mariæ corpus, quod in terris nullibi reperitur, in cœlum unacum ejus anima aſſumptum fuiſſe. Non multò poſt inſtituta eſt ejuſmodi *Aſſumptionis* memoria. Concilium Moguntinum, quod an. 813. celebratum eſt, *Aſſumptionem* in feſtorum catalogum retulit; Relata eſt pariter in Capitularibus juſſu Caroli Magni promulgatis. Qui à Concilii Moguntini temporibus ſcripſerunt eadem ratione locuti ſunt; ii etiam, quibus viſum eſt, articulum de *Aſſumptione Mariæ Virginis* in aliquo Oecumenico Concilio expreſsè non fuiſſe definitum. Inſtar omnium ſit Petrus Bleſenſis, qui Serm. 28. hæc habet : *Hodie veriſimile eſt, quòd Beata Virgo & animæ beatitudinem, & corporis glorificationem adepta eſt. Quod ne cui veniat prorsùs in dubium, authoritatibus aſtruimus, opinando tamen, non aſſerendo.* Si quis articulum de quo ita locutus eſt Petrus Bleſenſis jam impugnare auderet, ad minus ſummæ temeritatis notâ afficiendus eſſet, ſi potiùs non omninò damnandus. Vide Baronium in Notis ad Martyrologium Romanum.

11 Ex dictis etiam colligitur, Vota Sanctis licitè & piè nuncupari poſſe, non tamen propriè, ſed impropriè tantùm. Votum enim propriè ſumptum ac ſtrictè apud Theologos poſt S. Thomam (s), eſt *promiſſio facta Deo tanquam primo principio & bonorum omnium auctori.* Atqui votum ſic ſumptum ſoli Deo nuncupari poteſt : ſic enim acceptum, eſt Latriæ cultus. At Votum latè & impropriè acceptum, eſt *promiſſio facta de bono aliquo, in ſignum gratitudinis ob acceptum aut accipiendum beneficium aliquod.* Atqui ſic ſumptum Sanctis unà cum Chriſto regnantibus utique nuncupari poteſt : neque enim minùs fieri poteſt Sanctis cum Chriſto regnantibus, quàm iis, qui adhuc in terris degunt : ac proinde cùm, ſic acceptum, fieri poſſit Sanctis adhuc in terra degentibus, prout patet, necnon quotidiana docet experientia; nihil quoque vetat, quin Sanctis cum Chriſto regnantibus nuncupetur.

Nos, inquit Euſebius lib. 13. præparat. Evang. c. 7. (t) *qui veræ pietatis milites, ut Dei amicos honorantes ad monumenta illorum Martyrum accedimus, votaque illis facimus, tanquam viris ſanctis, quorum interceſſione ad Deum non parùm juvari profitemur.*

Theodoretus, qui obiit an. 460. vel 470. lib. 8. de curandis Græcorum affectionibus, poſtquam dixit varia à Mar-

(s) 3. *p.* *q.* 25. *a.* 3. (t) Obiit an. 340.

Digitized by Google

tyribus peti, *Pie* inquit, *fideliterque precatos* (Martyres) *ea maximè conſequi, quæ deſiderant, teſtantur illa, quæ votorum rei perſolvunt, nam alii quidem oculorum, alii pedum, alii manuum ſimulacra ſuſpendunt ex argento, aurove confecta.*

Gregorius Turonenſis, qui an. 596. è vita exceſſit, lib. 2. hiſtoriæ Francorum, meminit voti, quod Regis Clodovei nomine Miniſtri Regii S. Martino nuncupaverunt: *Domino*, ait, *gratias agentes, & vota beato Confeſſori* (Martino) *promittentes, læti nuntiaverunt Regi, &c.* Immeritò igitur Sæculi decimi ſexti Novatores Catholicos arguerunt, quòd vota latè ſumpta & impropriè Sanctis unà cum Chriſto regnantibus nuncupare ſoleant.

12 *Solvuntur argumenta, quæ contra Sanctorum cultum, feſta, Baſilicas, vota, à Proteſtantibus objiciuntur.*

Ob. 1mo. Illud Deuteronomii c. 6. v. 13. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Et illud 1. Tim. c. 1. v. 17. *Soli Deo honor & gloria.* Ergo, &c.

Reſp. neg. conſ. In illis textibus agitur de cultu Latriæ, qui ſoli Deo debetur, non de cultu Duliæ, qui Sanctis exhibetur.

Inſt. Servitus ſoli Deo debetur: ergo & ſubmiſſio, ideoque adoratio.

Reſp. diſt. ant. Soli Deo debetur ſervitus ſumma & primaria, qua alicui ut ſupremo rerum omnium Domino ſervitur, conc. Servitus inferior, qua quis duntaxat alicui propter ejus excellentiam ac ſuperioritatem ſe ſe ſubmittit, neg. ant. Hæc enim creaturis exhiberi poteſt, atque Dulia vocatur, Latria verò ſoli Deo debetur.

13 Ob. 2do. Eſther c. 3. v. 2. Mardochæus noluit adorare Amanum. Ergo credebat adorationem creaturæ exhibitam non licere.

Reſp. neg. conſ. Noluit Mardochæus adorare Amanum, quia Aman non merebatur. Ethnicus ille exigebat adorationem latriæ, vel ſaltem genuflexionem, ibid v. 2. quæ ex uſu Judæorum nonniſi ſoli Deo exhibebatur communiter, Regibus verò & Principibus raro, nec niſi ob gravem cauſam. Quare Mardochæus Amanum adorare noluit per genuflexionem, ne hæc adoratio ſcandalum pareret. Certè Abraham adorare non dubitavit filios Heth, Geneſ. 23. adoratione ſcilicet politica & civili, ut & Bethſabee Regem David, 3. Reg. c. 1. v. 16. Quòd ſi talis ea fuit adoratio, quam Aman exigebat à Mardochæo, tamen meritò illi eandem exhibere renuit, tùm quia, ut diximus, eam Aman non merebatur, tùm ne ſcandalum inde apud Hebræos oriretur.

14 Ob. 3tio. Act. c. 10. Petrus Cornelium procidentem, ut eum adoraret, prohibuit dicens: *Surge, & ego ipſe homo ſum.* Ibid. c. 14. Paulus & Barnabas recuſarunt adorationem ut illicitam, quam illis exhibere volebant Lycaones. Et Apocalypſis c. 19. Angelus Joannem volentem illum adorare prohibuit his verbis: *Vide ne feceris. Conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Jeſu. Deum adora.* Ergo.

Reſp. neg. conſ. Ad textus adductos Reſp. & quidem quod ſpectat 2dum, apertũ eſt latriæ cultu Lycaones voluiſſe adorare Paulum & Barnabam, unde mirum non eſt, quòd hi Apoſtoli tam ſollicitè caverint, ne ſibi hujuſmodi cultus ab ipſis deferretur. *Apparuit hoc*, inquit S. Auguſtinus (u), *in Paulo & Barnaba, cùm commoti miraculis, quæ per eos facta ſunt, Lycaonii tanquam Diis immolare voluerunt.*

Ad

(u) Lib. 20. contra Fauſt. c. 21.

Digitized by Google

Ad 1mum. & 3tium. Fatemur quidem, Cornelium Petro, & Joannem Angelo unum Duliæ cultum, non autem Latriæ, exhibere voluiſſe, ſed negamus, cultum illum ſive Petrum, ſive Angelum improbaſſe; illum autem ſibi exhiberi noluerunt ſolius humanitatis & modeſtiæ causâ, ea fermè ratione, qua viris, à quibus exteriùs colimur dicere ſolemus, ut cooperiant caput, & ne coram nobis procumbant, aut ſicut Rex, qui in genua procumbenti, ut beneficium aut veniam ab eo obtineat, dicit: *Surge*; unde cùm ea agendi ratione non cenſeatur Rex externum honoris ſignum à ſubdito exhibitum damnare: ita nec illud Petrus in Cornelio, aut Angelus in Joanne damnarunt. De facto Cornelii, *Hoc faciens*, inquit S. Chryſoſtomus (*x*), *humilitatem ſuam oſtendit* (Cornelius) *& alios docuit, Deoque gratias agit ac declarat, quòd licèt juſſus ſit, tamen & per ſe multam habeat promptitudinem. Quid igitur Petrus? Surge, nam & ego homo ſum. Vide quomodo præ aliis doceat, nihil de ſe magnum ſentire.* Eadem quoque ratione textum illum interpretatur Gregorius Magnus (*y*). Quæ horum Patrum interpretatio optimè facto Joannis Apoſtoli & Angeli adaptatur. Ex humilitate Joannes adorare voluit Angelum., hic honorem iſtum ab hoc S. Apoſtolo ſibi delatum reſpuit, non ut ſacrilegum & illicitum, abſit, ſed pro ſua modeſtia & obſervantia in tantum virum, etſi naturâ minorem, dignitate tamen Apoſtolatûs, ſanctitate & gloria martyrii ſibi non imparem, fortè etiam majorem; atque ut illius dignitatem magis commendaret, addit *Deum adora*, quaſi iſthoc loquendi modô diceret, tanta eſt tuæ dignitatis eminentia, ut tibi minimè conveniat adorare creaturas, quippe quarum potiùs eſt, ut te adorent; tu ergo ſolum Deum adora. Aliàs, prout ſupra oſtendimus (*z*) Angeli boni ſe ab hominibus adorari paſſi ſunt.

Inſt. S. Hieronymus, lib. contra Vigilantium, c. 3. ſcribit & Cornelium & 15
Joannem voluiſſe externô ſignô, de quo Scriptura loquitur, Petro & Angelo Latriæ cultum exhibere. Ergo nullum alium religioſum agnovit Sanctis exhibendum. Prob. ant. ipſis hujus S. Doctoris verbis: *Nam*, inquit, *Paulus & Barnabas cùm à Lycaonibus Jupiter & Mercurius putarentur, ſe homines eſſe dixerunt, quòd ſub gentilitatis errore honor eis Deo debitus deferretur. Quod & de Petro legimus, qui Cornelium, ſe adorare cupientem, manu ſublevavit, & dixit, Surge; nam & ego homo ſum.* S. Auguſtinus, lib. de vera Religione c. 55. ſic etiam de altero textu ex Apocalypſi petito loquitur: *Rectè itaque ſcribitur, hominem ab Angelo prohibitum, ne ſe adoraret, ſed unum Deum, ſub quo ei eſſet & ille conſervus.* Ergo idem ſenſit ac S. Hieronymus.

Reſp. 1mo. neg. utramque conſequentiam. Equidem hi duo SS. Doctores textus, de quibus agitur (*a*), explicârunt de cultu latriæ, quamvis malè, noſtrô quidem, & omnium fermè Theologorum judiciô. At falſum eſt, eos non alium religioſum, præter Latriæ, cultum agnoviſſe, nam variis in locis, prout ex adductis in Concluſione noſtra ipſorum teſtimoniis liquet, alium, qui Latriâ minor ſit, quemque Duliæ cultum vocamus, agnoverunt.

Reſp. 2do. nec Hieronymum, nec Auguſtinum ex profeſſo locis laudatis tractare textus, qui ex Actis, & Apocalypſi objiciuntur: undè cùm aſſeruerunt adorationem tùm à Cornelio tùm à Joanne exhibitam intelligi de adoratione Latriæ, ſe geſſerunt Scriptorum more, qui de argumento aliquo tractantes, ad illud

(*x*) *Hom.* 28. *in c.* 10. *Act.* (*y*) *Lib.* 21. *Moral. c.* 10. (*z*) Concluſ. prob. 1mæ. part. (*a*) Act. 10. & Apocalyp. 19.

illud reducunt ea omnia, quæ aliquam argumenti ſpeciem referunt: unde mirum non eſt, quòd cùm oſtendere vellent, latriæ adorationem ſoli Deo exhibendam eſſe, in theſis illius confirmationem protulerint tùm Petri, tùm Angeli factum, qui vetuerunt, ne ſibi aut à Cornelio, aut à Joanne adoratio aliqua deferretur.

16 Ob. 4to. Illud Coloſſ. c. 2. v. 18. & 19. ubi, *Nemo*, inquit Apoſtolus, *vos ſeducat, volens in humilitate & Religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, fruſtrà inflatus ſenſu carnis ſuæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus ..... creſcit &c.* Ergo.

Reſp. neg. conſ. Ibi Apoſtolus agit contra quoſdam hæreticos, qui, hauſto à Platonicis errore, docebant Angelos non pendere à Deo, & eſſe conditores hujus mundi, ideoque cultu Latriæ adorandos, & honorem Chriſto debitum in illos transferendum, ut patet ex verbis ſequentibus, *Et non tenens caput, &c.* nempe Chriſtum. *Sunt quidam*, inquit in hunc locum S. Chryſoſtomus, *qui dicunt non poſſe per Chriſtum adduci, ſed per Angelos*, ſcilicet *ad Deum.* Et Theodoretus lib. 3. hæretic. Fabul. c. 4. *Illi* (Simon & ejus diſcipuli) *hoc conſulebant, utique humilitate utentes: dicentes univerſorum Deum nec cerni nec comprehendi, nec ad eum perveniri poſſe; & oportere per Angelos divinam ſibi benevolentiam conciliare. Quocirca Synodus, quæ convenit Laodiceæ (b), quæ eſt Phrygiæ Metropolis, lege prohibuit* (Can. 35.) *ne precarentur Angelos, & in hodiernum usque diem licet videre apud illos & eorum finitimos oratoria S. Michaelis (c).* S. quoque Epiphanius de hæreſi Simonis, ait ipſum docere, *non poſſe ſalvari aliquem, niſi ſacrificia Patri univerſorum per eos Principatus & Poteſtates obtulerit.*

Ob. 5to. Idololatria eſt creaturam re- 17
ligione colere, ſolus enim Deus religione colitur. Atqui Catholici Sanctos Religione colunt. Ergo Catholici re vera ſunt idololatræ.

Reſp. 1mo. Eccleſiam nunquam definiiſſe, Sanctos eſſe religione colendos; ſed meram eſſe ſcholæ quæſtionem, an cultus, qui eis exhibetur, pertineat ad Religionem, an ad aliam virtutem; ac proinde Novatores eo capite Schiſma facere non debuerunt.

Reſp. 2do. Diſt. maj. Idololatria eſt creaturam colere religione propriè dicta, qua religamur primo principio & ultimo fini, conc. Religione impropriè dicta, qua propter Deum honoramus res & perſonas ſacras, v. g. Templa, Miniſtros Deo conſecratos, viros ſanctitate conſpicuos, & ideò viva Chriſti membra, neg. maj. Nam ex Jacob. c. 1. *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem, hæc eſt viſitare pupillos & viduas.* Vide S. Auguſtinum lib. 10. de Civ. Dei, c. 1. ubi hanc diſtinctionem fusè exponit.

Ob. 6to. Idololatria eſt, Templum 18
creaturis conſecrare, creaturis Aram erigere, juxta S. Auguſtinum, lib. 22. de Civ. c. 10. item lib. 1. contra Maximinum Arianum, & Serm. 6. in Evang. Matth. Atqui Sancti unacum Chriſto in

(b) Sæc. 4. ſub Damaſo Papa, an. incertò.

(c) In quibus videlicet eum colebant cultu Latriæ ei ſacrificando &c ſecundùm hæreſim Simonis Magi. Verùm Baronius ad an Ch. 60. n. 15 & ſeq. Theodoretum erroris coarguit, ut qui ex malè intellecto Canone 35. Concilii Laodiceni cultum Angelis abjudicare velle videatur. Facilè tamen Theodoretus eo, quem tuemur ſenſu intelligi poteſt fuiſſe locutus.

in cœlis regnantes ſunt creaturæ. Ergo idololatria eſt Sanctis Templa conſecrare, erigere Altaria, quod tamen fit in Romana communione.

Reſp. Diſt. maj. Idololatria eſt, templum creaturis ſacrificare, eis aram erigere, in ordine ad ſacrificium, id eſt, ut eis ſacrificeetur, & invocentur tanquam ſummum bonum, conc. Uni enim Deo debetur ſacrificium. In ordine ad opus aliud à ſacrificio, nempe in eorum memoriam, neg. maj. De Templo ſecundùm priorem ſenſum accepto loquitur S. Auguſtinus, non autem de Templo ſumpto ſecundùm poſteriorem ſenſum: unde ipſemet multis in locis aſſerit, memorias, Martyria, Oratoria, Baſilicas Sanctis conſecrari. *Sed hoc*, inquit lib. 8. de civ. c. 26. *videtur dolere, quòd Memoriæ Martyrum noſtrorum templis eorum delubriſque ſuccederent.*

19 Ob. 7mo. Latria & Dulia idem ſignificant. Ergo vanum eſt Catholicorum effugium, qui ut cultum, quem Deo exhibent, à cultu, quo Sanctos proſequuntur, diſtinguant, illum Latriam, hunc verò Duliam vocant, utrumque enim nomen iſtud veram ſervitutem ſignificat.

Reſp. Diſt. ant. Idem ſignificant ex vi nominis, ſeu ſecundùm etymologiam, conc. Ex uſu in Eccleſia recepto, neg. ant. Ex uſu Eccleſiæ Latria accipitur pro cultu ſummæ ſervitutis, quæ ſoli Deo debetur ob ſummam & infinitam ejus excellentiam: Dulia verò pro cultu aliquo ſervitutis inferioris, quo nos Sanctis ſubmittimus ob ſupernaturalem eorum excellentiam creatam, fundatam in gratia habituali, lumine gloriæ, fruitione Dei, aliiſque donis ſupernaturalibus à Deo acceptis.

20 Inſt. S. Auguſtinus l. 2. quæſt. ſuper Exod. n. 94. *Dulia*, inquit, *debetur Deo tanquam Domino, Latria verò nonniſi tanquam Deo.* Ergo Dulia eſt ſervitus quæ Deo debetur, & quidem ſoli.

Reſp. neg. ult. membrum conſequentis. Vox Dulia à S. Auguſtino ſumi videtur ſecundùm vim nominis: nam ſuo tempore nondum invaluerat uſus eam accipiendi ad ſignificandam ſervitutem Latriâ inferiorem. Porro Dulia propriè dicitur inferioris ad ſuperiorem, latè verò cujuslibet etiam ſuperioris ad quemlibet obſervantiâ dignum propter excellentiam quæ in eo eſt; & hoc poſteriori modò cultus Sanctorum dicitur Dulia. Cùm autem diverſa ſit excellentia, alia incommunicabilis, qualis eſt excellentia Creatoris, propter hanc cultus Latriæ ſtatuitur à S. Auguſtino ita Creatori proprius, ut nulli Creaturæ communicari poſſit ſine idololatria: alia communicabilis, qualis eſt excellentia Dominii, quam ſuperiores participant, ita tamen ut ſit ſuprema & plenaria in Deo: hinc idem ſanctus Doctor vult Duliam deberi Deo tanquam Domino. Sed quemadmodum alia Dulia in humanis debetur Regi, alia ejus Miniſtris; quia non eſt in utriſque eadem excellentia & poteſtas: ſic Dulia, quæ exhibetur Domino increato & omnipotenti, differt à Dulia, quæ Miniſtris ejus, Sanctis videlicet cum eo regnantibus, competit: Illa eſt omnimoda, hæc admodùm limitata, ſicut & eorum excellentia, quæ eſt honoris & cultûs menſura, ac motivum. Quare ſi excellentia refulgeat ex naturalibus Dei donis, qualis eſt poteſtas Dominorum temporalium, debetur ei cultus civilis, & quidem diſtinctus ſecundùm diſtinctos poteſtatis gradus (*d*). Si ex donis ſupernaturalibus & eminentioribus, qualis eſt ſanctitas, reſpondet cultus Religioſus, ex S. Auguſtino lib. 20. contra Fauſtum c. 21. ſupra

(*d*) 1. Pet. 2. v. 13. & 14. *Regi tanquam præcellenti, Ducibus tanquam ab eo miſſis.*

ſupra Prob. 1. Concluſionis pag. 174. & priori longè perfectior, &c.

21 Ob. 8vo. Apoſtolus Rom. 1. reprehendit Gentiles, quòd creaturæ ſervirent potiùs, quàm Creatori: & 1. Cor. 7. monet Chriſtianos, ne fiant ſervi hominum. Atqui cultus quem Eccleſia Romana exhibet Sanctis, eſt ſervitus ex dictis. Ergo eſt omnino improbandus & prorſus rejiciendus.

Reſp. Diſt. min. Cultus quem Eccleſia Romana exhibet Sanctis, eſt ſervitus aliqua, conc. omnimoda & ſoli Deo debita, neg. min. Hanc exhiberi creaturis prohibet Apoſtolus non illam. Certè Gentiles ex duplici capite fuerunt reprehenſione digni 1mo. Quia creaturæ tanquam creatori & ejus loco ſerviebant, nempe cultu Latriæ. 2do. Quia vel Dæmones & homines in impietate defunctos, vel creaturas inanimes, ut ſolem & ſtellas, colebant, in quibus etiamſi quædam ſit excellentia, ea noſtrum tamen non meretur cultum &c. Textus autem 1. ad Corinth. 7. v. 23. non eſt ad propoſitum; nam Apoſtolus eo loci ſolùm prohibet, ne Chriſtiani liberi fiant mancipia Infidelium ſine neceſſitate: præcipit verò his, qui ex conditione ſua ſunt ſervi, ut ſerviant Dominis ſuis, Epheſ. 6. v. 5. Coloſſ. 3. v. 22. Tit. 2. v. 9. Et S. Petrus 1. c. 2. v. 18. *Servi*, inquit, *ſubditi eſtote in omni timore Dominis, non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis.*

22 Ob. 9no. Eccleſia Romana cultum Sanctorum cum divino prorſus confundit, ſacrificia in eorum honorem peragit, thymiamata ipſis incendit, templa ſic fulgent eorum ſtemmatibus, ſtatuis & luminibus coram eis accenſis, ut non Deo, ſed homini defuncto conſtructa videantur. Ergo proſcribendus eſt iſte cultus.

Reſp. neg. ant. Latria enim, qua ſolus Deus adoratur, & Dulia, qua Sancti coluntur infinitò intervallô à ſe invicem diſtant, planeque diſtinguuntur in Eccleſia Romana, prout ex hactenus dictis conſtat. (e) Namque in cultu Latriæ 1mo mens concipit Deum ut rerum omnium adeoque & Sanctorum primum principium, ſupremum Dominum & ultimum finem. 2do. Hoc titulo voluntas ſe ſuaque omnia ei totaliter ſubjicit & devovet: in quo actu ſupremus cultus, qui à S. Auguſtino dicitur interius cordis ſacrificium, eſſentialiter conſiſtit, 3tio. Corpus hujusce intimi ſenſûs profert ſigna exteriora, erumpit in laudes infinitæ Dei excellentiæ & majeſtatis, Templa & aras illi extruit, & Sacrificia offert, quæ ſunt determinata Latriæ ſigna. Adhibet etiam proſtrationes, thymiamata, lumina, &c. quæ licèt per ſe ſigna ſint latriæ & duliæ communia, cùm promiſcuè uſurpentur ad teſtandam reverentiam tum erga Principes, tum erga res ſacras; ad latriam tamen per prædictos mentis & voluntatis actus determinantur.

In cultu verò Duliæ, quo Sanctos proſequuntur Catholici, 1mo. Intellectus eos ſibi repræſentat, non ut rerum auctores, ſed ut Dei ſervos præſtantioribus ejus donis cumulatos, & eo feliciores, quò firmiùs ei adhærent, & perfectiùs famulantur. 2do. Hinc voluntas eo motivo mota & determinata ſe demittit, eisque propter Deum Chriſtiana charitate ſe quodammodò ſubjicit. 3tio. Denique corpus hujusce reverentiæ ſic limitatæ dat ſigna, non ad latriam determinata, quale eſt Sacrificium, abſit, ſed quæ ſunt omni honori, etiam civili, communia, ut genuflexiones, incenſum, lumina, ſtatuæ & picturæ, quæ ad Sanctorum imitationem provocant, ſicut & laudes eorum me-

(e) Cultus generatim tribus actionibus continetur. Intellectûs ſeu mentis, quæ apprehendit excellentiam perſonæ; voluntatis, quæ ſe demittit, & ſubjicit; corporis denique, tales ſunt laudes, capitis derectio aut inclinatio, munerum exhibitio, quibus exprimitur interior animi ſenſus & affectio.

meritis reſpondentes. Eccleſia Romana etiam Sacrificia offert quidem, ſed ſoli Deo, in honorem Sanctorum duntaxat, quatenus nempe ſunt gratiarum actiones ob beneficia eis collata, &c. Ergo Eccleſia Romana cultum Sanctorum cum Divino minimè confundit.

23 Inſt. 1mo. At priusquam hujusmodi honos Sanctis concedatur, præcedere debet canonizatio, ut vocant; Atqui ritus iſte ſpeciem habet apotheoſis (f) Gentilium. Ergo, utpotè gentilitatem redolens, proſcribendus videtur, adeoque & Sanctorum cultus.

Reſp. neg. min. Cùm periculum ſit, ne plebs falſa pietatis ſpecie deluſa hypocritas & fanaticos tanquam viros ſanctos colat, Eccleſia ſemper cavit, ut ex S. Cypriano diſcimus, ne quis publicè pro Sancto haberetur, niſi præiviſſet ejus examen & judicium. Ab undecimo quidem Sæculo majori ſolemnitate id præſtat, cùm priùs hoc ipſo quis declarabatur Sanctus, quo ejus reliquiæ in altari recondebantur. Sed in illo ritu, quem Canonizationem vocant, nulla eſt honoris teſtificatio, quæ in aliis Sanctorum ſolemnitatibus à primis Sæculis uſurpata non fuerit. Neque ritus iſte Gentilium apotheoſeos ſimilitudinem aliquam refert; nam in apotheoſi Gentilium heroes ipſorum inter Deos numerabantur, eisque divini honores decernebantur: in Canonizatione verò Sancti declarantur fideles Dei famuli, & eo titulo veneratione digni. Et ſane, ſi in vera religione vitandum ſit, quidquid erat in uſu apud Gentiles, profectò nec Sacerdotes, nec Templa, nec Sacrificia, nec Sacramenta habere licet; hæc enim extabant apud Gentiles.

24 Inſt. 2do. In iſto Sanctorum cultu multi irrepſerunt abuſus, ita ut plerique

Catholici in eo creaturis potiùs ſerviant, quàm Creatori, utpote ad quem in ſuis precibus vix attendunt, ſed ſua vota ferè omnia ad Sanctos dirigunt. Ergo proſcribendus eſt exemplô Ezechiæ Principis religioſiſſimi, qui 4. Reg. 4. c. 18. confregit ſerpentem æneum, licet juſſu Dei erectum; quia filii Iſrael illum colebant, & incenſum adolebant ei.

Reſp. Diſt. ant. Et illi abuſus, ſi qui ſint, non probat Eccleſia nec tolerat, ſed corrigit, conc. probat, nec corrigit, neg. ant. Si quidam ex rudioribus ex aliqua ſimplicitate in Sanctorum cultu excedere videntur, hi, ubi innotuerint, ſtatim ab Eccleſia corriguntur, nedum illorum agendi ratio ab ea probetur: nam ex S. Hieronymo, Epiſt. ad Riperium, *honoramus ſervos, ut honor ſervorum redundet ad Dominum.* Imò cultus, quem Eccleſia exhibet Sanctis, eſt continua laus Dei & gratiarum actio pro beneficiis illis collatis per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, ut videre eſt in Officio Sanctorum; unde ſi qui abuſus in hoc Sanctorum cultu irrepſerint, ſicut in aliis divinis inſtitutis contingere poteſt inſtigante Dæmone, eos prorſus aboleri cupit Eccleſia, prout teſtantur Concilii Tridentini Patres Seſſ. 25. *Tantaque*, inquiunt, *circa hæc diligentia, & cura ab Epiſcopis adhibeatur, ut nihil inordinatum, aut præpoſterè & tumultuariè accommodatum, nihil profanum, nihilque inhoneſtum appareat, cùm domum Dei deceat Sanctitudo.*

Ineptè hìc ad abolendum cultum Sanctorum exemplum Ezechiæ Regis adducitur, ideò enim Rex iſte ſerpentem æneum confregit, quia filii Iſrael divinos honores illi deferebant. At proferri non poteſt vel unus è Catholicis, ne quidem rudioribus exceptis, qui Latriæ cultum mox à nobis deſcriptum ad Sanctos transferat.

(f) Apotheoſis vox græca, latinè idem eſt, ac relatio inter Deos.

25 Inſt. 3tio. Id omne tollendum, quidquid poteſt eſſe abuſûs occaſio. Atqui Sanctorum cultu plures in Romana Eccleſia abutuntur. Ergo &c.

Reſp. neg. maj. Nihil enim tam Sanctum, quo non abutantur perditi homines. Prohibenda eſſet Dominicæ diei requies, quæ eſt plurimorum criminum occaſio: abolenda Dominica cœna, quia multi indignè ad eam accedunt: revocandæ eſſent leges, ut ceſſaret prævaricatio. Si qui ergo inventi fuerint, qui Sanctorum cultu abutantur, hi corrigi debent, non verò propterea cultus ille abolendus.

26 Ob. 10mo. S. Epiphanius hæreſi 79. aliquas mulieres reprehendit, quòd B. Virginem adorarent. Ergo nec ipſa, multò minùs alii Sancti ſunt adorandi juxta Epiphanium.

Reſp. neg. conſ. S. Epiphanius eas ſolùm mulieres reprehendit, quòd B. Virginem cultu latriæ colerent: quæ fuit hæreſis Collyridianorum B. Virgini cultum latriæ deferentium. Porro cùm B. Virgo dicitur à Patribus ſalus mundi, regeneratrix, reſtauratrix, & ab Eccleſia Mater miſericordiæ, vita, & ſpes noſtra, intelligitur ſecundaria & per Filium, quatenus ſcilicet nobis peperit Chriſtum, qui eſt Salvator noſter, & ſpes noſtra; & quia ejus interceſſio apud Filium, qui eſt Salvator noſter, & omnis gratiæ auctor, plurimùm valet, & nobis ab eo gratias ſalutis obtinet.

27 Ob. 11mo. Voti nuncupatio eſt Latriæ cultus: votum enim definitur in Scripturis & ſumitur tantùm pro promiſſione ſoli Deo facta. Atqui in Eccleſia Romana vota Sanctis nuncupantur. Ergo in Eccleſia Romana Latriæ cultus Sanctis exhibetur.

Reſp. Diſt. maj. Voti ſtrictè ſumpti nuncupatio eſt Latriæ cultus, conc. Voti latè ſumpti, neg. maj. Votum enim latè ſumptum eſt quælibet promiſſio abſtrahendo an Deo an creaturæ fiat. Votum hac ultima ratione ſumptum nuncupatur Sanctis, non autem priori ratione ſumptum; ac proinde votum Sanctis nuncupatum, non eſt Latriæ cultus: alioquin enim quælibet promiſſio in rebus, quæ ad religionem ſpectant, facta Præpoſitis Eccleſiaſticis, eſſet Latriæ cultus; quod ne ipſi quidem Proteſtantes admiſſuri ſunt.

Inſt. Votum accipi tantùm debet eo 28 ſenſu, quo in Scripturis reperitur. Atqui in Scripturis ſumitur tantùm pro promiſſione ſoli Deo facta. Ergo immmeritò detorquetur ad promiſſionem creaturis factam.

Reſp. 1mo. Illud argumentum ipſos etiam antiquos & doctiſſimos Patres impetere, qui voti nomen ad promiſſiones, quæ creaturis fiunt extendère.

Reſp. 2do. Neg. Maj. Cùm enim voces ex hominum inſtituto, non autem ex natura ſua, ſint ſignificativæ, poſſunt pro vario uſu & recepta conſuetudine, modò unum, modò verò aliud ſignificare.

§. III. 29

De invocatione Sanctorum.

Quamvis qui, ut §. præcedenti annotavimus, inter Proteſtantes ſunt magis eruditi & perſpicaciores cultum, qui Sanctis exhibetur, non improbare videantur, tamen illorum invocationem velut idololatricam & Chriſti Mediationi ac Redemptioni oppoſitam rejiciunt, veſtigiis Vigilantii Sæculi quarti Hæretici, & Pertrobuſianorum Sæculi 12mi. Hæreſiarcharum inſiſtentes.

Vigilantius enim, ut patet ex libro, quem adverſus eum labente Sæculo quarto S. Hieronymus ſcripſit, primus inter Chriſtianos docuit, Sanctos in cœlis cum Chriſto regnantes nullo modo pro vivon-

viventibus orare ; undè concluſit eos invocari non poſſe aut debere.

Sæculô 12mô teſte S. Bernardo Serm. 66. in Cant. Henriciani, ſeu Petrobuſiani, & Apoſtolici apertiùs Sanctorum invocationi bellum indixêre : quippe qui docuerunt, impium eſſe per preces ad Sanctos recurrere.

Sæculô denique 16tô. Lutherus, ut patet ex libris, quos ad Waldenſes ſcripſit, & Calvinus Inſtitutionum lib. 1. c. 14. §. 12. quatuor contra Sanctorum invocationem docuerunt, 1mo. Ex divinis litteris non haberi, quòd Sancti in altera vita pro viventibus orent. 2do. Si Sancti orant, eos non orare niſi in genere pro tota electorum Eccleſia, non autem ſpecialiter, hoc eſt pro his aut illis hominibus in particulari. 3tio. Inutile & illicitum eſſe Sanctos in cœlis regnantes invocare, cùm, ajunt, viventium preces minimè cognoſcant. 4to. Denique per eam praxim non parùm obſcurari gloriam Chriſti, qui unicus eſt mediator noſter & interceſſor. Quos ſecuti ſunt Proteſtantes omnes.

At contrà Eccleſia Catholica docet, Sanctos in Cœlis cum Chriſto regnantes ſuas orationes Deo pro hominibus offerre, proinde bonum ac utile eſſe eos invocare. *Mandat*, inquit Concilium Tridentinum Seſſ. 25. *Sancta Synodus omnibus Epiſcopis, & cæteris docendi munus & curam ſuſtinentibus, ut fideles diligenter inſtruant, docentes eos, Sanctos unà cum Chriſto regnantes orationes ſuas pro omnibus Deo offerre ; bonum atque utile eſſe ſuppliciter eos invocare, & ob beneficia impetranda à Deo per Filium ejus Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui ſolus noſter Redemptor & Salvator eſt, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere.*

Conſequenter ad hanc Concilii Tridentini doctrinam fatentur Catholici, nullum eſſe præceptum divinum invocandi Sanctos ; imò ne quidem exiſtit Eccleſiæ præceptum, omnes & ſingulos Fideles ad invocationem Sanctorum obligans. Et verò nullum ejusmodi præceptum neque in Scriptura, neque in Traditione, neque in decretis Eccleſiæ reperitur. De hoc igitur ſolùm quæſtio eſt Catholicos inter & Proteſtantes, num ſcilicet Sanctorum invocatio licita, bona & utilis ſit(g). Excipe B. Virginem, cujus ſalutationem Angelicam cum ejusdem invocatione conjunctam addiſcere tenentur fideles omnes ex univerſali Eccleſiæ conſuetudine vim legis habente.

CONCLUSIO. 30

Bonum eſt atque utile invocare Sanctos, ut pro nobis ad Deum intercedant.

Prob. 1mo. Exemplis, quæ S. Scriptura ſuppeditat. Abraham Gen. 18. in gratiam Sodomitarum Angelum invocavit. Et c. 19. Loth ab Angelo ſupplex poſtulavit, quod obtinuit, ne urbs Segor excidio deleretur : *Cui Angelus reſpondit : Suſcepi preces tuas, ut non ſubvertam urbem, pro qua locutus es.* Gen. 32. Jacob adverſus Angelum luctatus eſt : cujus efflagitavit, & obtinuit benedictionem. Et c. 48. Joſeph hanc Angelorum benedictionem pro filiis ſuis apprecatur. Et verò æquum eſt Angelorum opem apud Deum implorare, ut quorum curæ ac tutelæ Deus nos commiſit, Pſal. 90. v. 11. *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te ne fortè offendas ad lapidem pedum tuum.* Qui pro nobis Deum deprecantur, Zachar. 1. v. 12. *Domine exercituum*, inquit Angelus ad Deum, *uſquequo tu non miſereberis Jeruſalem & Urbium Juda, quibus iratus es ?* Qui orationes noſtras Deo offerunt, Tob. 12. v. 12. *Quando orabas*, ait

(g) Gravi tamen culpâ non vacaret, & ſalutis ſuæ negligens haberetur, qui vel ex incuria, multò magis ex contemptu, tam pium ac laudabilem uſum non obſervaret.

ait Angelus Raphael ad Tobiam, *eum lacrymis . . . ego obtuli orationem tuam Domino.* Quòd ſi ergo Angelos invocare bonum & utile eſt, quidni etiam bonum & utile erit Sanctos, qui æque Spiritus ſunt ac ii, atque unà cum ipſis in cœlo regnant invocare?

Et verò non modò Angelos, ſed & Sanctos pro nobis preces ad Deum fundere certiſſimis Scripturæ exemplis maniſeſtum eſt. Exodi 32. v. 12. & 13. Moyſes ſic Deum orat: *Eſto placabilis ſuper nequitia populi tui. Recordare Abraham, Iſaac, & Iſrael ſervorum tuorum.* Et Daniel. 3. v. 35. Azarias ſic Deum deprecatur: *Neque auferas miſericordiam tuam à nobis, propter Abraham dilectū tuum, et Iſaac ſervum tuum, & Iſrael ſanctum tuum.* Quibus locis Abraham, Iſaac, & Jacob adhibentur tanquam Interceſſores apud Deum. Unde etiam Job. 5. v. 1. ex vulgata utique ſententia ſic Jobum alloquitur Eliphas: *Voca ergo, ſi eſt, qui tibi reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum converte.* Jeremiæ etiam 15. v. 1. De Moyſe & Samuele jam dudum mortuis hæc per Prophetam dicit Deus: *Si ſteterit Moyſes & Samuel coram me*, id eſt, etiamſi me deprecati fuerint, *non eſt anima mea ad populum iſtum.* Item lib. 2. Machab. c. 15. v. 12. Judas in viſu vidit Oniam jam defunctum, *qui fuerat ſummus Sacerdos orare pro omni populo Judæorum.* Ab eodem etiam Onia hæc audivit, v. 14. *Hic eſt fratrum amator & populi Iſrael: hic eſt qui multum orat pro populo & univerſa ſancta civitate, Jeremias Propheta Dei.*

Prob. 2do. Ex Traditione Eccleſiæ Patrum. In Actis Martyrii tùm S. Ignatii in Antiochena Sede S. Petri poſt Evodium ſucceſſoris, tùm S. Polycarpi, qui Joannis Apoſtoli diſcipulus fuit, legimus illos ſanctos Martyres à fidelibus hujus ætatis invocatos fuiſſe.

S. Irenæus, qui an. 201. vel 202. obiit, ac proinde Sæculô ſecundô Eccleſiæ floruit, lib. 5. adverſus hæreſ. c. 19. Mariam comparans cum Eva, ait: *Quemadmodum enim illa per Angeli ſermonem ſeducta eſt, ut effugeret Deum, prævaricata verbum ejus; ita & hæc per Angelicum ſermonem evangelizata eſt, ut portaret Deum, obediens verbo ejus: Et ſic ea inobedierat Deo; ſed hæc ſuaſa eſt obedire Deo, ut virginis Evæ Virgo Maria fieret advocata.*

Origenes, qui obiit an. 254. Hom. 3. in Cant. *Omnes Sancti*, inquit, *qui de hac vita deceſſerunt, habentes adhuc charitatem erga eos, qui in hoc mundo ſunt, ſi dicantur curam gerere ſalutis eorum, & juvare eos precibus ſuis, atque interventu ſuo apud Deum, non erit inconveniens; ſcriptum namque eſt in Libris Machabæorum, Hic eſt Jeremias Propheta Dei, qui ſemper orat pro populo Dei.* Et Hom. 26. in c. 11. Num. *Quis dubitat*, inquit, *quod ſancti quique Patrum & orationibus nos juvent, & geſtorum ſuorum confirment exemplis.*

S. Cyprianus (*b*) Ep. 57. ad Cornelium Papam, rogat, ut qui ex alterutro prior è vita diſceſſerit, pro ſuperſtite, aliiſque fratribus divinam imploret miſericordiam. *Memores*, inquit, *noſtri invicem ſimus, concordes atque unanimes, preſſuras & anguſtias mutua charitate relevemus; & ſi quis iſthinc noſtrum prior divinæ dignationis celeritate præceſſerit, perſeveret apud Dominum noſtra dilectio; pro fratribus ac ſororibus noſtris apud miſericordiam Patris non ceſſet oratio.*

Euſebius, qui obiit an. 340. lib. 13. Præp. Evang. c. 11. hæc ait: *Quæ quidem in hominum Deo chariſſimorum obitu egregiè conveniunt, quos veræ pietatis milites*

(*b*) Obiit an. 258.

tes jure appellaveris. Nam & eorum ſepulchra celebrare, & preces ibi votaque nuncupare, & beatas illorum animas venerari conſuevimus, idque à nobis meritò fieri ſtatuimus.

S. Hieronymus (*i*), lib. adverſus Vigilantium, ex profeſſo rem noſtram agit. *Dicis in libello tuo*, inquit alloquens Vigilantium, *quòddum vivimus, mutuò pro nobis orare poſſumus; poſtquam autem mortui fuerimus, nullius ſit pro alio exaudienda oratio. Præſertim cùm Martyres ultiones ſui ſanguinis obſecrantes, impetrare non quiverint. Si Apoſtoli & Martyres adhuc in corpore conſtituti poſſunt orare pro cæteris, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſolliciti, quantò magis poſt coronas, victorias & triumphos? Unus homo Moyſes ſexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam; & Stephanus imitator Domini ſui & primus Martyr in Chriſto pro perſecutoribus veniam deprecatur; & poſtquam cùm Chriſto eſſe cœperint, minùs valebunt?*

S. Auguſtinus (*k*), Serm. 17. de verbis Apoſtoli, *injuria eſt*, inquit, *pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.*

Superfluum eſt ex quarto & ſubſequentibus Sæculis plura hic referre teſtimonia, cùm Proteſtantes ipſi fateri cogantur, uſum invocandi Sanctos jam quartô Sæculô invaluiſſe &c.

Prob. 3tio. Ex Conciliis. In Epheſino, (*l*) S. Cyrillus ejus Præſes, beatum Joannem invocat in Oratione, quam ibi habuit die huic Sancto ſacra.

In Chalcedonenſi, (*m*) Act. 11. de S. Flaviano dicitur: *Flavianus poſt mortem vivit, Martyr pro nobis orat.*

In Nicæno II. quod eſt Generale VII (*n*). Act. 4. ſancitur, honorandos eſſe Sanctos, & eorum interceſſiones poſtulandas, ut valentes nos familiares reddere Regi omnium Deo. Et Act. 6. *Ergo*, ait, *cum timore Dei omnia faciamus, expetentes etiam interceſſionem intemeratæ Dominæ noſtræ & naturâ Dei Genitricis ſemper Virginis Mariæ, atque ſanctorum Angelorum, & ſimul omnium Sanctorum.*

Accedit antiquiſſimarum ac ferè omnium Liturgiarum (*o*) uſus, in quibus cum laude Sancti appellantur & invocantur, *ut pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam veneramur in terris.* Inter alias antiquiſſimas Liturgias hæc in ea, quæ S. Jacobo tribuitur legere eſt: *Sanctiſſimæ, inviolatæ, glorioſiſſimæ, benedictæ Dominæ noſtræ, Dei genitricis, & ſemper virginis Mariæ, & omnium Sanctorum ac juſtorum memoriam facimus, ut precibus & interceſſionibus ipſorum omnes miſericordiam conſequamur.*

Prob. 4to. Ex beneficiis innumeris miraculoſis, quæ Deus per Sanctorum interceſſionem contulit, ut conſtat ex Auctoribus fide digniſſimis, inter quos S. Auguſtinus, lib. 22. de civ. c. 8. narrat plurima miracula, quæ coram numeroſa multitudine ad cultum & invocationem Protomartyris Stephani in Africa fuêre patrata.

Prob. 5to. rationibus Theologicis. 1ma. Licitum eſt ad viros ſanctos, dum in

ter-

(*i*) Obiit an. 420. Scripſit autem contra Vigilantium circa finem 4ti Eccleſiæ Sæculi.
(*k*) Obiit an. 430.
(*l*) Celebratum fuit an. 431. ſub Cœleſtino I. Papa.
(*m*) Celebratum fuit an. 451. ſub. S. Leone ſummo Pontifice.
(*n*) Celebratum an. 787. ſub Adriano I. Papa.
(*o*) Liturgia vox græca idem latinè ac *officium Miſſæ*, ſeu prout nuncupare ſolemus *Miſſale*, in quo ſcilicet ordo divini Miſſæ officii continetur.

terris nobiſcum verſantur, confugere, ut pro nobis apud Deum intercedant, quemadmodum S. Scriptura multis locis declarat. Lib. 1. Reg. c. 7. v. 8. Judæi Samuelem alloquentes, *Ne ceſſes*, inquiunt, *pro nobis clamare ad Dominum Deum noſtrum, ut ſalvet nos de manu Philiſtinorum.* Quin & Deus ipſe amicos Job jubet ad ejus preces confugere, ut veniam obtineant, Job. c. ult. v. 8. *Job autem ſervus meus orabit pro vobis : faciem ejus ſuſcipiam &c.* Apoſtolus pariter, Rom. 15. v. 30. *Obſecro vos fratres*, inquit, *per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum & per charitatem S. Spiritûs, ut adjuvetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum.* Item 1. ad Theſſal. c. 5. v. 25. *Fratres*, inquit, *orate pro nobis.* Neque id diffitentur Proteſtantes. Ergo ſi Sancti adhuc in terris militantes honeſtè ac utiliter invocantur : à fortiori licitum, honeſtum, & utile eſt invocare Sanctos in cœlis regnantes. Nec enim vel apparens ratio afferri unquam poterit, cur illud laudabile ſit, ſecùs verò iſtud. Una enim eſt triumphans in cœlis ac in terris dimicans Eccleſia; quotidie recitantes Symbolum, Sanctorum communionem profitemur; communio autem hæc Sanctos ſpectat tùm hîc tùm in cœlis degentes; neque minùs grati ſunt Deo Sancti in cœlis, quàm in terris, nec minor eſt apud eum illorum gratia & auctoritas.

2da. *Proteſtantes ſaltem moderatiores* meritò, inquit Anglus Operum S. Irenæi Editor, *admittunt, Sanctos in cœlis regnantes pro fidelibus vivis universè conſideratis intercedere.* Ergo & etiam ſpeciatim illos pro fidelibus vivis intercedere admitti debet; neque enim ſufficiens ratio afferri poteſt, cur iſtud repugnet. Qui enim poteſt plus, poteſt & minus, & qui omnibus beneficium præſtare poteſt, utique & illud ſingulis adeoque ſpeciatim impertire poteſt; id profectò apertè evincunt teſtimonia Scripturæ ſupra à nobis adducta. Conſequenter etiam licitum, honeſtum ac utile erit eos invocare : imò id locum habet, dato etiam, quod univerſim duntaxat pro fidelibus vivis intercederent, non verò ſpeciatim; nam utique decet, ut eos, qui pro nobis quocumque demum modo apud Deum intercedunt, gratiarum actione proſequamur, atque rogemus, ut pro nobis orare Deum non deſinant.

Denique probatur Concluſio noſtra 6to teſtimonio Univerſitatis celeberrimæ Tubingenſis Lutheraniſmo addictæ in Ducatu Wirtembergenſi; quod teſtimonium ſolidæ probationis locô utique haberi debet, cùm certè nullum validius argumentum ſit, quàm quod ab adverſariis petitur; ut ſic veritatis inimici, propriis armis illam vindicare & tueri videantur. Igitur famoſa hæc Lutherana Univerſitas, dum an. 1731. manibus Friderici Ludovici Principis Hæreditarii Wirtembergici eodem an. 1731. 23. Novembris ætatis ſuæ 33tiô. defuncti in Aula Academica parentaret, hiſce defunctum implorabat (p), *Memor eſto apud Deum tuorum, qui tam profundè incurvati plorant, arce quæcunque iræ judicia.* Quod ſi ergo Lutheranis ſeu Proteſtantibus Wirtembergicis licitum & honeſtum videtur Principem ſuum jam defunctum, & poſt ipſius mortem, invocare & rogare, ut memor eorum eſſe velit apud Deum, ejuſque iram ſuis precibus ab illis avertat; cur etiam Catholicis licitum & honeſtum non ſit, Viros in ſumma ſanctitate defunctos, & de quorum proinde æterna beatitudine magis utique certi ſunt, quàm Wirtem-

(p) *Denck auch du bey Gott der Deinen, die ſo tieff gebeugt nun weinen, hindre manches Zorn-Gericht. Epicedii part* 3. *Stropha* 14. quod in perpetuam rei memoriam ad hujus Tractatus de Incarnatione &c. calcem atteximus.

tembergici de ſui Principis ſalute, invocare, ac rogare, ut ipſorum apud Deum etiam memores eſſe velint, atque pro ipſis intercedere &c (q).

Solvuntur Objectiones

31 Ob. 1mo. Impium eſt invocare eum, qui Deus non ſit: neque enim invocari debet niſi is, in quem credimus, juxta illud Apoſtoli Rom. 10. v. 14. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* Atqui is in quem credimus, Deus eſt juxta illud Symboli: *Credo in Deum.* Ergo cùm Sancti non ſint Dii, impium eſt eos invocare.

Reſp. 1mo. Argumentum hoc nimis probat. Ergo nihil. Probat enim impium etiam eſſe invocare Sanctos, qui adhuc in terris militant; neque enim etiam in eos credimus.

Reſp. 2do. Diſt. maj. Impium eſt eum tanquam primum ac ſupremum auctorem bonorum invocare, qui Deus non ſit, conc. tanquam interceſſorem apud Deum, neg. maj. De illa invocationis ſpecie, non autem de iſta, intelligitur Apoſtoli locus, *Quomodo invocabunt &c.* Siquidem immediatè ante locum illum hæc habentur: *Omnis enim quicunque invocaverit nomen Domini ſalvus erit.* Neque obſtat vox iſta *invocare*: neque enim in Scripturis, ut adverſarii fingunt, ei tantùm orationi convenit, quæ ad Deum immediatè dirigitur: ſiquidem Jacob Geneſ. 48. v. 16. *Invocetur ſuper eos nomen meum, nomina quoque Patrum meorum Abraham & Iſaac*, inquit.

Reſp. 3tio. Neg. maj. ad cujus probationem diſt. ant. Invocari non debet niſi is, in quem credimus, fide, quæ ei conveniat, conc. Quæ ei non conveniat, neg. ant. Fides, qua creditur, Deum eſſe bonorum omnium dominum ac largitorem, Deo ſoli convenit; Fides verò, qua creditur, Sanctos aliquid apud Deum poſſe, creaturis tribui poteſt, juxta illud Apoſtoli ad Philemonem, v. 4. & 5. *Gratias ago Deo meo.... audiens charitatem tuam & fidem, quam habes in Domino Jeſu & in omnes Sanctos.* Hæc verò fides, non autem illa, neceſſaria eſt, ut Sanctos invocemus.

Ob. 2do. Chriſtus Matth. c. 6. v. 9. 32
formam orandi præſcribens, ait: *Sic ergo vos orabitis: Pater noſter, qui es in Cælis &c.* Luc. 11. v. 2. *Cùm oratis*, inquit, *dicite, Pater &c.* & v. 9. *Petite, & dabitur vobis*, à quo? à Deo ipſo, qui ſolus eſt cœleſtium beneficiorum auctor ac largitor. Ab Angelis autem & Sanctis nihil petendum, quia nihil ab ipſis ſperamus aut accipimus. Ergo Chriſtus ſolum Deum orari voluit.

Reſp. neg. conſ. 1mo. hoc argumentum ſicut & prius nimium probat; probat enim nec Chriſtum nec Spiritum ſanctũ, ne quid de Sanctis hîc in terris degentibus loquamur, eſſe invocandos & orandos, ſi nempe ſolus Pater ſit invocandus & orandus. 2do. igitur, Ibi Chriſtus non prohibet ne alios oremus; textus enim ille non eſt excluſivus, ſed ad ſummum ſignificat, Deum ſolum ut ſupremum bonorum omnium auctorem ac largitorem orandum eſſe atque ut in quo ſpem omnem noſtram collocare debemus, à quo, qui petit accipit. Angeli autem cæterique

---

(q) Adde hic ea, quæ Albertus Haller Medicinæ Doctor & Profeſſor in Univerſitate Göttingana origine Bernenſis Calviniſta in libro poetico germanico typis vulgato Bernæ an. 1743. apud Nicolaum Emanuelem Haller ſub hoc titulo: D. *Albrecht Hallers Verſuch Schweitzeriſcher Gedichte zugeeignet dem Herrn Iſaac Steiger des Stands Bern Schultheiſſen.* XIV. *Trauer-Ode bey Abſterben ſeiner geliebteſten Mariane Gebohrnen Wyſs.* Novemb. 1736. Strofa 15. pag. 125. *Dort lernſt du Gottes Licht gewöhnen, ſein Raht wird Seeligkeit für dich; Du miſcheſt mit der Engel Thönen dein Lied und ein Gebett für mich.*

que Sancti in Cœlis degentes ſunt invocandi, ut Dei amici, ut interceſſores noſtri, qui plurimùm gratiâ & auctoritate apud Deum valent: nempe ut cœleſtem opem, qua indigemus, nobis advocent. Hoc unum ab iis petimus, hoc unum ab iis ſperamus; non ut cœleſtia bona ipſi nobis conferant, abſit; ſed ut à Deo ea pro nobis impetrent. Et hoc ſenſu intelligendi ſunt quidam Patres, quos Proteſtantes nobis objiciunt, quando dicunt, *ſolum Deum invocandum eſſe*, nempe ſolum Deum & Chriſtum invocandum eſſe, ut gratiæ auctorem, ut Mediatorem ac Redemptorem noſtrum; Angelos verò & Sanctos invocandos eſſe ut Dei amicos, ut patronos noſtros, interceſſores, advocatos.

33 Ob. 3tio. Invocatio Sanctorum eſt injurioſa Chriſto. Ergo eſt impia.

Reſp. neg. ant. Nam, ut jam aliquoties inculcavimus, nulla fit Chriſto injuria per invocationem fidelium Sanctorum in terris degentium. Ergo nec per invocationem Sanctorum cum Chriſto regnantium. Enim verò, ut mox diximus, non invocamus Sanctos, ut fungantur vice Chriſti, vel Chriſtum adjuvent ad impetrandum, ſed ut pro nobis intercedant apud Chriſtum, & apud Deum per merita Chriſti.

34 Inſt. 1mo. Per invocationem Sanctorum plures mediatores adjunguntur Chriſto. Ergo per illam fit injuria Chriſto, qui teſte Apoſtolo, ad Tim. 1. c. 2. v. 5. *unus eſt mediator Dei & hominum.*

Reſp. 1mo. ut ad priores objectiones, ſcilicet hoc argumentum, ſi valeat, probare praxim invocandi Sanctos, qui adhuc in terris verſantur, injurioſam eſſe Chriſto, atque per illam plures ei mediatores adjungi. Ergo ſicut invocatio Sanctorum Chriſto injurioſa non eſt, ſeu nihil de illius apud Deum mediatione detrahit, ita nec invocatio Sanctorum, qui cœleſti beatitudine æternùm fruuntur.

Reſp. 2do. Diſt. ant. Per invocationem Sanctorum plures mediatores adjunguntur Chriſto ſecundarii tantùm, conc. primarii & qui vice Chriſti fungantur, vel eum adjuvent ad impetrandum, neg. ant. Sancti non ſunt mediatores in ſenſu, in quo Chriſtus eſt mediator: nempe non ſunt mediatores primarii, ſed ad ſummum mediatores ſecundarii, ſeu potiùs interceſſores nomine & virtute Chriſti. Nam primarius mediator eſt is, qui nos datô pretiô redemit, qui nos reconciliavit Deo per merita ſua à nullo alio mediatore vim habentia, & per illa ſua merita ſolus nobis meritus eſt juſtificationem, ſalutem & omnia dona ſupernaturalia. In hoc ſenſu Apoſtolus dixit eſſe unum mediatorem Chriſtum Jeſum, ut patet ex ejus verbis ſequentibus, quæ priorum ſenſum explicant: *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Mediator verò ſecundarius eſt ille, qui orat pro nobis per merita primarii mediatoris, & in virtute gratiarum à primario mediatore acceptarum. Certè hujusmodi mediatores gloriam Chriſti non obſcurant, imò eam maximè commendant, cùm nil quàm merita Chriſti aut ejus dona offerant Deo Patri, nihilque obtinere velint niſi per merita Chriſti. Et verò Moyſes adhuc vivens dicitur in Scriptura mediator (ſecundarius ſcilicet) nam Deut. c. 5. (r) ait: *Ego ſequeſter & medius fui inter Dominum & vos in tempore illo.* Et Apoſtolus, Galat. 3. v. 19. dicit Legem ordinatam fuiſſe per Angelos *in manu mediatoris*, nempe Moyſis.

Inſt. 2do. Chriſtus ut mediator primarius interpellat pro nobis. Ergo ſi Sancti orant pro nobis, ſunt mediatores primarii. 35

Reſp.

(r) V. 5.

Digitized by Google

Reſp. neg. conſ. Quia ingens diſcrimen eſt inter orationem Chriſti & Sanctorum. Nam oratio Chriſti nititur meritis ipſi propriis, & ab omni alio prorſus independentibus, quæ Patri offert ad impetrandum, quod petit. At Sanctorum oratio nititur meritis Chriſti, qui eſt cauſa meritoria omnium gratiarum & donorum ſupernaturalium: orant quippe Deum, ei offerendo merita Chriſti. Et merita, quæ ipſi compararunt, ſunt dona Chriſti; ſunt enim opera bona ex gratia Chriſti facta; & propter merita Chriſti à Deo acceptata.

36 Ob. 4to. Deus paratiſſimus eſt nos exaudire, nosque magis diligit, quàm Sancti. *Petite & accipietis*, inquit Joan. 16. v. 24. Et *ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ibid. v. 23. Ergo, ſi non impium, ſaltem inutile eſt Sanctos invocare.

Reſp. neg. conſ. Nam licèt Deus paratiſſimus ſit nos exaudire, nosque magis diligat, quàm ullus Sanctus, adhuc tamen magis paratus eſt nos exaudire, cùm Sancti nobiscum orant, quia Sanctos magis amat quàm nos, cùm ſint ipſi gratiores quàm nos, utpotè noſtra charitas vel nulla eſt, vel plurimùm imperfecta: unde Apoſtolus ſuô exemplô nos docuit orare Sanctos, ut pro nobis intercedant; & Deus ipſe amicis Job ignoſcere noluit, niſi per ejus orationem pro illis: *Ite*, inquit ad ipſos, *ad ſervum meum Job, ut oret pro vobis.* Job. 42. v. 8.

37 Inſt. S. Chryſoſtomus Hom. de profectu Evangelii, *Cæterùm*, inquit, *non opus tibi patronis apud Deum .... neque enim tam facilè Deus annuit, cùm alii pro nobis orant, ut cùm ipſimet oramus etiam plurimis pleniſſimi malit.* Ergo inutilem cenſuit Sanctorum invocationem.

Reſp. neg. conſ. Hîc S. Chryſoſtomo quæſtio non eſt de Sanctis in cœlo regnantibus, ſed de patronis adhuc in vita degentibus, nam ibidem ait: *Non eſt opus multo diſcurſu, ut blandiare aliis.* S. Chryſoſtomus ergo eos tantùm hîc arguit, qui per ſe orare nolunt, ſed, ut ſe eo labore eximant, pauperibus, qui pro ipſis orent, eleemoſynas largiuntur: *Neque enim*, inquit, *tam facilè Deus annuit, cùm alii pro nobis orant, ut cùm ipſimet oramus.* Vide eumdem S. Doctorem Hom. 5. in Matth. & Hom. 1. in priorem Epiſt. ad Theſſal.

Ob. 5to. Sancti jam defuncti preces noſtras audire non poſſunt, eas præſertim, quas ſola mente interiùs fundimus. 38
1mo. Quia *ſolus Deus ſcrutatur corda & renes*, 3. Reg. c. 8. v. 39. 2do. Job. 14. v. 21. de mortuo homine dicitur: *Sive nobiles fuerint filii ejus, ſive ignobiles non intelliget.* 3tio De omnibus vitâ functis ſic pronuntiat Sapiens, *Eccleſiaſtis*, 9. v. 5. *Viventes ſciunt ſe eſſe morituros; mortui verò nihil noverunt ampliùs.* Ergo inutile & ſuperfluum eſt eos invocare.

Reſp. neg. ant. Ad ea, quæ probationis loco adduntur dicimus, ad 1mum Solum Deum propria quidem auctoritate corda ſcrutari, ac internas animi cogitationes cognoſcere; Angelos verò & Sanctos ex beneficio & notitia à Deo conceſſa. Ad 2dum & 3tium eadem eſt reſponſio: niſi quis maluerit verba Eccleſiaſtis ſic exponere; nempe mortuos inſito naturæ lumine propriaque vi non magis reſcire, quæ hîc aguntur, quàm nos ſciamus, quid agant mortui in altera vita.

Qua porro ratione Beati preces noſtras cognoſcant, certò definiri non poteſt; ſive id fiat Dei revelatione, ſive per ſpecies à Deo ipſis impreſſas, ſive per viſionem ipſam beatificam, ſive per miniſterium Angelorum, iſtud prorsùs incertum eſt. At dubium non eſt, quin Sancti, quæ noſtra ſunt, cognoſcant, iisque, pro amore, quo nos proſequuntur,

tur, afficiantur. Elias poſt obitum ſuum Joram Regem, datis ad eum litteris, corripuit, Paralip. 2. c. 21. Angelus Raphael offerebat Deo orationes Tobiæ, Tob. 12. v. 12. Jeremias Propheta, & Onia Sacerdos jam vitâ defuncti Deum deprecati ſunt, ut Judæos duriſſimô jugô, quo premebantur, liberaret, 2. Machab. 15. *Abraham exultavit, ut videret diem Chriſti*, Joan. 8. v. 56. id eſt Verbi Incarnationem. Idem Patriarcha in Cœlis degens novit divitis Epulonis in inferis cruciatus ac tormenta, Luc. 16. v. 23. Angeli in Cœlo ſentiunt gaudium ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, Luc. 7. v. 20. Apoc. 6. v. 9. Martyres ſentiunt tortores ſuos adhuc in terris verſari, nondum ſanguinis ſui effuſi pœnas, quas repoſcunt, dediſſe. Certa hæc ſunt apud omnes & indubitata: quomodò autem hæc omnia Angelis, Prophetis, Patriarchis, aliiſque Sanctis cognita ſint, conjecturis duntaxat, non certò definire poſſumus. Deum interrogent Proteſtantes, ſi certò hæc ſcire voluerint.

39 Ob. 6to. Uſus invocandi Sanctos primùm Sæculô quartô invalere cœpit, atque tribus primis Eccleſiæ Sæculis incognitus fuit; adeoque contra Traditionem horum primorum Sæculorum introductus eſt. Ergo velut haud toleranda vel ſaltem inutilis innovatio habendus eſt.

Reſp. neg. ant. Hujus usus veſtigia Sæculô Eccleſiæ ſecundò non deeſſe ſuprà oſtendimus; equidem non tam frequentia ex primis his Sæculis occurrunt exempla ac in ſequentibus, tùm quia pauca illius ætatis Sanctorum Opera ad nos pervenerunt: tùm quia tunc temporis, furente Tyrannorum perſecutione, Epiſcopi magis erant ſolliciti inſtruendis & ad Martyrium formandis Fidelibus, quàm Libris ſcribendis. Mirum profectò, imò planè ridiculum, quòd Proteſtantes velint Lutherum & Calvinum Sæculô 16tô. oculatiores fuiſſe in dignoſcenda trium priorum Sæculorum doctrina & diſciplina, quàm tot Præſules, tot Paſtores, tot Fideles, qui immediatè poſt vixère, & à Majoribus ſibi quaſi per manus traditam doctrinam & diſciplinam recepeperunt, & ad hanc usque diem conſtanter retinuerunt: quaſi Epiſcopi, Paſtores, Fideles omnes ſtatim ad rei novitatem turbati non reclamaſſent, ſi re ipſa novus & incognitus ipſis propoſitus fuiſſet Sanctos honorandi & invocandi ritus. Non patitur facilè populus Chriſtianus, ubi de Religione agitur, ſe ad novos mores ritusque derepentè transferri. Si ergo, ut fatentur Proteſtantes, quartô Eccleſiæ Sæculô plenè & absque ulla contradictione confirmatus fuit ritus invocandi Sanctos, dubiô procul jam ante invaluerat.

Ob. 7mo. Canone 35. antiquiſſimi 40
Concilii Leodiceni cultus Angelorum, velut idololatricus prohibetur. En Canonis citati verba: *Quòd non oportet Chriſtianos, relictâ Dei Eccleſiâ, abire, & Angelos nominare, vel congregationes facere, quod eſt prohibitum. Si quis ergo inventus fuerit huic occultæ idololatriæ vacare, ſit anathema, quia reliquit Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & acceſſit ad idololatriam.* Ergo immeritò arguuntur Proteſtantes, quòd cultum & invocationem Sanctorum improbent.

Reſp. Diſt. ant. Canone &c. cultus Angelorum indebitus & ad rebelles illos & tenebriones Angelos traductus velut idololatricus prohibetur, conc. Cultus Angelorum debitus & licitus, neg. ant. Certè Patres Laodiceni, cùm Canone 51. ſanctorum Martyrum cultum, feſta & memorias approbent, non poſſunt ſanctorum Dei Angelorum, qui eamdem cum Martyribus gloriam in Cœlo participant, & pari cum Martyribus erga nos charitate fervent, venerationem reprobare; ſed, prout jam ſupra §. præcedenti in Reſp. ad Object. 4. num. 16. annotavimus, vel

dam-

Digitized by Google

damnant hæreſim Simonis Magi & ejus ſequacium, qui Platonicos ſecuti, docuerunt quosdam Angelos eſſe adorandos quaſi minores Deos, qui & mundũ fabricarunt, & per Prophetas locuti ſunt, nec poſſe ullum placare ſummum Deum, qui inviſibilis eſt, niſi per hos Angelos. Favet S. Hieronymus, q. 10. ad Algaſiam, favet & Haymo in hunc Laodiceni Concilii Canonem, qui docent, illo eos reprehendi, *qui ſacrificabant Angelis*; nec ab his diſſentit Theodoretus ſupra loc cit. pag. 182. imò clariſſimè omnium docet, hîc notari Simonianos, qui dicebant, Deum apprehendi non poſſe, ſed per Angelos placandum. Huic interpretationi favet vel ipſe citatus Concilii textus, quo damnantur *occultæ idololatriæ ſervientes*. Favet etiam, quòd certò conſtet ex Epiphanio hæreſ. 60. & Auguſtino hæreſi 39. extitiſſe olim Hæreticos *Angelicos*, ſic dictos, quòd Angelos adorandos, cultuque Latriæ ſoli Deo debito colendos eſſe docerent.

Vel memorati Patres, quemadmodum eo, qui immediatè præcedit, Canone 34to. illos anathemate damnant, qui relictis ſanctis Chriſti Martyribus in Cœlo regnantibus, debitum illis cultum ad falſos hæreticorum Martyres, quos inferni gehenna ſuſcepit, transferunt: conſequenter iſto Canone 35. illos anathemate damnant, qui relictis ſanctis Dei Angelis in cœlo regnantibus, debitum illis cultum traducunt ad rebelles illos & tenebriones Angelos inferni accolas, eosque venerantur & invocant ad imitationem gregalium Saturnini, Baſilidis, Ebionis, Apellis, & ſimilium hæreticorum magicis artibus addictorum, ex Simonis Magi colluvie prodeuntium, quorum meminère Irenæus, Tertullianus, Epiphanius. Unde proximè ſequens Canon 36 (r). quaſi eodem pertinens, magos & incantatores ab Eccleſia eliminat. Adductus ergo Canon Laodicenus non piam quamlibet ſanctorum Angelorum venerationem damnat ac prohibet, ſed eam, quæ Latriæ dicitur, duntaxat, & ſoli Deo propria eſt, vel eam, quæ damnatis Angelis exhibetur.

Ob. 8vo. Invocatio Sanctorum in cœlis 41
cum Chriſto regnantium cauſa eſt, quòd fideles paulatim deſinant Chriſtum invocare; unde plerique fideles perraró ad Chriſtum confugiunt, quamvis tamen nemo niſi per eum ire poſſit ad Patrem: *Nemo*, ait ipſe, Joan. 14. v. 6. *venit ad Patrem, niſi per me.* Ergo propter illud periculum, aboleri debet praxis de Sanctorum invocatione.

Reſp. neg. ant. Invocatio Sanctorum ipſiusmet Chriſti invocationem includit: nempe fidelis, qui Sanctum invocat, precatur, ut Sanctus ille Chriſti nomine à Deo petat beneficia, quibus ipſe fidelis indiget; precatur, ut Sanctus poſtulet à Deo, quatenus ex intuitu meritorum Chriſti concedere velit auxilia quibus indiget is, qui ad Sanctum per preces confugit; ut patet ex eo, quòd Eccleſia orationes omnes, quas ad Sanctos dirigit, ſemper hiſce verbis claudat, *Per Chriſtum Dominum noſtrum.*

Præterea invocatio Sanctorum in cœlis regnantium non eſt alterius generis, quàm invocatio piorum hominum in terris degentium: ac proinde cùm iſta (prout Adverſarii fatentur) includat invocationem Chriſti, ita & illa: hoc eſt, ſicut à piis hominibus in terra degentibus nihil aliud petitur, quàm ut orent Chriſtum, quatenus per eum nobis ad Patrem aditus pateat, ita nec aliud à Sanctis in cœlo regnantibus petitur. Nec obeſſet, ſi imperiti quidam eâ, qua dictum eſt, ratione Sanctos non invocarent: ſiquidem Eccleſia eo caſû uſum illorum non pro-

(s) En Canon. *Non oportet eos qui ſunt ſacrati, vel clerici, eſſe magos, vel incantatores, vel mathematicos, vel aſtrologos, vel facere ea, quæ dicuntur amuleta, Græcè Φυλακτήρια, quæ quidem ſunt ipſarum animarum vincula. Eos autem, qui talibus utuntur, ejici ex Eccleſia juſſimus.*

probat : ut quæ Parochis aliiſque curam animarum habentibus injungit, ut fideles doceant, Sanctorum preces eo tantùm titulo à Deo exaudiri, quòd Chriſti nomine fiant; & quòd Deo Patri Chriſti meritum offerant; juxta illud Auguſtini in Pſal. 108. *Oratio quæ non fit per Chriſtum, non ſolùm non poteſt delere peccatum, ſed etiam ipſa fit peccatum.*

Et ſanè, ſi uſus per ſe bonus, pius ac utilis (ut eſt Sanctorum cum Chriſto regnantium invocatio) aboleri deberet propter quorumdam, aut imperitorum, aut iniquorum hominum abuſum; propter eamdem rationem aboleri quoque deberet uſus Scripturæ ſacræ, Sacramentorum, pluriumque aliarum ſanctiſſimarum rerum: haud pauci enim ſunt, qui aut præ ignorantia, aut præ iniquitate, & Scripturâ ſacrâ, & Sacramentis, aliiſque ſanctiſſimis rebus abutuntur.

42 Ob. 9no. Invocatio Sanctorum contraria eſt bonis moribus; nam 1mo. favet eorum errori, qui ob cultum huic aut illi Sancto impenſum, ſibi pollicentur, ſe ex hac vita ſine pœnitentia non migraturos. 2do. Docent aliqui omnia ſcelera conciliari poſſe cum devotione erga Sanctos, ac præcipuè Deiparam. 3tio. Nonnulli putant ſe Sanctos colere, quamvis Deum non colant. 4to. Tandem plures fiduciam ſuam ponunt in ſignis quibuſdam externis ad Sanctorum, & præſertim Deiparæ cultum inſtitutis. Ergo propter eas, ſimileſque rationes aboleri debet invocatio Sanctorum.

Reſp. neg. ant. Eccleſia Romana abuſus, quorum meminit argumentum, ſemper damnavit ac etiamnum damnat. 1mum. in variis Conciliis tanquam abominandam vanitatem & ſuperſtitionem execrata eſt & execratur. 2dus eſt inſignis calumnia, Eccleſiæ Romanæ ab adverſariis impacta. Hæc Eccleſia probat celebre S. Auguſtini Serm. 30. (t) effatum : *Martyres honorare, & non imitari, nihil aliud eſt, quàm mendaciter adulari.* Atque eodem modo vult ut B. Virgo Maria colatur, quo Paulus ſe coli præcipit, dum ait 1. Cor. 4. v. 16. *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Eademque ratione, qua idem Apoſtolus coli vult demortuos Eccleſiæ Præpoſitos Heb. 13. v. 7. ubi *Mementote*, ait, *Præpoſitorum veſtrorum, qui locuti ſunt vobis verbum Dei, quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem.* Eccleſia Romana profitetur nec cum Dei verbo, nec cum ſanctis Patribus cohærere ſententiam, qua aſſeritur, nullum, qui externum Virgini cultum exhibuerit, migraturum è vita, quin pœnitentiam egerit : novit nimirum ex Scripturis, Deum etiam cum irriſione acturum cum eo, qui de illius mandatorum obſervatione non curaverit : *Ego autem in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo vos*, Prov. 1. v. 26. Optat pia mater, ut filii ſui præ oculis ſemper habeant præclaram hanc S. Auguſtini ſententiam (t) : *Pœnitentia quæ ab infirmo petitur, infirma eſt : quæ à moriente tantùm petitur, timeo ne & ipſa moriatur. Et ideo dilectiſſimi, quicumque vult invenire miſericordiam Dei, ſanus agat pœnitentiam in hoc Sæculo, ſi ſanus eſſe vult in futuro Sæculo.*

Ex his patet, quid ad 3tium. dicendum ſit : nempe manifeſtum eſſe eos, qui Sanctos imitari nolunt, re vera Sanctos non colere, ac proinde ſi non velint Dei mandata ſervare, hoc eſt, ſi Sanctos non invocent, ut pro ipſis gratiam obtineant, qua mandata Dei cuſtodiant, ſuiſque iniquis habitibus liberentur, immeritò jactitant, ſe cultores eſſe Sanctorum.

Jam verò quod ſpectat ad quartum, planè falſum eſt. Scilicet externa devotionis in Virginem Deiparam, aut Sanctos cum Chriſto regnantes Symbola, quæcunque ſint ejuſmodi ſigna, non alio fine geſtan-

(t) *Inter eas, quas edidit Sirmondus.* (u) *Serm. 57. de temp.*

Digitized by Google

geſtantur, quam ut fideles excitentur ad imitationem eorum, quos iis exterioribus ſignis ſe pro patronis elegiſſe profitentur. Ob eumdem quoque & non alium finem, plerique ex fidelibus dant nomen Societatibus, quæ in honorem ſive Virginis Deiparæ, ſive aliorum Sanctorum erectæ ſunt in Eccleſia Catholica, hoc eſt, ideò ſodalitiis ejusmodi inſcribi volunt, ut exercitiis, quæ in iis præſcribuntur, ad Sanctorum, quos ſe colere profitentur, imitationem promoveantur, & ad ſincerum Dei cultum, qui in ejus amore caſto poſitus eſt, adjuventur. In tantùm enim ſunt veri Sanctorum ſodales, in quantùm cum illis Dei gloriam quærunt: *Ita omnes homines* (inquit S. Auguſtinus De catechizandis rudibus c. 19.) *& omnes ſpiritus humiliter Dei gloriam quærentes, non ſuam, & cum pietate ſectantes, ad unam pertinent ſocietatem.*

43 Ob. 10mo. In Eccleſia Romana Sancti invocantur tanquam auctores beneficiorum, & collatores auxiliorum quæ ab ipſis poſtulantur, ſcilicet in hymno qui incipit *Ave maris Stella*, his verbis Virgo Deipara invocatur: *Solve vincla reis, profer lumen cæcis, mala noſtra pelle.* Ut alia ſimilia omittantur. Ergo aboleri debet Sanctorum invocatio.

Reſp. neg. ant. Illa verba, *Solve vincla reis, &c.* intelliguntur de ſolutione per modum cauſæ moralis, non verò per modum cauſæ phyſicæ. Maria peccatorum vincula ſolvit per modum cauſæ moralis, quia Deum orat, ut propter Chriſti merita reis hominibus peccata dimittat: at verò ipſa non dimittit peccata, prout patet, quòd immediatè hæc de ſolutione per orationem poſteà explicentur his verbis: *Bona cuncta poſce, ſumat per te preces, qui pro nobis natus tulit eſſe tuus.* Quod ſi autem alicubi in Catholicorum libris quædam precum formulæ legantur, aut etiam in aliqua particulari Eccleſia adhibeantur, vel potius adhiberi contingeret, quæ ſecundùm ſpeciem modum Sanctos precandi & invocandi hactenùs in univerſali Eccleſia ſtabilitum excedere videantur, id tamen Eccleſiæ Catholicæ, quæ illas omninò reſpuit, tribui haud debet. Nempè nonnumquam per imperitiam & errorem aliqua in Eccleſiis particularibus fieri poſſunt, quæ ab Eccleſia Catholica rejiciuntur. Ut jam dudum obſervavit S. Auguſtinus, lib. 6. de Bapt. contra Donatiſtas, c. 26. Quod ſi nonnunquam in preces aliqua irrepant, quæ ſint contra Eccleſiæ Fidem, ea quotidie emendantur curâ Congregationis *de ritibus*, cujus primarium officium eſt advigilare, ut menda corrigantur; & cavere ne quid deinceps ſimile contingat.

§ IV. 44

De cultu Crucis Chriſti & ejusdem crucis effigiei, Reliquiarum ac Imaginum Sanctorum.

Cultus ſeu Adorationis nomine hic idem intelligimus, quod ſupra Paragraphô ſecundô de Sanctorum Cultu & adoratione intelleximus, nempe cultum Religioſum, ſeu à virtute Religionis imperatum, qui minor ſit Latriæ cultu.

De cultu Chriſti Crucis.

CONCLUSIO 45

Crux ſive vera, in qua paſſus eſt Dominus, ſive picta & ſculpta, ſive manuum agitatione expreſſa colenda eſt. Tres ſunt hujus Concluſionis partes.

Prima pars, quæ eſt de vera cruce, probatur auctoritate, & uſu univerſalis Eccleſiæ, quæ ab anno 326. quo diligentiâ Helenæ Conſtantini Imperatoris matris vera Crux Chriſti inventa eſt, Deo piiſſimæ Imperatricis conatum non ſine miraculis adjuvante, hoc ſalutis noſtræ inſtrumentum ſingulari honore ubique proſecuta eſt.

Digitized by Google

Rem, prout geſta eſt, narrant Scriptores Sæculi quarti. S. Cyrillus Jeroſolymitanus, qui hujuſce celebris inventionis oculatus teſtis eſſe potuit (*x*), in Ep. ad Conſtantinum Imperatorem, & Catech. 4. ac 13. refert, Chriſtianos ex omnibus mundi partibus ad adorandam Crucem Jeroſolymam confluere ſolitos, & cùm erogatis in ſingulos hujus pretioſi ligni partibus plenus eſſet orbis, lignum tamen ipſum integrum ſemper perſtitiſſe.

S. Ambroſius (*y*), in Oratione Theodoſii Magni addit, Helenam crucem in capite Regum levaſſe, ut Crux Chriſti in Regibus adoraretur.

S. Paulinus (*z*), Ep. 11. ad Severum Sulpitium, in qua teſtatur Eccleſiam inſtituiſſe feſtum in memoriam Crucis per Helenam mirabiliter inventæ.

Idem Severus Sulpitius (*a*), lib. 2. ſacræ Hiſtoriæ. Ruffinus lib. 1. Hiſtoriæ. Theodoretus (*b*), lib. Hiſt. c. 18. Socrates, lib. 1. c. 13. Sozomenus, lib. 2. c. 1. teſtantur.

46 Secunda pars, quæ eſt de imaginibus Crucis, conſtat ex univerſali Eccleſiæ uſu; nam ex S. Chryſoſtomo hom. 61. Imperatores Crucis effigiem adhibebant ad præſidium & honorem in ſuis diadematibus, veſtibus, & armis; cæteri verò ubique ex Theodoreto Serm. 6. contra Græcos: *Græci, Romani ac Barbari crucifixum profitentur Deum, Crucisque ſignum venerantur.* Ex S. Auguſtino, Serm. 88. aliàs 18. de verbis Domini, c. 8. ubi ait: *Quia ipſe honoraturus erat fideles ſuos in fine hujus Sæculi, priùs honoravit Crucem in hoc Sæculo, ut terrarum Principes credentes prohiberent aliquem nocentem crucifigi, & quod cum magna inſultatione Judæi Domino procurarunt, magnâ fiduciâ ſervi ejus etiam Reges in fronte nunc portant.*

Profectò Crucis imagines, quas, ut infrà dicetur, primi etiam Chriſtiani effinxerunt, Conſtantini Magni temporibus palam expoſitæ ſunt: nempe ſacri illius ſigni, quod in ſomno cum hac inſcriptione, *Hoc vince*, Conſtantinus conſpexerat, effigiem ex Chriſti mandato, qui per quietem ei apparuerat, elaborari juſſit effecitque vexillum, cui *Labari* nomen impoſitum eſt: *Hoc verò ſalutari ſignô*, ait Euſebius, lib. 1. de vita Conſtantini c. 32. *velut munimentô adversùs hoſtiles, infeſtasque vires omnes perpetuò uſus eſt Imperator, & ejusdem expreſſas figuras præire deinceps mandavit exercitibus ſuis. Neque hôc contentus eandem effigiem tum militum clypeis, tum nummis inſculpi voluit.* Ad Conſtantini exemplum ubique collocata eſt eadem crucis effigies: *Quippe Reges*, inquit S. Chryſoſtomus ſupra cit. Hom. 61. *depoſito diademate crucem ſuſcipiunt, mortis illius ſignum. In purpureis veſtibus crux ineſt: in diadematibus crux: in orationibus crux: in armis crux: in ſacra menſa crux, & ubique terrarum ſole ipſo clariùs refulget.*

Prohibuerunt etiam Imperatores, L. 1. Cod. de Sacro-ſanctis Eccleſ. ne Crux in pavimento conculcanda inſcriberetur; quod etiam Synodus Trullana (*d*), aliàs Quiniſexta, velut ex Quinta & Sexta Oecumenicis Synodis coaleſcens, atque Canones ſupplens, quales duæ illæ Synodi, ſolis fidei definitionibus intentæ, non ediderant, quibus ſtabiliri poſſet Eccleſiaſtica

(*x*) Obiiſſe fertur an. Chr. 386. (*y*) Obiit an. Chr. 397. (*z*) Obiit an. Chr. 431. (*a*) Obiit an. Chr. 420. (*b*) Circa idem tempus. (*c*) Obiit an. 460. (*d*) A Trullo, qui fuit ſecretarium supernè fornicatum in Imperialibus ædibus Conſtantinopoli, an. 692. ſub Imperatore Juſtiniano II. Cæterùm cœtus iſte cenſeri aut dici non poteſt Oecumenicum Concilium, utpote cui ut par erat, nulli præſedêre Legati Apoſtolicæ Sedis, quam tùm temporis Sergius occupabat.

ſiaſtica diſciplina ; nuncupata , Canone 73. ſub anathemate interdixit.

Quin & ipſi Iconomachi , qui Sæculô Eccleſiæ octavô adverſus ſacras imagines ſummo furore debacchati ſunt, honores veræ Cruci aliiſque illius imaginibus pendi ſolitos illibatè ſervaverunt. Nam , inter alia , Conſtantinus Copronymus , quo imperante celebrata fuit Pſeudo-Synodus ſeptima an. Chr. 754. (Nicephorô Conſtantinopolitanô teſte in Breviario hiſtoriæ) ſublatô in altum Crucis lignô , dicitur Epiſcopos coegiſſe, ut jurarent , ſe imagines nuſquam veneraturos eſſe : *Tum* , inquit Nicephorus , *Patriarcham Conſtantinopolitarum ſalutaribus lignis* (crucis lignô ſcilicet) *in altum ſublatis , juraſſe , ſe ex eorum numero non eſſe , qui ſacras imagines adorarent.*

Joannes quoque Damaſcenus , lib. 2. de imaginibus , ex eo confutat Iconomachos , quòd , cùm venerarentur crucis ſignum , & ſacra vaſa , quæ ſunt quædam materiæ, ſacris tamen imaginibus cultum deferre nollent : *Aut igitur* , ait, *horum omnium cultum , adorationemque tolle* : *aut Eccleſiaſticæ traditioni etiam imaginum adorationem permitte.*

Jonas item Aurelianenſis,qui unus fuit è Gallicanis Patribus , qui Synodi Nicenæ II. de imaginibus decretum vellicarunt , lib. de cultu imaginum , apertè profitetur , uſum fuiſſe tunc in Galliis , ut Chriſti Crucis effigies in Templis collocaretur , & adoranda fidelibus exponeretur : atque Claudio Taurinenſi Epiſcopo crimini vertit , quòd , cùm, imperante Ludovico Pio , creatus fuiſſet Epiſcopus , primus omnium Cruces abjecerit : *Verùm etiam Cruces materiales, quibus ob honorem & recordationem redemptionis ſuæ ſancta conſuevit uti Eccleſia , à cunctis parochiæ ſuæ Baſilicis dicitur deleviſſe , evertiſſe , penitùs abdicaſſe.*

Et verò neque Iconomachi ipſi in ſua Pſeudo-Synodo , quam falsò ſeptimam Oecumenicam vocarunt , imaginis Crucis Chriſti vel quidem meminerunt ; necnon Concilium ſeptimum Oecumenicum an. Chr. 787. celebratum ſub Adriano I. Papa , ut probet , cultum ſacris imaginibus exhiberi debere , argumentum adversùs ipſos Iconoclaſtas ſæpè deſumit ex cultu , quem iidem Iconoclaſtæ fatebantur exhiberi debere ſacræ Crucis imagini. In fidei definitione , quæ in ejusdem Concilii actione 7ma. legitur , factum , de quo eſt quæſtio , apertè ſupponitur : *Definimus* , inquiunt laudatæ Synodi Patres , *ſicut figuram pretioſæ ac vivificæ crucis , ita venerabiles ac ſanctas imagines proponendas.*

Tertia Concluſionis pars , quæ eſt de 47
ſigno Crucis manuum agitatione expreſſo, probatur. Illius ſigni uſus eſt laudabilis , quem Eccleſia ab exordio ſemper probavit , & quem Deus multis miraculis commendavit. Atqui talis eſt uſus ſigni Crucis. Ergo.

Minor prob. ex Tertulliano , qui jam Sæculô Eccleſiæ ſecundô floruit (e); lib. de corona militis c. 3. ubi hæc loquitur : *Ad omnem progreſſum , ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum , calceatum, ad lavacra , ad menſas , ad lumina , ad cubilia , ad ſedilia , quocumque nos converſatio exercet , frontem crucis ſignaculô terimus. Harum & aliarum hujusmodi diſciplinarum ſi legem expoſtules , Scripturarum nullam invenies ; traditio tibi prætenditur auctrix , conſuetudo conſervatrix , fides obſervatrix.*

Ex

(e) Gentilitate relicta ut fertur, an. Chr. 196. ad fidem Chriſti converſus eſt. Obiit autem an. Chr. 216.

Ex Origine, Tertulliani coævo (*f*), qui Hom. 6. in Geneſ. & Hom. 6. in Exodum, aſſerit, *ſignum crucis habere vim fugandi Dæmones.*

Ex S. Gregorio Nazlanzeno (*g*), Orat. 3. ubi refert, ipſum Julianum Apoſtatam territum, ſignô Crucis fugaſſe Dæmones.

Ex S. Cypriano (*h*), qui Ep. 58. ſic ſcribit: *Muniatur frons, ut ſignum Dei incolume ſervetur.*

Ex S. Athanaſio (*i*), qui in vita S. Antonii narrat, Sanctum hunc Anachoretam ſolitum armari ſignô Crucis adverſus inſidias & aſſultus Dæmonum.

Ex S. Baſilio Cæſarienſi (*k*), qui lib. de Spiritu S. c. 27. *Dogmata & inſtituta*, inquit, *quæ in Eccleſia prædicantur, quædam habemus ex doctrina ſcripta, quædam rurſus ex Apoſtolorum Traditione... quorum utraque parem vim habent ad pietatem.... ut quod primum eſt & vulgatiſſimum primô locô commemorem, ut ſignô crucis, eos, qui ſpem collocarunt in Chriſtum, ſignemus; quis ſcriptô docuit?*

Denique ex ſancto Baſilio Seleucienſi (*l*), qui lib. 1. de vita S. Theclæ ſcribit, ſanctam hanc Virginem ſignô Crucis ignem extinxiſſe.

Hunc ſigni S. Crucis uſum, jam ætate Tertuliani, minùs reliquorum Patrum, quorum teſtimonia modò adduximus, recentem haud fuiſſe patet, ſed prout tùm ipſe Tertullianus, tùm S. Baſilius Cæſareenſis teſtantur ex Majorum traditione receptum; & cùm nullum illius inveniatur aut in Conciliis, aut in Patrum Decretis initium, juxta S. Auguſtini contra Donatiſtas agentis principia traditionis Apoſtolicæ eſſe cenſendus eſt. (*m*) *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica rectiſſimè traditum creditur*, inquit hic S. Doctor.

Porro Majores noſtri tam ſæpe Signô crucis frontem triverunt, 1mò. ut Chriſti paſſionem in memoriam revocarent. 2do. Ut teſtarentur ſe fiduciam omnem in una Chriſti morte collocare. 3tio Quòd crederent huic tranſeunti Crucis Signo vim ineſſe Dæmones abigendi, propellendique mala, quæ impendebant. 4to. Denique, ut ſignificarent, ſe Chriſtum non erubeſcere: *Hujus* Crucis *Signum*, ait S. Auguſtinus, Tract. 3. in Joan. *in fronte geſtamus, de quo non erubeſcimus, ſi & in corde geſtamus.*

De virtute Signi Crucis, quo fronte munimus, vide Chryſoſtomum, Hom. 12. in 1. ad Corinth. Auguſtinum lib. 22. de Civ. Dei, c. 8. Cyrillum Hieroſolymitanum, Catecheſi 4. Epiphanium, Hær. 30. quæ eſt Ebionitarum

De virtute item, quam per crucis Signum, quo ſe ſe Fideles muniunt, ipſe Deus operatur, perſuaſi Majores noſtri illud non modò ad prophana ritè peragenda, ſed etiam in ſacris omnibus officiis adhibebant: *Quod Signum*, ait S. Auguſtinus Tract. 118. *niſi adhibeatur ſive frontibus credentium; ſive ipſi aquæ, qua regenerantur; ſive oleo, quo chriſmate unguntur: ſive Sacrificio, quo aluntur nihil eorum ritè perficitur* (*n*).

Summæ igitur reverentiæ ac religionis ſenſu Chriſti Crux, tanquam ſalutis ac Redemptionis noſtræ pretioſum inſtrumentum colenda eſt. Et verò, ſi locus in quo Angelus ſtetit, terra ſancta eſt, Jo-

(*f*) Obiit an. 254. (*g*) Obiit an. 390 (*h*) Obiit an. 258. (*i*) Obiit an. 371. (*k*) Obiit an. 378 (*l*) Quo anno obierit incertum, adhuc ſupererat an. 458. (*m*) *Lib. 4. de Bapt. cont. Donatiſtas c. 24.* (*n*) Narrat Georgius Martinus ex Miniſtro Calviniano ad fidem Catholicam converſus, ſe, quamvis nondum plenè con-

Joſue c. 5. Exod. 3. Cur non magis Crux, in qua ſtetit, & cui affixus eſt Chriſtus? Si ſudaria & ſemicinctia Pauli honorabantur propter ipſius contactum, cur non magis Crux ſanguine Chriſti reſperſa? Si Sacramenta honorantur, quia ſunt inſtrumenta gratiæ, cur non Crux, quæ inſtrumentum eſt Redemptionis? &c. Vide quæ inferiùs dicemus de ſacrarum Imaginum cultu, quæ huc referri poterunt.

48 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. Hiſtoria inventæ ab Helena Crucis Chriſti eſt mera fabula, tùm quia Euſebius Helenæ Geſta lib. 3. de vita Conſtantini recenſens, hujusce rei non meminit: tùm quia Scriptores, qui eam referunt, ſecum invicem non concordant. Ergo eſt explodenda.

Reſp. neg. ant. ad ejus prob. Præterquam quòd Euſebius hujus hiſtoriæ mentionem faciat in Chronico, ſilentium unius nihil poteſt contra omnium reliquorum teſtimonium. Scriptores, qui eam referunt, in levibus quidem circumſtantiis variant, ſed in rei ſumma omninò conveniunt.

49 Ob. 2do Indecorum eſt & omninò probroſum, ſi filius honoret patibulum, in quo Pater interiit. Ergo Crux, in qua Chriſtus interiit, honoranda non eſt.

Reſp. neg. ant. ſi nempè de patibulo, in quo Chriſtus pretium Redemptionis noſtræ Patri ſuo obtulit, intelligatur. Hæc eſt Gentilium & Judæorum impietas, quibus Crux Chriſti, ut erat nocentis patibulum, ſic & ſcandalum & ſtultitia: ipſis autem vocatis Judæis & Gentilibus erat & eſt *Dei virtus*, 1. Cor. 1. v. 24. trophæum Chriſti victoris, cathedra docentis, tribunal Judicis, ex quo *expolians Principatus & Poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo.* Col. 2. v. 15.

Ob. 3tio. Si Crucem colere licet, 49
quia ſacrum Chriſti Corpus tetigit: colendus quoque aſinus, quo Chriſtus vectus eſt, colendum os Judæ proditoris, cui Chriſtus oſculum impreſſit, colenda ſervi manus, qua Chriſtus percuſſus fuit. Falſum conſequens. Ergo & antecedens.

Reſp. neg. ſeq. maj. Crucem Chriſti colimus non ſolùm quia Corpus ejus tetigit, ſed &, quia inſtrumentum pretioſum fuit Redemptionis noſtræ; illud porrò diſcriminis eſt inter inanima, & ſenſu, ac ratione prædita, quòd hæc non honorentur, niſi propter dignitatem & excellentiam, quæ ipſis inſit: illa verò honorari poſſint propter aliquam ad alia honore digna habitudinem. Præterea jam aſinus, quàm os Judæ, & manus ſervi in æſtimatione prudenti ſpecialem habent indecentiam, propter quam coli non poſſunt; nec cenſentur habere aut retinere aliquam habitudinem ad corpus Chriſti aut ejus factam noſtri redemptionem, quam tamen Crux habet.

Ob. 4to. Si Crux quia ſimilitudinem 50
habet ad Crucem, in qua Chriſtus mortuus eſt, colenda eſt, tunc etiam clavi quilibet erunt honorandi, cùm eorum ſimilitudinem gerant, quibus Chriſtus confixus fuit. Atqui abſurdum eſt hoc dicere. Ergo.

Reſp. Diſt. ſeq. maj. Clavi de induſtria efficti ad repræſentandum aliquem

verſus, ſed adhuc Calvini Sectator, uxorem ſuam gravi ſtomachi dolore cruciatam Signo crucis derepentè ſanaſſe *Converſio G. Martini Gallicè. Pariſiis an. 1656. in Præfat.* Imò addit ibidem, uxorem ſuam poſtmodùm hujus ſacri crucis ſigni à ſe ipſa ſupra ſe ipſam facti virtute, à lethali morbo, qui, quos invadebat, intra trium vel quatuor dierum ſpatium perimebat, non modò illicò ſanatam, ſed & ad fidem converſam fuiſſe Catholicam.

è clavis, quibus confixus eſt Dominus, conc. quia cùm ad illum habeant habitudinem, quamdam relativam excellentiam ſortiuntur. Clavi caſu, aut de induſtria ad uſum profanum formati, neg. ſeq. maj. Neque enim etiam honoramus cruces fabricatas ad ſuſtentandum ruinoſum ædificium, aut quaslibet imagines, niſi pictæ ſint in memoriam alicujus dignitate & ſanctitate conſpicui.

51 *De Cultu ſanctarum Reliquiarum.*

Reliquiarum cultum quartô Eccleſiæ Sæculô, ut ſupra §. 1mô. annotavimus, damnavit Eunomius Arianus, & ſub finem ejusdem Sæculi, vel initiô quinti Vigilantius; quem Sæculô 16tô. ſecutus eſt Lutherus; huic Calvinus adhæſit, lib. de reformandæ Eccleſiæ neceſſitate, & in Admonitione de Reliquiis. Helvetica Confeſſio art. 5. hæc habet: *Multò verò minùs credimus reliquias divorum adorandas eſſe aut colendas.* Et Anglicana poſterior confeſſio: *Doctrina Romanenſium*, inquit, *in veneratione & adoratione reliquiarum, res futilis eſt, inaniter conficta.*

At Eccleſia Catholica docet Sanctorum reliquias eſſe venerandas, Deumque per eas multa beneficia largiri. Conc. Trid. Seſſ. 25. Sit proinde cum ea

CONCLUSIO.

52

Reliquiis Sanctorum piè, licitè ac utiliter religioſus cultus impenditur.

Prob. 1mo. ex S. Scriptura, in qua reliquiarum cultus & honos laudatur & commendatur crebris etiam miraculis. Judæi tabernaculum, Arcam, & quæ in illa concludebantur, religioſo cultu proſequebantur, nec propterea uſpiam in Scriptura redarguuntur. Moyſes ex Ægypto diſcedens oſſa Joſephi Patriarchæ honorificè ſecum tranſtulit, Exod. 13. v. 18. non humano affectu, ſed religioſa pietate: ſi enim viventium corpora propter ſanctitatem, quæ ex anima redundat, religioſè colimus, cur Moyſes ea cultûs ſpecie, viri ſanctiſſimi cineres & oſſa proſecutus non ſit? quæ prophetaſſe dicuntur, Eccli. 49. v. 19. 4. Reg c. 2. v. 8. Eliſæus pallio Eliæ aquas percuſſit, & diviſæ ſunt. At uti palliò ad miraculum patrandum, eſt utique Eliæ pallio cultum & honorem exhibere. Eodem lib. c. 13. v. 21. Cùm in Eliſæi demortui ſepulchrum projectum eſſet cadaver, revixit homo & ſtetit erectus in pedes. Ergo honoratum fuit,& quidem cultu religioſo mortuum Eliſæi corpus. Actorum 19. v. 11. multi ſanantur per ſudaria & ſemicinctia Pauli Apoſtoli. Ergo qui hujus Apoſtoli ſudaria & ſemicinctia ægrotis applicabant, ea haud dubiè religioſo honore proſequebantur. Matth. 9. v. 21. Mulier hemoroiſſa ſperavit ſe ex contactu fimbriæ Chriſti conſecuturam eſſe ſanitatem, & reipſa conſecuta eſt. Ergo eam fimbriam tanquam rem ſacram, & quidem probante Chriſto, venerata eſt: ergo piè & religioſè eadem Chriſti veſtis coli poſſet, ſi jam præſens foret.

Prob. 2do. ex.conſtanti Eccleſiæ traditione, cujus teſtes producimus antiquos Patres & Concilia. Anno Chriſti 163. Polycarpus Smyrnæ martyriô coronatus eſt. Judæi Proconſuli ſuaſerunt, ut illius oſſa concremari juberet, *Ne fortè*, inquit Eccleſia Smyrnenſis in ſua de morte Polycarpi Epiſtola apud Euſebium lib. 4. Hiſt. c. 15. *ut ajebant, relictô crucifixô, hunc deinceps Chriſtiani colere inciperent.* Judæis igitur perſuaſum erat ſecundi Sæculi Chriſtianos cultum religioſum exhibere Martyrum reliquiis: nec id tanquam rem ſibi falsò impoſitam negabant Chriſtiani: ſic enim eadem Smyrnenſis Eccleſia proſequitur: *Stulti! qui ignorarent nos nec Chriſtum unquam poſſe relinquere, nec alium quemquam* (Latriæ cultu) *colere. Il-*

lum

Digitized by Google

hum enim utpote filium Dei adoramus; Martyres verò tanquam diſcipulos & imitatores Domini meritò amore proſequimur, ob eximiam benevolentiam, quam erga Regem & Magiſtrum ſuum declararunt. Addit eadem Eccleſia, ſe tandem collegiſſe Martyris oſſa, opportuno tempore die feſto publicè colenda.

Idem Euſebius (*o*), lib. 7. Hiſt. c. 19. ſic de cultu, quo Chriſtiani cathedram Jacobi primi Jeroſolymorum Epiſcopi proſequebantur, loquitur: *Jacobi cathedram . . . . ad noſtra usque tempora conſervatam Fratres illius Eccleſiæ, jam inde à Majoribus magnâ proſequuntur reverentiâ.*

S. Baſilius Magnus (*p*), Hom. in Pſal. 115. *Si quis*, inquit de legis veteris prohibitione, *tetigerit cadaver, immundus erit. Nuncè diverſo Martyris oſſa quisquis attigerit, ob gratiam corpori inſidentem, fit quadantenus ſanctificationis particeps.*

S. Cyrillus Hieroſolymitanus (*q*), Catecheſi 18. Catechumenos praxim Eccleſiæ de honorandis Martyrum reliquiis docet.

S. Gregorius Nyſſenus (*r*), Oratione in Theodorum Martyrem hæc de illius reliquiis ſcribit: *Nam ipſas attingere reliquias quàm optabile ſit, norunt, quicunque ſunt experti. Hi enim tanquam vivum ipſum corpus & florens videntes oſculantur, & ad oculos, ad os, ad aures, ad omnes ſenſus admovent. Deinde Martyri, quaſi integer eſſet, & præſens, ſupplicant, ut pro ipſis intercedat.*

Eamdem de colendis Martyrum reliquiis & cineribus Eccleſiæ conſuetudinem refert Chryſoſtomus (*s*), in Oratione de S. Ignatio, in qua deſcribit, quo cultu, qua reverentia illius reliquias, Româ Antiochiam translatas, fideles proſecuti ſint. Et Hom. 16. in 2. ad Cor. *Sepulchra*, inquit, *ſervorum Crucifixi Regis aulis ſplendidiora ſunt. . . . accedentium ſtudiò. Nam & is, qui purpurâ indutus eſt, ad illa ſepulchra ſe confert, ut ea amplectatur; abjectoque faſtu ſupplex ſtans Sanctos deprecatur. Atque id non Romæ ſolùm fieri quiſpiam viderit, ſed etiam Conſtantinopoli. Nam & hic quoque Conſtantinum Magnum filius ingenti honore ſe affecturum exiſtimavit, ſi eum in piſcatoris veſtibulo deponeret. Quodque ſunt Imperatoribus in palatiis janitores, id in tumulo piſcatoribus ſunt Imperatores.* Tum deſcribit virtutes plurimas, quas Deus per Sanctorum reliquias operatur.

S. Hieronymus (*t*), eamdem Eccleſiæ Catholicæ conſuetudinem ex profeſſo tuetur adversùs Vigilantium, qui ſub finem quarti Sæculi in eam inſurrexerat; ſicque ex recepto ubique uſu contra illum hæreticum argumentatur: *Malè ergo facit Romanus Epiſcopus, qui ſuper mortuorum hominum, Petri & Pauli, ſecundùm nos oſſa veneranda, ſecundùm te, vilem pulviſculum, offert Domino Sacrificium, & tumulos eorum Chriſti arbitratur altaria. Et non ſolùm unius urbis, ſed totius orbis errant Epiſcopi* (nota morem univerſalis Eccleſiæ Sæculô quartô) *qui cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur Baſilicas Martyrum.*

S. Ambroſius (*u*), Ep. 53. refert, ſe, Deo revelante, reperiſſe Mediolani Sanctorum Gervaſii & Protaſii corpora.

S. Auguſtinus (*x*), lib. 9. confeſſ. c. 7. narrat miracula, quæ in translatione Sanctorum Gervaſii & Protaſii Mediolani patrata ſunt, & quorum ſe oculatum fuiſſe teſtem ſcribit. Et lib. 9. de Civ. Dei c. 8. ea miracula, quæ in Africa in-

(*o*) Obiit an. 340. (*p*) Obiit an. 378. (*q*) Obiit an. 386. (*r*) Obiit an. 393. (*s*) Obiit an. 407. (*t*) Obiit an. 420. (*u*) Obiit an. 397. (*x*) Obiit an. 430.

inventione reliquiarum Stephani Protomartyris edita ſunt, quæque ipſe oculis conſpexit, multis proſequitur. Necnon lib. 20. contra Fauſtum c. 21. *Populus Chriſtianus*, inquit, *memorias Martyrum religioſa ſolemnitate celebrat, & ad excitandam imitationem, ut meritis eorum conſocietur, atque orationibus adjuvetur, &c.* Lib. autem 22. de Civ. c. 8. refert Reliquias Sanctorum honorificè circumgeſtari ſolitas, flores & veſtimenta ex earum contactu virtutem hauſiſſe; peregrinationes ad Sanctorum memorias fuiſſe ſuſceptas, ibique plura miracula patrata.

Concilium Gangrenſe (y) Canone 20mo. & ultimo, Anathema illis infligit, qui fidelium concurſum ad Martyrum memorias vituperant, & ſacra, quæ in iis locis fiunt, averſantur.

Concilium Carthaginenſe quintum an. 398. celebratum ſupra §. 2. pag. 176. à nobis relatum vetat, ne altaria absque Martyrum reliquiis extruantur.

Concilium Epheſinum Generale celebratum annô 431. ſuſcipit; & probat Epiſtolam Cœleſtini Papæ I. in qua Patribus ſic gratulatur: *Vos Joannis Apoſtoli Reliquias præſentes veneramini.*

Tùm Iconomachi, tùm Nicæna Synodus, Generalis VII. conveniebant, Martyrum reliquiis cultum eſſe impendendum. Quæ ſequentibus Sæculis habita ſunt Concilia eumdem morem probârunt: ut videre eſt in Bracarenſi III. an. 572. celebrato. Lateranenſi IV. an. 1215. Can. 62. & tandem Tridentino, Seſſ. 25.

Prob. 3tio. Ratione. Quia cùm pium ſit ac utile honorare Sanctos, qui ſunt amici ac hæredes Dei, & in Cœlo cum Chriſto regnant, quique multùm apud ipſum orationibus ſuis valent; pium quoque ac utile eſt, honorare eorum corpora, quæ fuerunt Templa Spiritus ſancti, organa ſanctarum animarum, & inſtrumenta virtutum, cùm honor illis exhibitus redundet in ipſos Sanctos, quorum ſunt pretioſæ exuviæ. Prætereà, ſi, prout probabimus, honeſtum ſit honorare Sanctos in eorum Imaginibus; à fortiori pium ac honeſtum erit eos honorare in eorum reliquiis, quæ majorem ad illos habitudinem & conjunctionem habent, quàm imagines, quibus repræſentantur.

In his verò potiſſimùm conſiſtit cultus, qui Sanctorum Reliquiis exhibetur. 1mo. Quod ſollicitè quærantur, ac cum honore aſſerventur. 2do. Quod in Eccleſiis honorificè collocentur. 3tio. Quod Sanctos, ad eorum Reliquiarum conſpectum, pro Magiſtris ac Doctoribus habere nos profiteamur. 4to. Quòd eas oſculis, contactu, luminaribus, thure, peregrinatione, ſolemnitate feſtorum, pro more & uſu Eccleſiarum probato honoremus. Qui ritus & praxis Sanctorum reliquias venerandi cùm ſemper & ubique, etiam ante omnis Concilii celebrationem, in Eccleſia Catholica viguerit, prout oſtendimus, eam eſſe traditionis Apoſtolicæ meritò & verè tuemur, juxta traditam à S. Auguſtino lib. 4. cont. Donatiſt. c. 24. regulam, ubi, *Quod univerſa tenet Eccleſia*, inquit, *nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur.*

Sol-

(y) Sub Sylveſtro Papa, qui Eccleſiæ præfuit ab an. 314 usque ad an. 336. celebratum præſide Oſio Cordubenſi ejuſdem Papæ Legato, quo autem anno incertum. Gangra Urbs Paphlagoniæ minoris Aſiæ Provinciæ.

Digitized by Google

53 ## *Solvuntur Objectiones*

Ob. 1mo. Deut. c. ult. Deus abſcondit corpus Moyſis per Angelum, ne ſcilicet illud Judæi adorarent. Ergo Deus prohibet adorationem corporum ſeu Reliquiarum &c.

Reſp. neg conſ. Deus corpus Moyſis abſcondi voluit, ne Iſraelitæ in idololatriam valdè propenſi illud adorarent tanquam Deum, eique ut Deo ſacrificarent, ſi ſepulchrum ejus notum haberent. Quare Deus prohibet adorationem corporum Sanctorum, quæ ſit cultus Latriæ, non verò quæ ſit duntaxat cultus Duliæ relativæ.

54 Inſt. Iſraelitæ Moyſem viventem, quamvis ſtupenda ederet prodigia & miracula, cultu Latriæ non adoraverunt. Ergo nec mortuum eo cultu adoraſſent. Ergo &c.

Reſp. neg. conſ. Ideo Iſraelitæ Moyſem viventem cultu Latriæ proſecuti haud fuerunt, quia ipſe viva voce prædicabat edita à ſe miracula unius Dei virtute fieri. At, ceſſante hujusmodi admonitione, facilè in illius idololatriam ruiſſent, quemadmodùm ruerunt poſteà in ſerpentem æneum, cujus aſpectu ſanati fuerunt, quemqueob id, ut habetur lib. 3. Reg. c. 18. ab Ezechia Rege confractum novimus.

55 Ob. 2do. Chriſtus Luc. 11. v. 47. reprehendit Judæos, quòd magnifica ſepulchra Prophetis ædificarent. Idem etiam habetur Matth. 23 v. 29. Ergo &c.

Reſp. neg. ant. Nam, omiſſo, quòd nullus ex Antiquioribus hunc locum ſic interpretatus ſit, textum legenti patet, Chriſtum non arguere ſepulchrorum conſtructionem, ſed Judæorum impietatem, qua ab initio perſecuti ſunt Prophetas: Patres eos occiderunt, Filii fingunt ſe deteſtari hanc impietatem, extruentes honorifica monumenta; cùm ipſi interim inſectentur Prophetas, qui eos corripiunt, & ita per generationes ſingulas usque ad Joannem Baptiſtam & ipſummet Meſſiam, quos crudeliter enecârunt. Profectò id argumentum ſolent Concionatores in peccatores contorquere; ſcilicet eos laudant & colunt, qui olim ab impiis perſecutionem paſſi ſunt, ut Sanctos, nec tamen ipſimet advertunt, ſe ſimiliter calumniari viros pios, quià ſuis nepotibus velut beati & Sancti celebrabuntur.

Ob. 3tio. Concilium Eliberitanum ſeu Illiberitanũ Sæculò 3tiò. celebratum (z), Can. 56
34. vetat, ne cerei per diem in cœmeteriis accendantur, *quia*, inquit, *ſpiritus Sanctorum non ſunt inquietandi.* Ergo cultum Sanctorum prohibere videtur.

Reſp. neg. conſ. Canon iſte non cæremonias cultus divini & Sanctorum, ſed necromanticæ impietatis, aut divinationis dæmoniacæ præſtigias interdicit, quibus utebantur multi, qui ex Schola Simonis magi, diſcipulorumque ipſius, Baſilidis, Menandri, Saturnini vipereorum geniminum prodierunt: unde etiam emerſit intra Hiſpaniam diabolica Priſcilliániſtarum propago incantamentis & divinationibus addicta. Ejusmodi ſacrilegis inſidebat curioſa mortuorum evocatio per tenebriones dæmones, quorum in-

(z) Quo anno incertum. Ei interfuit Oſius Cordubenſis, qui poſtmodùm Concilio Nicæno I. an 325. celebrato nomine Sylveſtri Papæ præſedit. Concilium porro iſtud Illiberitanum dicitur ab urbe Illiberi ſeptimo lapide à Civitate Granatenſi diſtante in Boetica Provincia Hiſpaniæ. Ejus nunc rudera tantummodò & parietinæ ſuperſunt in colle, qui modò *Mons Elbira* vulgò dicitur. Ab aliquibus tamen celebratum hoc Concilium Eliberitanum dicitur an. 305. adeoque ſub initium Sæculi 4ti.

invocatione ſuadebant mortuos evocari, atque ab his, quaſi ab oraculis abditiſſima ſecreta & ventura facta poſſe addiſci.

57 Ob. 4to S. Hieronymus Vigilantio objicienti idololatriam eſſe accendere cereos coram Reliquiis, reſpondet, eos ſolùm id facere, *qui zelum Dei habent, ſed non ſecundùm ſcientiam.* Ergo &c.

Reſp. neg. conſ. S. Hieronymus ibi tantùm de iis loquitur, qui ex ſuperſtitione cereos accendebant, putantes inde Martyres illuſtrari, ut colligitur ex his Vigilantii ironicis verbis: *Magnum honorem præbent hujusmodi homines beatiſſimis Martyribus, quos putant de viliſſimis cereolis illuſtrari.* Seclusa autem hac ſuperſtitione Hieronymus ibidem & alibi, ut in Epitaphio Paulæ, hunc ritum expreſsè approbat.

57 Ob. 5to. Honor non tribuitur niſi propter excellentiam. Atqui nulla eſt excellentia in oſſibus & cineribus mortuorum. Ergo.

Reſp. Diſt. min. nulla eſt excellentia abſoluta, conc. relativa, neg. min. Itaque nec Sanctorum oſſa, nec veſtimenta propter ſe præcisè veneramur, ſed propter Sanctos, quibus ſuô modô inſervierunt.

58 Ob. 6to. Reliquiarum cultus expoſitus eſt falſo cultui: nam pro reliquiis Sanctorum ſæpè exponuntur oſſa improborum hominum, putà latronum. Ergo.

Reſp. neg. ant. Hoc enim falſum eſt de Reliquiis, quæ publicè cum approbatione Epiſcoporum in Templis exponuntur. Semper enim Eccleſia diligenter curavit, ne Reliquiæ ſine ſufficienti examine & approbatione exponerentur Fidelium venerationi. Lege Conc. Trid. Seſſ. 25.

59 Ob. 7mo. Tribus prioribus Eccleſiæ Sæculis notus non fuit Chriſtianis reliquiarum cultus; ſi enim Martyrum reliquias coluiſſent, gentiles inde ſumpſiſſent argumentum in defenſionem cultûs, quem quibusdam mortuis hominibus deferebant. Ergo.

Reſp. neg. ant. 1mo. Notus fuit ille reliquiarum cultus Chriſtianis, prout abundè demonſtravimus. 2do. Judæis, ut patet ex epiſtola Smyrnenſis Eccleſiæ de morte S. Polycarpi, quam ſupra adduximus, unde illum Chriſtianis crimini vertebant. 3tio. Notus quoque fuit pluribus Ethnicis, qui, ne Chriſtiani poſſent Martyrum oſſa poſt mortem colere, enixè petebant à Proconſulibus, ut Martyrum corpora cremarent, corumque cineres in profluentem dejicerent. Equidem Chriſtiani cavebant, ne Chriſtianæ Religionis myſteria gentilibus panderentur, ne ſcilicet, ex iis malè intellectis, arriperent occaſionem eos, ut conſueverant, ſuperſtitionis inſimulandi. Cæterùm longè diſtabat hæc Chriſtianorum praxis à Gentilium praxi: iſti enim adorationem Latriæ hominibus mortuis deferebant, eorumque ſpiritus mortuorum ſepulchra circuire fingebant: illi è contrà Martyrum, quorum ſpiritus jam in cœlis regnarent, reliquiis religioſum quidem cultum, ſed Latriâ longe minorem, exhibebant.

De cultu ſacrarum Imaginum. 60

Omnem Imaginum cultum ut idololatricum & illicitum rejecerunt, prout ſup. §. 1mô. annotavimus, præter Judæos & Mahumetanos, Manichæi, Marcionitæ, Eutychiani, Theopaſchitæ, ſed imprimis Sæculô octavô Leo Iſaurus Orientis Imperator. Sæculô duodecimô Valdenſes, Petrobuſſiani, Henriciani, & Albigenſes, & tandem Sæculô 16tô. Lutherani & Calviniſtæ. Quos omnes unà cum errore ſuo damnavit Eccleſia. Unde ponitur cum ea

CON-

Digitized by Google

61 CONCLUSIO.

Pius ac licitus eſt Imaginum cultus, nec idololatriæ incuſandus.

Prob. 1mo. Auctoritate Scripturæ. Quamvis enim Deus Judaico populo craſſo & ad idololatriam proclivi omne ſimulacrum prohibuiſſet; attamen Exod. 25. duo Cherubim ſuper Arcam ponuntur, & procul dubio in honore aliquo habebantur ab iis, qui proni Arcam adorabant. Et verò Cherubimi ad Arcæ latera poſiti, imagines erant Angelorum, idque Judæis notum erat. Atqui Cherubimis iſtis cultus à Judæis exhibebatur; alio enim modo quàm res prophanæ apud eos habebantur. Ergo cum rebus prophanis, ſaltem ſi ſint alicujus dignitatis, deferatur honor civilis, ſacris deferri debet religioſus, hoc eſt, à virtute Religionis imperatus.

Num. 21. v. 9. Serpens æneus erigitur, ut qui cum aſpexiſſent, à ſerpentibus vulnerati ſanarentur. Atqui talis aſpectus, utique venerationem & cultum aliquem religioſum connotabat. Ergo.

Quanto etiam honore ac cultu à Judæis Arca Domini honorata fuerit, nemo neſcit. Deut. 10. v. 8. *Separavit Moyſes Tribum Levi, ut portaret Arcam Domini.* Joſue 3. v. 4. Dum Arca portaretur, *Cavete*, ajebat Joſue, *ne appropinquetis ad Arcam.* Ibid. c. 7. v. 6. *Joſue pronus cecidit in terram coram Arca Domini usque ad veſperum, tam ipſe, quàm omnes Senes Iſrael.* 1. Reg. 6. v. 19. *Percuſſit Deus de viris Bethſamitis, eo quòd vidiſſent Arcam Domini.* Et lib. 2. Reg. c. 6. v. 7. Cùm Oza manum ſuam ad Arcam, ne fortè caderet, extendiſſet, *percuſſus eſt à Domino ſuper temeritate ſua.* Ibidem narratur, quàm inſigni pompâ David in civitatem Sion Arcam induxerit. Atqui Arca hæc, quam ſummo cultu ac reverentia Judæi venerabantur, non erat niſi opus ex lignis manufactum. Ergo non ex ſe illicitus eſt, nec idololatriæ arguendus cultus, qui rebus inanimatis & fictis impenditur propter exemplar, quod repræſentant, & ad quod referuntur.

Denique iidem Judæi ad Dei nomen, externa venerationis ſigna exhibebant. Paulus etiam monet Philipp. 2. v. 10. ut quisque, audito Jeſu nomine, in genua procumbat. Atqui ideo Judæi, auto Dei nomine, exhibebant externa venerationis ſigna; ideo Chriſtiani ad Jeſu nomen genua flectunt, quòd Dei & Jeſu nomina, ſint Dei & Jeſu imagines, non quidem permanentes, ut ſunt figuræ in tabellis depictæ, ſed tranſeuntes. Ergo pius & licitus eſt, nec idololatriæ incuſandus religioſus Imaginum cultus.

Prob. 2do. Eccleſiæ Traditione & uſu antiquo, qui Eccleſiâ in libertatem vindicatâ cœpit eſſe communis, hoc eſt, à quarto Sæculo usque ad præſens tempus; cùm priùs non tam frequens fuiſſet.

In Oriente S. Baſilius (a), Oratione In ſanctum Barlaam Martyrem ait, gaudere ſe, quòd Pictores feliciùs penicillô ſuô, quàm ipſemet oratione manum Martyris pro Chriſto combuſtam expreſſerint. Et Ep. ad Julianũ Apoſtatam. *Characteres imaginum eorum* (Apoſtolorum & Martyrum) *honoro & adoro*, inquit, *præcipuè cùm hoc traditum à ſanctis Apoſtolis, & non prohibitum ſit.*

Ejus frater S. Gregorius Nyſſenus (b), Oratione de Filii & Spiritus ſancti Divinitate, dicit ſe moveri ad lacrymas, dum conſpicit Iſaac in pictura ſtantem ſub gladio patris. Et Oratione in S. Theodorum, lau-

(a) Obiit an. 378. (b) Obiit an. 393.

Digitized by Google

laudat Pictorem, qui labores S. Martyris oculis exhibet. (*c*)

Euſebius Cæſarienſis, lib. 7. Hiſt. c. 18. teſtatur ſe vidiſſe Chriſti ſtatuam, quam mulier à profluvio ſanguinis per ipſum liberata, ut Evangeliſtæ referunt, in memoriam accepti beneficii erexerat. Addit Philoſtorgius Arianus Eunominianus (*d*), Lib. 7. Hiſt. c. 3. *herbam ad pedes hujus ſtatuæ enatam adversùs morbos omnes, præcipuè verò adversùs tabem efficaciſſimum fuiſſe remedium, ſtatuam verò in templum fuiſſe translatam, ubi ei competens obſervantia deferebatur, & quam ſpectandi causâ cupidè multi adventarent, amorem ipſius Archetypi declarantes. Eam poſtmodum regnante Juliano Apoſtata, Gentilium furore per urbem circumligatis ad pedes funibus, tractam fuiſſe, Chriſtianis ſummè dolentibus.*

Idem Euſebius, lib. 3. de vita Conſtantini, c. 49. narrat, *tantum divini numinis amorem in eo Principe fuiſſe, ut in totius Palatii eminentiſſimo cubiculo, in maxima tabula, quæ in medio lacunaris inaurati expanſa eſt, ſignum Dominicæ paſſionis ex auro pretioſiſque lapidibus elaboratum infixerit; atque hoc tanquam præſidium ac tutelam Imperii piiſſimum Principem ſtatuiſſe.* Eodem quoque libro memorat, in Templis à Conſtantino extructis in Palæſtina multam fuiſſe imaginum aurearum & argentearum copiam.

Sozomenus (*e*), lib. 4. Hiſt. c. 20. ſcribit Statuam Chriſti, quam erexerat Syrophoeniſſa, in Templum à Chriſtianis religiosè introductam fuiſſe; ex Euſebio loc. cit.

S. Chryſoſtomus (*f*), Hom. 45. ad populum, teſtatur neminem eſſe, qui non ambiat ſancti Meletii imaginem.

S. Aſterius Amaſeæ in Ponto Epiſcopus (*g*), in Sermone de S. Euphemia ſcribit ad ejus loculum appenſam fuiſſe tabulam, quæ Sanctæ martyrium ad vivum adumbraret: *Pictor verò*, ait, *etiam ipſe religiosè per artem ſuam totam pro viribus in linteo deſignatam hiſtoriam ibidem juxta thecam ſacram appendit, ac propoſuit ſpectaculum.*

Theodoretus (*h*), in Hiſtoria Religioſa refert, effigiem ſancti Simeonis Stilitæ ubique haberi ad præſidium.

In Occidente, S. Ambroſius (*i*), Ep. 53. meminit picturæ S. Pauli Apoſtoli. Et in Oratione de obitu Theodoſii, *Sapienter*, inquit, *Helena egit, quæ crucem Chriſti in capite Regum levavit, & locavit, ut crux Chriſti in Regibus adoretur.*

S. Hieronymus (*k*), in vita Paulæ, ait illam ante crucem Chriſti proſtratam adoraſſe, quaſi pendentem in ea Chriſtum vidiſſet. Et Ep. 44. aliàs 17. quæ eſt Paulæ & Euſtochii ad Marcellam: *Venerabantur*, inquit, *quondam Judæi Sancta ſanctorum, quia ibi erant Cherubim, & Propitiatorium, & Arca Teſtamenti. . . . Nonne venerabilius tibi videtur ſepulchrum Domini?*

S. Auguſtinus (*l*), lib. 3. de Trinitate c. 10. loquens de ſacris ſignis, quales ſunt imagines, litteræ, & Sacramenta: *Sed quia*, inquit, *hæc hominibus nota ſunt, quia per homines fiunt, honorem tan-*

(*c*) *Solet enim*, ait, *pictura tacens in pariete loqui maximeque prodeſſe.* (*d*) Hiſtoriam ſuam proſequitur usque ad initium Sæculi 5ti. finem ſcribendi faciens, quo tempore Theodoſius junior Valentiniano juniori Romani Imperii ſceptra tradidit, qui an. 427. totius Italiæ Imperator renuntiatus eſt. (*e*) Hiſtoriam ſuam ab an. 324. usque ad an. 439 perduxit. Mortuus fertur an. 450. (*f*) Obiit an. 407 (*g*) Floruit ſub finem Sæculi quarti. (*h*) Obiit an. 460. (*i*) Obiit an. 397. (*k*) Obiit an. 420.

tanquam religioſa poſſunt habere, ſtuporem tanquam mira non poſſunt. Et lib. de moribus Eccleſiæ, c. 75. conqueritur, abuſus irrepſiſſe in Imaginum venerationem.

S. Paulinus (*m*) & Severus Sulpitius ſuas Baſilicas picturis exornaverant, ex Epiſtola 12ma ejusdem Paulini, qui & Ep. 31. teſtatur, Chriſti crucem, ubi reperta fuit, ſtatim ubique coli cœpiſſe.

Ruſticus Diaconus (*n*), Dialogô contra Acephalos: *Clavos*, inquit, *quibus confixus eſt Chriſtus, & lignum venerabilis crucis, omnis per totum mundum Eccleſia absque ulla contradictione adorat.* Porro quæ hîc à Patribus de S. Crucis, Clavorum, & Sepulchri Domini cultu & adoratione dicuntur, ad ſacrarum aliarum Imaginum venerationem aptari poſſunt, prout patet, necnon de iis dici queunt.

Sanctus denique Gregorius Magnus (*o*), lib. 9. Epiſt. Indictione 2. Ep. 52. ad Secundinum, mittens ei Imaginem Chriſti, quam ille petierat, *Scio*, inquit, *quòd Imaginem Servatoris noſtri non ideo petis, ut quaſi Deum colas, ſed ob recordationem filii Dei in ejus amore recaleſcas, cujus tu imaginem videre deſideras. Et nos quidem, non quaſi ante divinitatem ante illam proſternimur, ſed illum adoramus, qui per imaginem, aut natum, aut paſſum, ſed & in throno ſedentem recordamur.*

Prob. 3tio. Decretis Conciliorum Generalium VII. VIII. & tandem Tridentini.

Concilium Nicænum II. Oecumenicum VII. ex profeſſo contra Iconomachos pro cultu & honore Imaginum an. 787. convocatum, Act. 7. in definitione fidei ſic pronuntiat: *Sequentes divinitùs inſpiratum Sanctorum Patrum magiſterium, & Catholicæ traditionem Eccleſiæ (nam Spiritûs ſancti hanc eſſe novimus, qui nimirum in ipſa inhabitat) definimus in omni certitudine & diligentia, ſicut figuram pretioſæ ac vivificæ crucis, ita venerabiles & ſanctas imagines proponendas, tam quæ de coloribus & teſſellis, quàm quæ ex alia materia congruenter in ſanctis Dei Eccleſiis, & ſacris vaſis & veſtibus, & in parietibus ac tabulis, domibus & viis: tam videlicet imaginem Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quàm intemeratæ Dominæ noſtræ ſanctæ Dei genitricis, honorabiliumque Angelorum, & omnium Sanctorum, ſimul & almorum virorum. Quantò enim frequentiùs per imaginalem formationem videntur, tantò qui eas contemplantur, alacriùs eriguntur ad primitivorum earum memoriam & deſiderium, & his oſculum & honorariam adorationem tribuendam; non tamen ad veram latriam, quæ ſecundùm fidem eſt, quæque ſolam naturam divinam decet, impertiendam..... Imaginis enim honor ad primitivum tranſit; & qui adorat imaginem, adorat in ea depicti ſubſiſtentiam.....*

Concilium Conſtantinopolitanum IV. Oecumenicum VIII. an. 869. celebratum, Act. 10. Can. 3. de cultu Imaginum decernit his verbis: *Sacram Domini noſtri effigiem eadem qua ſancta Evangelia veneratione colendam ſtatuimus. Ut enim per ſyllabas in Evangelio ſcriptas ſalutem conſequuntur omnes, ita per imagines arte coloribusque pictas & expreſſas docti juxta ac indocti ex objecta re utilitatem capiunt. Quæcunque enim in ſyllabis oratio, hac in coloribus pictura docet & repræſentat. Ergo quicumque Chriſti Salvatoris imaginem non adorat, is in ſecun-*

(*m*) S. Paulinus obiit an. 431. Sulpitius verò 420. (*n*) Scripſit Dialogum ſuum circa an. 548. (*o*) Obiit an. 604.

cundo Chriſti adventu non videat ipſius faciem. Eadem ratione intemeratæ genitricis illius effigiem, ſanctorumque Angelorum, quemadmodum illos ſacrarum Litterarum pagina deſcribunt, ac Sanctorum omnium veneramur & colimus. Qui aliter ſentiunt, anathema ſunto.

Denique Concilium Tridentinum aliorum veſtigiis inhærens, fidem Eccleſiæ nitidè exponit Seſſ. 25. *Imagines Chriſti,* ait, *Deiparæ, & aliorum Sanctorum in Templis præſertim habendas & retinendas, eiſque debitum honorem & reverentiam impertiendam: non quòd credatur ineſſe aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ; vel quòd ab iis ſit aliquid petendum, vel quòd fiducia ſit in imaginibus figenda, veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in Idolis ſpem ſuam collocabant; ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant; ita ut per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur. Id quod Conciliorum, præſertim verò ſecundæ Nicenæ Synodi, decretis contra Imaginum impugnatores eſt ſancitum.*

Prob. 4to. Ratione 1mo. Quia imaginum cultus nihil in ſe continet, quod ſit intrinſecè ac per ſe malum. Non enim, ut ait Concilium Trid. mox laudatum, *aliquam in illis aut divinitatem, aut virtutem agnoſcimus*: in illis ſpem nullam aut confidentiam ponimus; ſed propter exemplaria, quæ repræſentant, eas honoramus; per illas ad noſtrum in Chriſtum amorem & grati animi ſenſum propter tot beneficia, quibus nos cumulavit, ſignificandum excitamur; præclara Sanctorum facta in memoriam revocamus, & ad eorum imitationem accendimur. 2do. Quia proinde cultus iſte licitus eſt, cùm neque lege naturali, utpote nullam, ut dictum, in ſe malitiam continens; neque lege poſitiva, quippe nulla ſaltem in novo Teſtamento extat eum prohibens, vetitus ſit. 3tio. Quia honeſtum eſt, perſonam honorabilem honorare non ſolùm in ſe, ſed etiam in imagine. Nam eo ipſo quòd perſona honorabilis ſit, digna eſt, quæ honoretur non ſolùm in ſe, ſed etiam in iis, quæ ſpecialem habent cum ea habitudinem vel conjunctionem, ut naturali lumine patet. Certe Imperatorum Imaginibus civilem cultum exhiberi, nemo ignorat: quidnî ergo & Imaginibus Chriſti, B. Virginis, & aliorum Sanctorum cultus aliquis impertiatur? non latriæ quidem, nec etiam merè civilis, ſed inter utrumque quaſi medius, qui, ob excellentiam & merita eorum, quos repræſentat, religioſus dicitur, atque ad religionem pertinet.

Solvuntur Objectiones 62

Ob. 1mo. Deut. 5. v. 8. Deus expreſſè prohibet ne ullum fiat ſculptile, *Non facies tibi ſculptile, nec ſimilitudinem omnium, quæ in cælo ſunt deſuper, & quæ in terra deorſum, & quæ verſantur in aquis ſub terra.* Idem habetur Exod. 20. v. 4. Ergo &c.

Reſp. neg. conſ. Ad textum duplex eſt noſtrorum Theologorum interpretatio. 1ma. Quòd ibi prohibeatur omne ſculptile, ut adoretur; ſtatim enim ſacer contextus addit: *Non adorabis ea, & non coles, Ego enim ſum Dominus Deus tuus: Deus æmulator.* Hac lege Deus præmunire vult Judæos adversùs inſanam Gentium idololatriam, de quibus Apoſtolus Rom. 1. v. 23. ait: *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum & ſerpentium....* Citatis itaque Exodi & Deuteronomii verbis idololatria prohibetur, ſeu cultus

ima-

Digitized by Google

imaginum aut ſimulacrorum , quæ vel pro Diis habentur , vel in quibus tanquam Dii coluntur, qui re ipſa Dii non ſunt ; vel denique in quibus numinis aliquid aut divinæ virtutis latere creditur. Porro iſtud nihil commune habet cum noſtra Catholica de cultu Imaginum doctrina.

2da. Interpretatio eſt , hac poſitiva lege Judæis omninò interdictum fuiſſe omnem imaginum , ſimulacrorum ac ſculptilium uſum , ob imminens ſcilicet idololatriæ periculum , ad quam rudis ille populus , & ex ſe proclivis erat , & commerciô , atque exemplô Gentilium pertrahi facile poterat. Lex verò illa poſitiva ad tempus fuit , non perpetua ; extant enim apud Judæos probata ſimulacrorum exempla Arcæ , Cherubinorum, ſerpentis ænei : ea igitur lege non magis jam obſtricti ſumus, quàm lege abſtinendi à ſanguine & ſuffocato , quæ ad tempus duntaxat ab Apoſtolis lata fuit, non perpetuò duratura.

63 Ob. 2do. Concilium Eliberitanum Can. 36. ait : *placuit , picturas in Eccleſia eſſe non debere ; ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.* Ergo.

Reſp. neg. conſ. Variæ ſunt hujus Eliberitani Canonis interpretationes. 1ma. Hoc Canone rejectas eſſe imagines pictas, non ſculptas , propter idololatriæ metum ; ut de Salvatore in forma Jovis picto narrat Nicephorus , lib. 15. c. 23. 2da. Ne imminente perſecutione Chriſtiani auferre eas ſecum , aut occultare non poſſent , & ita Judæis & Paganis ludibrio eſſent. Ita Sanderus , lib. 2. c. 4. de cultu Imag. 3tia. Ne picturæ facilè deformarentur parietum cruſtis dejectis , & inde , amiſſa venerabili formâ, potiùs contemptui eſſent, quàm venerationi. 4ta. Propter periculum idololatriæ, quòd his temporibus fortè imminebat. 5ta. Pro temporum varietate, varia eſſe Eccleſiæ circa diſciplinam ſtatuta. 6ta. denique, Hoc canone vetari duntaxat Deum in parietibus depingi , ne ſcilicet , quem Gentibus & Catechumenis immenſum, omnipotentem, inviſibilem, æternum , incomprehenſibilem, ſpiritualem, corporis & materiæ expertem & immunem prædicarent , eum ipſi Gentiles & Catechumeni in ipſorum Eccleſiis lineis & coloribus circumſcriptum & comprehenſum cernerent. Ne igitur divini Numinis majeſtas minueretur , & aliud de Deo pingeretur , quàm prædicarent , & quem ſupra homines extollerent humana ſpecie depictum oculis objicerent ; vetant hi Patres, ne in Eccleſiis Dei imagines ſuſpendantur: hæc autem ad Sanctorum imagines nullatenus pertinere, proinde citato Canone à Patribus Eliberitanis neutiquam fuiſſe rejectas.

Verùm quidquid ſit, certum eſt variam fuiſſe olim primiſque Eccleſiæ Sæculis circa pingendas Dei & Trinitatis , necnon Chriſti & Sanctorum Imagines diſciplinam , pro variis ſcilicet temporum, locorum , ac perſonarum circumſtantiis. Equidem primis illis Eccleſiæ Sæculis fuit aliquis imaginum uſus , prout patet ex iis, quæ ſupra pag. 207. ex Euſebio, Philoſtorgio & Sozomeno retulimus, ubi inſuper Euſebius commemorat : pictas effigies Chriſti Domini & Apoſtolorum Petri & Pauli, quas ad ſuam uſque ætatem ſervatas ſe vidiſſe aſſerit. Tempore item Tertulliani (*p*) antiquus mos erat ſculpendi Chriſtum in calicibus ſub ſpecie Paſtoris ovem errantē in ovile reportantem (*q*). Dumque Concilium Eliberitanum (*r*) Imagines in Eccleſiis eſſe vetat , eas anteà in Templis pingi ſolitas fuiſſe prodit. Uſum autem illarum rarum fuiſſe iis temporibus, probatur auctoritate illius Ævi Scripto-

(*p*) Obiit an. 216. (*q*) *Lib. de pudicitia c. 7.* (*r*) Celebratum dicitur an. 305.

Scriptorum. S. Clemens Alexandrinus(*s*), lib. 5. Stromat. ſic ſcribit : *Moyſes multis antè Sæculis apertè legem ſanxit, nullum oportere ſculptile vel pictam imaginem.* In eodem argumento ſunt Tertullianus (*t*), lib. de Spectaculis, c.23. & Origenes (*u*), lib. 7. cont. Celſum ; concluduntque artem pingendi Chriſtianis ut & Judæis interdictam, ille lib. de Idololatria, contra Hermogenem, c. 10. hic lib. 4. cont. Celſum. Ratio autem, quæ Veteres movere debuit, ne imagines pingerent, hæc fuit: Colligenda nimirum erat Eccleſia Chriſtiana ex Judæis & Gentilibus, juxta illud Epheſ. 2. v. 14. 15. & 16. *Medium parietem maceriæ ſolvens, inimicitias in carne ſua . . . . . ut duos condat in ſemetipſo . . . . . & reconciliet ambos in uno corpore.* At Apoſtoli hinc Judæos à Religione Chriſtiana maximè deterruiſſent, ſi contra legem ipſis præſcriptam imagines colendas propoſuiſſent; ſi enim tot labores & pugnas ſuſtinuerunt, ut Neophytos à cæremonialibus præceptis avellerent, profectò ſine contradictione non perfeciſſent id, quod longè difficillimum erat, ut nempe Judæos contra præſcriptum veteris Legis ad cultum Imaginum adducerent. Supereſt ergo, ut dicamus, Apoſtolos, ſicut ad tempus indulſerunt Judæis ſervare nonnulla veteris legis mandata, qualis eſt abſtinentia à ſuffocatis & ſanguine, ab Idololytis; ſic de Imaginibus pingendis aut colendis prorsùs ſiluiſſe. Indè Gentiles à cultu Idolorum ubique recepto erant revocandi : evidens autem periculum erat, ne homines adorare ſoliti ſimulacra, ſimili latriâ colerent Imagines Chriſti & Sanctorum. Eo animo affectos fuiſſe Gnoſticos notant ſanctus Irenæus, lib. 1. c. 24. & S. Epiphanius, lib. de hæreſ. Jactabant illi, ſe habere Imagines Chriſti à Pilati exemplari deſumptas, quas ſummoperè occultabant, & Gentilium more venerabantur.

Unde, prout dictum, varia fuit olim Eccleſiarum circa pingendas Dei & Trinitatis, necnon Chriſti & Sanctorum Imagines diſciplinam. Quoad Dei & Trinitatis Imagines, quoties fuit periculum, ne aut latriæ cultus illis impenderetur, aut injiceretur ſuſpicio Deum corporeum eſſe, prohibitæ ſunt hujuſcemodi depictæ Dei & Trinitatis Imagines. Eas improbârunt Tertullianus, lib. de Spectaculis, c. 23. Clemens Alexandrinus, lib. 6. Strom. Origenes, lib. 8. contra Celſum ſupra citati. Minutius Felix, in Dial. Lactantius, lib. 2. Inſtit. c. 2. S. Auguſtinus, lib. de Fide & Symbolo, c. 7. *Nefas eſt Chriſtiano*, inquit, *ſimulacrum Deo collocare in Templo.* Eas verò aliquando probavit, aut ſaltem toleravit Eccleſia, cùm paſſa eſt, Patrem divinum ſub ſpecie Senis, Spiritum ſanctum ſub figura columbæ delineari. Amphilochio teſte (*x*), S. Baſilius columbas Spiritum ſanctum repræſentantes ſuſpenſas habuit. S. Paulinus (*y*), in Baſilica S. Felicis Trinitatis imaginem depingi permiſit. In libello ſupplici ſeu deprecatione Clericorum & Monachorum Antiochienſium, contra Severum Eutychianorum Acephalorum ducem (*z*), quam referunt Patres Nicænæ Synodi II. Act. 5. referunt, hæc leguntur: *Neque ipſis ſanctis Altaribus vel ſacratis vaſis pepercit ; illa quidem eradens ut ſceleſta, hæc autem conflans & erogans his, qui ſimilis moris ſunt. Porro præſumptum eſt ab eo etiam hoc, ô beatiſſimi : eas enim, quæ in typum ſancti Spiritus ſunt aureæ & argenteæ columbæ ſuſpenſæ ſupra divina Sacramenta & Altaria* (ſacros fontes & lavacra) *cum aliis defraudabat, dicens non oportere columbas nominari Spiritum ſanctum.*

Quan-

(*s*) Obiit an. 220. (*t*) Obiit an. 216. (*u*) Obiit an. 254. (*x*) Obiit an. 394. (*y*) Obiit an. 431. (*z*) Circa an. 518.

Quantùm ad Chriſti & Sanctorum Imagines, uſum illarum periculoſis temporibus illis alicubi fuiſſe interdictum, patet tùm ex citato Canone Concilii Eliberitani, qui de omnibus omninò imaginibus loqui videtur; tùm ex Epiſtola Euſebii Cæſarienſis ad Conſtantiam, in Synodo VII. Act. 6. admiſſa, in qua negat ſe votis ejus, quibus peteret Chriſti imaginem, ſatisfacere poſſe, cùm Chriſtus conſtet duplici naturâ, divinâ ſcilicet, quæ omnibus ignota eſt, & humanâ, quæ ex mortuis & inanimatis coloribus non poſſit adumbrari, tota jam in deitatis gloriam abſorpta; tùm ex Epiſtola S. Epiphanii (*a*) ad Joannem Jeroſolymitanum, in qua narrat ſe, cùm iter faceret per ejus diœceſim, commotum fuiſſe, quòd in quodamOratorio imaginem Chriſti, vel alicujus Sancti (*b*), in velo expanſo depictam vidiſſet, addit ſe velum laceraſſe; rogatque Joannem, ut vigilet contra hunc uſum, quem contra Scripturæ auctoritatem pugnare contendit. Hanc Epiſtolam ſuppoſititiam putat S. Joannes Damaſcenus: eam tamen integram refert S. Hieronymus Ep. 101.

Iconomachi in Synodo VII. duo loca ex alia S. Epiphanii ad Theodoſium Imperatorem Epiſtola Act. 6. protulerunt, ubi ſcribit, ſe multis egiſſe cum Chorepiſcopis ſuis, ne imagines inducerent ſive in Eccleſias & Sanctorum cœmeteria, ſive in domum communem: *Sed*, inquit, *non ſum receptus ab his, neque audire vocem meam paululùm paſſi ſunt.* Verùm & hanc falsò eſſe adſcriptam ab Iconomachis Epiphanio tuentur Patres dictæ Synodi VII. ibid. Quòd ſi tamen verum eſſet, eas eſſe S. Epiphanii, nihil aliud inde erui poteſt, niſi quòd uſus imaginum S. Epiphanio, cùm cæteris placeret, probatus non fuerit, atque in Eccleſia illa, cui præerat Epiphanius, adhuc viguerit iis temporibus diſciplina, quæ licèt tunc in pluribus aliis abrogata jam fuiſſet, per multum tamen temporis ſpatium, hoc eſt per tria priora Sæcula, ſæviente perſecutione, in aliquibus Eccleſiis obtinuerat. Adeoque ſententiam S. Epiphanii illa ætate fuiſſe ſingularem, nec proinde contrariæ præferendam, quæ, ipſo Epiphanio teſte, tùm communis erat inter Epiſcopos; ac denique omni tandem depulsô periculô, & populô Chriſtianô benè informatô, ubique obtinuit. Unde ex his S. Epiphanii teſtimoniis peti non poteſt argumentum contra hodiernam praxim de collocandis in Templo Sanctorum imaginibus: nimirum abſque fidei & morum periculo diſciplina vetus in novam aliam, rationibus veteris diſciplinæ non ampliùs ſtantibus, mutari poteſt.

Ob. 3tio. Plurimorum Patrum teſtimonia. S. Irenæus, lib. 1. c. 24. ponit inter hæreſes Carpocratis, *quòd coleret imaginem Chriſti & Pauli.* 64

Tertullianus, lib. de Idololatria, c. 3. invehitur in auctores ſeu artifices ſtatuarum & imaginum, *quos diabolus*, inquit, *Sæculo intulit.*

Origenes, lib. 4. contra Celſum, ait, *nullum apud Judæos pictorem admiſſum fuiſſe, nullum ſtatuarium.*

S. Epiphanius, hæreſ. 79. ait, Hæreticos eſſe, *qui imaginem B. Virginis circumferunt, & colunt.*

Reſp. Omiſſô, quòd memorati Patres, juxta eam, quæ tum ob idololatriæ periculum, proùt primùm annotavimus, in

(*a*) Obiit Epiphanius an. 403.
(*b*) *Non memini*, inquit, *cujus imago fuerit.*

in ipſorum Eccleſiis circa ſacras imagines vigebat, diſciplinam locuti fuiſſe videantur, is duntaxat imaginum cultus ab ipſis reprobatur, qui vel ſuperſtitioſus, vel ad morem & uſum Gentilium effictus eſt ac favens idololatriæ; vel inſolitus, qui Chriſtianis offenſioni ac ſcandalo propter Gentiles eſſe poterat; non verò cultū legitimum, certis legibus ac limitibus adſtrictum, qualem Eccleſia agnoſcit, ac nos tuemur.

S. Irenæus Carpocratem non idcircò redarguit, quòd Imaginem Chriſti haberet, ſed eam ipſo eodemque modo coleret, quo Gentiles idola colunt, nimirùm ſacrificiis; ut clariùs exponunt SS. Epiphanius hæreſi 27. & Auguſtinus hæreſi 7. Accedit, quòd Hæreticus ille Imaginem Chriſti & Pauli eodem loco haberet, quo Imagines Homeri, Pythagoræ, Platonis & Ariſtotelis.

Tertullianus manifeſtè agit contra Idololatras, qui Imagines tanquam Deos, aut Deô plenas, infando cultu adorabant; & cùm animi fervidioris eſſet, contra ipſammet artem ſculptorum ac pictorum vehementer invehitur. Sed hæc ad nos non pertinent.

Idem planè ſenſus eſt Origenis & Clementis Alexandrini ſuprà citati.

S. Epiphanius (omiſſô, quòd hac de re peculiarem, prout primùm advertimus, ſectatus ſit opinionem) ſimiliter hæreſi 79. reprehendit Collyridianos, non quòd Imaginem B. Tirginis, & ipſam Virginem honorarent, ſed quòd eam pro Dea haberent, eique offerrent ſacrificium, quod uni Deo debetur.

65 Ob. 4to. S. Ambroſius de obitu Theodoſii ait, *Helenam Crucem Domini inveniſſe, Regem adoraſſe, non lignum utique, qui eſt error Gentilium.* Sic etiam loquitur S. Hieronymus in c. 3. Danielis: ubi, *Cultores Dei*, inquit, *eam* (ſtatuam) *adorare non debent.* Et S. Auguſtinus, lib. 1. de moribus Eccleſiæ Catholicæ, c. 34. *Nolite*, inquit, *conſectari turbas imperitorum, qui vel in ipſa vera Religione ſuperſtitioſi ſunt, vel ita libidinibus dediti, ut obliti ſiat, quidquid promiſerint Deo. Novi multos eſſe ſepulchrorum & picturarum adoratores.*

Denique S. Gregorius Magnus in duabus ad Serenum Epiſcopū Maſſilienſem Epiſtolis reprehendit eum, quòd Imagines fregiſſet; laudat verò, quòd eas adorari non permiſiſſet, quæ ad hiſtoriam duntaxat, ad memoriam, & doctrinam populi, non ad cultum poſitæ ſunt.

Reſp. ad 1. S. Ambroſium loqui de adoratione, quæ ſimilis eſſet ei, quæ idolis à gentilibus exhibebatur: hoc eſt, S. Doctor ſcripſit, Helenam non adoraſſe lignum, aut credendo, quòd in eo eſſet aliqua divinitas, aut ſuum affectum in ligno collocando, ſed ita, ut deoſculans crucem, ac coram ea procumbens, internum ſervitutis affectum ad Chriſtum direxerit.

Ad 2. S. Hieronymus loquitur de iis, qui ſtatuas Imperatorum, quos pro diis habebant, divinis honoribus afficiebant; arguit enim eos, qui id faciunt, quod tres pueri facere recuſarunt in Babylone.

Ad 3. S. Auguſtinus eo loci de iis non agit qui tumulos Martyrum, & picturas Sanctorum colebant: ſed de iis, qui ad quorumcunque hominum ſive tumulos, ſive picturas, feſta conviviis, aliiſque lætitiæ demonſtrationibus celebrare videbantur. Hos autem arguit S. Auguſtinus, quòd ille prophanorum hominum cultus Religionis Chriſtianæ moribus repugnet.

Ad 4tum. S. Gregorius citatis ad Serenum Epiſtolis, eam ſolum damnat, & ab Imaginibus excludit adorationem, quam im-

Digitized by Google

imperiti aliqui nimiô zelô accenſi, *incompetenter* & inconſideratè iis impendebant; quo abuſu in extremam partem adductus Serenus, juſſerat imagines illas à Templis tolli & frangi.

66 Ob. 5to. Duo Concilia Conſtantinopoli coacta unum ſub Leone Iſauro, an. 726. alterum ſub Conſtantino Copronymo an. 754. definierunt, cultum imaginum eſſe illicitum. Ergo &c.

Reſp. neg. conſ. Quia illa Concilia prorſùs illegitima, ſeu potiùs Conciliabula fuerunt. Nam Summus Pontifex nec per ſe, nec per ſuos Legatos illis interfuit & præſedit, nec ab ullo Summo Pontifice confirmata ſunt, imò primum à Gregorio II. alterum à Stephano II. reprobatum fuit, teſte Adriano I. in Ep. ad Conſtantinum & Irenem, & à tribus ſimul Orientalibus Patriarchis Alexandrino, Antiocheno, & Jeroſolymitano; tandem poſtmodum ab univerſa Eccleſia in Concilio Oecumenico VII. Defuêre igitur his Conciliis ſeu potiùs Conciliabulis requiſitæ conditiones, legitima convocatio, Romani Pontificis conſenſus & auctoritas, atque approbatio &c. unde illorum nulla eſt auctoritas.

67 Ob. 6to. Libri Carolini, ſeu Opus ſub Caroli Magni nomine in quatuor libros diſtinctum, & contra definitionem Concilii Nicæni II. ſeu Oecumenici VII. exaratum, quorum ſelecta Capita ipſe Carolus Magnus miſit ad Adrianum I. Summum Pontificem.

Reſp. Hos libros & ſimiles nullius eſſe auctoritatis, & omninò rejiciendos, cùm errorem àb Eccleſia damnatum contineant. Eos porro Adrianus I. Papa, cui Imperator Carolus, prout memorati libri loquuntur, omnia iis contenta ſubjecerat, ſuô judiciô improbavit. Ajunt prætereà fictos eſſe hos libros, nec Caroli Magni juſſu exaratos, ſed ab ignoto quodam auctore prolatos.

Ob. 7mo. Concilium Francofor- 68
dienſe an. 794. celebratum, Nicænum II. & cultum imaginum reprobavit, nam ſic ait, Can. 2. *Allata eſt in medium quæſtio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Conſtantinopoli fecerunt, in qua ſcriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati, ſervitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui ſuprà ſanctiſſimi Patres noſtri omnimodis adorationem & ſervitutem renuentes contempſerunt, atque conſentientes damnaverunt.* Ergo &c.

Reſp. Quidquid ſit de mente Concilii Francofordienſis, neg. conſ. Quia illud Concilium non fuit generale, nec approbatum ab Eccleſia Romana. Quòd ſi re vera omnem cultum imaginum repudiavit, erravit. Nam Concilium Nicænum II. eſt verè Oecumenicum, cùm ei interfuerint, præter Orientis Epiſcopos, Legati Adriani I. cum Patriarcha Conſtantinopolitano, & Legatis aliorum Patriarcharum, & à Leone III. Adriani in Sede Romana ſucceſſore confirmatum ſit, atque à tota Eccleſia receptum.

Verùm quia circa mentem Synodi Francofordienſis variæ ſunt ſententiæ, juvat exponere, quid hac de re veriſimilius videatur. Patres igitur Francofordienſes, omiſſô, quod in tanta ignorantia verſati fuerint, quantum ad Synodum VII. ut vel quo loco celebrata fuiſſet, neſciverint, *Allata eſt*, inquiunt, *in medium quæſtio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Conſtantinopoli fecerunt*; *Nicææ* enim, non *Conſtantinopoli* celebrata fuit hæc Græcorum Synodus. Hoc, inquam, omiſſô, boni Patres iſti erraverunt errore juris & facti circa definitionem Concilii Nicæni II. errore quidem juris, nam omnem ſacrum cultum imaginum rejecerunt, ut colligitur tùm ex his

ver-

verbis Canonis 2. *Omnimodis adorationem venuentes contempſerunt, atque damnaverunt:* tùm quia (ut ex libris Carolinis, Hincmaro, Adone, Anaſtaſio, & aliis, atque ex Conventu Pariſienſi ſub Ludovico Pio an. 824. convocato conſtat) Franci tunc temporis omnem cultum ſacris imaginibus recuſârunt, quamvis eas in Templis retinerent, & crucem ac Evangeliorum librum venerarentur, in quo ſibi non conſtabant, nam crux depicta vel ſculpta, aut argentea nil aliud eſt, quàm imago veræ crucis.

Erraverunt etiam errore facti circa Synodum VII. putando eam declaraſſe cultum Latriæ abſolutæ, quæ ſoli Deo debetur, exhibendum eſſe imaginibus, ut patet ex verbis Canonis 2. ſuprà relatis. Hoc autem de Synodo Nicæna exiſtimaſſe videntur, eò quòd in Actis illius Synodi confeſſio Conſtantini Cypri Epiſcopi, quæ Act. 3. habetur, perversè de Græco ſermone in Latinum tranſlata fuiſſet; ſic enim in libro 3tio. Carolino c. 17. exprimebatur Latinè: *Suſcipio & amplector bonorabiliter Sanctas & venerandas imagines ſecundùm ſervitium adorationis, quod Trinitati emitto:* cùm tamen in textu originali habeatur: *adorationem verò, quæ ſit ſecundùm latriam, ſoli Trinitati emitto.* Certè Patres Francofordienſes hìc culpâ non vacaſſe aſſerit Mabillonius noſter (c), quòd Synodum VII. criminarentur, quaſi parem Sanctorum imaginibus ac Deificæ Trinitati cultum præſcripſiſſet: item quòd cultum ſanctis imaginibus per humi abjectiones, oſcula, & thus exhibitum damnarent, illum autem probarent, quoad Crucem, Evangeliorum librum, & Reliquias. Imò imaginum cultum prorsùs abjicere viderentur, eòquòd, proùt habent Carolini libri, id neque in veteri, neque in novo Teſtamento præcipi affirmarent.

In hoc tamen excuſari poſſe videntur, quòd tùm ipſi tùm Franci Præſules tunc temporis Concilium Nicænum II. pro generali & ab Adriano I. Papa approbatum non habuerint. Hujus fidem facere videtur, quòd ſæpe dictô Can. 2. nullam Papæ Adriani mentionem faciant, ſed ſolam, ut loquuntur, Græcorum Synodum perſtringant; fortè crediderunt, Adrianum Papam, antequam hanc Synodum VII. confirmaret, illius Acta ad ipſos tranſmiſiſſe, ut ea examinarent, &c.

Certè Adrianus ipſe Libris Carolinis, quibus hæc Nicæna Synodus oppugnatur, ita reſpondit, ut Oecumenici Concilii auctoritatem nomenque illis nuſquam objiciat.

Sed tandem illam Synodum Franci Præſules circa finem noni Sæculi receperunt, & Religioſum cultum imaginibus detulerunt. Priùs tamen imagines etiam in Templis retinuerant ad piam ſcilicet memoriam prototyporum, & rudiorum inſtructionem. Unde damnabant Iconoclaſtas, qui imagines frangebant, & deſtruebant. Horum porrò francigenarum Præſulum errorem, quem ignorantiâ & aliquatenus bona fide contraxerant, tolerarunt Summi Pontifices, ad vitandum ſcilicet majus malum, hac prudenti circumſpectione prævidentes fore, ut, ſi urgeretur Synodi VII. auctoritas, ex Francorum univerſæ Chriſtianitati tùm dominantium pertinacia, Chriſti Eccleſia conſciſſione fœdiſſima & immedicabili laceraretur; & præſertim cùm non extet præceptum divinum affirmativum pro unoquoque Chriſtiano de colendis

(c) *Præfat. ad 1. part. Sæculi IV. Benedictini.*

lendis imaginibus, ſed duntaxat negativum, quod ſemper pro omni tempore obligat: quovis enim tempore malum & illicitum eſt Sanctorum imagines ſpernere, irridere, delere, frangere, contumeliis afficere; à quibus omnibus ſemper abhorruêre Franci.

69 Ob. 8vo. Saltem Imaginum cultus, qualis à Catholicis adhibetur eſt illicitus: nam ipſi imagines colunt, ut Deos, thus enim illis adolent, & luminaria coram illis accendunt.

Reſp. neg. ant. & ejus probationem. Nam thus adolere, & lumen accendere non ſunt ſigna per ſe vel ex uſu ad latriam determinata, ſicut eſt ſacrificium; ſed ſunt de ſe ad latriam & duliam indifferentia, & determinantur per intentionem illius, qui hæc ſigna adhibet, perinde ac genuflexio, corporis inclinatio, quæ etiam ad adorationem civilem & politicam pertinent. Cultus enim latriæ conſiſtit in ſumma ſubmiſſione erga Deum, propter infinitam ejus excellentiam, aliquô ſignô exhibita. Hinc ſi ſignum per ſe vel ex uſu non ſit determinatum ad ſupremam ſubmiſſionem teſtificandam, adhiberi poteſt ad proteſtandam ſubmiſſionem inferiorem ob excellentiam aliquam creatam.

Dices. Catholici afficiuntur magis erga aliquas imagines; nonniſi, quia putant iis ineſſe aliquam virtutem. Ergo.

Reſp. neg. ant. Catholici quidem aliquas imagines ſæpiùs honorant, quàm alias, quia Deus ac Sancti variis beneficiis & miraculis ſignificant, ſe velle ſpecialiter in quibusdam imaginibus & locis honorari. At non magis intenſivè colitur aliqua imago ejusdem Sancti quàm alia.

70 Ob. 9no. Imagines ſunt idola. Ergo qui eas colunt, ſunt idololatræ.

Reſp. neg. ant. Nam idolum eſt falſi numinis imago, ſive id, quod cùm Deus non ſit, colitur tamen ut Deus. Fideles autem inſtructi non adorant imagines ut Deum; nihilque colunt tanquam Deum, niſi unum & verum ipſum Deum perſonis trinum. Immeritò ergo velut Idololatræ traducuntur.

Ob. 10mo. Quidquid per ſuum, quem Imaginibus exhibent, cultum intelligant Catholici; ſaltem Eccleſia non debuit tanquam de fide definire eas eſſe retinendas & venerandas; illud enim fide divina credi non poteſt, quod Deus non revelavit. Atqui Deus non revelavit imagines eſſe retinendas & venerandas, cùm ex dictis illud ſit meræ diſciplinæ, nihilque Chriſtus de imaginibus præſcripſerit, & quæcunque de iis habentur in veteri Teſtamento Chriſtianos non ſpectent. Ergo. 71

Reſp. Diſt. primam propoſitionem. Eccleſia non debuit definire tanquam ex fide credendum quoad uſum & factum, hoc eſt, actu & de facto Imagines proponendas eſſe venerationi fidelium, conc. Quoad jus exponendi ipſas Imagines quando & ubi judicaverit, neg. Duplex fieri poteſt quæſtio circa Sanctorum imagines. 1ma. quæ eſt in materia fidei, utrum legi divinæ repugnet pingere & venerari Sanctorum Imagines. Cùm autem hac de re eſſet controverſia Catholicos inter & Heterodoxos, Eccleſia illam diremit, & pro ſuo jure definivit credendum fide divina, non repugnare legi divinæ pingere & venerari Sanctorum imagines, ipſius enim eſt interpretari legem divinam fidelesque docere, quid per illam liceat, quidve interdicatur. Altera verò quæſtio, utrum, ſpectatis omnibus circumſtantiis, expediat Sanctorum Imagines in Templis venerationi fidelium exponere, pertinet ad diſciplinam duntaxat. Unde

Digitized by Google

Ad confirmationem , conceſſâ maj. diſt. min. Deus non revelavit Imagines eſſe retinendas & venerandas , poſitivè præcipiendo illas retineri , & in Templis collocari, conc. Non revelavit fas eſſe eas retinere & in Templis collocare , ſubdiſt. non revelavit ſpeciatim , conc. generatim , quatenus revelavit Legem veterem , cujus erat præceptum illud Exod. 20. v. 4. *Non facies tibi..... omnem ſimilitudinem* , promulgatô Evangeliô non obligare , neg. min. Sic generatim revelavit, Chriſtianos jam non teneri abſtinere à ſuffocato & ſanguine, legemque hac de re ab Apoſtolis ſancitam Act. 15. non eſſe inter præcepta divina numerandam , quibus nunquam derogari licet. Expoſitis verò Imaginibus SS. Trinitatis , item Chriſti & Sanctorum venerationem deberi manifeſtè colligitur ex Scriptura , in qua frequenter præcipitur reverentia erga res Deo dicatas , & ad Religionem pertinentes.

Igitur ex hactenus hoc toto paragrapho deductis conſtat, quòd tam Crux Chriſti , quàm ejus effigies , Sanctorum Reliquiæ & Imagines piè , licitè ac religiosè à nobis colantur , non quidem adoratione & cultu abſoluto, qui videlicet in ipſa Cruce, Sanctorum reliquiis, & Imaginibus unicè ſiſtat , ſed relativo duntaxat , qui nempe ad eorum prototypa referatur , & quorum ratione à nobis colantur.

FINIS.

Als

Als nach GOttes ohnerforſchlichem Rath und Heil. Willen
Der Weiland

Durchlauchtigſte Fürſt und Herr, Herr

FRIDRICH LUDWIG,

Hertzog zu Würtemberg und Tekh, Graf zu Mömpelgardt und
Herr zu Heydenheim, &c. des Löbl. Schvväbiſchen Crayſes *General-*
Feld-*Marechal-Lieutenant* und Obriſter über ein Regiment zu Pferd, &c. &c.
Unſer Gnädigſter Erb-Printz und Herr,

Des Durchlauchtigſten Fürſten und Herrn, Herrn

EBERHARD LUDWIGS,

Hertzogen zu Würtemberg und Tekh, Grafen zu Mömpelgardt, Herrn
zu Heydenheim, &c. der Röm. Kayſerl. Majeſtät, des Heil Röm. Reichs, wie
auch des Löbl. Schvväbiſchen Crayſes *General*-Feld-*Marechaln*, und Obriſten über ein
Kayſerl. *Dragoner*-und Schvväbiſch Crayſs-Regiment zu Fuſs, &c. &c.
Unſers Gnädigſten Fürſten und Herrn,

Wie auch

Der Durchlauchtigſten Fürſtin und Frauen, Frauen

JOHANNA ELISABETHA,

Hertzogin zu Würtemberg und Tekh, Gräfin zu Mömpelgardt, &c. &c. Gebohrner Marggräfin zu Baaden und Hochberg, Land-Gräfin zu Sauſenberg, &c. &c.
Unſerer Gnädigſten Fürſtin und Frauen,
Einiger Hertzgeliebteſter Herr Sohn und Erb-Printz,

Und Ihro Hoheit

Der Durchlauchtigſten Fürſtin und Frauen, Frauen

HENRIETTA MARIA,

Hertzogin zu Würtemberg und Tekh, Gräfin zu Mömpelgardt &c. &c.
Gebohrner Marggräfin zu Brandenburg, Prinzeſsin in Preuſſen, &c. &c.
Unſerer auch Gnädigſten Fürſtin und Frauen
theuerſt-und innigſt-geliebteſter Herr Eh-Gemahl,
Nach überſtandener beſchwerlicher Krankheit zu des geſamten *Hoch Fürſtl. Hauſes*
ohnbeſchreiblicher Betrübniſs, und des gantzen Landes unverſchmertzlichem Verluſt
Den 23. Nov. 1731. Nachts nach 9. Uhr
Durch frühzeitigen Tode in dem 33ſten Jahr Seines *Hoch-Fürſtl. Alters* in die evvige Herrlichkeit übergangen,
Wurde bey der auff der Univerſität zu Tübingen
Zu ſchuldigſter Bezeugung innigſter Empfindung und unſterblicher unterthänigſter *Devotion* von des
Weil. *Durchlauchtigſten Erb-Printzens* ehmahligen Praeceptorn und jetzigen Cantzlern
D. Christoph Matthæus Pfaff,
In dem gröſſeſten Lehr-Saal der Univerſitaet vor einer höchſt-betrübten Verſammlung am Tage der
Beyſetzung in die *Hochfürſtl Grufft*, abgehaltenen Parentation nachſtehende Ode in
dreyen Abſätzen bey ſtillem Traur-Klang abgeſungen.

Digitized by Google

Digitized by Google

I.

Ehe die TRAUR-REDE ihren Anfang genommen, wurde geſungen:

1.

WEinet Väter, weinet Söhne,
Traur-bewölktes Tek-Athene,
Weine! weine, wer nur kan!
Weil uns Worte müſſen fehlen
Unſern Kummer zu erzehlen:
Fanget nur mit Weinen an.

2.

Weinet: HELDEN *Hertzen bluten;*
FÜRSTEN *Augen ſtrömen Fluthen*
Bittrer Trähnen-Perlen aus.
Unſers GROSSEN HERTZOGS ERBEN,
FRIDRICH LUDWIGS, *frühes Sterben*
Macht das Land zum Trauer-Hauſs.

3.

FRIDRICH LUDWIG, *unſre Wonne,*
Sonne von des FÜRSTEN *Sonne,*
GROSSER ELTERN EIN'GER SOHN;
FRIDRICH LUDWIG, *Deſſen Gaben*
KÖNIGE *bewundert haben;*
Ehmals unſ'rer Schule Cron;

4.

FRIDRICH LUDWIG, *ach! wir können*
Dieſe Nahmen nicht ſatt nennen!
FRIDRICH LUDWIG *ligt entſeelt:*
Seiner MAMMA *Hertzens Freude,*
HENRIETTENS *Augen-Weyde,*
Und LOUYSENS PAPA *fehlt.*

5.

Darum weinet, weinet alle!
Felſen zittern von dem Falle,
Selbſt das FÜRSTEN-HAUSE *bebt.*
Aller Hertzen ſind gerühret,
Da das Schikſaal nun entführet,
Was die Hoffnung noch belebt.

II.

Nach der mit geſammter Zuhörer innigſter Bevvegung geendigten VOR-REDE wurde fort geſungen:

6.

WEinet Väter! weinet Söhne!
Miſchet tiefſter Traur Gethöne
Mit geſamten Landes Klag.
Laſſet Thränen davon zeugen,
Was der Kummer heiſst verſchweigen:
Weil mans nicht begreiffen mag.

Digitized by Google

7.

Weinet, trauret, klaget, Väter!
Aber ſeyd auch rechte Bether,
Schüttet Wünſch' und Flehen aus:
Betbet für des Landes Beſte,
Für den FÜRSTEN *, ſo das gröſte,*
Für das gantze FÜRSTEN-HAUS.

8.

Betbet: daſs GOtt unterſtütze,
Tröſt, erquike, ſeegne, ſchütze,
Derer Hertzen ſtirbt ein Theil:
Betbet für ELISABETHEN,
Betbet auch für HENRIETTEN,
Betbet für LOUYSENS *Heyl.*

9.

Betbet für des Landes Ehre;
Betbet, daſs es GOtt erhöre,
Eh uns ſchwerer Unglük trifft.
Betbet, daſs GOtt gnädig werde;
Betbet für ſein Feur und Heerde,
Die Er unter uns geſtifft.

10.

Laſst uns aber unterdeſſen
FRIDRICH LUDWIGS *nicht vergeſſen.*
FRIDRICH LUDWIGS *Tod betrübt;*
Was ſoll wieder Freude ſchenken?
Wo nicht Deſſen Angedenken
Selbſten Troſt und Leben gibt.

11.

Unſern Kummer ſoll denn mildern,
FRIDRICH LUDWIGS BILD *zu ſchildern*
Das nun ſoll für Augen ſteh'n:
Seinem HOHEN HELDEN *Stammen,*
Seines groſſen Geiſtes Flammen,
Ehrerbietigſt nachzuſeh'n.

III.

Endlich vvurde nach der gantzen REDE geſchloſſen:

12.

SO genieſſe Deiner Freuden,
Die der Himmel Dir beſcheiden,
FRIDRICH LUDWIG, FÜRSTEN-SOHN.
Hertzogthümer ſind zu wenig
Für Dich: Darumb gibt der König
Aller Fürſten Dir die Cron.

13.

Deiner Ahnen ENGEL-ORDEN,
So Dir für den ADLER *worden,*
Setzt Dich über Thron und Stern.
Du erfahreſt nun die Proben,
Daſs nur das, als gut, zu loben,
Was man hat bey GOtt dem HErrn.

14.

Freu Dich denn, nach ſo viel Schmertzen;
Ruh' in Deiner Knechte Hertzen:
WÜRTEMBERG *vergiſst Dein nicht.*
Denk auch Du bey GOtt der DEINEN,
Die ſo tieff gebeugt nun weinen,
Hindre manches Zorn-Gericht.

15.

GOtt der Götter, Geiſt der Geiſter,
Aller Dinge Rath und Meiſter,
Du im Licht verborgnes Drey
Laſs', ach! laſs' uns Gnade finden:
Gib, daſs für des Landes Sünden
Nun der Straffen Ende ſey.

16.

Schöpffer! der Du, was wir ſehen,
Gar aus nichts haſt laſſen geben,
Hilff, wo Rath und Hülffe fehlt.
Sonderlich laſs' uns erfahren,
Daſs von FRIDRICH LUDWIGS *Jahren*
EBERHARDTEN *zugezehlt.*

17.

HERR der groſſen Cherubinen!
Heiſſe STAMM *und* WURTZEL *grünen,*
Da der ZWEIGE *Hoffnung fällt:*
Heiſſe UNSRER PRINTZEN *Nahmen,*
Heiſſe den ERLAUCHTEN SAAMEN
Grünen, an das End der Welt.

TO-

TOMI SECUNDI
TRACTATUS
QUARTUS
DE
GRATIA CHRISTI.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX

Titulorum Tractatûs Quarti Tomi Secundi Theologiæ Univerſalis, de Gratia Chriſti.

Præloquium - - *Num.* 1.

Cap. I. De varia acceptione & diviſione Gratiæ. - 2.

Cap. II. Referuntur præcipui errores circa Gratiam Chriſti. - - 4.

§. I. *De antiquioribus Gratiæ Chriſti hoſtibus.* - - - 5.

§. II. *De Pelagianis.* - - 6.

§. III. *De Semipelagianis.* - 7.

§. IV. *De Prædeſtinatianis.* - 8.

§. V. *De Wiclefo ejusque Sectatoribus.* - - 9.

§. VI. *De Luthero & Calvino, necnon eorum Sectatoribus.* - - - 10.

§. VII. *De Michaele Bajo.* - 15.

§. VIII. *De Janſenio Yprenſi Epiſcopo.* - - 16.

Cap. III. De diverſis naturæ ſtatibus in ordine ad Gratiam. - 18.

§. I. *De ſtatu naturæ innocentis.* - - - 21.

§. II. *De ſtatu naturæ puræ.* 40.

Cap. IV. De Gratia habituali. - - 51.

§. I. *De nomine, eſſentia, & exiſtentia Gratiæ habitualis.* - - - 52.

§. II. *De Juſtificatione* - 79.

§. III. *De Merito Juſti.* - 105.

Cap. V. De Gratia actuali. 133.

Sect. I. *De Gratia actuali generatim ſumpta.* - 134.

§. I. *Utrum ſine Gratia actuali poſſit quis aliquid conducens ad ſalutem.* - 135

§. II. *Utrum, & quando homo indigeat Gratiâ actuali.* 148.

Sect. II. *De Gratia ſufficiente.* - - 186.

§. I. *Utrum in ſtatu naturæ lapſæ detur Gratia ſufficiens.* - - - 187.

§. II. *An Juſtis omnibus detur Gratia ſufficiens.* - 199.

§. III. *Utrum Fideles peccatores etiam obdurati & excæcati habeant Gratiam ſufficientem ad converſionem.* - - - 211.

§. IV. *Utrum Infidelibus omnibus detur Gratia ſufficiens ad ſalutem.* - 214.

Sect. III. *De Gratia efficaci.* - 230.

§. I. *Referuntur ac refellantur Acatholicorum opiniones circa eſſentiam Gratiæ efficacis.* - - - 231.

§. II. *De variis circa Gratiæ efficacis naturam Catholicorum Theologorum ſyſtematibus* - - 246

Syſtema Thomiſtarum. - 247.

Syſtema Auguſtinianorum. 249.

Syſtema Molinæ. - - 251.

Syſtema Congruiſtarum. 253.

Syſtema Thomaſſini. - 254.

Syſtema Turnelii. - - 255.

Opinio noſtra. - - - 256.

TOMI

Digitized by Google

TOMI SECUNDI
THEOLOGIÆ UNIVERSALIS
TRACTATUS QUARTUS
DE
GRATIA CHRISTI.

Præloquium.

1 EXpenſô pro viribus noſtris auguſtiſſimô Incarnationis Dominicæ Myſteriô, Studii noſtri Theologici ratio & ordo poſtulat, ut de Gratia Chriſti diſſeramus. Enimverò Incarnatio ſe habet ad gratiam, ſicut cauſa ad effectum, fons ad rivum: namque, ex dictis priori Tractatu, Filius Dei, incarnatus, factus eſt nobis juſtitia & ſapientia, quatenus nobis promeritus eſt omnia gratiarum genera, quas tanquam vivificum Eccleſiæ Caput eam, quæ eſt corpus ejus, continuò influit. Ergo poſtquam præcedenti Tractatu ea, quæ Incarnationem ſpectant, expendimus, modò nobis exponendi veniunt fructus ejus, id eſt, quàm pretioſa, quàm magnifica, quamque neceſſaria ſint gratiarum dona, quæ ex illo Myſterio emanant, demonſtrandum.

Arduum profectò ac plenum ſcopulis aggredimur diſputationis argumentum, tot ſummorum ingeniorum naufragiô famoſum, ut propiùs accedentibus timorem incutiat. Suavitate quidem ſua mortalium animos Gratia demulcet; at circumfuſa terret obſcuritate: blanditur officiis, ſed pungit aculeis. Si beneficam Gratiæ indolem, ſi derivata in nos ipſius innumera commoda ſpectaverimus, nihil ad cognoſcendum Gratiâ ſalubrius, jucundius nihil. Eſt illa cœleſtis auræ particula, qua benignè afflati, ac divinæ naturæ participes facti, Dei Filii nominamur & ſumus. Eſt fons aquæ vivæ, ſalientis in vitam æternam. Si verò Gratiæ vim internam, ſi operandi modum, ſi menſuram diſtributionis, vel cum humana libertate concordiam inſpicere propiùs, ac

ac rimari tentaverimus, quàm tenebroſa, quàm humanæ menti impervia, & inacceſſa divinorum arcanorum Majeſtàs! Hinc S. Auguſtinus ſtrenuus ille Gratiæ Chriſti vindex, *Quæſtio iſta*, inquit (*a*), *ubi de arbitrio voluntatis, & Dei Gratia diſputatur, ita eſt ad diſcernendum difficilis, ut, quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.*

Creſcit ac mirè implicatur hujus diſputationis obſcuritas non ſolùm ex variis & extremè contrariis Hæreticorum erroribus, ſed etiam ex concertationibus inter Catholicos ſubortis. Omnes quidem mediâ & Regiâ viâ incedere nituntur; quia tamen illam arctam & anguſtam Hæretici reddiderunt, vix poſſunt iter peragere, quin ad dexteram vel ſiniſtram declinare videantur; maximè verò cùm nonnulli, quod minimè nobis probatur, privata ſua ſenſa velut totidem Fidei decreta liberiùs obtrudendo, ſe ſe mutuâ cenſurâ miſerè diſcerpunt ac dilacerant.

Quantùm dogma fidei ſpectat, viro Catholico ſatis eſt, ſi agnoſcat ac fateatur 1mo. Summè potentem eſſe vim Gratiæ cœleſtis ad inclinanda, quô Deus voluerit, hominum corda. 2do. Vim illam ſeu virtutem Gratiæ à Deo auctore & parente eſſe. 3tio. Sub ea dominatrice liberam ſemper remanere hominis voluntatem, ut ipſi obſequatur vel reſiſtat. 4to. Humanam voluntatem divinâ Gratiâ excitatam & adjutam activè concurrere ad opus bonum. 5to. Denique, indiviſam eſſe, non partitam, Gratiæ & Libertatis, quoad opus bonum, actionem.

Quantùm verò ad Scholæ circa eamdem Gratiam opiniones, quæ ſalva Fidei veritate ac majeſtate hinc inde à Theologis propugnantur, facilè eas quilibet Catholicus ignorare vel negligere poteſt, cùm ad propugnandum Fidei dogma quidquam certi non conferant.

Certè ut ut ii Scholæ Theologi, qui illas tuentur, eiſdem perſpicuitatem aliquam adſpergere conentur, ſemper tamen aliquid reconditum, & ab omni cognitione noſtra remotum relinquunt.

Nos igitur, quamvis eas non omninò contemnamus, ſed, quantùm poſſunt, valere jubeamus; utpotè quæ ad ingeniorum exercitium, & Fidei elucidationem utcumque conferre videantur; illis tamen hîc longiùs immorari haud eſt animus. Ad Fidei dogma, quod Eccleſiæ judiciô ac ſententiâ definitum eſt, præcipuè intenti, eas ſingillatim retuliſſe, & velut enumeraſſe duntaxat ſufficere arbitramur.

Totam porro de Gratia Chriſti materiam quinque Capitibus concludemus. In 1mo. De varia acceptione & diviſione Gratiæ diſſeremus. In 2do. Præcipuos contra Gratiam errores referemus. In 3tio. De diverſis naturæ ſtatibus agemus. In 4to. De Gratia habituali. In 5to. Denique, De Gratia actuali diſſeremus.

(*a*) Lib. de Gratia Chriſti c. 47. n. 52.

Caput

2 C A P U T P R I M U M.

De varia acceptione & diviſione Gratiæ.

GRatia inde nomen accepit, quòd gratis detur. Generatim ergo hîc definitur *bonum à Dei gratis datum*, unde opponitur debito juxta illud ad Rom. 4. v. 4. *Ei autem qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.* Et ad Rom. 11. v. 6. *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non eſt gratia.*

Gratiæ nomen in Scriptura tribus modis accipitur, 1mo latè, nimirum pro eo omni, quòd gratis datur, ſeu abſque debito ex parte conferentis, & meritô ex parte recipientis, ſive ſit naturale, ut creatio, conſervatio, providentia generalis; ſive ſupernaturale, ut ſunt ea dona quæ naturæ ordinem, vires & exigentiam ſuperant. 2do. Strictè, nempe pro beneficiis ſupernaturalibus creaturæ rationali collatis, ſive ſint ex meritis Chriſti, ſive non. Ea ratione auxilia, quæ Deus Angelis & Adamo innocenti in ordine ad ſalutem contulit, gratiæ nomen ſibi vindicant. 3tio. Sumitur ſtrictiſſimè, ſcilicet pro beneficiis ſupernaturalibus, quæ homini indigno & peccatori ex Chriſti merito conferuntur: Unde & *gratia Chriſti* appellatur, atque definiri poteſt, *Donum Dei gratuitum ſupernaturale homini lapſo conceſſum per merita Chriſti Domini in ordine ad vitam æternam.*

Dicitur 1mo. *Donum gratuitum*, ut oſtendatur non rependi præcedentibus operibus; ſed gratis dari; alioqui Gratia jam non eſſet Gratia, Rom. 11. v. 6.

Dicitur 2do. *Supernaturale*, ut diſtinguatur à donis naturalibus, qualis eſt creatio, conſervatio, ſanitas corporis &c. &c.

Dicitur 3tio. *Homini lapſo conceſſum*, ut oſtendatur hanc gratiam eſſe maximè gratuitam; ſiquidem donum, quod indulgetur inimico, magis gratuitum eſt, quàm quod tribuitur non inimico, ut notat Apoſtolus Rom. 5. v. 8. his verbis: *Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus. . . . reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus.*

Dicitur 4to. *Meritis Chriſti*, ut diſtinguatur gratia hujus ſtatûs à gratia Angelorum, & ſtatûs innocentiæ, quæ in noſtra ſententia independenter à meritis Chriſti fuit conceſſa: homini autem lapſo Deus *benedixit in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto*, Epheſ. 1. v. 3.

Dicitur 5to. *In ordine ad vitam æternam*, quia Gratia eſt ſemen gloriæ, quatenus hominem ad illam elevat, movet ac diſponit. Hinc Joan. 4. v. 14. *fons aquæ ſalientis in vitam æternam*, dicitur.

De hac gratia Chriſti ſic definita 3
acturi ſumus in præſenti Tractatu; quæ dividitur 1mo. In *creatam* & *increatam*. Gratia *creata* ſunt beneficia vocationis & juſtificationis &c. *Increata* eſt bona voluntas divina, prædeſtinatio, Unigenitus Dei filius, &c. 2do. In *temporalem* & *æternam*. Gratia *temporalis* eſt beneficium gratuitum in tempore collatum. Gratia *æterna* eſt ea, quæ extitit ab æterno, ut prædeſtinatio ad Gratiam & ad gloriam, prædefinitio operum ſalutarium &c. 3tio. In *internam* & *externam*. Gratia *interna* eſt ea, quæ in nobis eſt, ut illuſtratio mentis, pia motio voluntatis, habitus ſupernaturales, &c. Gratia *externa* eſt ea, quæ extra nos eſt, ut

Digitized by Google

ut doctrina Chriſti, exempla virtutum, piæ exhortationes, & alia, quibus, adjuncta Gratia interiore, excitamur & adjuvamur ad malum fugiendum, vel bonum agendum. 4to. In Gratiam *gratis datam*, & Gratiam *gratum facientem.* Gratia *gratis data* eſt ea, quæ ad aliorum ſalutem præcipuè datur. Ejusmodi gratias novem numerat Apoſtolus 1. ad Cor. c. 12. nimirùm ſapientiam, ſcientiam, fidem, genera linguarum, interpretationem ſermonum, gratiam ſanitatum, operationem virtutum, prophetiam, & diſcretionem ſpirituum. Alias etiam recenſet, Rom. 12. Dicitur autem *Gratia gratis data*, non quòd ipſa ſola, & non etiam *Gratia gratum faciens*, gratis detur; ſed quia, cùm proprio & ſpecifico nomine careat, ei nomen genericum tribuitur, omni gratiæ conveniens. Gratia *gratum faciens* eſt ea, quæ ad propriam recipientis ſalutem præcipuè datur, atque eò tendit, ut quis Deo perfectè ſerviat, eique totaliter adhæreat, quod ipſi eſt longè gratiſſimum.

Duplex eſt, *habitualis* nempe, & *actualis.* Prior, quæ etiam *ſanctificans* nuncupatur, eſt gratia animæ permanenter inhærens per modum habitûs, qua nempe homo conſtituitur permanenter juſtus ſeu ſanctus, Dei amicus & filius adoptivus, atque ita ad vitam æternam diſponitur. *Actualis* verò eſt auxilium internum, ſupernaturale, tranſiens, quo Deus creaturam intellectualem illuſtrat, excitat, & adjuvat ad eliciendos actus ſalutares. Eſt ergò illuſtratio ſeu cogitatio ſupernaturalis in intellectu, & pia affectio ſimiliter ſupernaturalis in voluntate.

Subdividitur itaque in *excitantem*, *adjuvantem*, & *ſubſequentem.* Gratia *excitans*, quæ etiam *præveniens*, *præparans*, *operans*, *præoperans*, & *vocatio* appellatur, eſt ſupernaturalis à Deo immiſſa ſancta cogitatio, & indeliberata voluntatis motio ſeu affectio, qua homo ad bonum & malum cognoſcendum, illudque agendum, hoc verò fugiendum excitatur. Dicitur *excitans*, & *vocatio*; quia hominem non cogitantem & quaſi ſopitum vocat, excitat ad bonum ſalutare, illuſtrando mentem, & movendo ac pulſando voluntatem. *Præveniens*, *præparans*, *præoperans*; quia prævenit, præparat ſalutarem libertatis uſum: *operans* verò, quia Deus per illam operatur in homine ſolus, hoc eſt, ſine libera hominis operatione, quam ſcilicet prævenit ac præparat per hanc gratiam (*b*).

Gratia *adjuvans*, quæ etiam *cooperans*, & *concomitans* dicitur, eſt ſupernaturale auxilium, ſeu actualis Dei influxus, quo roborata voluntas liberè conſentit gratiæ excitanti.

Gratia *ſubſequens* eſt ſupernaturale Dei auxilium, quo firmatur voluntas in bono propoſito, & adjuvatur, ut illud ad executionem perducat. Deus v. 9. inſpiravit affectum jejunandi; en gratia præveniens & excitans, ſeu operans: voluntas liberè conſentit inſpirationi divinæ, & jejunare proponit; en gratia adjuvans & cooperans, ſeu concomitans. Sed uberiori indiget auxilio, ut

(*b*) Gratia excitans movet & corroborat non ſolùm moraliter, per illuſtrationem incitando, ſuadendo, exhortando, virtutis pulchritudinem & vitii turpitudinem oſtendendo, & ſuppliciorum acerbitatem proponendo: ſed etiam phyſicè per inſpirationem, ſeu indeliberatam voluntatis motionem, qua voluntas phyſicè movetur & inclinatur ad boni amorem, deſiderium, proſecutionem, vel ad mali fugam, & quâ motus concupiſcentiæ vel extinguitur, vel minuitur, vel ejus vis eliditur aut retardatur, relinquendo tamen voluntati liberam ſui actûs determinationem.

Digitized by Google

ut actu & de facto jejunet; quia in executione major occurrit difficultas, quam ſi homo ſuperaverit, tunc erit *gratia ſubſequens*.

Denique Gratia *excitans* ſubdividitur in *ſufficientem* & *efficacem*. Gratia *ſufficiens* eſt ea, quæ poteſt habere, ſed non habet effectum, ad quem datur, idque ex ſola culpa voluntatis nolentis ei conſentire. Dicitur *ſufficiens*, non quòd Gratia efficax non ſit etiam verè ſufficiens, ſed quia cùm proprio ac ſpecifico nomine careat, commune utrique diviſionis membro nomen accepit. Subintelligitur autem vox *merè*: nam re vera eſt merè ſufficiens. Gratia efficax verò eſt verè ſufficiens & inſuper efficax, utpotè quæ non ſolùm poteſt habere, ſed etiam certò & infallibiliter habitura eſt effectum, ſi detur.

4 CAPUT II.

Referuntur præcipui errores circa Gratiam Chriſti.

EXpoſitis variis Gratiæ Chriſti diviſionibus, ejusque definitione, præſtat, ut antequam ulteriùs progrediamur, præcipuos, qui variis temporibus circa eam ſuborti ſunt erorres recenſeamus; quod ſingulis paragraphis exequimur.

§. I.

5 *De antiquioribus Gratiæ Chriſti Hoſtibus.*

Primò, Judæi præſumentes de ſua juſtitia, quæ in lege eſt, rejecerunt Gratiam Chriſti tanquam inutilem. Contra hunc capitalem errorem acriter pugnârunt Apoſtoli, maximè S. Paulus in epiſtola ad Romanos, & ad Galatas.

Secundò, Origenes ex falſo principio, quod à Platonicis hauſerat, nempe animas fuiſſe creatas ante unionem cum corporibus; prædeſtinationem quorumdam referebat non ad Chriſti merita, ſed ad bona opera, quæ præceſſerant animarum unionem. Hinc S. Hieronymus Epiſt ad Cheſiphontem errorem Pelagii vocat ramuſculum Origenis. Sed Ramuſculus ille in magnam arborem excrevit, quæ ramos ſuos in Oriente & Occidente latè produxit: & ex ejus radice ortæ ſunt variæ hæreſes. Undè Pelagius vulgò cenſetur primus, qui Chriſti gratiam apertè impugnavit.

§. II.

De Pelagianis. 6

Pelagius natione Anglus, vel, ut alii volunt, Scotus, profeſſione Monachus, annô 403. ſecundùm S. Proſperum, vel 405. ſecundùm alios docuit inter cætera, 1mo. Adamum fuiſſe conditum mortalem, & lapſu ſuo poſteris ſuis nocuiſſe, non propagatione, ſed malô duntaxat exemplô, adeoque non dari peccatum Originale, nec proinde infantes, qui ſine baptiſmo ex hac vita decedunt, privari vitâ æternâ. 2do. Gratiam ad ſingulos actus ſalutares non eſſe neceſſariam, & per opera naturalia nos illam promereri. 3tio. Ignorantiam & oblivionem non ſubjacere peccato, quoniam non eveniunt ſecundùm voluntatem, ſed ſecundùm neceſſitatem.

Hi & alii ejus errores proſcripti ſunt primùm in Synodo Carthaginenſi annô 412. in ejus Diſcipulo Cœleſtio, qui, juxta S. Hieronymum in procemio lib. 3. in Ierem. patriâ quoque Scotus & profeſſione Monachus fuit, ſed poſteà in Aſia Presbyter conſecratus. Deinde annô 415. in ipſomet, imò ab ipſomet Pelagio damnati ſunt in Synodo Dioſpolita-

na,

Digitized by Google

na, quam idem S. Hieronymus miſerrimam appellat, quia deluſa eſt ſubdola Pelagii profeſſione, qua confeſſus eſt abſolutam gratiæ neceſſitatem, ſed alio ſenſu, quàm Catholici; nomine enim gratiæ intelligebat creationem, conſervationem, Evangelii prædicationem, &, juxta S. Auguſtinum, interiores etiam mentis illuſtrationes. Cumque ſua impia dogmata diſſeminare pergeret, rursùs damnatus eſt in Conciliis Carthaginenſi & Milevitano, cui adfuit S. Auguſtinus, annô 416. ac denuò annô ſubſequenti in Concilio Carthaginenſi, in quo ſederunt Epiſcopi 214. & à ſummis Pontificibus Innocentio I. & Zoſimo: & ſic per totum orbem hæreſis proſcripta eſt, teſte Auguſtino, lib. de pec. orig. cap. 17. Denique in Epheſino I. annô 431.

Inter Pelagii Diſcipulos celebres extitêre Cœleſtius, ex S. Auguſtino lib. de geſtis Pelagii c. 33. quem S. Hieronymus, epiſt. ad Cteſiphontem totius exercitus ducem facit, ita ut Pelagiani ab ipſo Cœleſtiani dicerentur: Et Julianus Epiſcopus Capuanus, ex Gennadio; vel Celanenſis, aut Celanienſis, ex Beda; præfat. in Cant. vel potiùs Eclanenſis ſub Metropoli Beneventana, ut in Gennadio, Gelaſio, & Beda legendum eſſe cenſent eruditi. Hic damnatæ Pelagianorum cauſæ, mortuô Zoſimô, initiô Pontificatûs Bonifacii patrocinium ea ratione ſuſcepit, ut novæ opinionis auctor potiùs, quàm Pelagianæ jam profligatæ ſectator viſus fuerit, docuitque, hominem ſine gratia poſſe quidem orare, bonum velle, ſed nullatenus operari poſſe, ex S. Auguſtino, lib. 2. ad Bonifacium c. 8. Hinc idem S. Doctor nominatim contra Julianum acuit calamum.

§. III.

De Semipelagianis. 7

Cùm S. Auguſtinus Pelagianos ubique proſcriptos inſectaretur, nonnulli Scriptis ejus commoti ſunt, ac præ cæteris Monachi Adrumetini in Africa, quaſi liberum arbitrium per gratiam deſtrui doceret; ſed libris editis de gratia & libero arbitrio, & de correptione & gratia, quos miſit ad Valentinum in Monaſterio Adrumetino Præfectum, illos facilè placavit.

Longè difficilius fuit compeſcere Monachos Maſſilienſes in Gallia, qui ex poſteriori libro de correptione & gratia ſcandalum paſſi, novum bellum inſtaurârunt eò periculoſius, quòd eſſent viri pietate & doctrina inſig[illegible], teſte S. Proſpero Ep. ad S. Auguſtinum. Hi in articulis præcipuis à Pelagio diſſidebant; nam cum Catholicis confitebantur peccatum originale, & gratiæ neceſſitatem non ſolùm ad benè operandum, ſed etiam ad credendum. Sed audire non poterant 1mo. Voluntates humanas à Deo præveniri. 2do. Perſeverantiam eſſe ſpeciale Dei donum, quod quibusdam juſtis denegatur.

Joannes Caſſianus Maſſilienſium Semipelagianorum facilè princeps dignoſcitur. Is à S. Chryſoſtomo Diaconus olim ordinatus, poſt ejus obitum, qui incidit in annum 407. Maſſilienſis Presbyter factus eſt: qua in urbe extructô Cœnobiô, maximam ſibi tùm pietate tùm eruditione famam comparavit. Collationes Patrum, unde à Proſpero Collator dictus, evulgavit: Collatione 13. Semipelagianos errores diſertè tradit. Obiit cum magna ſanctitatis opinione, undè à S. Gregorio lib. 6. Ep. 12. ſanctus appellatur, & Urbanus V. Caſſiani caput argenteâ thecâ incluſum, hac epigraphe ornari voluit,

Digitized by Google

voluit, *Caput S. Caſſiani.* Denique illius memoria colitur Maſſiliæ 23. Julii.

Fauſtus ex Abbate Lirinenſi factus Epiſcopus Reienſis in Gallia, Semipelagianorum propugnator fuit accerrimus: duos edidit de gratia & lib. arb. libros, in quibus eorum dogmata palam profitetur. Suis tamen non obſtantibus erroribus, ipſo vivente ab Eccleſia nondum damnatis, in Eccleſia (*c*) Regienſi colitur, ejusque nomen ſacris Gallicanæ Eccleſiæ faſtis eſt adſcriptum, ut obſervat Baronius ad annum 490. n. 42.

(*d*) Hilarium Arelatenſem Epiſcopum Semipelagianorum errorum fuligine infectum fuiſſe, teſtatur S. Proſper Ep. ad S. Auguſtinum. Is porro Hilarius alter eſt ab eo, qui cum S. Proſpero ſcripſit ad S. Auguſtinum, hic enim fuit S. Auguſtini diſcipulus, atque profeſſione Laicus duntaxat (*e*).

Gennadium Maſſilienſem Presbyterum Semipelagianis pariter erroribus addictum fuiſſe exinde conſtat, quòd S. Auguſtinum ejusque fideliſſimum Diſcipulum S. Proſperum, velut reos erroris inſectetur; Caſſianum verò & Fauſtum Semipelagianorum Duces ſummis laudibus extollat, lib. de vir. Illuſt. c. 84.

Vincentium quemdam Semipelagianis partibus adhæſiſſe, conſtat ex S. Proſpero lib. cui titulus, *Ad capitula objectionum Vincentianarum reſponſiones.* Quis autem fuerit ille Vincentius controvertitur: Baronius ad annum 431. n. 188. & in Notis ad Martyrologium die 24. Maji, exiſtimat eum diſtinguendum eſſe à Lirinenſi celeberrimi Commonitorii ſcriptore. Cardinalis Noriſius, lib. 2. hiſt. Pelag. c. 11. quem ſequitur Natalis Alexander, & alii nonnulli contendunt, Vincentium illum eſſe ipſiſſimum Lirinenſem, quem Semipelagiana fuligine tinctum fuiſſe cenſent.

Præterquam quod errores Semipelagianorum damnati fuerint in Pelagio, contra illos expreſsè ſcripſerunt S. Auguſtinus, libris de dono perſeverantiæ, & de prædeſtinatione Sanctorum, S. Proſper, S. Leo, & alii bene multi, ac tandem pronuntiavit Concilium Arauſicanum II. annô 529. celebratum ſub Felice IV. & à Bonifacio II. confirmatum editis circa gratiam & liberum arbitrium 25. Canonibus. Atque tunc primùm Semipelagiani velut verè hæretici habiti ſunt; enimverò ante illud tempus ipſos tanquam viros egregios audiiſſe, pietatis, eruditionis, ac ingenii laude conſpicuos, teſtantur SS. Auguſtinus & Proſper. S. Auguſtinus lib. de dono perſever. c. ult. & lib. de prædeſt. SS. c. 1. eos, *fratres ac dilectores ſuos, & Pelagianæ hæreſeos impugnatores* appellat. S. Proſper Ep. ad S. Auguſtin. & lib. cont. collatorem eos vocat, *Catholicos, ſanctos, ſpectandæ auctoritatis viros.*

§. IV.

De Prædeſtinatianis. 8

Dictum eſt hucusque de illis, qui errârunt circa gratiæ naturam, neceſſitatem & gratuitatem; nunc de iis tractandum, qui errârunt circa ipſius agendi modum, nempe *Prædeſtinatianis*, ſeu, ut alii dicunt, *Prædeſtinatis.*

Hi ab impio ſuo dogmate ſic dicti, ex malè intellectis S. Auguſtini Scriptis adversùs Semipelagianos docuerunt, 1mo. Deum prædeſtinare ad damnationē æternam, quæ mors ſecunda; & ad peccatum, quod eſt mors prima. 2do. Liberum arbitrium homi-

(*c*) Aliàs Reienſi. (*d*) Obiit annô 449. (*e*) Vide dicta Tom. 1. Theolog. noſtræ, Tract. 4. De SS. Eccleſiæ Patribus &c. c. 1. §. 2.

hominis poſt peccatum Adami fuiſſe extinctum. 3tio. Deum non ſalvare velle niſi electos. 4to. Chriſtum mortuum eſſe duntaxat pro illorum ſalute, &c.&c.

Hæreſis iſta ad finem vergente ſæculo quinto in Galliis ſuſcitata & propugnata eſt à Lucido quodam Presbytero, Monimo, & aliis nonnullis; prout patet ex Epiſtola Fauſti Rejenſis ad eundem Lucidum, in qua mox recenſita Prædeſtinatianorum dogmata ipſi proponit damnanda, quæ niſi ipſe anathemate confixerit, atque Epiſtolæ ſubſcripſerit, ipſum ad Synodum delaturum comminatur. Extat hæc Fauſti Rejenſis Epiſtola Bib. Patrum Tom. 8. pag. 524. edit. Lugd. Habetur etiam ex libello emendationis ejusdem Lucidi ad Epiſcopos Gallicanos, quo prava ſua dogmata ejurat, ea nempe quæ mox recenſuimus.

Item ex duobus Conciliis Arelatenſi circa annum 475. & Lugdunenſi circa eundem annum, vel, ut alii volunt, circa annum 490. celebratis: in quibus 1mo errores Lucidi fuêre damnati. 2do. Patrum ſuffragiis ac ſubſcriptionibus approbata fuit Fauſti ad Lucidum epiſtola. 3tio. Ipſi Fauſto hos errores confutandi provincia demandata. Ita conſtat ex præfatione Librorum Fauſti ad Leontium Arelatenſem Epiſcopum. Lucidus ipſe etiam meminit Synodi Arelatenſis in ſuo mox citato retractationis libello.

Denique antiqui Scriptores, ut Proſper Tyro in Chronico; Author libri antiquiſſimi, quem primus edidit Sirmondus ſub nomine *Prædeſtinati;* Arnobius Junior, qui vixit quintò Eccleſiæ ſæculô; Ennodius Ticinenſis ejusdem ævi nobilis Scriptor; Hincmarus Ep. ad Nicolaum Papam; Rabanus in Epiſtolis ad Hincmarum; Trithemius, Flodoardus, Sigebertus &c. Omnes loquuntur de Prædeſtinatianis hæreticis, quos quintô ſæculô Eccleſiam infeſtaſſe teſtantur.

Sæculô nonô diu ſopitam Prædeſtinatianorum hæreſim Goteſcalcus in Galliis Carolo Calvo regnante denuò ſuſcitavit. Is nobili apud Saxones ſtirpe oriundus, vitam Monaſticam profeſſus eſt in Orbacenſi Monaſterio Diœceſis Sueſſionenſis. A Rigbordo Rhemenſi Chorepiſcopo Presbyter ordinatus fuit versùs annum 846. idque irregulariter, inſciô nimirùm Rothadô ſuæ civitatis, videlicet Sueſſionenſis, Epiſcopô. Annô 847. Romam profectus eſt, ſancta inviſurus, ut ajebat, loca: deinde pergens in Dalmatiam Pannoniamque, venit tandem apud Longobardos, ibique apud Comitem Eberardum manſit. Hìc de prædeſtinatione ſive ad vitam, ſive ad mortem diſſeruit cum Nottingo Veronenſi Epiſcopo, qui perverſâ Goteſcalci doctrinâ commotus, ad Rabanum Moguntinum Epiſcopum de illa ſcripſit. Contra nefandum dogma librum exaravit Rabanus, quem direxit ad Nottingum, & epiſtolam ad Eberardum, ut Goteſcalcum ſciolum Monachum expelleret. Scriptis Rabani adhæſit Eberardus, atque Goteſcalcum domo ſua diſcedere coëgit. Expulſus itaque Goteſcalcus ex Italia in Germaniam pertranſiens, Moguntiam audacter venit annô 848. profeſſionem ſuam edidit de gemina prædeſtinatione, quam Synodo circa Calendas Octobris ejusdem anni ibidem congregatæ obtulit unacum libello, in quo Rabanum velut Semipelagianum traducebat. Examinatis in Synodo Goteſcalci ſcriptis, ipſe præſens auditus, convictus & damnatus tanquam hæreticus, atque ad Hincmarum Metropolitam ſuum remiſſus eſt, *ut in Monaſterio incluſus jam nullos poſſet pravis ſuis erroribus pervertere fideles.* Hincmarus Rhemorum Præſul acceptô Goteſcalcô, cum Monacho egit, ut eum ad ſaniora reduceret, at fruſtraneo conatu, unde illum ad Concilium Cariſiacum agente Carolo Calvo Francorum Rege annô 849.

Digitized by Google

849. celebratum judicandum adduxit. Goteſcalcus auditus *nihil dignum ratione vel dixit, vel interrogatus reſpondit, ſed ut abreptitius in ſingulorum contumelias prorupit.* Itaque inventus hæreticus, ſicut & in Moguntina Synodo, atque incorrigibilis, honore Presbyterali abjectus eſt, & pro ſua irrevocabili contumacia ſecundùm Agathenſes Canones, & Regulam S. Benedicti virgis cæſus in ergaſtulo Monaſterii Altivillarenſis recluſus eſt. Equidem in carcere recluſus edidit duplicem Fidei ſuæ confeſſionem breviorem unam, prolixiorem alteram; in utraque, breviori præſertim, errorem ſuum obtegere ac diſſimulare conatus eſt, adhibitis quibusdam ambiguis verbis, quæ ſi in ſe ſimpliciter & ad corticem præcisè ſumantur, nihil niſi Catholicum ſonare videntur; attamen illum in erroribus ſuis pertinaciter obiiſſe teſtatur Hincmarus, lib. *De non trina Deitate.* Conſuli poſſunt etiam ea, quæ de Deo part. 1. c. 6. §. 7. concluſ. 1ma. num. 213. Prob. 2dâ. adnotavimus.

§. V.

9 *De Wicleſo ejusque Sectatoribus.*

Wicleſo præluſiſſe Thomam Bradwardinum, multi opinantur, illius patrocinium ſuſcepêre præſertim Joannes Hus & Hieronymus de Praga.

Thomas Bradwardinus, natione Anglus, Profeſſione Monachus Ordinis Minorum, Oxonienſis Doctor cognomine *profundus*, in eadem Univerſitate Profeſſor & Cancellarius, poſthâc Regis Eduardi III. Confeſſarius, ſemel & iterum in Archiepiſcopum Cantuarienſem electus; tandem inauguratus, quadrageſimo poſt inaugurationem die mortuus, floruit decimô quartô ſæculô. Vir erat eruditione ſed ſine critica, ingenio acri, ſed audaci præditus: imaginationis phantasmatibus plurimùm deluſus, *totum penè mundum poſt Pelagium abiiſſe* aſſerebat, quem ut à tam neſando revocaret errore, librum edidit *de cauſa Dei*, quem tamen judicio ſanctæ Sedis Romanæ ſuaque cætera opera ſubjecit.

Wicleſus & ipſe quoque Anglus, Doctor & Profeſſor Oxonienſis, deinde Lutterworthenſis Eccleſiæ Diœceſis Linconienſis Rector; poſthâc Collegii Cantuarienſis Oxonii Præfecturam ſuſcepit; tum errores ſuos diſſeminare cœpit, quibus omnium veterum & rigidiorum Prædeſtinatianorùm impia dogmata renovavit, novisque blasphemiis cumulavit, quos, utpote præſentem materiam ſpectantes, reliquis, quos contra Deum & Chriſtum, contra Eccleſiam variosque illius Ordines ac membra, contra Sacramenta evomuit, prætermiſſis, hîc proſequimur.

Docuit ergo 1mo. Deum prædeſtinare ſingulas creaturas intellectuales ad quemlibet actum ſuum etiam peccaminoſum. 2do. Prædeſtinatione ſua neceſſitatem abſolutam ipſis inferre, ſive ad bonum, ſive ad malum. 3tio. Eas tamen liberas eſſe, tùm quia ſpontaneè agunt, tum quia poſſent non agere ſi vellent, ſed aliter velle non poſſunt. 4to. Sicut prædeſtinatus non poteſt à gratia excidere; ſic præſcium, id eſt, reprobum, non poſſe in illa perſeverare, &c. Hæc & alia errorum portenta docuiſſe Wicleſum conſtat ex variis ejus Scriptis, præſertim verò ex præcipuo ipſius Opere *Trialogo* inſcripto, lib. 1. c. 1. 10. 11. 13. & lib. 3. c. 7. Idem tradunt Thomas Waldenſis, lib. 1. c. 1. & ſeq. Joannes Cochlæus, lib. 3. Hiſt. Huſſit. & Jacobus Benignus Boſſuet Epiſcopus Meldenſis lib. 11. Variation. n. 153.

Quapropter eum à ſua Præfectura tùm Archiepiſcopus Cantuarienſis, tùm Urba-

Urbanus V. quem appellaverat, ejecerunt: hinc odii in Eccleſiam origo. Hæreſi graſſanti obſtitit Romanus Pontifex, & illius juſſu Synodus Londinenſis Wicleſi errores damnavit: ipſe in hoc Concilio palinodiam cantavit, cujus ope ſuam repetiit Eccleſiam, in qua annô 1387. ſupremum diem obiit.

Mortuô Wicleſô, non ideò ſopitus error; ſed utraque Eccleſiaſtica & Civili poteſtate adversùm illius diſcipulos inſurgente, ipſi per Angliam latitârunt, aut ex ea aufugerunt: ex his unus cum Magiſtri libris Bohemos petiit, illisque peſſimum virus propinare cœpit. Tunc temporis florebat Joannes Hus eloquentiâ & moribus compoſitis celebris: primùm errorem impugnavit, verùm paulò poſt miſerrimè deceptus, quos igne cremandos cenſuerat libros, poſteà acriter defendit & explicuit. Cenſuris irretitus ab Archiepiſcopo, ſanctam Sedem appellavit: confirmatâ à Romano Pontifice proprii Prælati ſententiâ, novo atque hactenùs inaudito in Eccleſia circa res Fidei facinore ad Concilium Oecumenicum provocavit, talique innixus appellatione cenſuras & latam interdicti ſententiam ſprevit.

In his temporum circumſtantiis habitum fuit Concilium Conſtantienſe: illud audacter adiit Hus, doctrinam agnovit, eam contendit ſanam, inſtructionem efflagitavit, ut locum diſputationi daret, obſequium nusquam promiſit, nec animum retractationi paratum oſtendit; unde convictus, & pertinax, Judici ſæculari traditus, pertinaciam & errores flammis expiavit.

Eodem prorſus modo vitæ curſum conſummavit Hieronymus de Praga, fidus Joannis Hus diſcipulus: accerſitus quippe à Concilio Conſtantienſi, errores, quos tuebatur, ejuravit primùm, ſed ad vomitum rediens, & in ſecundo lapſu pertinax, igne concrematus obiit.

Utroque Wicleſianæ hæreſeos duce interempto, in varias diſcipuli diviſi ſunt ſectas, donec Lutheranis & Calviniſtis conjuncti fuerint, tùm enim evanuit Wicleſitarum ſeu Huſſitarum Eccleſia.

§. VI.

De Luthero & Calvino ac eorum Se- 10
ctatoribus.

Annô 1483. Islebii in Saxonia plebeis parentibus natus eſt Martinus Lutherus: humanioribus litteris imbutus, Erfordiam ſe contulit, ubi Ordinem Eremitarùm S. Auguſtini profeſſus eſt. Inde Wittembergam translatus, poſt Actus Academicos lauream Doctoralem conſecutus eſt, ac Theologiæ Profeſſor creatus annô 1513. ætatis verò ſuæ 35.

Annô 1517. cùm ab Alberto ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali & Moguntino Archiepiſcopo Dominicanis præ Auguſtinianis provincia demandata fuiſſet promulgandi novas indulgentias, occaſione imminentis Turcarum in Germaniam irruptionis, à Leone X. conceſſas; id ægrè admodùm ferens Lutherus, primùm adversùs indulgentiarum duntaxat abuſum debacchari cœpit; deinde contra ipſarum ſubſtantiam; tùm adversùs juſtificationem, Sacramentotum efficaciam, aliaque plurima fidei dogmata.

Annô 1518. in jus vocatus à Cardinali Cajetano Summi Pontificis in Germania Legato, Auguſtam venit, cumque ipſi in erroribus pertinaci cenſuras minaretur Legatus, ad Pontificem appellavit, clamque ſe Auguſtâ ſubduxit: ac poſteà cùm audiret, proceſſum ſuum Romæ continuandum fore; à Summo Pontifice ad futurum Concilium generale appellavit.

Annô

Digitized by Google

Annô 1519. publicæ per multos dies Lipſiæ habitæ ſunt concertationes Lutherum inter & celeberrimum Ekium, præſente Georgio, Saxoniæ Principe, conſtitutisque ſcribis ex utraque parte, qui dicta exciperent. In his diſputationibus Ekius egregiam de Luthero victoriam reportavit, qui multoties inter diſputandum obmutuit. Hoc ipſo annô Facultates Colonienſis & Lovanienſis, quæ pro Ekii parte judicium tulerant, cenſuram edidère in plura Lutheri dogmata: in hos aliosque ſibi adverſantes Catholicos Doctores, variis editis mordacibus libellis acerrimè inſurrexit Lutherus.

Annô 1520. Ekius Romam perrexit ad Leonem Pontificem; ipſique ſignificavit quanta Eccleſiæ imminerent pericula, ſi graſſantibus in Germania Lutheri erroribus non occurreretur. Quamobrem Pontifex Bullam edidit 17. Calend. Julii (*f*) ejusdem anni, in qua quadraginta & unus ex ejus erroribus reſpectivè damnantur *tanquam reſpectivè hæretici, aut ſcandaloſi, aut falſi, aut piarum aurium offenſivi &c.* Pontificio fulmine percuſſum ſe ſentiens Hæreſiarcha, furore actus, omnique obſervantiâ, quam hactenus erga ſanctam Romanam Sedem (utpote *quam totius orbis Magiſtram, & primatum ac ſuper omnia poteſtatem habere, cui nihil omninò ſive in cælo ſive in terra, præter unum JEſum Chriſtum Dominum omnium præferendum eſſet*, tùm in inſtrumento appellationis ſuæ annô 1518. ad futurum Concilium interjectæ, tùm in litteris ſuis annô 1519. ad Leonem X. exaratis ſolemniter proteſtatus fuerat) gerere viſus fuerat, abjectâ, à Pontifice ut ab Antichriſto provocavit ad Concilium generale; Libros omnes Juris Canonici cum hac Leonis Bulla incendit, libellumque apologeticum evulgavit atrociſſimis calumniis referturn: nec deſtitit poſteà furens variis ſcriptis in Pontificem, Cardinales, Epiſcopos, cæterosque Catholicos Doctores debacchari. Inter hujusmodi ſcripta eminet liber *De Captivitate Babylonica.*

Quamplures ſibi Sectarios adſcivit Lutherus, quos *Evangelicos* dici voluit, quique ſubindè in varias ſectas diviſi, in quinque claſſes poſſunt diſtribui. 11

Prima eſt Lutheranorum rigidiorum, qui pura Lutheri ſectantur dogmata. Horum Anteſignanus meritò recenſeri poteſt Matthias Flaccus Illyricus, Centuriarum Magdeburgienſium præcipuus editor. Inter rigidiores Lutheranos etiam numerari poſſunt Oſiander, Brentius, Calixtus & alii.

Secunda eſt molliorum Lutheranorum, hoc eſt eorum, qui Lutheri placita in nonnullis emollire conati ſunt. Quibus præiviſſe cenſeri poteſt Philippus Melanchton, qui Confeſſionem Auguſtanam compoſuit; unde Confeſſioniſtæ & molles Lutherani dicti ſunt, qui eam ſequuntur. Confeſſio hæc Auguſtana nihil aliud eſt, quàm fidei profeſſio à Luthero primùm 27. articulis propoſita, deinde a Melanchrone 11. articulis emollita, amplificata & meliorem in formam redacta, ſicque Carolo V. Imperatori annô 1530. in Comitiis Auguſtanis oblata à Germaniæ Principibus, aliisque ipſis adhærentibus. Hi ſuperiore anno 1529. in generalibus Spiræ Comitiis, contra decretum, quo præcipiebatur Catholicæ Religionis profeſſio, proteſtati fuerant; unde & primùm *Proteſtantes* dicti, & cæteri deinceps eis adhærentes.

Tertia eſt Sacramentariorum, qui à doctrina Lutheri circa Euchariſtiam receden-

(*f*) Id eſt 14to. Junii.

cedentes, profitentur in Euchariſtia Chriſti corpus non eſſe niſi in ſigno. Horum primus creditur Carolſtadius Diaconus Wittenbergenſis, cui ſe ſe adjunxêre Zwinglius, & Oecolampadius. Hi Calvinianam hæreſim præformaverunt, de qua mox loquemur.

Quarta eſt Anabaptiſtarum, qui præter cætera Lutheri dogmata, docent Baptiſma parvulis nihil prodeſſe, eoſque proinde ſi baptizati fuerint, iterum eſſe baptizandos, quando ad adultam ætatem pervenêre. Hujus ſectæ in varias poſteà diviſæ author fuit annô 1522. Balthaſar Pacimontanus, vel, ut probabiliùs credunt alii, Nicolaus Storkius.

Quinta tandem eorum eſt, qui *Adiaphoriſtæ* ſeu *Indifferentes* dicuntur; quales fuerunt de molliorum Confeſſioniſtarum claſſe Wittenbergenſes & Lipſienſes Theologi, qui nedùm Eccleſiæ cæremonias, Conciliorum Conſtitutiones, ſed etiam & Sacramenta omnia ad ſalutem indifferentia eſſe contendebant, ita ut unicuique liberum eſſet pro bono pacis illis uti vel non uti.

12 Similis furfuris Hæreſiarcha fuit Joannes Calvinus, à quo Calviniſtæ, atque poſt Lutherum omnium ſuæ ætatis Hæreſiarcharum facilè princeps. Is Novioduni (*g*) annô 1509. parentibus Catholicis natus eſt.

Lutetiam ſtudiorum causâ miſſus, in Marchiano Collegio primùm, deinde in Montis acuti Gymnaſio, Humanioribus litteris & Philoſophiæ operam dedit. Peracto ſuorum ſtudiorum decurſu in patriam reverſus eſt. Inde paulò pòſt ad Juriſprudentiæ ſtudium animum applicuit Aureliæ primùm, deinde Biturigi, ubi cum Wolmaro Lutherano occulto, amicitiam iniit, à quo novæ hæreſeos principia didicit. Pariſios rediens cum Lutheranis clandeſtinos conventus agentibus familiaritatem junxit, præſertim cum Nicolao Copo Pariſienſis Academiæ Rectore novæ doctrinæ principiis afflato: cùm autem Joannes Morinus rerum capitalium Judex integerrimus in Novatores, & imprimis in Copum ac Calvinum ipſum inquireret, uterque clàm ſecedere cogitur. Calvinus variis mutatis ſedibus in Galliis, cùm Franciſcus I. Rex Chriſtianiſſimus in Sacramentarios igne animadverteret, ſupplicii metu regnô exceſſit, ac Baſileam ſe recepit versùs annum 1535. Ibi famoſum perindè ac exitioſum edidit Inſtitutionum Opus, in capita primùm, deinde in poſterioribus editionibus in quatuor libros diſtributum. Opus illud ex Melanchtonis, Brentii, Oecolampadii, aliorumque Sectariorum libris magna ex parte exſcriptum fuit, ſed nova methodo, ac purioris latinitatis elegantiâ adornatum. Deinde in Italiam ad Ferariæ Duciſſam Novatorum cauſæ faventem profectus eſt: ex Italia citò in Galliam regreſſus, rebus omnibus ſuis compoſitis, Genevam pervenit circa annum 1536. ibique domicilium fixit.

Annô 1537. à Magiſtratu Genevenſi, non Concionator tantùm, ſed & Theologiæ Profeſſor eligitur: tùm plurima edidit opuſcula peſtiferis ſuis erroribus referta. Variis ſubinde exortis Bernenſes inter & Genevenſes, necnon inter Genevenſes ipſos, ob quæ ejectus ab ipſis eſt, diſſidiis, Argentinam ſe recepit, ibique Theologiæ Profeſſor conſtituitur, inde Ratiſponam miſſus, ut ibidem Colloquio ad levandas Religionis lites inſtituto intereſſet. Interim à Genevenſibus iterum expetitus illuc annô 1541. rediit, atque in ea civitate omnem Sectæ ſuæ diſciplinam, probante Senatu, conſtituit,

(*g*) In Picardia.

Digitized by Google

ſtituit, legesque præſcripſit, à quibus poſteà diſcedere nec ipſis Miniſtris nec Civibus licitùm eſſet. Eodem anno edidit Catechiſmum Gallicè & Latinè, in quæſtiones & reſponſiones diſtributum, quem plurimùm ſemper fecerunt Calviniſtæ: huic addidit precum Eccleſiaſticarum & adminiſtrandorum Sacramentorum formulam. Annô 1542. mordaci libellô, quem *Antidotum* inſcripſit, 25. articulos ſacræ Facultatis Pariſienſis contra Lutheranam hæreſim confutare aggreſſus eſt. Annô 1546. alterum ſcripſit impium *Antidotum* adversùs Concilii Tridentini ſeſſiones ſeptem jam celebratas: paulò ante virulentiſſima evulgaverat Scholia in Pontificias litteras à Paulo III. ad Carolum V. Imperatorem, occaſione *Interim* (*b*) directas.

Annis 1550. & 1551. acerrima exorta eſt Calvinum inter & plerosque Miniſtros Genevenſes contentio de prædeſtinatione. Ea occaſione ſcripſit librum *De æterna Dei prædeſtinatione*, & libellum *De Scandalis*. Annô 1552. Michaelem Servetum ad Magiſtratum detulit ac vivum cremari procuravit ob aſſertas in SS. Trinitatem hæreſes. Annô 1554. Comminiſtris omnibus ſubſcribentibus, Serveti errores confutavit, atque hæreticos à Magiſtratu jure gladii comprimendos eſſe demonſtravit. Annô 1558. adversùs Valentinum Gentilem, Lælium Socinum, & Georgium Blandratam SS. Trinitatis hoſtes egit. Annô 1562. totius ſuæ ſectæ nomine Confeſſionem edidit, Imperatori & Germaniæ Principibus in Comitiis Francofordienſibus offerendam: in ea Confeſſione impiæ ſuæ doctrinæ virus paucis ac nitidè exponit. Tandem annô 1564. ætatis verò ſuæ 54. variis graviſſimisque morbis vexatus, miſerrimè vitam poſuit ac interiit, teſtibus Lindano *in Dubit.* Dialogô 2dô. Sancthesio, Papirio, Bolſeco & aliis.

13 Lutheri & Calvini necnon eorumdem Sectatorum præcipui circa eam, quam hîc tractamus, materiam errores hi ſunt. 1mo. Deum decretô antecedenti, poſitivô immutabili ac neceſſitatem imponente, alios prædeſtinare ad vitam, tùm primam, tùm ſecundam, id eſt, tum fidem juſtificantem, tum gloriam; alios verò prædeſtinare ad mortem, tum primam, tum ſecundam, id eſt, peccatum & pœnas æternas. Unde conſtat Prædeſtinatianorum errores ab ipſis renovatos fuiſſe. 2do. Gratiam ſanctificantem, aliaque dona primo homini in ſtatu innocentiæ conceſſa, ipſi fuiſſe propriè & ſtrictè naturalia, eo videlicet ſenſu, quòd ipſi debita fuerint ratione juſtitiæ & miſericordiæ divinæ, ſintque partes, appendices naturæ, & primordia naturalia. 3tio. Concupiſcentiam, ipſosque concupiſcentiæ motus reipſa eſſe peccata; idque non ſolùm in non regeneratis, ſed etiam in renatis; cùm concupiſcentia ſit ipſum peccatum Originale. 4to. Omnia Juſtorum opera etiam ex objecto & fine bona eſſe peccata. 5to. Omnia peccata ex natura ſua eſſe mortalia,

(*b*) *Interim*, formulare eſt aliquot fidei articulorum promulgatum ab Imperatore Carolo V. in Imperii Comitiis Auguſtæ an. 1548. cui ut ſe Proteſtantes ſubmitterent præcipiebat. *Interim* nuncupatum eſt, quia ad tempus tantùm valere debebat, donec videlicet Concilium Generale Religionis diſſidia definitione ſua compeſcuiſſet. Illud improbavit Paulus III. Papa, plerique Proteſtantes, imò omnes, exceptis aliquibus Civitatibus, quas Imperatoris minæ terruerant, haud acceptaverunt. Porro illud fidei formulare omnia fidei Catholicæ dogmata comprehendebat, excepto, quòd Proteſtantibus Miniſtris matrimonium, & Laicis ſub utraque ſpecie communionem permitteret.

Digitized by Google

talia, ac proindè æternis pœnis digna; eſſe autem venialia, ex benignitate duntaxat & miſericordia Deo, ea juſtis non imputantis. 6to. Per gratiam voluntati neceſſitatem inferri, adeo ut hæc ſub illius motione neceſſariò agat, nec in ipſius poteſtate ſit moventi gratiæ obtemperare vel refragari, ſed neceſſariò obtemperet, quamvis non coactè, ſed ſpontè id faciat. 7mo. Voluntatem, aſſentiendo Deo vocanti, nihil ex ſe ipſa cooperari; hoc eſt, nihil vi propria & partiali virtute, quantumvis per gratiam elevata, agere, ſed Deum eſſe cauſam totalem & adæquatam conſensûs, quem in voluntate & per voluntatem operatur. 8vo. Vim & energiam gratiæ ex victrice, ſuperiori ac neceſſitante delectatione deſumi. 9no. Non aliam in præſenti ſtatu gratiam admittendam eſſe, quàm efficacem, invincibilem & inſuperabilem, cui voluntas reluctari non poſſit; undè verè & propriè ſufficientem, cui reſiſtitur, omninò repudiant ac rejiciunt. 10mo. Per peccatum voluntatem amiſiſſe activam indifferentiam flectendi ſe ad partem alterutram; adeòque jam non eſſe in homine liberum arbitrium, ſed eſſe duntaxat vacuum ſine re titulum. 11mo. Non dari in arbitrio libertatem à neceſſitate, ſed tantùm à coactione. 12mo. Aſſerta triplicis generis fide, *hiſtoricâ* ſcilicet, qua firmiter credimus vera eſſe, quæ in Scripturis continentur. *Fide miraculorum*, qua fiunt miracula. Et denique *promiſſionum*, quæ verſatur circa promiſſiones divinas de remiſſione peccatorum, & juſtitia per Chriſtum conſequenda, quam ſubdiſtinguunt in *generalem*, qua credimus promiſſam eſſe omnibus credentibus ſalutem; & *ſpecialem*, qua unusquisque promiſſionem divinam ſibi applicans credit, ſive potiùs certò confidit, peccata omnia per Chriſtum ſibi eſſe dimiſſa, in qua proinde fide ſeu firma perſuaſione & fiducia putant conſiſtere veram fidem chriſtianam, theologicam, & juſtificantem, ita ut utraque alia fides propriè appellari non debeat fides; tuentur per hanc fidem, ſeu firmam ſpecialis miſericordiæ fiduciam, & quidem *ſolam* hominem juſtificari, eique ſoli juſtificationem eſſe adſcribendam. 13tio. Formalem noſtræ juſtificationis cauſam non eſſe aliquid intrinſecum & nobis realiter inhærens; ſed eam formaliter conſiſtere vel in imputatione juſtitiæ Chriſti; vel in ipſa eſſentiali Dei Juſtitia nos inhabitante; vel in ſola remiſſione, id eſt, in non imputatione peccatorum. 14to. Unumquemque poſſe ac debere certum eſſe certitudine fidei divinæ, ſibi remiſſa eſſe peccata, ac proinde verè juſtum eſſe. 15to. Juſtificatos omnes æqualiter eſſe juſtos, quia unâ eâdemque Chriſti juſtitiâ per fidem apprehenſâ atque à Deo imputatâ omnes juſtificantur, ut inquiunt. 16to. Opera bona ad ſalutem non eſſe neceſſaria, ſed ſola fide juſtificari & ſalvari homines. 17mo. Mandata Dei eſſe planè impoſſibilia homini, etiam juſtificato, quantâlibet gratiâ inſtructo; atque inde colligunt, nullam eſſe in nobis veram actualem juſtitiam, ſed omnia juſtorum opera eſſe peccata mortalia ex natura ſua. 18vo. Aſſerunt bona juſtorum opera nullatenùs eſſe meritoria vitæ & ſalutis æternæ. Hæc Lutherus paſſim in ſuis Operibus, ut in cap. 3. Geneſ. In Aſſert. art. 2. 3. 26. 27. lib. de ſervo arbit. In aſſert. art. 36. Serm. Dom. 1. Quadrag. In c. 2. ad Galat. Aſſert. Art. 11. Lib. de Capt. Babyl. Aſſert. art. 31. & 32. Ut & Calvinus paſſim etiam, præſertim in libris Inſtitutionum Chriſtianæ Religionis, lib. 1. c. 16. 17. lib. 2. c. 1. & 3. &c. In Antidoto Conc. Trid. ad Can. 4. Seſſ. 6. lib. de æterna prædeſtinat. lib. 5. & 6. de lib. arb. contra Pighium; atque poſt eos eorum ſequaces. Quibus poſt Magiſtrum ſuum lib. 3. Inſtit. c. 2. §. 11. & 16.

& 16. In Antidoto Conc. Trid. ad c. 13. & 14. Seſſ. 6. Calviniſtæ hæc tria ſibi ſpecialia addunt dogmata. 1mo. Fideles omnes poſſe ac debere certos eſſe certitudine fidei divinæ, non ſolùm de præſenti gratia, atque juſtitia, uti cenſent Lutherani; ſed etiam de ſua perſeverantia, prædeſtinatione, ac electione ad gloriam. 2do. Fidem & juſtitiam propriam eſſe electorum, & ſemel verè acceptam non poſſe alia ratione omitti; & qui ab ea excidere videntur, nunquam re vera eam habuiſſe. 3tio. Baptiſma non eſſe medium ad ſalutem neceſſarium, ut contendebant Lutherani; Fideliumque pueros ſine Baptiſmo decedentes ſalvari, quòd ſancti ſint & Eccleſiæ membra, & in fœderis hæreditatem, ſtatim ac geniti ſunt, à Deo excipiantur. Ita apertè tradit Calvinus, lib. 4. Inſtit. c. 15. §. 20. Adeoque eos eſſe prædeſtinatos, quia gratiâ adoptionis, quæ prorsùs inamiſſibilis eſt, inſtructi naſcuntur, &c.

14 Porro factio Calviniana, non ſecus ac Lutherana, pro natura ſcilicet & conditione cujuscumque hæreſeos in varias ſectas ſciſſa eſt, quarum tres ſunt præcipuæ.

Prima eorum omnium eſt, qui pura Calvini ſectantur dogmata, quales ſunt 1mo. Genevenſes. 2do. Reformati in Gallia, in Palatinatu, Belgio, Helvetia. 3tio. Presbyteriani, Puritani, Independentes in Anglia & Scotia.

Presbyteriani, Puritani, & Independentes, non diſſentiunt in Confeſſione Fidei; at in Eccleſiaſtico Regimine, ut ita loquamur, nonnihil à ſe invicem diſſident. Etſi enim utrorumque cœtus regant Presbyteri, attamen Puritani, qui ſe Calviniſtas reformatos jactitant, majorem præ ſe ferunt ſeveritatem in externa diſciplina, atque ſtatas & ſolemnes Eccleſiæ ceremonias pertinaciùs repudiant; unde ipſis Puritanorum nomen datum. Independentes verò ab utrisque diſſident, quòd unamquamque particularem Eccleſiam ſui juris faciant, nec alii ulli ſubjectam aut ſubordinatam contendant; cùm è contra tùm Presbyteriani tùm Puritani, juxta ea, quæ ſancita ſunt c. 5. diſciplinæ Eccl. reformat. art. 13. Eccleſias particulares Colloquiis, Colloquia Synodis Provincialibus, has Synodis Nationalibus ſubjiciant; & qui eorum decretis obtemperare renuunt, ex Eccleſia ejiciendos pronuntient.

Secunda eſt Anglo-Calvinianorum; nec merè Lutherani ſunt nec Calviniani; ſed hi propriè dicuntur, qui adhærent congeriei errorum, quos Cramner Lutheranus, Dux de Sommerſet Zwinglianus, Regina, Eliſabeth Calviniſmo favens, Schiſmati Henrici VIII. addidêre, ſervatis ſemper nonnullis ad hierarchiam pertinentibus; unde dicti ſunt *Episcopales*. A Presbyterianis, Puritanis, cæterisque reformatis differunt tùm in quibusdam dogmatibus, tùm in diſciplina; ſiquidem Epiſcopos agnoſcunt non ſolùm ordine, ſed & juriſdictione Presbyteris jure divino ſuperiores; Crucem non modò honorant, ſed ejus ſignum Sacramentis & imprimis Baptiſmo adhibent: quæ certè à doctrina & praxi Puritanorum prorsùs ſunt aliena: Summum Eccleſiæ Anglicanæ gubernatorem & caput Regem agnoſcunt, cui plenitudinem poteſtatis Eccleſiaſticæ ineſſe contendunt. De quo legi poteſt Boſſuet. lib. 7. & 10. Variat.

Tertia eſt Arminianorum: hi ortum duxerunt à Jacobo Arminio Miniſtro Amſtelodamenſi, qui poſtea creatus fuit Theologiæ Profeſſor in Academia Lugdunenſi Batavorum. Is multa fundamentalia Calvinianæ doctrinæ capita, circa materiam de prædeſtinatione, de gratia & libero arbitrio, de juſtificatione, diſputationibus ac ſcriptis confutavit,

Digitized by Google

vit, atque Catholicorum, aut ſaltem Lutheranorum ſecutus fuiſſe videtur, quoad ea, ſententiam. Adverſarium expertus eſt Gomarum ejusdem Academiæ Profeſſorem & duriorum Calvini dogmatum propugnatorem acerrimum. Uterque ſuos habuit Sectatores: hinc (*i*) Leydenſis primùm Academia, tota deinde Batavia varia in ſtudia, partesque ſciſſa eſt. Ad hoc componendos motus decreta eſt Synodus Nationalis, quæ Dordrechti habita eſt annô 1618. In hac celeberrima Reformatorum Synodo damnata ſunt quinque famoſa doctrinæ Arminianorum capita; 1mum circa prædeſtinationem, quam nullo abſoluto Dei decreto innixam tuebantur. 2dum circa Redemptionem humani generis, quam univerſalem fuiſſe, atque pro omnibus omninò hominibus à Chriſto factam prædicabant. 3tium & 4tum circa gratiam, quam ad omne opus bonum neceſſariam eſſe dicebant, non ſolùm ad illud perficiendum ſed etiam incipiendum; ei tamen reſiſti poſſe. 5tum circa perſeverantiam definiebant, Deum veris fidelibus regeneratis per ſuam gratiam largiri media, quibus ſe in hoc ſtatu conſervent, quòd poſſint veram fidem juſtificantem amittere, & in peccata cum juſtificatione incompatibilia labi, imò in flagitia atrocia, atque in iis perſeverare, ac mori, necnon etiam ab iis per pœnitentiam reſurgere, quin tamen gratia eos ad id agendum cogat. Hæc, inquam, quinque Arminianorum capita damnavit Synodus Dordrechtana, ipſosque Arminianos latâ ſententiâ omni Eccleſiaſtico munere interdixit, atque ab officiis ſuis abdicavit, &c. &c.

Arminiani deinceps etiam *Remonſtrantes* appellati ſunt ob libellos ſupplices Ordinibus Hollandiæ & Synodo Dordrechtanæ oblatos, in quibus ſæpè *Remonſtrantium* nomine ſe indigitant: dicti inſuper *molles Calviniſtæ*, ob emollitam Calvinianorum dogmatum duritiem: Gomariſtis, ipſorum adverſariis, *Contraremonſtrantium* & *rigidorum Calviniſtarum* nomen datum. Inter Arminianos, eminent præter Arminium, Epiſcopius, Grotius, &c. Inter Gomariſtas, præter Gomarum, Scultetus, Breytingerus, Hermannus, Polyander, &c.

§. VII.

De Michaele Bajo. 15

Michael Bajus natus perhibetur Melini, quod eſt oppidum Belgii in territorio Athenſi annô 1513. Laureâ Doctorali donatur in ſacra Facultate Theologica Lovanienſi annô 1550. Annô 1552. ſacrarum litterarum Profeſſor inſtituitur, quod munus per integros ferè quadraginta annos exercuit. Annô 1564. è Concilio Tridentino, ad quod miſſus fuerat à Philippo ſecundo Hiſpaniarum Rege redux edidit in variis Opuſculis & evulgavit 76. propoſitiones, quarum ſecunda ſic ſe habet, *Nullum eſt peccatum ex ſua natura veniale; ſed omne peccatum meretur æternam pœnam.* 21ma. *Humanæ naturæ ſublimatio & exaltatio in conſortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda eſt, & non ſupernaturalis.* Ex qua propoſitione ſequitur 54ta. *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur.* 35ta. *Omne, quod agit peccator vel ſervus peccati, peccatum eſt.* Cui propoſitioni reſpondet 16ta. *Non eſt vera legis obedientia ſine charitate.* Et 40ma. *In omnibus ſuis actibus peccator ſervit domi-*

(*i*) Lugdunenſis Batavorum

Digitized by Google

dominanti cupiditati. Ex quibus principiis eruuntur tres ſequentes propoſitiones, ſcilicet 53tia quæ ſic jacet: *Definitiva hæc ſententia, Deum homini nihil impoſſibile præcepiſſe, falsò attribuitur Auguſtino, cùm Pelagii ſit.* Et 56ta. *Sola violentia repugnat hominis libertati naturali.* Et 66ta. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſariò facit.* Damnatas has & alias usque ad 76. propoſitiones à Pio V. Calend. Octob. an. 1567. & à Gregorio XIII. 4to. Calend. Februarii an. 1579. revocavit ſolemni & publicô ſcriptô ipſe Bajus, die 24. Martii an. 1580. Diem extremum obiit an. 1589. die 16. Septemb. annos natus 77.

§. VIII.

16 *De Janſenio Yprenſi Epiſcopo.*

Cornelius Janſenius ex Catholicis parentibus in territorio Leërdamenſi apud Batavos natus annô 1585. Ultrajecti litteris humanioribus, Lovanii Philoſophiæ & Theologiæ operam dedit. Ibidem annô 1621. Theologiæ Doctor creatus, ſubinde in eadem Academia Regius ſacrarum Litterarum Profeſſor inſtitutus eſt annô 1630. Annô 1635. Epiſcopus Yprenſis conſecratus, tertiô ab inauguratione annô, nempe 1638. 6. Maji luce extinguitur. Morti proximus extremam & moribundam manum Operi, cui conficiendo 22. annos impenderat, admovit. Illud grandiori volumine tribus Tomis diſtinctô (*k*) *Auguſtinus* inſcripſit, quòd confidat ſe puram S. Auguſtini doctrinam à quingentis fermè annis (ut putat lib. procem. c. 28. & 30.) Catholicis Scholis ignotam revocare. Illius edendi curam, morti proximus, Capellano ſuo impoſuit; atque in ſuæ ſupremæ voluntatis Tabulis cuncta ſua Opera Sedis Apoſtolicæ judicio ſubmiſit, adeoque & *Auguſtinum ſuum.* Liber iſte altero poſt ipſius obitum anno, videlicet, 1639. typis mandatus lucem aſpexit, vel ut alii volunt annô 1640. Lovanii, communi Catholicorum offenſione, ut qui in eo Baji & Calvini proſcripta dogmata contineri cenſerent.

Re ad Sedem Apoſtolicam delata, Urbanus VIII. pridie nonas Martii (*l*), annô 1642. ſolemni Conſtitutione, quæ incipit, *In eminenti*, hunc Librum proſcripſit; ſed cùm eâ motus & diſſidia, quæ Liber iſte excitarât, nondum ſedata & extincta viderentur, annô 1651. Octoginta quinque Galliarum Epiſcopi Quinque ex eodem Janſenii Opere excerptas propoſitiones ad Innocentium X. detulerunt, rogantes ut de jis ſolemne ferret judicium. Quàm fideliter autem ex eodem libro excerptæ fuerint à Gallicanis hiſce Epiſcopis patet ex ſequenti ſchemate ſic diſpoſito, ut in prima columna cernantur famoſæ illæ Propoſitiones, & in altera ex oppoſito legantur ipſiusmet Janſenii textus ex benè multis ſelecti.

(*k*) Primus Tomus de hæreſi Pelagiana libros octo complectitur. Secundus, quatuor partes continet; prima unicum librum habet de ratione & auctoritate in rebus Theologicis. Secunda pariter unicum librum habet de ſtatu naturæ innocentis. Tertia quatuor libris continetur de ſtatu naturæ lapſæ. Quarta tres complectitur libros de ſtatu naturæ puræ. Tertius Tomus in duas partes dividitur. 1ma continet 10. libros de Gratia Chriſti. 2da unicum de Maſſilienſibus.

(*l*) Id eſt 6ta. Martii

17 *Propoſitiones ex Libro Janſenii excerptæ.*

Janſenii textus.

I.

Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque illis gratia, quâ poſſibilia fiant.

I.

Lib. 3. de Gratia Salvatoris c. 13. ſic legitur longè poſt medium. *Hæc igitur omnia pleniſſimè, planiſſimeque demonſtrant, nihil eſſe in S. Auguſtini doctrina certius ac fundatius, eſſe præcepta quædam, quæ hominibus non tantùm infidelibus, excæcatis, induratis, ſed fidelibus quoque, & juſtis, volentibus & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia, deeſſe quoque gratiam, quâ poſſibilia fiant.*

II.

Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.

II.

Lib. 2. c. 25. *Hæc eſt vera ratio, cur nulla omninò medicinalis gratia Chriſti effectu ſuo careat: ſed omnis efficit, ut voluntas velit, & aliquid operetur.* Et c. 27. *Nihil verius dici poteſt, quàm quòd omnia, quæ hactenus protulimus de gratia efficaci, Auguſtinus dixerit & intellexerit; cujus rei cauſa eſt, quòd nullam agnovit actualem Chriſti gratiam* (m), *nec agnoſcere potuerit.*

III.

Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceſſitate; ſed ſufficit libertas à coactione.

III.

Lib. 8. de Gratia Chriſti Salvatoris c. 20. ſic ſcribit Janſenius: *Reſpondetur, quamdiu hîc vivimus, ſive in infidelitate ante gratiam, ſive jam ſub gratia, indifferentiam ad contraria ſemper ineſſe libero arbitrio; ſed non eo modo, quo iſti Scholaſtici putant, quos ſuprà diximus* (hîc Theologos Catholicos intelligit) *qui quocunque modo arbitrium, ſive gratiæ, ſive peccati delectationibus imbuatur, ſemper exiſtimant cum utravis ejus diſpoſitione poſſe fieri, ut utrumlibet velit ſive bonum, ſive malum.* Quo autem ſenſu accipiat illam indifferentiam ad contraria, mentem ſuam aperit in decurſu Capitis, ubi ſic habet: *quia quantumcunque ad peccandum peccati voluptate trahatur, manet in arbitrio illa ſaltem naturalis flexibilitas, ſeu capacitas, quâ ſcilicet vel per concupiſcentiam, vel per gratiam flecti poteſt, quamvis per utramque neceſſariò determinetur.* Et c. 21. objicit ſibi, Calvinum non negaſſe iſtam gratiæ & liberi arbitrii concordiam, utpotè qui doceat hominem gratiæ obſequi voluntariè. Tùm reſpondet: *Non omnia, quæ hæretici docent, ſunt hæretica .... quòd ſi qua in re Calvinus cum Auguſtino & anti-*

(m) Niſi efficacem ſcilicet.

Digitized by Google

antiquis Patribus ſenſerit, non propter Calvinum Auguſtino indignandum, ſed propter Auguſtinum Calvino potiùs gratulandum. Sed arguit Calvinum, quòd in ejusmodi voluntario, quamvis neceſſario, non agnoverit liberum arbitrium, boni & mali electionem, conſentiendi poteſtatem, quæ re vera cum neceſſitate non conſiſtunt. Unde patet, Janſenium à Calvino differre duntaxat in modo loquendi. Lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ c. 20. & ſeq. ubi ſibi objicit tùm S. Auguſtinum ſic definientem, *Peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequendi, quod juſtitia vetat, unde liberum eſt abſtinere:* tùm propoſitionem à ſummis Pontificibus in Bajo damnatam; *homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſariò facit.* Reſpondet, *hæc intelligenda eſſe de peccato, quod non eſt pœna peccati, quale fuit peccatum primi parentis, ad quod cùm liberè ſe determinaverit, neceſſitas inde conſequens cenſetur libera.*

IV.

Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.

Propoſitionis duæ ſunt partes. Prima eſt hiſtorica, & ad factum pertinet, nempè quòd Semipelagiani admiſerint prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem, etiam ad initium fidei. Secunda eſt dogmatica, ſcilicet hæreſim eſſe, ſi doceatur humanam voluntatem poſſe in hoc ſtatu reſiſtere vel obtemperare gratiæ.

IV.

Janſenius lib. 2. c. 12. de Gratia Chriſti Salvatoris, ſic ſcribit: *Memoriâ recolendum eſt, quod aliò latiſſimè tradimus, Semipelagianos ad illud initium fidei, orationes, deſideria, aliosque ſimiles actus, quos hominis in poteſtate remanſiſſe ſentiebant, vera, interna, actualisque gratiæ adjutorium ſtatuiſſe neceſſarium, & hoc ipſum S. Auguſtinum, quando cum Semipelagianis errabat, admiſiſſe, iſtam verò ſuam gratiam ſentiebant non ſemper otioſam præbere poteſtatem. . . , ſed ita dare credendi facultatem, ut homo pro arbitrii ſui libertate, gratia juvante crederet.* Lib. 3. c. 1. poſt medium: *Eſt adjutorium, quod Maſſilienſes ad credendum neceſſarium eſſe, atque ita ſufficere ſtatuerunt, ut cum eo credere poſſet homo, ſi vellet: qui tamen tanquam hæretici proſcripti ſunt, non aliam ſanè ob cauſam, niſi quia tale auxilium homini ſufficere putarent.*

V.

Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe; ſed mortuus eſt duntaxat pro ſalute prædeſtinatorum.

Duæ quoque ſunt hujus propoſitiopartes. Prima, quòd Semipelagianum ſit dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe. Secunda, quòd mortuus ſit duntaxat pro ſalute prædeſtinatorum.

V.

Lib. de Gratia Chriſti Salvatoris c. 21. ſic habetur: *Illa extenſio tam vaga modernorum Scriptorum non ex alio capite, quàm ex iſta generali & indifferente voluntate Dei erga ſalutem omnium, & ex illa ſufficientis gratiæ omnibus conferendæ præparatione fluxit, quorum utrumque Auguſtinus, Proſper, Fulgentius, & antiqua Eccleſia velut machinam à Semipelagianis introductam repudiavit.*

 Verbis

Verbis autem immediatè præcedentibus definit Chriſtum non eſſe mortuum pro aliorum ſalute, quàm prædeſtinatorum, *Nullo modo*, inquit, *principiis ejus* (Auguſtini) *conſentaneum eſt*, *ut Chriſtus Dominus pro infidelium in infidelitate morientium*, *vel pro juſtorum non perſeverantium æterna ſalute* (Nota nomen *æternæ ſalutis*, non enim negat, Chriſtum pro reprobis mortuum eſſe, quoad gratias temporales) *mortuus eſſe, ſanguinem fudiſſe*, *ſeipſum redemptionem dediſſe*, *Patrem oraſſe ſentiatur. Scivit enim quò quisque jam ab æterno prædeſtinatus erat*, *ſcivit hoc decretum*, *neque illius pretii oblatione mutandum eſſe*, *nec ſeipſum velle mutare. Ex quo factum eſt*, *ut juxta ſanctiſſimum Doctorem*, *non magis Patrem pro æterna liberatione ipſorum*, *quàm pro diaboli deprecatus fuerit. Sed ſi quid pro illis rogavit Patrem*, *pro temporalibus quibusdam juſtitiæ effectibus rogavit*, *& pro eisdem obtinendis obtulit pretium*, *fuditque ſanguinem ſuum.*

Prædictas quinque propoſitiones Innocentius X. auditis partibus pro & contra contendentibus, damnavit annô 1653. ultimâ Maji. Primam ut temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam, & hæreticam.

Senſus autem in quo damnata fuit, hic eſt. Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia impoſſibilitate phyſica & antecedente comparatè & relativè ad tales juſtos tali motu concupiſcentiæ affectos. Deeſt quoque illis gratia, qua verè in his circumſtantiis poſſibilia fiant. Senſus verò Catholicus huic primæ propoſitionis errori oppoſitus hic eſt: Nulla Dei præcepta, quando urget eorum obſervatio, impoſſibilia ſunt hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes quas habent vires; nec deeſt eis gratia verè ſufficiens, qua completè & expeditè poſſibilia fiant in iis circumſtantiis, in quibus verſantur.

Secundam damnavit Pontifex ut hæreticam. Senſus in quo damnata eſt: In ſtatu naturæ lapſæ Gratia interior ſemper efficit in nobis omne bonum, quod efficere poteſt in iis circumſtantiis, in quibus datur, & nunquam fruſtratur effectu ad quem hìc & nunc datur. Senſus Catholicus eidem oppoſitus eſt: In ſtatu naturæ lapſæ homines reſiſtunt non rarò Gratiæ interiori, eamque privant effectu, quem habere poteſt in iis circumſtantiis, in quibus datur.

Tertiam velut Hæreticam damnavit idem Pontifex. Senſus in quo damnata eſt: Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas à neceſſitate phyſica, voluntaria & mutabili: ſed ſufficit libertas à coactione, & à neceſſitate naturali abſoluta & immutabili. Senſus Catholicus eidem oppoſitus: Ad merendum & demerendum etiam in ſtatu naturæ lapſæ requiritur libertas ab omni neceſſitate ſimplici, phyſica, etiam voluntaria, mutabili ſeu variabili, in homine, modò circa bonum, modò circa malum.

Quartam damnat ut falſam & hæreticam. Senſus, in quo damnata eſt: Gratia præveniens neceſſaria ad ſingulos actus ſalutares talis eſt, ut homo lapſus non habeat potentiam completam & expeditam faciendi & non faciendi bonum ad quod movet. Senſus Catholicus eidem oppoſitus hic eſt: Gratia præveniens talis eſt, ut homo lapſus habeat potentiam completam & expeditam ei conſentiendi vel non conſentiendi.

Quinta denique à laudato Pontifice damnatur tanquam falſa, temeraria, ſcandaloſa, & intellecta eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute duntaxat prædeſtinatorum

torum

Digitized by Google

torum mortuus ſit, velut impia, blaſphema, contumelioſa, divinæ pietati derogans, & hæretica. Senſus in quo damnata eſt: Semipelagianum eſt aſſerere, Chriſtum mortuum eſſe pro ſalute æterna omnium omninò hominum, & omnibus promeruiſſe gratias ſufficientes, quibus ſalutem æternam conſequi poſſint. Senſus Catholicus eidem oppoſitus: Eſt fidei dogma, Chriſtum mortuum eſſe pro ſalute æterna omnium omninò fidelium; & pium ac doctrinæ Catholicæ conſentaneum eſt dicere, eum mortuum eſſe pro ſalute æterna omnium omninò hominum, quamvis non æqualiter, nec ex æquali affectu.

Porro ſenſum illarum quinque propoſitionum damnatarum à nobis traditum, eſſe verum ſenſum, in quo damnatæ ſunt, patet ex duabus ſequentibus regulis, quas ſummi Pontifices aſſignarunt ad cognoſcendum ſenſum in iſtis quinque propoſitionibus damnatum. 1ma. Regula. Quinque hæ propoſitiones damnatæ ſunt in ſenſu à Janſenio intento in ſuo Opere, id eſt, quem Janſenius tradit in ſuo damnato Opere, qui inſcribitur *Auguſtinus.* Nam ita declaravit Alexander VII. in Conſtitutione ad inſtantiam univerſi Cleri Gallicani die 15. Febr. annô 1665. emiſſa. 2da. Regula. Senſus Janſenii damnatus, eſt ipſemet ſenſus obvius quinque propoſitionum. Nam Innocentius XII. in ſuo Brevi ad Belgii Epiſcopos annô 1694. ſcripto declaravit eas damnatas eſſe in ſenſu obvio, quem verba, quibus exprimuntur, præ ſe ferunt.

18 ## CAPUT III.

De diverſis naturæ ſtatibus in ordine ad gratiam.

STatûs nomine hîc intelligitur, certa quædam naturæ humanæ conditio in ordine ad finem ſuum ultimum ſecundùm ordinationem divinæ providentiæ; dividitur in ſtatum viæ, & ſtatum patriæ. Status viæ eſt, in quo tenditur ad beatitudinem, atque eorum, qui vitam mortalem agunt. Status patriæ eſt is, in quo poſſidetur beatitudo, Beatorum in Cœlis degentium proprius. Hîc tantùm de ſtatu viæ agitur, qui bifariam dividitur, in eum ſcilicet, qui de facto extitit, vel etiamnùm exiſtit; & in eum qui nusquam fuit, ſed videtur poſſibilis.

Duo aſſignantur ſtatus, qui extiterunt, nempe ſtatus naturæ innocentis, & ſtatus naturæ lapſæ per Chriſti merita reparatæ. Prior eſt ille, in quo creatus fuit Adam ſine concupiſcentia, ſine ignorantia, expers mortis & miſeriarum, cum gratia atque ordinatione ad vitam æternam. 19

Poſterior verò is eſt, in quo naſcimur poſt infauſtum Adami lapſum, felicemque Mediatoris reparationem; in quo, etiam, ſublato originalis peccati reatu, omnes ferè ejus pœnalitates ad agonem & virtutis exercitium in nobis remanent, videlicet, ignorantia in intellectu, malitia ſivè pronitas ad malum in voluntate, infirmitas & concupiſcentia in appetitu inferiori, ejusdemque rebellio contra ſuperiorem; ipſa denique corporis mortalitas, & mortalitatis comites miſeriæ.

Status, qui de facto nunquam extitit, ſed tamen eſſe poteſt, triplex vulgò ſtatuitur: 1mus. Naturæ integræ, in quo homo eſſet ſine peccato & gratia ordinante ad finem ſupernaturalem; at non ſine quodam auxilio naturali, indebito nihilominus meritis aut exigentiæ naturæ, quo immunis redderetur à deordinatis concupiſcentiæ motibus, ſeu quo poſſet impedire, ne appetitus ſenſitivus contra rationem inſurgeret. 2dus. Naturæ puræ; hic non aliàs differret à ſtatu 20

naturæ

Digitized by Google

naturæ integræ, quàm quòd ſtatus iſte admitteret deordinatos concupiſcentiæ motus, nullumque auxilium gratuitò conceſſum ordinis naturalis, quo natura in officio contineri poſſet. 3tius. Naturæ lapſæ nec usquam reparandæ, in quo ſcilicet poſt prævaricationem Adami remanſiſſet genus humanum, ſi Deus miſericordiâ ſuâ noſtræ miſeriæ non conſuluiſſet per Chriſtum, aut per aliquod aliud remedium, ut nos liberaret à peccato.

De ſtatu naturæ lapſæ per Chriſtum reparatæ prolixiùs in præſenti Capite non diſſeremus; de eo enim in toto hujusce Tractatus decurſu dicturi ex profeſsò ſumus.

Non eſt etiam cur hîc multis agamus de ſtatu naturæ lapſæ non reparatæ: non exiſtit quidem talis ſtatus, ut per ſe patet, ſed eſt maximè poſſibilis: opus enim redemptionis non eſt opus debitum aut neceſſarium; ſed ex merè gratuita ac libera Dei bonitate procedens; quod conſtanter & apertè tradunt ſacer textus, & SS. Patres.

Nulla pariter ſpecialis movetur difficultas circa ſtatum naturæ integræ; ejus enim poſſibilitas abundè colligetur ex dicendis de ſtatu naturæ puræ. Tota igitur controverſia verſatur circa ſtatum naturæ innocentis & puræ.

§. I.

21 ### *De ſtatu Naturæ innocentis.*

Tria potiſſimùm inveſtiganda hîc occurrunt, 1mum. An Adamus in ortu ſuo juſtitiam originalem, cæteraque dona ipſi annexa à Deo acceperit. 2dum. An hujusmodi dona homini innocenti debita fuerint ac naturalia. 3tium. Quodnam gratiæ actualis genus ei datum ac neceſſarium fuerit ad benè agendum ac perſeverandum.

Quantùm ad 1mum. Negârunt olim Pelagiani Adamum in juſtitia originali conditum fuiſſe, contenderuntque, cum absque peccato & gratia creatum fuiſſe, atque etiamnum tales naſci nunc homines. Idipſum quoque Sociniani nunc contendunt: Sit contra illos

CONCLUSIO I. 22

Primus Parens in juſtitia originali conditus fuit.

Prob: Juſtitia Originalis hæc potiſſimùm includit: competentem rerum cognitionem in intellectu; gratiam ſanctificantem in voluntate; ſubjectionem appetitûs, & immortalitatem corporis. Atqui Adamo hæc omnia conceſſa ſunt. 1mo quidem Adamus ea rerum cognitione inſtructus fuit, quæ ipſius ſtatum decuit. *Diſciplina Spiritûs replevit illos,* inquit de primis parentibus Eccleſiaſticus c. 17. *creavit illis ſcientiam ſpiritûs, ſenſu implevit corda illorum: & bonà & mala oſtendit illis.* 2do. Gratiam ſanctificantem accepit Adamus juxta illud Eccleſiaſtis 7. *Fecit Deus hominem rectum.* Hæc autem rectitudo vera fuit & interior ſanctitas, ut colligi poteſt ex Apoſtolo ſic Fideles adhortante, Epheſ. 4. *Renovamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis:* quaſi diceret: Per Chriſti merita eam induite juſtitiam & ſanctitatem, in qua primus homo fuit a Deo conditus. Prout docent SS. Patres: imprimis verò S. Auguſtinus in Operibus ſuis contra Pelagianos. Atque ſupponit Concilium Trident. Seſſ. 6. Can. 1. 3tio. Appetitus Adami inferior ita perfectè ſubditus fuit ejus rationi, ut nusquam, in hoc felici ſtatu, contra præſcriptum ejus moveretur; prout exponit S. Auguſtinus lib. 2. de peccat. meritis & remiſſ. c. 22. 4to. denique Adamus à Deo

Deo immortalis conditus fuit, imo quia moriendi neceſſitas eſt pœna peccati, quam Deus ipſe primis parentibus interminatus eſt, Geneſ. 2. *In quocumque die comederis, morte morieris.* Hinc Apoſtolus, Rom. 5. *Per unum hominem*, inquit, *peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors.* 2do. Id conſtat ex Conciliis. Concilium Milevitanum Can. 1. ſic pronuntiat: *Placuit, ut quicumque dicit, Adam primum hominum mortalem factum, ita ut ſivè peccaret, ſivè non peccaret, moreretur in corpore, hoc eſt de corpore exiret, non peccati meritò, ſed neceſſitate naturæ, anathema ſit.* His ſimilia habentur in Concil. Trid. Seſſ. 5. Can. 1. Conſtat denique 3tio ex SS. Patribus. Sufficiat S. Auguſtinus, qui multis in locis veritatem hanc tradit, præſertim lib. 6. de Geneſ. ad litteram, c. 25. ubi inter alia hæc habet: *Mortalis ergo erat conditione corporis animalis; immortalis beneficiò Creatoris.*

23 Quantùm ad 2dum. illud affirmant Baji & Janſenii diſcipuli, poſt ſuos Magiſtros, qui hunc errorem à Luthero & Calvino hauſiſſe videntur. *Juſtitia Originalis*, inquit Lutherus, in c. 3. Geneſ. *verè fuit naturalis .... hæc tam naturalis fuit in Adamo, quàm naturale eſt, quòd oculi lumen recipiunt.* Et paulò pòſt, *Hæc probant juſtitiam originalem eſſe de natura hominis.* Undè ibidem infert, *juſtitiâ per peccatum amiſsâ, non manſiſſe integra naturalia, ut Scholaſtici delirant.* Similia tradit Calvinus, lib. 1. Inſtit c. 15. contra eos ſit

24 CONCLUSIO II.

Juſtitia Originalis, cæteraque gratiæ dona ac beneficia primis parentibus in ortu ſuo conceſſa, verè ſupernaturalia fuêre & ipſis prorsùs indebita, nec ullatenus dici poſſunt creaturæ ſanæ & innocenti debita ac naturalia.

Prob. 1mo ex Scripturis, quibus conſtat dona gratiæ, ac præcipuè gratiam ſanctificantem eſſe in ordine quodam ſublimiori ſuperante omnem exigentiam & debitum naturæ rationalis. *Per quem* (Chriſtum) *maxima*, inquit S. Petrus Ep. 2. c. 1. *& pretioſa nobis promiſſa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ.* 1. Joan. 3. *Videte*, inquit Apoſtolus, *qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur & ſimus.* His textibus dona ſupernaturalia, atque imprimis gratia ſanctificans, deſignantur tanquam beneficia longè ſuperantia naturam humanam, quibus nempè ſupra ſuam conditionem ipſa exaltatur ad conſortium divinitatis.

Prob. 2do Auctoritate Bullarum Pii V. & Gregorii XIII. quibus Baji propoſitiones 21. 23. 23. 26. &c. damnatæ ſunt, Ex quarum, præſertim 26tæ. quæ ſic habet: *Integritas primæ creationis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio*, damnatione manifeſtè evincitur veritas noſtræ Concluſionis.

Prob. 3tio ex SS. Patribus. SS. Athanaſius, Chryſoſtomus, Gregorius Nazianzenus, Cyprianus, Auguſtinus & alii tradunt unanimiter, Adamum juſtitiæ originalis beneficiô ad eam dignitatem evectum fuiſſe, ut eſſet *deiformis filius Dei, conſors divinitatis, in ipſamque quaſi transformatus naturam divinam.* Atqui nonniſi abſurdè dici poſſet, tantam dignitatem homini eſſe naturalem & debitam.

Prob. 4to. ex conſtanti Theologorum doctrina, qui præeunte S. Thoma, communi conſenſu docent ſtatûs naturæ puræ poſſibilitatem, ut §. ſequenti oſtendemus. Atqui hujus ſtatus poſſibilitas manifeſtè ſupponit dona gratiæ primo homini conceſſa, minimè fuiſſe ipſi debita ac connaturalia.

Digitized by Google

Prob. 5to. variis rationibus Theologicis. 1ma petitur ex idea gratiæ. Gratia propriè dicta eſt donum gratuitum excludens omne debitum tùm perſonæ ex merito actionum proveniens, tùm naturæ ex conditione ac exigentia rei procedens, ut patet. Atqui juſtitia originalis, cæteraque dona Adamo collata, veri nominis gratiæ fuerunt, prout docent unanimiter SS. Patres, præ cæteris S. Auguſtinus, lib. de corrept. & grat. c. 11. S. Cyprianus, lib. de dono patientiæ. Ergo &c.

2da. Deſumitur ex notione entis ſupernaturalis. Ad ens ſupernaturale, prout intelligitur ab omnibus Theologis, non ſufficit, ut quoquo modo ſuperet activas naturæ vires; aliàs creatio & conſervatio animæ rationalis in corpore humano organis ſuis inſtructo ac prædito forent ſupernaturales, cùm tamen ei ſint naturales duntaxat; ſed inſuper requiritur ut ſit in ordine quodam ſublimiori & ſuperminenti, ejusque productio & conſervatio excedat exigentiam ac debitum totius naturæ. Atqui talis fuit juſtitia Originalis, gratia ſanctificans, &c. quæ non modò activas naturæ vires ſuperat, ſed eſt ordinis ſublimioris & ſupereminentis, ejusque productio & conſervatio exigentiam ac debitum naturæ excedit; hæc enim prorsùs ſine ea eſſe poteſt, prout notum eſt. Ergo, &c.

3tia. Poſſibilia fuerunt dona propriè & ſtrictè gratuita ac ſupernaturalia, quæ ſcilicet primi hominis, imò & totius naturæ vires & exigentiam excederent; Utique enim potuit Deus perficere naturam rationalem ultra naturalem ac debitam ipſius conſtitutionem. Atqui ex poſſibilibus donis talia ſunt ea, quæ hominem reddunt *Filium Dei*, *deiformem*, *divinitatis conſortem*, *&c.* qualia etiam fuère gratia ſanctificans, charitas, &c. Ergo.

Confirmatur. Omnis creatura naturaliter eſt ſerva, juxta illud Pſal. 11. *Omnia ſerviunt tibi*, & alibi; *Dominus univerſorum tu es*; Ergo quòd aliqua creatura aſſumatur in adoptionem Filiorum Dei, & in conſortium naturæ divinæ, quod quidem fit per gratiam, ſuperat omnem creatæ naturæ conditionem, eſtque prorsùs gratuitum & ſupernaturale, &c.

4ta. Nulla datur, imò nec poſſibilis eſt creatura ſupernaturalis, cui nempe intuitiva Dei viſio ſit connaturalis. Ergo neque ei connaturalia ſunt ea, quæ ad eamdem intuitivam Dei viſionem ordinantur ex ſe & eſſentialiter; ut gratia, charitas, &c.

5ta. Quoad immortalitatem. Corpus humanum naturaliter conſtituitur ex principiis intrinſecis adversùm ſe jugiter colluctantibus, quæ proinde, ſeclusâ ſpeciali & miraculosâ providentiâ, ineluctabili neceſſitate mortem inducunt. Ergo Immortalitas primi hominis, ipſi prorsùs indebita fuit ac ſupernaturalis. Ita manifeſtè docet S. Auguſtinus, lib. de Geneſ. ad litt. c. 25. Eadem quoque eſt ſententia S. Thomæ, 1. 2. q. 85. a. 6. Ubi conceptis verbis aſſerit & probat, hominem naturaliter eſſe corruptibilem ratione corporis, & incorruptionem primi hominis non fuiſſe ſecundùm naturam, ſed ex ſupernaturali Dei dono.

6ta. Quantùm ad concupiſcentiam. 1mo. Immunitas à concupiſcentia, ſeu obedientia vel ſubjectio appetitûs ſenſitivi rationi, fuit in primo homine unum ex præcipuis juſtitiæ originalis donis ac beneficiis. Atqui, ut jam demonſtravimus, dona juſtitiæ originalis homini innocenti prorsùs indebita fuerunt & ſupernaturalia. Ergo, &c. 2do. Concupiſcentia neceſſariò fluit ex principiis naturæ humanæ; namque naturale eſt homini, quate-

quatenus corpus habet, concupiſcere bonum ſenſibile; eidem verò, quatenus mente præditus & rationalis eſt, neceſſariò ineſt appetitus naturalis boni ſpiritualis. Atqui ſi duo illi appetitus ſibi relinquantur, impoſſibile fuit, ut non interdum appetitus ſenſibilis inſurgeret contra rationalem; impoſſibile enim eſt, ut inter tot delectabilia objecta, quæ ſenſibus occurrunt, non reperiantur plurima bono ſpirituali contraria: aliunde verò niſi appetitus ſenſitivus à cauſa exteriore cohibeatur, in deſiderium boni delectabilis, quod ipſi per ſenſus proponitur, neceſſariò & omni, quo valet, conatu erumpit; ſiquidem appetitus ille principium eſt neceſſarium ac minimè liberum ſuorum actuum. Ergo, &c. Ita docent S. Auguſtinus, lib. 4. cont. Julian. c. ult. ubi hanc à concupiſcentia immunitatem divino gratiæ beneficio adſcribendam ſtatuit. Et S. Thomas diſertiſſimis verbis, 1. p. q. 95. a. 1.

7ma. Quantùm ad cætera corporis mala ſeu ærumnas. 1mo. Homo innocens, ut jam probavimus, condi potuit obnoxius morti. Ergo à fortiori obnoxius aliis miſeriis, quæ ſunt comites ac veluti appendices mortalitatis. 2do. Natura humana quantumvis innocens ſupponatur, ſuapte conditione ſenſitiva eſt & corporea, adeoque obnoxia externis agentium naturalium & liberorum impreſſionibus. Atqui externæ impreſſiones neceſſariò nonnunquam inferunt ſenſibus moleſtiam. Ergo. 3tio. Beata Virgo ab omni prorsùs peccato immunis, imò & ipſemet Chriſtus, obnoxii fuêre miſeriis corporeis. Ergo poſſunt mala corporea absque prævio peccati merito hominem innocentem affligere. Hinc meritò damnatæ fuerunt 72. & 73. Baji propoſitiones, quæ negant, quemquam poſſe affligi, niſi propter peccata.

25 Quod tertium attinet, quo ſcilicet quæritur, quonam gratiæ auxilio indiguerit Adamus innocens; Lutherus & Calvinus agnoſcunt gratiam ſtatûs innocentiæ permiſſam fuiſſe libero arbitrio, eamque gratiam ſanitatis, quia primo homini ſano collata fuit, cui porro aſſentiri vel reſiſtere poſſet, nuncupant. At ſecùs de gratia eidem nobisque omnibus ejus poſteris poſt lapſum data ſentiunt, ut quam hominis lapſi voluntatem neceſſariò determinare tueantur: eam medicinalem vocant, eoquòd hominem à peccati ſui infirmitate ſanet. In eo igitur diſcrimen gratiæ ſanitatis & medicinalis reponunt, quòd innocens & ſana primi hominis voluntas gratiæ poſſet aſſentiri vel reſiſtere; gratia autem medicinalis infirmam hominis lapſi voluntatem neceſſariò determinet. Ita ſæpè Lutherus, maximè lib. de ſervo arbitrio, & Calvinus, lib. 2. Inſtitut. c. 5.

Iſtud Hæreſiarcharum horum ſyſte- 26
ma amplexus eſt Janſenius Yprenſis paſſim, & præſertim lib. 2. de Gratia Chriſti, c. 4. ubi docet utriusque hujus Gratiæ diſcrimen in eo poſitum eſſe, quòd gratia ſtatûs innocentiæ eſſet repudiabilis, gratia verò medicinalis ſit neceſſitans, ita ut voluntas ei reſiſtere non poſſit. Gratiam ſanitatis vocat adjutorium *ſine quo non*, eſtque juxta ipſum quælibet gratia, cui homo ex indifferentia arbitrii aſſentiri poteſt vel refragari. Gratiam medicinalem verò nuncupat *adjutorium quo*, eſtque apud ipſum illud, cujus uſus vel non uſus in voluntatis arbitrio poſitus non eſt, ſeu cui voluntas non poteſt diſſentire. Hinc infert cit. lib. c. 5. adjutorium *ſine quo non*, cujus ſcilicet uſus ita ponitur in voluntatis arbitrio, ut illi conſentiat, ſi voluerit, quantumvis ſine illo non velit, aut velle non poſſit, ad medicinale Chriſti adjutorium nullo modo pertinere; ſed ad adjutorium primi hominis & ſanæ voluntatis referendum eſſe. Ex quibus patet, Janſenium nullam Gra-

tiam ſtatûs præſentis admittere niſi neceſſitantem, & efficacem.

27 Theologi Catholici equidem extra dubium ponunt Adamum in ſtatu innocentiæ eguiſſe ſupernaturali auxiliô Gratiæ 1mo. Ad eliciendos actus ſalutares, utpote ſupernaturales, adeoque ſupra ipſius naturæ vires poſitos. 2do. Ad eliciendos actus virtutum infuſarum Fidei, Spei, Charitatis; cum illi actus ſint ſupernaturales. 3tio. Ad ſervandam Legem ſupernaturalem: nam legis ſupernaturalis obſervatio includit actus ſupernaturales Fidei, Spei, Charitatis, &c. Qui proinde per ſe excedunt vires naturales. 4to. Ad perſeverandum in integritate & ſanctitate accepta; nam in ea perſeverare non poterat, niſi obſervando legem ſupernaturalem. Illud verò auxilium multiplex erat. Nam 1mo. Egebat virtutibus infuſis per ſe: quia hi habitus dant poſſe ſimpliciter; & potentia creata non habet ex ſe id omne, quod requiritur ex parte cauſæ ſecundæ ad productionem actuum ſupernaturalium, alioqui illi actus non eſſent ſupernaturales, ſed naturales. Harum tamen virtutum cauſalitatem immediatè per ſe ipſam ſupplere poteſt omnipotentia divina. 2do. Egebat concurſu ſupernaturali, nam ſine illo actus ſupernaturalis eſſe non poteſt. 3tio. Egebat gratiâ actuali ſaltem illuſtrationis, alioqui actus ejus non fuiſſent ſupernaturales: nam habitus, qualis eſt gratia ſanctificans, præciſè per ſe non agit, nec poteſt ad agendum determinari per actum voluntatis aut intellectûs merè naturalem.

28 Et quamvis velut certum ſtatuant, Gratiam actualem hominibus lapſis neceſſariam, quæ medicinalis dicitur, differre à Gratia ſtatûs innocentiæ, eoquòd Gratia ſufficiens homini ſano differre debeat ab ea, quæ ægro ac infirmo in remedium infirmitatis ſuæ eſt neceſſaria: tamen Eccleſiæ definitionibus fulti tanquam de fide tuentur, Gratiam medicinalem non differre à Gratia ſanitatis, quòd illa ſit neceſſitans, hæc verò fuerit repudiabilis. Nam de fide eſt, Gratiam medicinalem etiam efficacem non neceſſitare voluntatem, prout infrà, ubi nobis de Gratia actuali ſermo erit oſtendemus.

Attamen in aſſignando inter utramque hanc gratiam diſcrimine iidem Theologi non conveniunt, ſed in varias opiniones abeunt, quas hîc breviter referre placet.

Prima eſt Thomiſtarum, qui cùm ne- 29
ceſſitatem gratiæ phyſicè præmoventis ex dominio cauſæ primæ in ſecundam repetant, eam proinde in ſtatu naturæ innocentis neceſſariam fuiſſe arbitrantur: in quo autem collocandum ſit utriusque gratiæ diſcrimen, non omninò conſentiunt. Nonnulli ajunt, totum diſcrimen ſe tenere ex parte gratiæ ſufficientis, quam in præſenti ſtatu ex illuſtratione intellectûs & motione voluntatis, in ſtatu verò innocentiæ ſola mentis illuſtratione perfectam fuiſſe exiſtimant. Alii diſcrimen in eo collocant, quòd in ſtatu naturæ innocentis, titulô duntaxat dependentiæ neceſſaria fuerit gratia præmovens; in præſenti verò naturæ lapſæ ſtatu duplici titulo, nempe dependentiæ & infirmitatis, non quòd ipſa neceſſaria ſit, ut voluntas habeat vires relativè (*n*) proportionatas operi exequendo; has enim vires beneficiô gratiæ ſufficientis conferri indubitanter docent Thomiſtæ; ſed ut, non obſtante perpetua carnis repugnantia, ad bonum operandum infallibiliter moveatur ac conſtanter determinetur.

Alii

(*n*) Ad contrariam concupiſcentiam videlicet.

Alii denique diſcrimen aliquod excogitârunt in eo poſitum, quòd, ut ipſis placet, præmotio phyſica in præſenti ſtatu magis virtuoſa ſit, quàm in ſtatu innocentiæ.

30 Secunda eſt eorum, qui contendunt, Adamo ſicut & nobis neceſſariam fuiſſe gratiam voluntatis ſimul cum gratia intellectûs: in hoc autem diſcrimen utriusque ſtatus collocant, quòd licèt homo lapſus verè ac relativè (*o*) poſſit agere per gratiam ſufficientem, nunquam tamen re ipſa & defacto acturus ſit, niſi uberiori gratiæ efficacis auxiliô roboretur, quæ neceſſitas adjutorii efficacis nulla erat in ſtatu innocentiæ. Ad hanc ſententiam revocatur illorum opinio, qui ejusmodi efficacis auxilii neceſſitatem ad difficiliora duntaxat opera reſtringunt.

31 Tertia nonnullorum eſt, qui utriusque ſtatus diſcrimen in eo reponunt, quòd in ſtatu naturæ innocentis ſola fuerit gratia ſufficiens, quam appellant adjutorium *ſine quo non*; in ſtatu autem naturæ lapſæ, præter gratiam ſufficientem, adhuc concedatur gratia efficax, quam vocant adjutorium *quo*, cujus neceſſitatem dicunt maximè à S. Auguſtino fuiſſe commendatam reſpectu perſeverantiæ; obſervant autem, illud adjutorium *quo* non eſſe ſingularem aliquam gratiam, quæ juſto concedatur in aliqua temporis differentia, ſed potiùs collectionem gratiarum tùm internarum, tùm externarum, quibus ita cumulatur prædeſtinatus usque in finem, ut certò certiùs omnes tentationes ſuperet, atque ita in finem perſeveret.

32 Quarta eorum eſt, qui inter utriusque ſtatus auxilia diſcrimen illud aſſignant, quòd natura innocens jam evecta ad eſſe ſupernaturale per gratiam habitualem, potuerit rectè operari cum ſola mentis illuſtratione; nunc verò inſuper neceſſaria ſit gratia voluntatem movens ac præveniens, eaque ſive ſit ex ſe efficax, ſive non.

Quinta tandem ſtatuit Adamo ad bene agendum & perſeverandum nullâ aliâ opus fuiſſe gratiâ, quàm habituali: unde ſtatum innocentiæ in eo diſcrepare vult à natura lapſa, quòd homo innocens nulla planè gratia præveniente, ne quidem intellectûs indigeret; nunc autem neceſſaria ſit gratia actualis præveniens. 33

Hæ ſunt variæ Catholicorum Theologorum circa utriusque ſtatus naturæ innocentis videlicet & lapſæ gratiam opiniones; quas ea duntaxat ratione hîc referre placuit, ut ſi fortè cuiquam una præ cæteris arriſerit, ipſi per nos liceat eam amplecti ac pro viribus tueri. Nos pro animi noſtri circa hujusmodi controverſias Scholæ diſputationi ab Eccleſia relictas indifferentia nihil hîc definimus, verùm ultrò arbitramur quamlibet earum ſua probabilitate haud carere, quamvis non omninò convincant; nec certum nobis ſit, quænam veritatem aſſequatur.

Solvuntur Objectiones. 34

Ob. 1mo contra 1mam Concluſionem. S. Gregorius Nyſſenus Orat. 1. in hæc verba: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, docet priùs hominem conditum fuiſſe ad imaginem ſecundùm naturalia, tùm ad ſimilitudinem ſecundùm ſupernaturalia. Ergo in ortu ſuo nondum ſtatim juſtitiam Originalem &c. à Deo accepit.

Reſp. neg. conſ. Quidquid ſit de eo diſcrimine, quod nonnulli Veteres reponunt

(*o*) Ad oppoſitum ad quod per concupiſcentiam ſuam allicitur.

ponunt inter imaginem & ſimilitudinem Dei, ad quam homo factus eſt; negamus S. Gregorium Nyſſenum aſſeruiſſe hominem priùs prioritate temporis creatum fuiſſe in puris naturalibus, tùm ſupernaturalibus donis inſtructum & ornatum à Deo fuiſſe: ſimul enim & naturam & gratiam accepit.

35 Ob. 2do. S. Cyprianus Ep. 74. ad Pompejum *Non*, inquit, *per manûs impoſitionem quis naſcitur, quando accipit Spiritum ſanctum, ſed in Baptiſmo; ut ſpiritum jam natus accipiat ſicut in primo homine Adam factum eſt. Ante enim Deus eum plasmavit, & tunc inſufflavit in faciem ejus flatum vitæ. Nec enim poteſt accipi ſpiritus, niſi priùs fuerit qui accipiat.* Ergo Adam priùs conditus fuit, quàm ſpiritum vitæ, id eſt juſtitiam & gratiam ſanctificantem acceperit &c.

Reſp. neg. conſ. Ad intentum S. Cypriani ſatis eſt, quòd aliqua prioritate ſeu temporis ſeu naturæ tantùm creatio Adami præceſſerit ejus ſanctificationem vel animæ infuſionem. Comparatio quippe, qua utitur, duobus modis poteſt intelligi, 1mo. Ut loquatur non de ſanctificatione Adæ, ſed de animatione per infuſionem animæ rationalis; quo in exemplo vera eſt temporis prioritas, & comparatio videtur perfecta: ſicut enim priùs tempore corpus Adami conditum fuit, quàm ſpiritum vitæ acceperit; ita priùs tempore homo per Baptiſmum renaſcitur, quàm plenitudinem Spiritus ſancti accipiat per Confirmationem. 2do. Ut loquatur de ſanctificatione Adami per gratiam; quam ejus creatio præceſſerit, non prioritate quidem temporis, ſed naturæ tantùm: qua ex parte paritas manca eſt & imperfecta. Porro S. Cyprianus vim non facit in ordine temporis, neque ad hoc paritatem inſtituit; ſed tantùm ad declarandum ordinem præſuppoſitionis, ſeu diſtinctionis inter actiones, quarum una ſupponit effectum alterius, ſive ordo ille ſit temporis, ſive naturæ: hoc enim ad cauſam, quam agebat, nihil conferebat. Ad rationem verò, quam ſubjicit, facilè reponitur, ſufficere prioritatem naturæ, quam non negamus; neceſſariam verò non eſſe prioritatem temporis.

Ob. 3tio. S. Auguſtinus maximè in tribus locis docet, Adamum in primo creationis inſtanti non recepiſſe ſpiritum gratiæ, ſed ſolum ſpiritum animæ rationalis, lib. 13. de Civ. c. 24. in hæc Pauli 1. Cor. 15. v. 45. verba: *Factus eſt primus homo Adam in animam viventem, noviſſimus Adam in ſpiritum viviſicantem: ſed non priùs quod ſpiritale eſt, ſed quod animale: deinde quod ſpiritale &c.* ait: *Primus homo de terra terrenus, in animam viventem factus eſt, non in ſpiritum viviſicantem, quod ei per obedientiæ meritum ſervabatur.* Lib. 2. de Geneſ. ad litt. c. 8. n. 10. expreſsè aſſerit, Adamum gratiâ donatum non fuiſſe, niſi poſtquam in paradiſum translatus eſt. *Tunc enim*, ait, *ſpiritalis effectus eſt, cùm in paradiſo, hoc eſt, in beata vita conſtitutus, præceptum etiam perfectionis accepit.* Denique Lib. de corrept. & grat. c. 10. n. 27. ait: *Deum ſic ordinaſſe Angelorum & hominum vitam, ut in ea priùs oſtenderet, quid poſſet eorum liberum arbitrium; deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium, juſtitiæque judicium.* Ergo ſupponit primum hominem cum ſolo naturali libero arbitrio conditum ſtatim fuiſſe; tùm deinde gratiam accepiſſe. 36

Reſp. neg. conſ. Ad textus S. Auguſtini; in primo loco S. Doctor de gratia ſanctificante Adamo conceſſa nullatenus agit; ſed de dotibus ſeu conditionibus corporis immortalis & glorioſi, quas primus parens in ſuo ortu non accepit: non enim ſic factus fuit, quin poſſet mori,

Digitized by Google

mori, cùm revera mortuus fuerit; ſed quas, meritò obedientiæ, poſt generalem corporum reſurrectionem aſſecuturus erat: tunc enim planè impaſſibilia, immortalia ac glorioſa futura ſunt Sanctorum corpora, prout patet totum hujus S. Doctoris textum legenti. Ad 2dum. Loquitur de omnimoda perfectione ſtatûs innocentiæ; non autem de ſola juſtitia ſeu gratia ſanctificante, qua anima Adami ornata ſtatim à creatione ſua fuit. Mens ergo illius eſt, Adamum in beata vita, hoc eſt, in omnibus, quibus affluere debebat, corporis & animæ deliciis, priùs conſtitutum non fuiſſe, quàm translatus fuerit in paradiſum. Ad 3tium. Non ſpectat eo loci S. Auguſtinus nudum ſeu omni donô gratiæ deſtitutum Angelorum & Adami liberum arbitrium, ſed eo tantùm dono, quod appellat auxilium *quo*, ſeu auxilium efficax perſeverantiæ, ac contendit, Adamo innocenti datum fuiſſe auxilium duntaxat ſufficiens, ſeu *ſine quo non*, cum quo perſeverare quidem poterat, ſed quod ipſam non dabat perſeverantiam: homini verò lapſo neceſſarium eſſe auxilium *quo* ſeu efficax perſeverantiæ.

37 Ob. 4to. Vix intelligi poteſt, qua ratione primus homo peccaverit, ſi ſtatim ab ortu ſuo tam perfectus, tam juſtus & innocens conditus fuit. Ergo, &c.

Reſp. neg. ant. Facilè intelligi poteſt, quòd homo, qui liber conditus eſt ac dominus viarum ſuarum à gratia, quam accepit, potuerit peccando excidere. Imò ſi gratiam, qua poterat non peccare, & quæ neceſſaria prorſus eſt ad non peccandum, non accepiſſet, haud dubiè non peccaſſet. Juſtitia ſcilicet originalis nec fuit in ipſo impotentia abſoluta non peccandi, nec impeccantia ſimpliciter; ſed potentia non peccandi ex juſtitia mutabili, quæ peccandi quidem voluntatem, quamdiu ſtabat, ſed non facultatem auferebat. Omnis enim creatura, cùm ſit ex nihilo deficere poteſt. Leg. Auguſtin. lib. 14. de Civ. c. 27.

Ob. 5to. Contra 2dam Concluſionem. Privatio charitatis, juxta S. Auguſtinum, lib. 11. de Civ. c. 17. lib. 3. de lib. arb. c. 13. 14. &c. eſt vitium naturæ, atque adeò contra naturam. Atqui ſi charitas debita non eſſet & connaturalis creaturæ rationali, charitatis defectus non eſſet naturæ rationalis vitium, ſicut ejus vitium non eſt carere unione hypoſtatica, & donis, quæ dicuntur gratiæ gratis datæ. Ergo &c. 38

Reſp. Diſt. maj. Privatio charitatis latè ſumptæ, vel quæ ſupponit Dei ordinationem ad finem ſupernaturalem, eſt vitium naturæ, conc. maj. Privatio charitatis ſtrictè ſumptæ & abſtrahentis à qualibet libera & gratuita Dei ordinatione ad beatitudinem ſupernaturalem, eſt vitium naturæ innocentis, neg. maj. Igitur 1mo. Charitas ſumi poteſt latè pro quolibet recto & honeſto amore, quo ſenſu S. Auguſtinus, Serm. 349. charitatem dividit in *divinam* & *humanam*: ſicque ſumptæ charitatis defectus verum eſt naturæ rationalis vitium; nec mera negatio, ſed vera naturalis boni animæ privatio. 2do. Charitas ſumi poteſt ſtrictè pro amore caſto & ſupernaturali; ſicque ſumpta, ſi comparetur cum ſola natura, abſtrahendo à qualibet Dei ordinatione ad finem ſupernaturalem, ipſius defectus non eſt vitium propriè loquendo, nec privatio, ſed mera abſentia perfectionis indebitæ. Si autem comparetur cum natura ex Dei ordinatione elevata & deſtinata ad finem ſupernaturalem, tunc charitatis abſentia vitium eſt animæ, & boni naturalis privatio, nomine bonorum naturalium

turalium complectendo omnia dona etiam ſupernaturalia in creatione accepta. Sicque intelligendus eſt S. Auguſtinus.

39 Ob. 6to. Quod eſt ſecundùm naturæ exigentiam, naturale dici debet. Atqui immortalitas corporis eſt ſecundùm naturæ exigentiam; nam forma immortalis, qualis eſt anima rationalis, naturaliter exigit uniri materiæ ſeu corpori immortali; aliàs per totam æternitatem à corpore ſuo avulſa in ſtatu violento futura eſſet; nec conſequenter ſuam aſſequi poſſet naturalem beatitudinem. Ergo.

Reſp. neg. min. Anima à corpore avulſa illud duntaxat naturaliter appeteret, quod naturaliter conſequi poſſet: cùm ergo corporis ſui immortalitatem non poſſet naturaliter aſſequi, eam non expeteret, nec conſequenter foret in ſtatu violento, & omni ſua naturali beatitudine privata, ſi à corpore ſuo ſeparata & avulſa remaneret.

§. II.

40 *De ſtatu naturæ puræ.*

Quid per ſtatum naturæ puræ intelligamus ſupra initiô hujus capitis expoſuimus. Eſt nempe ſtatus in quo homo naſceretur absque ullo dono ſupernaturali & ſine peccato, cum omnibus perfectionibus & imperfectionibus, quæ naturam ipſam conſequuntur, obnoxius proindè ignorantiæ, concupiſcentiæ, morbis, aliisque hujus vitæ ærumnis, ac ipſi tandem morti.

Pelagiani ſtatum hunc nedum poſſibilem, ſed & exiſtentem admiſerunt. Errorem hunc ſtrenuè ac invictè repreſſit S. Auguſtinus, libris præſertim contra Julianum.

Lutherus, prout jam ſupra §. præcedenti num. 23. adnotavimus, in c. 3. Geneſ. juſtitiam originalem homini tam naturalem fuiſſe contendit, quàm naturale eſt oculo, ut lumen videat: ex quo evidenter ſequitur, ſtatum naturæ puræ, juxta Lutherum, omninò fuiſſe impoſſibilem.

Calvinus durum loquendi modum Lutheri utcumque emollire ac temperare viſus eſt. Nam impoſſibilitatem ſtatûs naturæ puræ, in pro primitùs homo conderetur absque originali juſtitia, repetit ex juſtitia, bonitate ac æquitate Dei: ſic enim habet lib. 1. Inſtit. c. 15. *In contumeliam Dei recideret, ſi quid vitii ineſſe naturæ probaretur.* Et lib. 2. c. 1. *Minimè conſentaneum eſt, Deum fieri mortis auctorem.*

Hanc opinionem apertè amplexus eſt Bajus Academiæ Lovanienſis Doctor & Cancellarius, cujus plures extant ea de re propoſitiones à S. Pio V. damnatæ, prout §. præcedenti, Concluſ. 2dâ. Prob. 2dâ. num. 24. adnotavimus.

Eum ſecutus eſt Janſenius, qui Tom. 2. tribus integris libris præſens verſat argumentum, atque genuinam Baji doctrinam ab errore vindicare, necnon fusè oſtendere conatur, ſtatum naturæ puræ pugnare cum providentia, bonitate, & æquitate Dei, imò cum ipſa nativa hominis conſtitutione, qui aliter creari non poteſt, quàm cum gratia & ordinatione ad finem ſupernaturalem: addit oppoſitam ſententiam unum eſſe ex præcipuis Pelagiani erroris capitibus à S. Auguſtino expugnatis, & ad Manichæismum pertinere.

A memorata Baji & Janſenii doctrina reipſa non diſcrepat quorumdam Theologorum ſententia, qui metaphyſica & ſubtili quadam abſtractione divinam omnipotentiam à cæteris Dei perfectionibus præſcindentes, volunt, in ſe &

Digitized by Google

& habita ratione ſolius divinæ omnipotentiæ, poſſibilem eſſe ſtatum naturæ puræ; aſt contendunt illum repugnare habita ratione divinæ juſtitiæ, bonitatis, &c. abſurda prorsùs diſtinctio.

Cæteri Theologi Catholici poſt S. Thomam ſtatûs naturæ puræ poſſibilitatem propugnant ſub omni reſpectu, ſeu habita ratione omnipotentiæ, ſapientiæ, bonitatis & omnium aliorum Dei attributorum. Cum quibus ſit

41 CONCLUSIO.

Status qui dicitur naturæ puræ, ſub omni reſpectu valdè poſſibilis eſt.

Prob. Neceſſe non fuit hominem creari in ſtatu juſtitiæ originalis, ſed potuit talis à Deo primùm condi, qualis nunc naſcitur, excluſò ſolùm peccatô. Ergo potuit creari in ſtatu naturæ puræ.

Antecedens, in quo poſita eſt tota præſentis controverſiæ difficultas, jam demonſtratum manet ex dictis §. præcedenti, Concluſ. 2dâ. atque inſuper

Prob. 1mo. Ex decreto dogmatico à S. Pio V. edito, & à Gregorio XIII. necnon Urbano VIII. approbato & confirmato, in quo damnantur hæ propoſitiones: 21ma. *Humanæ naturæ ſublimatio & exaltatio in Conſortium divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda eſt, & non ſupernaturalis.* 26ta. *Integritas primæ creationis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio.* 55ta. *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur* (excluſſo ſcilicet peccatô.) 78va. *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, ſed naturalis conditio.* 79na. *Falſa eſt Doctorum ſententia, primum hominem potuiſſe à Deo creari & inſtitui ſine juſtitia naturali.* Ergo &c.

Prob. 2do Ex Patribus. S. Baſilius lib. de Spiritu ſancto, dicit, Angelos non eſſe ſanctos naturâ: a fortiori nec homines. Eadem autem eſt ratio de aliis donis ſupernaturalibus. Pro cæteris omnibus Patribus ſufficiat S. Auguſtinus, qui paſſim noſtram tuetur ſententiam. Unicum ex eo adducimus locum ex lib. 4. contra Julianum c. 16. deſumptum, ubi hæc eloquitur: *Gratia quippe Dei magna ibi erat, ubi terrenum & animale corpus beſtialem libidinem non habebat. Qui ergo veſtitus Gratiâ non habebat in ſuo corpore quod puderet, ſpoliatus gratiâ ſenſit quod operire deberet.* Certè ſi donum integritatis, ſeu ſubjectio partis inferioris ad ſuperiorem erat magna Gratia etiam in ſtatu innocente, natura etiam innocens potuit ſine hoc dono condi: nam quod eſt Gratia, non eſt debitum naturæ, & ejus exigentiam ſuperat. Natura autem condi poteſt ſine eo omni, quod ei debitum non eſt, & ejus exigentiam ſuperat. Jam verò donum immortalitatis, ordinatio ad viſionem intuitivam, & amorem fruitivum, Gratia ſanctificans, adoptio divina & cætera dona non ſunt minùs Gratia etiam in natura innocente, quàm donum integritatis: ac proindè tam ſine illis omnibus condi potuit natura etiam innocens, ſeu peccatô immunis.

Prob. 3tio. Momentis Theologicis. 1mum. Ex dictis, ſtatus naturæ puræ ille eſt, in quo homo primitùs à Deo crearetur abſque gratia & ſine peccato, obnoxius tamen omnibus miſeriis & calamitatibus, quibus nunc premimur. Atqui maxime poſſibilis eſt ſtatus ille. 1mo. Poteſt homo creari abſque gratia, cæteriſque donis ipſi annexis; quia ſine eo condi poteſt, quod eſt ſupernaturale, ipſiuſque naturæ omninò indebitum. Atqui talia ſunt gratiæ dona, alioquin *gratia jam non eſſet gratia*, inquit Apoſtolus, Rom. 11. Ergo &c.

Digitized by Google

2do. Creari poteſt ſine peccato; imò non potuit primitùs condi cùm peccato: aliàs Deus peccati auctor dicendus foret.

3tio. Creari itidem potuit obnoxius concupiſcentiæ, morbis, aliiſque ſimilibus ærumnis, ipſi tandem morti: iſta ſiquidem forent primordia naturæ, ipſiusque appendices, ut loquitur S. Auguſtinus; atque in ipſa hominis conſtitutione fundarentur: Sic concupiſcentia in conjunctione corporis cum anima, quo fit, ut mens de corpore ſollicita bonorum ſenſibile proſequatur tanquam corpori conveniens; pariter morbi, dolores, aliæque miſeriæ, ex influxu cauſarum naturalium profluerent, quæ hominem circumdant, & circumſediſſent in ſtatu naturæ puræ, quæque hujusmodi ærumnas quadam naturali neceſſitate inflixiſſent; ipſa denique mortalitas fundatur in compoſitione elementorum, quibus corpus humanum conſtat, quæ mutuâ ſecum pugnâ mortem tandem generant. Ergo, &c.

2dum momentum. Nulli divinæ perfectioni repugnat, ut creetur homo qualis nunc naſcitur, exceptô peccatô. Non repugnat omnipotentiæ, ut per ſe clarum eſt, nec diffitentur adverſarii. Non etiam repugnat ſapientiæ, juſtitiæ, bonitati, ullivè divino attributo, ut oſtendit S. Auguſtinus, lib. 3. de libero arbitrio, c. 20. 22. & 23. quia tunc Deus concederet homini quæcumque ſunt illius naturæ debita, nempe naturale judicium, libertatem & alias facultates, quibus poſſet ſeipſum excolere, & debitum finem aſſequi: undè & abſolutè pronuntiat S. Auguſtinus, in illa hypotheſi Deum non fore culpandum, ſed laudandum. Ergo, &c.

Et verò ille ſtatus nulli repugnat divino attributo, in quo homo conſtitutus haberet id omne, quod ad naturam humanam pertinet, in quo quidquid deeſſet, gratuitum foret ac indebitum; in quo denique nihil vitii haberet, nihil turpe & inhoneſtum. Atqui talis eſſet homo in ſtatu naturæ puræ conſtitutus, ut ex dictis conſtat. Ergo &c.

His accedit unanimis & conſtans Theologorum conſenſus, qui præeunte Scholæ Principe S. Thoma q. 4. de malo, art. 1. & 1. q. q. 95. item 1. 2. q. 85. a. 5. & 6. unanimiter noſtram ſententiam velut indubitatam ſupponunt. Unde, *Neſcio*, inquit Bellarminus, lib. de Gratia primi hominis, c. 5. *quomodò poſſit ullus Catholicus dubitare, fueritnè primi hominis integritas naturalis, an ſupernaturalis.*

Solvuntur Objectiones. 42

Ob. 1mo. S. Auguſtinus reprehendit Pelagianos, quòd aſſererent infantes naſci ſine peccato, & tamen excludi à Regno cœlorum, ſi morerentur ſine Baptiſmo. Ergo beatitudo ſupernaturalis debita eſt naturæ innocenti. Ergo &c.

Reſp. Diſt. ant. Et S. Auguſtinus hoc dicit ex ſuppoſitione veritatis Catholicæ, etiam ab ipſis Pelagianis admiſſæ, nempe quòd homines ſint & ſemper fuerint in ſtatu naturæ elevatæ ſeu ordinatæ ad Dei viſionem intuitivam & fruitionem, qua proinde nemo privari poteſt niſi per peccatum mortale, conc. Hoc dicit independenter à tali hypotheſi, neg. ant. Et Diſt. conſ. Ergo beatitudo ſupernaturalis naturæ innocenti debita eſt ex gratuita divina ordinatione, conc. Debita eſt ex exigentia naturæ, quæ non peccavit, neg. conſ. In hac & ſimili materia S. Doctor ſemper ſupponit cum Pelagianis ſtatum elevationis, qua homo gratuitò à Deo ordinatus eſt ac deſtinatus ad beatitudinem ſupernaturalem. Quamvis enim Pelagiani negarent

rent

Digitized by Google

rent Adamum creatum fuiſſe in ſtatu Gratiæ; tamen fatebantur eum ad ſupernaturalem ſtatum Gratiæ ſanctificantis, & viſionem intuitivam ac fruitionem Dei ordinatum eſſe.

Inſt. 1mo. S. Auguſtinus docet, non eſſe aliam beatitudinem, quàm ſupernaturalem.

Reſp. Id docet de præſenti ſtatu naturæ lapſæ, non de ſtatu naturæ innocentis.

Inſt. 2do. S. Auguſtinus, lib. 2. contra Julian. c. 10. Et. lib. 6. c. 5. docet, Deum fore injuſtum erga parvulos morti & miſeriis obnoxios, ſi carerent peccatô.

Reſp. Loquitur ex hypotheſi decreti, quo Deus ſtatuerat, hominem à miſeriis ſervare immunem, ſi non peccaſſet.

Inſt. 3tio. S. Auguſtinus dicit, *conſtat nobis mortem, non lege naturæ, ſed meritò inflictam eſſe.*

Reſp. Loquitur ex hypotheſi decreti, quo Deus ſtatuerat, mortem hominis contra naturæ exigentiam impedire, ſi Adamus non peccaſſet. Undè ſolùm vult hominem nunc non mori ex naturæ exigentia, ſed ex merito peccati, quod quidem ſi non admiſiſſet, immortalitatem à Deo gratìs promiſſam conſecutus fuiſſet. Et verò idem S. Doctor, lib. 6. de Geneſ. ad litt. c. 25. ait: *Creatus eſt homo immortalis, quod ei præſtabatur de ligno vitæ, non de conſtitutione naturæ.*

43 Ob. 2do. Deus non potuit creare hominem niſi propter finem ultimum. Sed finis ille ultimus eſt Dei viſio & fruitio. Ergo.

Reſp. Diſt. maj. Niſi propter finem ultimum vel naturalem, vel ſupernaturalem, conc. Niſi propter finem ultimum ſupernaturalem, neg. maj. Duplex eſt finis ultimus, ſeu beatitudo poſſibilis, nempè naturalis & ſupernaturalis. Naturalis conſiſtit in perfecta quadam Dei contemplatione àbſtractiva (*p*), & ejuſdem amore neceſſario viribus non depravatæ naturæ poſſibili. Supernaturalis conſiſtit in Dei viſione intuitiva & amore fruitivo. Ad priorem finem ordinata fuiſſet natura humana, ſi in puris naturalibus creata fuiſſet. Cùm enim ignoti nulla ſit cupido, ſi homini revelatum non fuiſſet, illum ex Dei gratia ad finem ſupernaturalem eſſe deſtinatum, nullum haud dubiè pro illo fine adipiſcendo, clara ſcilicet & intuitiva Dei viſione, in ipſo excitaretur deſiderium; atque in ſola Dei cognitione abſtractiva quieſceret.

Ob. 3tio. Deus non potuit creare 44
hominem in eo ſtatu, in quo homo non poſſet amare Deum propter ſe. Sed in ſtatu naturæ puræ homo non poſſet amare Deum propter ſe. Ergo.

Reſp. Neg. min. Duplex amor Dei propter ſe diſtingui debet, naturalis ſcilicet & ſupernaturalis. Naturalis eſt ille, qui à Natura intellectuali non depravata elici poteſt cum concurſu & providentia naturali. Supernaturalis eſt ille, qui propter ſuam firmitatem & elationem elici non poteſt ſolis naturæ etiam non depravatæ viribus. Primi amo-

(*p*) Contemplatio ſeu cognitio Dei abſtractiva ex dictis in Tract. de Deo part. 1. c 4. §. 2. num. 88. eſt ea, qua Deus per creaturas tanquam per medium ſeu motivum cognoſcitur. Qui benè actâ vitâ in ſtatu naturæ puræ deceſſiſſent in altera & beata vitæ perfectiſſimam Dei contemplationem abſtractivam obtinuiſſent per ſpecies à Deo infuſas, eumque ſibi repræſentaſſent tanquam virtutis remuneratorem magnificum, benignum, ac beatificantem.

amoris, non ſecundi, capax fuiſſet homo in ſtatu naturæ puræ.

Inſt. 1mo. Dei amor naturalis fictitius eſt & impoſſibilis. Ergo.

Reſp. Neg. ant. Neque enim repugnat. Unde S. Pius. V. & Gregorius XIII. Has Baji propoſitiones damnarunt, 34tam. *Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana eſt & commentitia, & ad illudendum ſacris litteris & plurimis veterum teſtimoniis excogitata.* Et 36tam. *Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex ſola philoſophia, per elationem præſumptionis humanæ, cum injuria crucis Chriſti defenditur à nonnullis Doctoribus.*

Inſt. 2do. Fuit capitalis error Pelagii, quòd aſſereret, amorem Dei propter ſe haberi poſſe ſolis naturæ viribus. Unde S. Auguſtinus, lib. 3. de Grat. & lib. arb. cap. 18. ait: *Unde eſt in hominibus charitas Dei & proximi, niſi ex ipſo Deo? nam ſi non ex Deo, ſed ex hominibus, vicerunt Pelagiani: ſi autem ex Deo, vicimus Pelagianos.* Ergo &c.

Reſp. neg. conſ. Capitalis error Pelagii fuit, quòd diceret, amorem Dei propter ſe & ſupra omnia appretiativum (q) atque ſufficientem ad ſalutem æternam, haberi poſſe in hoc præſenti ſtatu naturæ lapſæ ex ſolis naturalibus liberi arbitrii viribus. De hoc autem amore perfecto ac ſupernaturali, & ad ſalutem ſufficiente loquitur S. Auguſtinus locô objectô & aliis ſimilibus. Agitur autem hìc de amoris naturalis minùs perfecti, & inſufficientis ad beatitudinem ſupernaturalem aſſequendam poſſibilitate in ſtatu naturæ puræ.

Inſt. 3tio. Idem S. Auguſtinus variis locis docet, omnem amorem creaturæ rationalis eſſe charitatem, vel cupiditatem. Atqui per charitatem intelligit Dei amorem propter ſe, qui producitur per Spiritum ſanctum, ideoque ſupernaturalem. Ergo.

Reſp. neg. min. Nam S. Doctor in iis locis per charitatem intelligit, non amorem Dei ſuper omnia propter ſe dilecti, ſed amorem boni ſeu honeſti, ſive amorem alicujus virtutis. Unde ſequitur tantùm, omnem amorem creaturæ rationalis eſſe bonum vel malum; & verò erroneum eſt dicere, omnem amorem creaturæ rationalis, qui non ſit Dei propter ſe dilecti, eſſe vitioſam cupiditatem, ut conſtat ex hac Baji propoſitione à Pio V. & Gregorio XIII. damnata: *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur: aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum ſanctum in corde diffuſâ, Deus amatur.* Porro cùm S. Auguſtinus dicit amorem juſtitiæ ſeu virtutis inſpirari, infundi per Spiritum ſanctum, loquitur non de quolibet amore, ſed de amore ad ſalutem æternam conducente.

46 Ob. 4to. Homo condi non poteſt in eo ſtatu, in quo obnoxius eſſet morbis, doloribus, laboribus & morti ſine aliquo peccato. Atqui in ſtatu naturæ puræ iis miſeriis obnoxius eſſet ſine peccato. Ergo.

Reſp. Neg. maj. Quia eſſe obnoxium morbis, doloribus, morti &c. eſt defectus homini connaturalis per ſe, cùm conſtet non ſolùm animâ, ſed etiam corpore, cujus habitudo naturaliter vitiari poteſt, & cujus partes diſſolvi, & organa debilitari naturaliter poſſunt. Atqui

(q) Amor Dei appretiativus eſt, quo voluntas tam forti amoris vinculò aſtricta eſt Deo, ut nulla res eam inde avellere queat. De hoc amore appretiativè ſummo dicebat Apoſtolus, Rom. 8. *Certus ſum, quia neque mors, neque vita . . . . neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei.*

Atqui homo creari potuit cum defectibus ſibi connaturalibus, nec ad id defuiſſent Deo boni fines. Ergo homo potuit creari obnoxius morti, & à fortiori morbis, doloribus, &c. Unde à ſæpe laudatis ſummis Pontificibus damnata eſt hæc Baji propoſitio: *Immortalitas primi hominis non erat Gratiæ beneficium, ſed naturalis conditio.* Cæterùm Miſeria in ſtatu naturæ puræ fuiſſet poenalitas naturalis, non pœna propriè dicta, quæ eſt malum ſeu incommodum propter culpam inflictum, ideoque ſupponit culpam. De hac ſola pœna propriè dicta loquitur S. Auguſtinus, lib. 3. de libero arb. c. 18. quando ait: *omnis pœna, ſi juſta eſt, peccati pœna eſt, & ſupplicium nominatur.*

47 Ob. 5to. Homo creari non potuit in eo ſtatu, in quo laboret ignorantiâ invincibili, niſi id aliqua ſua culpa meruerit. Atqui in ſtatu naturæ puræ homo ſine ſua culpa laboraret ignorantiâ invincibili. Ergo.

Reſp. Neg. Maj. Nam homo condi potuit à Deo cum defectibus ſibi connaturalibus. Sed poſſe ignorare eſt defectus connaturalis homini: nam ejus intellectus eſt valdè limitatus, & pendet ab impreſſione quæ in ſenſibus fit; rerum eſſentias non penetrat, nec veritates ſive ſpeculativas ſive practicas ſine magno labore aſſequitur. Unde quòd Adam creatus fuerit ſine ignorantia, id fuit beneficium Dei gratuitum.

Inſt. 1mo. Ea, quæ tunc fierent ab homine ex ignorantia invincibili, attribuerentur Deo ut Authori. Ergo.

Reſp. neg ant. Quia illa non eſſent à Deo niſi ut permittente & concurrente concurſu generali ex officio cauſæ primæ, nec eſſent peccata niſi materialiter, non autem formaliter ſeu imputabiliter.

Inſt. 2do. S. Auguſtinus docet, ignorantiam eſſe pœnam peccati. Ergo.

Reſp. Loquitur de ignorantia præſentis ſtatus naturæ lapſæ. Nam ſi Adamus non peccaſſet, homines naſcerentur in ſtatu naturæ innocentis & integræ, in quo magna facilitate aſſecuti fuiſſent cognitiones omnes tùm ſpeculativas tùm practicas, ætati & conditioni ſuæ convenientes.

Inſt. 3tio. Chriſtus non aſſumpſit ignorantiam, nec rebellionem carnis, non niſi quia hæc non poſſunt eſſe niſi à peccato. Ergo.

Reſp. Neg. ant. Sed iſta non aſſumpſit, quia dedecebant dignitatem Regis hominum & Angelorum, ſupremi Legislatoris, Doctoris, Judicis, & ſanctitatem ac majeſtatem Verbi.

Ob. 6to. Repugnat ſtatus, in quo homo ſine ſua culpa non poſſit aſſequi beatitudinem ſuam. Sed in ſtatu naturæ puræ eſſet hæc impoſſibilitas ſine culpa hominis. Ergo. 48

Reſp. Neg. min. Nam homo in ſtatu naturæ puræ beatitudinem ſuam naturalem in abſtractiva Dei contemplatione & amore neceſſario huic contemplationi proportionato poſitam mereri & conſequi poſſet per bona opera naturalia: in illo quippe ſtatu providentia naturalis favorabilior eſſet, nec homo tot ac tantis impedimentis & difficultatibus laboraret, quot & quantis in hoc ſtatu naturæ lapſæ obnoxius eſt propter peccatum originale. Porro homo in ſtatu naturæ puræ poſt mortem beatitudine ſua naturali frueretur in altera vita ſaltem ſecundùm animam, quæ naturaliter eſt immortalis. Homo etiam in ſtatu naturæ puræ poſſet moraliter ſervare totam legem naturalem, & vitare omnia peccata mortalia, & quidem ex affectu virtutis ſeu honeſtatis. Nam in hoc ſtatu favorabiliore providentiâ gauderet, quamdiu ſaltem non peccaret; non tantùm impelleretur à concupiſcentia ad malum, nec ab ea tantam pateretur difficulta-

ficultatem ad bonum, quantam nunc patitur ob naturæ corruptionem peccatô originali inductam; nec etiam ſubjiceretur dæmoni, cujus ſervituti obnoxii ſunt homines in ſtatu naturæ lapſæ propter peccatum originale, ut docet Concilium Trid. Seſſ. 5. Can. 1. nec denique tanta foret infirmitas in ſtatu naturæ puræ, quanta nunc eſt in ſtatu naturæ lapſæ.

Inſt. S. Auguſtinus, lib. 10. de Civ. c. 2. & 11. docet, hominem non poſſe ſine Gratia aſſequi beatitudinem illam naturalem, quam Platonici in contemplatione Dei ponebant. Ergo.

Reſp. neg. conſ. S. Auguſt. locis citatis loquitur de homine exiſtente in ſtatu naturæ lapſæ. Quando autem dicit, hominem non poſſe ſine Gratia aſſequi beatitudinem ſuam, loquitur de beatitudine ſupernaturali conſiſtente in Dei viſione intuitiva, & amore fruitivo: nam loquitur de ea beatitudine, ad quam nunc homo ordinatus eſt.

49 Ob. 7mo. In ſtatu naturæ puræ eſſet concupiſcentia à Deo. Atqui hoc repugnat, nam concupiſcentia eſt mala, & pugnat contra Spiritum. Ergo.

Reſp. Diſt. maj. A Deo eſſet concupiſcentia ſumpta præciſè ut eſt potentia coucupiſcendi bona ſenſibilia, conc. Sumpta pro actu malo concupiſcendi. neg. maj. In ſtatu naturæ puræ concupiſcentia ſumpta, ut eſt potentia concupiſcendi bona ſenſibilia eſſet à Deo ut auctore: At concupiſcentia ſic ſumpta non eſt quid malum, nec pugnat contra rectam rationem, ſed eſt perfectio & bonum naturæ, quatenus eſt principium actuum ad naturæ functiones & conſervationem neceſſariorum & rectæ rationi conſentaneorum, licèt quatenùs erumpere poteſt in motus inordinatos & rectæ rationi diſſentaneos non ſit perfectio ſed defectus naturæ connaturalis, & à Deo permiſſus: quemadmodùm voluntas, quatenus eſt principium volitionum rectæ rationi conſentanearum, eſt perfectio & bonum naturæ, licèt, quatenus poteſt elicere actus rationi diſſentaneos, ſit defectus. Concupiſcentia autem, ſumpta pro actu, concupiſcendi inordinato, non eſſet à Deo ut illius authore: nam non eſſet à Deo ut illum volente & procurante, ſed eſſet tantùm a Deo ut permittente & ad illum concurrente concurſu generali ex officio cauſæ primæ: imò Deus vellet illum impediri per rationem, nec ad eum alio modo concurreret, quàm nunc ad entitatem actûs mali concurrit. Concupiſcentia verò ſumpta pro potentia concupiſcendi indeliberatè bona ſenſibilia contra rectam rationem, eſt imperfectio & defectus homini connaturalis, ſicut eſt peccabilitas, quam Deus ſapienter permittit.

Inſt. 1mo. In ſtatu naturæ puræ motus inordinati concupiſcentiæ non poſſent cohiberi, & voluntatem ad peccandum neceſſitarent. Ergo.

Reſp. neg. ant. Nam ejusmodi motus poſſent ſine Gratia cohiberi à natura non vitiata, qualis eſſet in illo ſtatu; nec motus illi adeò vehementes eſſent, ut voluntatem neceſſitarent.

Inſt. 2do Concupiſcentia eſt opus pudendum, utpotè membrorum rebellionem inferens & connotans. Atqui repugnat opus pudendum eſſe à Deo. Ergo.

Reſp. Diſt. maj. Concupiſcentia eſt opus pudendum in præſenti naturæ lapſæ ſtatu, conc. In ſtatu naturæ puræ, ſubdiſt. in ordine mali naturalis, conc. in ordine mali moralis & culpabilis, neg. maj. Et diſt. min. Atqui repugnat opus pudendum eſſe à Deo, quatenus pudendum eſt, & malum formaliter & deficiens, conc. quatenus eſt malum materialiter duntaxat, atque inclinatio in bonum ſenſibile, neg. min. & neg. conſ. Itaque nunc erubeſcimus de concupiſcentia,

tia, & in alio quoque ſtatu, putà naturæ puræ, erubuiſſemus, ſed diſpari modò. Nunc enim erubeſcimus de concupiſcentia, eòquòd ſit opus Diaboli, opus Adami peccatoris, opus noſtrum, quod à peccato noſtro dimanat, & ſtigma rebellionis noſtræ. In alio verò ſtatu erubuiſſemus de concupiſcentia tanquam de malo naturali, non ſecus ac jam nos pudet deformitatis alicujus in corpore. At hæc erubeſcentia non eſſet de operibus Dei, ſed de naturali imperfectione, & de ejuſmodi motibus inordinatis, qui non magis eſſent à Deo, quàm entitas peccati: Deus enim concurreret ad eos ex officio cauſæ primæ tantùm & ſecundùm exigentiam cauſarum ſecundarum, velletque eos cohlberi, & ab eis hominem abſtinere, quoad fieri poſſet.

50 Ob. 8vo. In quocunque ſtatu homo viator conſtituatur, capax eſt remiſſionis peccati. Atqui homo in ſtatu naturæ puræ, capax non foret remiſſionis peccati, quæ ſine infuſione gratiæ obtineri non poteſt. Ergo.

Reſp. Neg. min. Nam homo in ſtatu naturæ puræ conſequeretur remiſſionem peccati, vel per condonationem extrinſecam, vel per infuſionem alicujus qualitatis naturalis. Adde, quòd ſi pugnaciter volueris aliter non poſſe remitti peccata, quàm per infuſionem gratiæ ſanctificantis, nihil inde aliud efficies, niſi hominem in ſtatu puræ naturæ, migraturum ad ſtatum naturæ reparatæ per gratiæ infuſionem.

Caput IV. 51

De Gratia habituali.

Gratia prout jam ſuprà cap. 1. adnotavimus generatim dividitur in habitualem & actualem, illam eſſe ſupernaturale Dei donum animæ permanenter inhærens per modum habitûs, ibidem diximus; hanc verò eſſe actum tranſeuntem. De Gratia habituali atque iis, quæ ad eam conſequuntur præſenti Capite agemus, de Actuali ſequente acturi.

§. I.

De nomine, eſſentia, & exiſtentia gratiæ habitualis. 52

Gratia habitualis hoc nomine venit, quia ad modum habitûs animæ inhæret (r), dicitur etiam *Gratia ſanctificans*, quia effectus ejus formalis eſt ſanctum efficere ſubjectum, cui inhæret, ſicut calor inhærens corpori reddit illud formaliter calidum. Nuncupatur etiam *Gratia juſtificans*; quia ſicut calor expellit frigus, ita Gratia formaliter expellit peccatum, & inclinat ad omne opus bonum; juſtum enim dicimus eum, qui habitualiter diſpoſitus eſt ad legem implendam. Vocatur quoque *Adoptio*; quia effectus ejus formalis eſt facere filios Dei adoptivos, juxta illud Rom. 8. *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba (Pater).* Ob eandem rationem dicitur 1. Joan. 3. v. 9. *Semen Dei*, quatenus per illam naſcuntur filii Dei, & conſortes divinæ illius naturæ. Denique etiam *Pignus hæreditatis* nominatur Epheſ. 1. v. 14. Eſt enim

(r) Habitûs nomine prout in Metaphyſica noſtra part. 2. c. 3. §. 4. adnotavimus, intelligitur facilitas aliqua, quæ facultatem adjuvandum per ſe & immediatè juvat, atque definiri ſolet, *qualitas facultati adventitia, qua facilius operatur.*

enim titulus jus tribuens ad gloriam cœleſtem. *Si . . . filii & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti*, Rom. 8. verſ. 17.

53 Definitur *Supernaturale Dei donum animæ intrinſecè & permanenter inhærens per modum habitûs, quo homo formaliter & permanenter redditur juſtus, ſanctus, Deo gratus, filius Dei adoptivus, & hæres vitæ æternæ.*

Dicitur 1mo. *Supernaturale Dei donum*, ut ſignificetur, Gratiam habitualem ſeu ſanctificantem non eſſe ipſummet Spiritum ſanctum (prout perperam cenſuiſſe Magiſtrum ſententiarum refert S. Thomas) ſed ab ipſo emanare tanquam effectum à cauſa.

54 Dicitur 2do. *Intrinſecè & permanenter inhærens*, contra Lutheranos & Calviniſtas, aſſerentes gratiam juſtificantem eſſe extrinſecum Dei favorem, quo peccata condonat, & imputat Chriſti juſtitiam ſeu merita.

Verùm error iſte dejicitur 1mo auctoritate S. Scripturæ. 1. Tim. 4. *Noli*, inquit Apoſtolus, *negligere gratiam, quæ in te eſt.* 1. Joan. 3. *Omnis, qui natus eſt ex Deo peccatum non facit, quoniam ſemen Dei* (id eſt gratia ſanctificans) *in eo manet.* Si ergo gratia, juxta S. Paulum eſt in Timotheo, ſi juxtà S. Joannem ſemen Dei ſeu gratia ſanctificans manet in illo, qui ex Deo natus eſt, tunc etiam utique intrinſecè & permanenter inhæret. Ad Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Ergo gratia habitualiis ſeu ſanctificans eſt donum Dei animæ intrinſecùs & permanenter inhærens; atque ab ipſo Spiritu ſancto, ſicut effectus à cauſa, fructus ab arbore diſtinguitur, *fructus . . . Spiritûs eſt Charitas*, Galat. 5.

Sed magis directè confoditur Novatorum error cit. c. 5. ad Rom. ubi ſic ſcribit Apoſtolus: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: ſic & per unius juſtitiam in omnes homines juſtificationem vitæ. Sicut enim per unius . . . . inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per unius obeditionem juſti conſtituentur multi.* Atqui non ſumus conſtituti formaliter peccatores per ſolam extrinſecam imputationem peccati primi parentis, ſed per maculam interiorem, & per peccatum intrinſecè inhærens, fatentibus adverſariis. Ergo neque ſumus formaliter juſti per imputationem juſtitiæ, ſive Dei, ſive Chriſti, ſed per veram juſtitiam peccatum formaliter expellentem, & intrinſecùs inhærentem. Nihil hoc textu clarius.

Novatorum error hic deiicitur 2do. auctoritate Traditionis SS. Patrum. S. Chryſoſtomus exponens illud Epheſ. 1. *Gratificavit nos in dilecto Filio ſuo*, ſic ait: *Hoc eſt non ſolùm liberavit à peccatis, ſed etiam fecit amabiles. Quomodò enim ſi quis acceptum aliquem ſcabioſum, & peſte ac morbo, ſenioque ac paupertate infectum, ſtatim formoſum fecerit juvenem, omnes homines pulchritudine vincentem, & poſteà purpurâ induerit, & omni ornatu ornaverit; ita noſtram inſtruxit & ornavit animam, pulchramque fecit, deſiderabilem, amabilem; cupiunt enim Angeli talem aſpicere animam. Ita etiam nos fecit gratiſſimos, & ſibi deſiderabiles*; concupiſcet enim, *inquit*, Rex pulchritudinem tuam. 55

S. Ambroſius, lib. de initiandis c. 7. ſic baptizatum alloquitur: *Accepiſti veſtimenta candida, ut ſint indicium, quòd exueris involucrum peccati, indueris innocentiæ caſta velamina.*

S. Auguſtinus, lib. de Spiritu & Littera, c. 3. *Charitas Dei*, inquit, *dicta eſt diffundi in cordibus noſtris, non qua nos ipſe diligit; ſed qua nos facit dilectores ſuos, ſicut juſtitia Dei, qua juſti ejus munere efficimur, & Domini ſalus, qua nos ſalvos*

Digitized by Google

ſalvos facit, & fides Domini noſtri JEſu Chriſti, qua nos fideles facit. Et Enchirid. cap. 52. *Quemadmodum in illo* (Chriſto) *vera mors facta eſt, ſic in nobis vera remiſſio peccatorum; & quemadmodùm in illo vera reſurrectio, ita in nobis vera juſtificatio.*

Accedit Concilium Tridentinum, Seſſ. 6. Can. 11. ubi, *Si quis*, inquit, *dixerit homines juſtificari .... excluſâ gratiâ & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, qua juſtificamur, eſſe tantùm extrinſecam favorem Dei, anathema ſit.*

56 3tio. Retunditur error iſte momentis Theologis. 1mum eſt S. Thomæ, 1. 2. q. 110. a. 1. Dilectio divina, utpotè actuoſa & efficax, non præſupponit bonum in creatura, ſed illud cauſat. Ergo cùm Gratia dicat ſpecialem Dei dilectionem erga hominem; neceſſe eſt fateri Gratiam eſſe aliquid poſitivum homini conceſſum, ex ſupernaturali Dei dilectione & benevolentia procedens. 2dum. Per juſtificationem non ſolùm homo definit eſſe malus ſeu peccator, ſed etiam fit bonus & juſtus. Atqui homo non fit bonus per ſolam remiſſionem peccatorum, neque per denominationem extrinſecam ſeu imputationem juſtitiæ alienæ. Ergo, &c. 3tium. Si Gratia ſanctificans eſt ipſamet juſtitia Chriſti per fidem apprehenſa & imputata, parvuli non juſtificantur per baptiſmum; quia per fidem juſtitiam Chriſti non apprehendunt, nec ſibi applicant, utpote qui ſint incapaces eliciendi ullum actum. Atqui parvuli juſtificantur per baptiſmum. Ergo &c.

57 Dicitur 3tio. *Per modum habitûs* quo etiam ſignificatur, Gratiam habitualem ſeu ſanctificantem eſſe quid permanens, ut jam priùs in eadem definitione dictum eſt, & diſtinctum ab actu fluente contra dictos Lutheranos & Calviniſtas, necnon quoſdam Theologos Catholicos, qui ante Concilium Tridentinum docuerunt Gratiam ſanctificantem non eſſe quid permanens. Imò poſt laudatum Concilium Vasqueſius docuit hominem juſtificari per juſtitiam actualem, ſeu per actus ſupernaturales virtutum, præſertim charitatis.

Probatur autem noſtra ſententia iiſdem momentis, quibus demonſtravimus, Gratiam habitualem eſſe quid animæ intrinſecùs inhærens.

Ulteriùs adhuc prob. ex Scriptura, Joan. 14. v. 17. *Apud vos manebit* (Spiritus ſanctus) *& in vobis erit.* Verſ. 16. *Alium Paracletum dabit vobis ut maneat vobiſcum in æternum.* Verſ. 23. *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* 1. Cor. 6. *An neſcitis, quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri?* 2. Petri cap. 1. *Maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ.* 1. Joan. 4. v. 16. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Atqui manſio & inhabitatio ſignificant aliquid permanens. Deus autem cùm accedit aut recedit, non mutat locum, utpotè qui ſit ubique, & omnem locum repleat, continetque: ſed dicitur accedere, cùm novò modò alicubi operatur; recedere verò, cùm definit operari, quamvis ſemper præſentiſſimus adſit. Sic dicimus redire ſpiritum hominis, qui deliquium paſſus fuerat, cùm ſolitas operationes repetit. Deus ergo venit ad peccatorem, à quo recedere non potuit, quando illum excitat, & tranſeunter in illo operatur ſanctam cogitationem, & pium voluntatis affectum: manet autem in juſto quamdiu per continuum influxum juſtitiam & Gratiam ſanctificantem, quæ juxta Apoſtolum Petrum mox citatum ſunt *maxima illa & pretioſa nobis promiſſa*, in illo conſervat, atque per illa eum, ut ait idem S. Petrus, con-

Digitized by Google

conſortem fecit divinæ naturæ, ejuſdemque ſecum animi, deſiderii, & affectus. Juſtus quoque per charitatem in Deo manet; quia Gratia ſanctificans ſeu charitas ipſum avellit à terrenis cupiditatibus, omnes ejus potentias, ſenſus, appetitus, amores, operationes, cogitationes, intentiones ad Deum trahit, ut nonniſi Deum & divina cogitet, intendat, ſuſpiret, necniſi in illo quieſcat.

58 Prob. 2do. ex Decretis Summorum Pontificum & Conciliorum Generalium. Innocentius III. Cap. *Majores*, tit. de Baptiſmo, refert oppoſitas ſententias Theologorum circa baptiſmum parvulorum: alii contendebant in parvulis originale quidem peccatum remitti, ſed *fidem aut charitatem, aliaſque virtutes non infundi:* alii contrâ aſſerebant, *dimitti peccatum, & virtutes infundi habentibus illas quoad habitum, non quoad uſum.* Cui poſteriori ſententiæ videtur adhærere ſummus Pontifex.

Sed clariùs Concilium Viennenſe Clementinâ de Summa Trinit. & Fide Catholica, ſic enim ſtatuit: *Quantùm ad effectum baptiſmi in parvulis; reperiuntur quidam Doctores Theologi opiniones contrarias habuiſſe. Quibuſdam ex ipſis dicentibus per virtutem baptiſmi parvulis quidem culpam remitti, ſed gratiam non conferri: aliis è contrâ aſſerentibus, quòd & culpa eiſdem in baptiſmo remittitur, & virtutes ac gratia informans infunduntur quoad habitum. Nos.... opinionem ſecundam, tanquam probabiliorem dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis conſonam & concordem, ſacro approbante Concilio, duximus eligendam.*

Denique Concilium Trid. Seſſ. 5. in decreto de peccato originali, ſub anathemate abſolutè definit, 1mò. Parvulos veraciter baptizari in remiſſionem peccatorum, *ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt.* 2do. In eiſdem non ſolùm tegi, aut non imputari, ſed etiam tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet. 3tio. Quòd *novum....* (induentes hominem) *innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti ſunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Quæ cùm ſine Gratia ſanctificante ſtare nequeant, manifeſtum eſt, Concilium definiiſſe per Baptiſmum gratiam ſanctificantem parvulis infundi quoad habitum; nam omnis actûs ſunt incapaces.

Prob. 3tio. Ratione. Parvuli, qui 59
ad ætatem adultam perveniunt, per gratiam baptiſmalem, quæ ſupponitur in ipſis permanere, non aliter ſunt juſti & ſancti, quàm alii adulti, qui per Sacramentum pœnitentiæ Deo reconciliantur. Ergo gratia ſanctificans eſt in adultis æquè ac in parvulis aliquid permanens per modum habitûs.

Diximus *per modum habitûs*, enim verò non omnibus, præſertim modernis Philoſophis, videtur Gratia ſanctificans verus ac propriè dictus eſſe habitus, vera ac propriè dicta habitualis qualitas. (s) Hi enim, cùm non admittant acciden-

(s) *Nullibi*, inquit Purchotius part 2. Metaph. Sect. 3. cap. 6. pag. 517. *quod ſciam definitum eſt habitus infuſos* (qualis eſt gratia ſanctificans) *eſſe entitates quaſdam ſpiritales, & conſequenter à mente ita ſeparabiles, ut ſine ipſa conſiſtere queant.... Cùm igitur ad fidem noſtram non pertineat eos habitus tanquam entitates defendere: nonne ſatius eſt id de iis ſentire, quod de labe originali docuit S. Auguſtinus, lib. 1. de nupt. & concup, num. 28. alias cap. 25.? Non enim*, inquit, *ſubſtantialiter manet, ſicut aliquod corpus aut Spiritus: ſed affectio eſt quadam malæ qualitatis, ſicut languor. Certè ſi labes originalis, quæ non eſt duntaxat imputata, ſed mentem intrinſecus & permanenter afficit, quædam ſit affectio malæ qualitatis, ſicut languor; nihil obſtare videtur, quominùs boni habitus dicantur affectiones bonæ qualitatis, ut robur & valetudo.*

Digitized by Google

cidentia realiter diſtincta à ſubſtantiis ſive materialibus ſive ſpiritualibus, contendunt Gratiam ſanctificantem ſeu habitualem ſufficienter explicari per divinas impreſſiones & modificationes in anima Juſti permanentes per modum habitûs, qui tamen vera & propriè dicta qualitas non ſit, aut alia entitas realiter diſtincta.

Unde quamvis à communi Theologorum loquendi uſu recedendum non eſſe arbitremur, gratiamque ſanctificantem appellandam eſſe qualitatem vel habitum, tamen fidei non ſatisfacere cenſemus, ſi dicamus gratiam illam eſſe aliquid internum, permanens, diſtinctum ab actu, quidquid tandem illud ſit, quocumque etiam nomine appelletur. Sed ut ad definitionem noſtram redeamus,

60 Dicitur 4to. *Quo homo formaliter & permanenter redditur juſtus*, juxta illud Rom. 5. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius. Sanctus*, nempe immunis ab omni labe peccati, ac plenè firmiterque adhærens cultui divino. *Deo gratus.* Quomodo enim Deo gratus non eſſet, qui divinæ ejus voluntati in omnibus eſt conſentiens? *Filius Dei adoptivus*, non denominatione extrinſeca & morali tantùm, quemadmodùm in civilibus perſona extranea ad ſuccedendum in hæreditate aſſumpta dicitur pro filio adoptata. Nam 2. Petri, c. 1. & 1. Joan. 3. Gratia ſanctificans eſt donum & ſemen Dei, quo homo fit conſors naturæ divinæ, atque Chriſto Filio Dei naturali conjungitur tanquam membrum capiti, eodem vivens ſpiritu: *Videte*, inquit S. Joan. 1. cap. 3. verſ. 1. *qualem charitatem nobis dedit Pater, ut filii Dei nominemur, & ſimus.* Denique *Hæres vitæ æternæ.* Nam ex Apoſtolo Rom. 8. *Si . . . . filii, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti*, hoc eſt, ejusdem gloriæ cum Chriſto participes.

Diſputant etiam hîc Theologi, num 61
Gratia ſanctificans ſeu habitualis ſit quid realiter diſtinctum à charitate. Affirmat S. Thomas, quem ſequuntur illius Diſcipuli. Rationem afferunt, quia Charitas, utpotè virtus per ſe infuſa diſponens ad operationes ſupernaturales, debet ſupponere hominem in eſſe divino & ſupernaturali conſtitutum. Atqui quod, antecedenter ad charitatem, hominem in eſſe ſupernaturali conſtituit, nihil aliud eſſe poteſt, quàm gratia ſanctificans, per quam nimirùm efficimur divinæ conſortes naturæ, quemadmodum loquitur Scriptura. Illud ipſum videtur agnoſcere Concilium Viennenſe (*t*) citatâ Clement. de Sum. Trin. Ubi ait in Baptismo conferri gratiam informantem & virtutes, adeoque gratiam à virtutibus, quarum præcipua eſt charitas, diſtinguere videtur; Idem facere videtur Concilium Trid. Seſſ. 6. cap. 7. docet enim ibidem juſtificationem fieri per ſuſceptionem gratiæ & donorum.

Contra negant Magiſter ſententiarum, S. Bonaventura, Scotus, Durandus, & alii, Gratiam ſanctificantem à charitate realiter diſtingui; quia in Scripturis omnes effectus gratiæ ſanctificantis tribuuntur Charitati. Charitas expellit peccatum, Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Hominem reddit Deo gratum, Joan. 14. *Qui diligit me diligitur à Patre meo, & ego diligam eum.* Conſortem efficit divinæ naturæ, ac proinde filium adoptivum & hæredem, 1. Joan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Et Jacob. 1. v. 12. *Accipiet coronam*

(*t*) Celebratum an. 1311. ſub Clemente V.

ronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. Denique Charitas eſt radix omnium bonorum operum, 1. Cor. 13. *Charitas patiens eſt, benigna eſt, &c.*

Verùm reſpondent prioris ſententiæ patroni, eosdem effectus tribui gratiæ ſanctificanti & charitati, propter neceſſariam & inſeparabilem utriusque connexionem; nam gratia ſanctificans non poteſt exiſtere ſine charitate habituali, nec viciſſim ejusmodi charitas absque gratia ſanctificante. Et verò Apoſtolus loc. cit. patientiæ, benignitatis, & aliarum virtutum effectus charitati tribuit, quamvis tamen charitas à patientia, benignitate, aliisque virtutibus reipſa diſtinguatur. Sed hanc controverſiam Scholæ dirimendam relinquimus; quia ad ſalutem fidelium nihil intereſt ſcire, an Gratia habitualis ſeu ſanctificans, & charitas realiter diſtinguantur, modò noverint, dona illa ſimul in juſtificatione conferri.

62 Porrò exiſtere Gratiam ſanctificantem abundè liquet ex dictis, adeò ut ad ejus exiſtentiam probandam ultrà excurrere opus haud ſit. *Juſtificati ergo ex fide*, inquit Apoſtolus, Rom. 5. verſ. 1. *pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum.* Item 1. Cor. 6. verſ. 11. *Abluti eſtis . . . ſanctificati eſtis . . . juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri JEſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri.* At hæc ſanctificatio, ſeu juſtificatio non fit niſi per gratiam ſanctificantem, quæ ex Concilio Tridenr. Seſſ. 6. cap. 7. eſt unica cauſa formalis juſtitiæ noſtræ.

63 Præter Charitatem ad rationem Gratiæ ſanctificantis etiam pertinere videntur aliæ virtutes, quæ, quia pariter à Deo animæ infunduntur, infuſæ nuncupantur: ſunt nempè & ipſæ ſingularia Dei dona & Gratiæ habituales; quia permanenter inhærent, juſtificationemque integraliter perficiunt, ſed inſuper nomen ſortiuntur virtutis; ſicut enim natura, putà hominis, ita eſt principium operationum ſibi conſentanearum, nempe rationalium, ut eas exercere non poſſit, niſi per potentias ſibi congenitas, intellectum ſcilicet & voluntatem; ſic Gratia ſanctificans, quæ accedit homini velut nova natura, comites individuas habet virtutes infuſas, per quas veluti per ſupernaturales potentias, ſupernaturaliter operatur: ſunt ergo virtutes, quia ad benè operandum proximè diſponunt: Virtus enim, juxta S. Auguſtinum lib. 2. de lib. arb. cap. 18. & S. Thomam 1. 2. q. 55. a. 4. eſt *qualitas mentis, qua rectè vivitur, qua nullus malè utitur, quam Deus in nobis ſine nobis operatur.*

In juſtificatione ergo, quæ eſt effectus formalis Gratiæ habitualis, infunduntur virtutes Theologicæ Fides, Spes & Charitas. Ita conſtat apud omnes Catholicos, idque expreſsè tradit Concilium Trid. Seſſ. 6. c. 7. Infunduntur pariter omnes virtutes morales ordinis ſupernaturalis, ut ſunt prudentia, juſtitia, fortitudo & temperantia &c. Ita communiter Theologi poſt S. Thomam, 1. 2. q. 63. & 65. Id ipſum docet Catechiſmus Romanus, qui inter effectus baptismi numerat *nobiliſſimum omnium virtutum comitatum, quæ in anima ſimul cum gratia infunduntur.* Et verò quemadmodùm, ut mox jam diximus, naturæ rationali reſpondent intellectus & voluntas, qui ſunt principia actuum rationalium, ad quos inclinat; ita etiam gratiæ ſanctificanti veluti novæ naturæ debent reſpondere habitus virtutum ſupernaturalium, tanquam potentiæ ſupernaturales, & principia actuum ſupernaturalium, qui ipſi competunt.

Denique in eadem juſtificatione etiam infunduntur omnia dona Spriritus ſancti. Ratio eſt, quia dum juſtificatur homo, inferi-

inſeritur Chriſto tanquam membrum capiti, ut ſpiritu ejus vivat & regatur; juxta illud Rom. 8. *Si quis ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus:* juſtus ergo debet diſponi ad excipiendas omnes monitiones Spiritus ſancti: diſponitur autem ad ordinarias per habitus virtutum, ad extraordinarias verò per dona. Ita docet S. Thomas, 1. 2. q. 68. a. 2. Ex quibus ſequitur, Gratiæ habitualis appendices eſſe virtutes Theologicas, morales infuſas, & Spiritus ſancti dona, de quibus ſingulis ſequenti Tomo tertio Theologiæ noſtræ fuſiùs & ex inſtituto agemus, interim legi poteſt Tractatus de Doctrina Chriſtiana Philoſophiæ noſtræ præfixus.

64 Quæri hìc adhuc ſolet, quodnam ſit immediatum Gratiæ habitualis ſubjectum. Qui Gratiam à charitate diſtinguunt, Gratiam habitualem immediatè in eſſentia animæ tanquam in ſubjecto reſidere contendunt, idque probant ratione S. Thomæ, atque ajunt: Illud eſt immediatum Gratiæ habitualis ſubjectum, cui Gratia Dei filiationem tribuit; is enim eſt formalis Gratiæ ſanctificantis effectus. Atqui Gratia habitualis animæ divinam filiationem tribuit, juxta illud 1. Joan. 3. *Videte qualem charitatem nobis dedit Pater, ut filii Dei nominemur & ſimus.*

Qui verò negant Gratiam à charitate diſtingui, tuentur Gratiam habitualem in voluntate immediatè recipi, proinde hanc illius immediatum eſſe ſubjectum: ajuntque 1mo. Ad ſolam voluntatem pertinet actu diligere. Ergo & recipere habitum dilectionis, qui idem eſt ſubſtantialiter cum gratia ſanctificante. 2do. Quæ ſunt in anima non ſuſcipiunt magis & minùs, ut videre eſt in intellectu & voluntate. Arqui Gratia habitualis ſuſcipit magis & minus, ut patet ex eo, quòd juſtitia in omnibus juſtis non ſit æqualis. Verùm parùm, noſtrô judiciô, quis ſollicitus eſſe debet, an gratia immediatè in anima an in voluntate infundatur, dummodò eam recipiat, &c.

Solvuntur Objectiones. 65

Contra ſecundum membrum definitionis noſtræ, quo diximus, Gratiam habitualem eſſe donum Dei intrinſecè, & permanenter inhærens, Objiciunt 1mo. Novatores. Illud Pſal. 142. *Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Ergo Gratia ſanctificans ſeu juſtificans non eſt quid intrinſecè & permanenter animæ inhærens; ſed ſolummodò eſt extrinſecus Dei favor, quo peccata remittit, vel imputat Chriſti juſtitiam, vel eſt ipſa Dei juſtitia, qua nempe Deus juſtus eſt.

Reſp. neg. conſ. Senſus Pſalmiſtæ eſt, neminem ſine ſpeciali privilegio carere omni omninò culpâ etiam veniali: vel neminem ex ſe & ſine gratia ac miſericordia Dei poſſe juſtificari.

Ob. 2do. Rom. 10. *Ignorantes juſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti.* Ergo, &c. 66

Reſp. neg. conſ. Per juſtitiam Dei intelligitur juſtitia vera nobis inhærens, qua Deus nos juſtos intrinſecè facit propter merita Chriſti; & per ſuam juſtitiam, ſeu juſtitiam Judaicam intelligitur juſtitia externa & legalis conſiſtens in externa legis obſervatione, cui quia nimiùm confidebant & adhærebant Judæi, noluerunt ſe ſubjicere fidei Chriſti, nec conſequenter veræ Dei juſtitiæ, quæ per fidem, per dilectionem operantem comparatur. Quare ibi reprehunduntur Judæi, quòd culpabiliter ignorantes veram juſtitiam internam, quæ à Deo ex meritis Chriſti confertur, contenti ſint juſtitiâ legali, quæ merè externa eſt.

Digitized by Google

67 Ob. 3tio 1. Cor. 1. de Chriſto ſic habetur: *Qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & juſtitia, & ſanctificatio.* Ergo juſtitia Chriſti eſt cauſa noſtræ juſtificationis, hæcque perficitur per imputationem juſtitiæ Chriſti absque interiori noſtra immutatione.

Reſp. diſt. conſ. Juſtitia Chriſti eſt cauſa noſtræ juſtificationis efficiens & meritoria, conc formalis, hoc ſenſu, quòd imputata nobis juſtitia Chriſti absque interiori dono, quod animæ inhæreat, nos juſtos reddat. neg. conſ. Eadem quippe ratione Chriſtus ab Apoſtolo dicitur factus nobis juſtitia & ſanctificatio, quo modo dicitur factus nobis ſapientia, quòd nos ſapientes fecerit per ſua merita, non autem quòd per illius ſapientiam formaliter ſapientes ſimus. Cauſa ergo hîc appellatur nomine effectûs per metonymiam (u), quæ ſæpè in Scriptura adhibetur. Sic dicitur Pſal. 26. *Dominus illuminatio mea & ſalus mea.* Et Pſal. 17. *Diligam te, Domine, fortitudo mea.* Hoc eſt, cauſa illuminationis, ſalutis, & fortitudinis meæ.

68 Ob. 4to. 2. Cor. 5. v. 19. *Deus*, inquit Apoſtolus, *erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum.* Ergo, &c.

Reſp. neg. conſ. Apoſtolus hîc expreſsè loquitur de una tantùm juſtificationis parte, quæ in peccatorum remiſſione poſita eſt, non excludendo aliam conſiſtentem in infuſione juſtitiæ inhærentis, de qua alibi expreſsè agit; imò de utraque ſimul, ut Coloſſ. c. 2. *Et vos . . . . convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta.*

69 Ob. 5to. Iterum 2. Cor. 5. v. 21. de Chriſto ait idem Apoſtolus: *Pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.* Ergo cum juſtificamur juſtitia Dei duntaxat nobis imputatur &c.

Reſp. neg. conſ. Senſus Apoſtoli textûs eſt iſte: Chriſtum ſcilicet à Deo Patre factum eſſe pro peccatis noſtris hoſtiam, ut nos propter ejus merita efficeremur juſti juſtitiâ Dei, non qua ipſe juſtus eſt, ſed qua nos intrinſecè juſtos facit. Quæ juſtitia nobis inhærens dicitur juſtitia Dei, quia nobis à Deo donatur, & nos juſtos coram Deo & verè facit, ut docet S. Auguſtinus, Tract. 26. in Joan. his verbis: *Juſtitia Dei dicitur, non qua Deus juſtus eſt, ſed quam dat homini Deus, ut juſtus ſit homo per Deum.*

70 Ob. 6to. Rom. 5. idem Apoſtolus ait: *Sicut . . . per inobedientiam unius hominis peccatores conſtitui ſunt multi: ita & per unius obeditionem juſti conſtituentur multi.* Ergo obeditio Chriſti eſt noſtra juſtitia ſeu juſtificatio, adeoque non eſt nobis intrinſeca.

Reſp. Diſt. conſ. Obeditio Chriſti eſt noſtra juſtitia efficienter & meritoriè, conc. formaliter & per ſolam imputationem, neg. conſ. Ibi Apoſtolus confert Adamum cum Chriſto, docetque, quòd ſicut per primi inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi; ita per ſecundi obedientiam juſti conſtituentur multi. Atqui inobedientia Adami non eſt cauſa formalis, ſed efficiens peccati originalis poſterorum, fatentibus ipſis Adverſariis, qui cum Catholicis agnoſcunt (quamvis ſenſu hæretico) peccatum originale ineſſe cuique proprium. Ergo in mente Apoſtoli obedientia Chriſti non eſt juſtitia noſtra formalis, ſed eſt cauſa efficiens & merito-

(u) *Metonymia*, tropus, idem eſt, ac nominum translatio ſeu unius in alterum mutatio.

Digitized by Google

meritoria, cur juſtitia à Deo nobis infundatur, & inhæreat.

Inſt. 1mo. Ratio propter quam Deus diligit juſtum, eſt cauſa formalis juſtificationis noſtræ. Atqui Ratio propter quam Deus diligit juſtum, eſt Chriſti juſtitia & meritum. Ergo cauſa formalis juſtificationis noſtræ eſt juſtitia & meritum Chriſti.

Reſp. neg. maj. Quia aliud non eſt motivum, quo Deus creaturas diligit, quam ejus bonitas infinitè ſui communicativa; ac proinde Gratia ſanctificans eſt effectus ſeu terminus divini amoris, non verò cauſa ſeu motivum; at eſt cauſa formalis juſtificationis noſtræ, quia re vera juſtos, ſanctos ac Deo gratos efficit.

Inſt. 2do. Cauſa formalis, propter quam proximum diligimus ex charitate, eſt bonitas divina in eo relucens. Ergo à pari cauſa formalis juſtificationis noſtræ eſt juſtitia & meritum Chriſti.

Reſp. neg. conſ. & paritatem. Diſparitas eſt, quòd homines quidem bonum ſupponant in iis, quos diligunt; at contra Deus amando homines ex malis bonos efficit. Dilexit nos in Chriſto ante mundi conſtitutionem; quia per Chriſtum Mediatorem noſtrum voluit nos ad ſe ducere. Qua bonitate peccatores in tempore per Chriſti merita prævenit, ut juſti fiant, eadem bonitate juſtos efficit, & eatenus novô & longè excellentiori modô illos diligit; quia nova & longè excellentiora dona in ipſis producit & conſervat, nempe gratiam ſanctificantem cum ejus appendicibus.

Inſt. 3tio. Abſurdum eſt dicere, Deum parvulos nondum renatos odiſſe propter Adamum, quia peccatum originale in ipſis exiſtens eſt motivum duntaxat & ratio formalis odii divini. Ergo pariter ſi in Juſtis admitteretur Gratia ſanctificans, tanquam ratio formalis divini amoris, abuſivè dicerentur à Deo diligi in Chriſto, vel propter Chriſtum.

Reſp. neg. conſ. & paritatem. Quia latum eſt diſcrimen inter odium divinum (ſi tamen datur propriè in Deo (*x*)) & amorem divinum: Adamum quoque inter & Chriſtum. Odium quippe divinum malum culpæ, quod eſt ejus objectum, non facit ſed ſupponit: amor verò divinus bonum, circa quod verſatur, efficit, non ſupponit. Deinde Adamus non eſt caput poſterorum eo ſingulari modo, quo Chriſtus eſt caput renatorum; quamvis enim parvuli ex origine per Adami inobedientiam corrupta trahant peccati maculam; Adamus tamen jam ſanctus & beatus illam directè non impertit; quemadmodum Chriſtus, qui factus eſt nobis ſanctificatio & juſtitia, ſanctitatem influit. Unde Deus parvulos nondum renatos odit, non propter Adamum præcisè, ſed propter peccatum originale in ipſis exiſtens. Contrà verò renatos diligit in Chriſto, & propter Chriſtum, qui per gratiam ſanctificantem & communicationem ſui Spiritus in ipſis vivit, & operatur, ut impleatur, quod Patrem rogaverat pridie Paſſionis ſuæ, Joan. 17. v. 21. & 6. *Ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint; ut credat mundus, quia tu me miſiſti*; (hoc eſt, tam illuſtri exemplô vitæ ſanctioris mundum ad me trahant) *& dilectio, qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis*, utpotè unum totum conficientibus conflatum ex capite & membris.

Ob.

(*x*) Recole ea, quæ in Philoſophia noſtra morali ſeu Ethica c. 5. §. 1. & hic in Tract. de Deo, part. 1. c. 3. §. 1. in Reſp. ad ob. 2. & alibi paſſim adnotavimus.

Digitized by Google

71 Ob. 7mo. Epheſ. c. 1. v. 6. de Deo ait Apoſtolus: *Nos acceptos ſeu gratioſos habuit in dilecto filio ſuo.* Ergo, &c.

Reſp. neg. conſ. hujus loci, qui ſic in Vulgata legitur: *Gratificavit nos in dilecto filio ſuo:* ſenſus eſt, Deum nos ſibi gratos effeciſſe propter merita Filii ſui, infundendo ſcilicet nobis veram ſanctitatem, per quam formaliter ſumus ipſi grati, juxta illud, verſ. 4. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in charitate.*

72 Ob. 8vo. illud Pſal. 31. *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata: Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Ergo peccata in juſtificatione non delentur, ſed teguntur duntaxat per Chriſti juſtitiam credentibus imputatam.

Reſp. 1mo. opponendo alios Scripturæ textus luce clariores, Pſal. 50. *Lavabis me, & ſuper nivem dealbabor;* nulla ſanè macula in homine ſic dealbato. Iſaiæ 44. *Delevi ut nubem iniquitates tuas.* Rom. 8. *Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto JEſu.* 1. Cor. 6. *Hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis.* Epheſ. 5. dicit Apoſtolus, Chriſtum ſe ipſum tradidiſſe, *ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam.*

Reſp. 2do. Peccata in juſtificatione teguntur, quomodò dicimus tegi colorem album, cùm, ſuperinducto colore nigro, evaneſcit albus. Ita hunc Pſalmi locum interpretati ſunt ſancti Patres. S. Auguſtinus, enarrat. in Pſal. 31. *Ne ſic intelligas*, inquit, *quòd dixit peccata cooperta, quaſi ibi ſint & vivant.* Et quæſt. 108. in Exod. dicit fieri confeſſionem peccatorum, *ut per gratiam tegantur, hoc eſt, aboleantur.* Item lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagii, cap. 13. *Dicimus*, inquit, *Baptiſmum auferre crimina, non radere.* Enimverò quis beatum dixerit hypocritam, qui oculis hominum abſcondit cordis malitiam? non oculis Dei omnia ſunt pervia & manifeſta. Peccata ergo coram Deo tegi nequeunt, niſi prorſùs aboleantur. Adductus Pſalmus 31. tres gradus in juſtificatione diſtinguit: 1mo. Deus peccata remittit, cùm jam propitius prævenit peccatorem, & præteritam offenſam condonat. 2do. Peccata tegit, cùm juſtitiam & charitatem ſuperinducit tamquam formam peccatis oppoſitam, & eorum expultricem. 3tio. Peccata non imputat, cùm inſuper reatum pœnæ temporalis expungit, ut in Baptiſmo. Unde S. Baſilius in hunc Pſalmi locum ait, plus eſſe peccata tegere quàm remittere; & non imputare, quàm tegere. Quamquam plures Interpretes exiſtimant tria illa verba eſſe prorsùs Synonyma.

Inſt. ex Apoſtolo Galat. 3. verſ. 27. *Quicunque...*, inquit, *in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Ergo juſtitiâ Chriſti per fidem apprehenſâ circumdamur tanquam veſtimentô, quo teguntur corporis maculæ & deformitates.

Reſp. neg. conſ. & parit. Qui enim veſtem aſſumit, non exuit maculas & deformitates corporis, ſed tegit duntaxat. At ex eodem Apoſtolo Coloſſ. 3. v. 9. qui induit Chriſtum, exuit veterem hominem, adeo ut nihil in eo remaneat peccati & damnationis, *expoliantes vos*, inquit, *veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum. Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto JEſu*, Rom. 8. verſ. 1. Et ibid. c. 6. v. 2. & 4. *Mortui ſumus peccato.... ut quomodò Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris; ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Atqui Chriſtus reſurgens corruptionem

carnis,

Digitized by Google

carnis, & mortalitatem non texit per indumentum gloriæ: ſed prorsùs depoſuit. Ergo pariter ad mentem Apoſtoli ita Chriſtum in Baptismo induìmus, ut omnem peccati maculam exuamus. Porro Apoſtolus juſtificationem depingit ſub metaphora indumenti, ut oſtendat, eum, qui exit è fonte baptismali, vel ex tribunali pœnitentiæ, ſicut interiùs vivit Spiritu Chriſti, ita debere Chriſtum ad vivum in exteriori converſatione exhibere; quemadmodùm ſpeciem Regis referret, qui regia veſte eſſet indutus. Juſtificati ergo Chriſtum induunt, quatenus fiunt Chriſto ſimiles per veram & intrinſecam ſanctitatis & virtutum ejus participationem.

73 Ob. 9no. S. Bernardus Ep. 190. ait: *Juſtum me dixerim, ſed illius juſtitiâ*, nempe Chriſti. Ergo &c.

Reſp. neg. conſ. S. Bernardus hîc juſtitiam præſentis ſtatus vocat juſtitiam Chriſti, quia gratuitò propter illius merita donatur, ut patet ex contextu. Ibi enim refellit errorem Abailardi docentis, Chriſtum nobis duntaxat doctrinâ & exemplô profuiſſe.

74 Ob. 10mo. Sententia noſtra facit injuriam Chriſto, & dat homini occaſionem ſuperbiendi. Ergo, &c.

Reſp. neg. ant. Quia profitemur juſtitiam illam nobis inhærentem à Chriſto provenire & pendere, nec conferri niſi propter ejus merita: unde juſtitiam noſtram illi totam referimus acceptam, nec ulla inde nobis datur cauſa ſuperbiendi. Imò Adverſarii gravem injuriam Chriſto inferunt, negando Chriſtum nobis juſtitiam inhærentem promeruiſſe, qua verè & intrinſecè juſti ſimus.

75 Ob. 11mo. Contra 3tium. Membrum Definitionis noſtræ; ubi ſtatuimus formalem juſtificationem reponendam eſſe in Gratia habituali, non verò actuali. Rom. 2. verſ. 13. *Factores legis juſtificabuntur*, inquit Apoſtolus. Jacob. 2. *Videtis, quoniam ex operibus juſtificatur homo.* Et 1. Joan. 3. *Qui facit juſtitiam, juſtus eſt.* Ergo juxta S. Scripturam formalis juſtificatio reponenda eſt potiùs in actibus ſupernaturalibus virtutum, præſertim charitatis, quàm in Gratia habituali; & quidem juxta omnium hominum mentem, apud quos juſtum eſſe, nihil aliud eſt, quàm benè operari.

Reſp. neg. conſ. Namque ex laudatis textibus colligi tantùm poteſt, quòd homo bonis operibus vel diſponitur ad juſtificationem, vel meretur in juſtitia augeri, vel probat ſe eſſe juſtum, juxta illud Jacobi 2. v. 18. *Ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam.* Et hæc omnium hominum mens eſſe debet.

Ob. 12mo. Si Scriptura & Concilium Tridentinum non poſſint intelligi 76
niſi de juſtitia habituali, erit de fide hominem juſtificari per Gratiam habitualem. Atqui de fide non eſt &c. Ergo.

Reſp. Quamvis id aliqui Theologi negent, nobis tamen de fide eſſe videtur, atque ut tale cum multis gravibus Theologis arbitramur à Concilio Trident. definitum, auctoritate Catechismi Romani fulti, qui ſic habet ubi de Baptismo: *Eſt autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum pœnâ anathematis propoſitâ decrevit, non ſolùm per quam peccatorum ſit remiſſio: ſed divina qualitas animæ inhærens.*

Ob. 13tio. Concilium Trid. voluit 77
tantùm damnare hæreticos aſſerentes, impium juſtificari per juſtitiam Chriſti ei imputatam; non verò per juſtitiam ipſi intrinſecam. Ergo, &c.

Reſp. Concilium voluit quidem damnare hæreticos id docentes; ſed ex occaſione hujus erroris voluit etiam explicare naturam juſtitiæ inhærentis. Un-

Digitized by Google

de formam aliquam ſanctificantem diſtinctam ab omni actu juſti, habitualiter inhærentem & permanentem, quæ vocatur Gratia habitualis, dari, fide conſtare, & definitum eſſe à Concilio Trid. Seſſ. 6. cap. 7. arbitramur; actum verò charitatis vel perfectæ contritionis non juſtificare niſi diſpoſitivè, ſeu per modum ultimæ diſpoſitionis.

78 Ob. 14to. Inutilis eſt juſtitia illa habitualis. Ergo.

Reſp. neg. ant. Imò verò neceſſaria eſt ſecundùm legem ordinariam, & convenientem providentiam ad hoc, ut homo habeat permanenter principium intrinſecum, proportionatum actibus meritoriis vitæ æternæ, atque ita ſit intrinſecè & permanenter habilis ad actus illos modô connaturali efficiendos. Præthereà cùm juſtitia inhærens ſit realiter ipſa Gratia ſanctificans, per quam conſtituimur Dei filii adoptivi & hæredes, debet eſſe aliquid permanens & habituale.

§. II.

79 *De Juſtificatione.*

Quinam ſint Gratiæ habitualis ſeu ſanctificantis effectus, ſat abundè, nî fallimur, ex iis, quæ §. præcedenti circa illius eſſentiam diſſeruimus, patet. 1mo. namque, omnia etiam graviſſima peccata, quibus non minùs opponitur, quàm frigori calor, lux tenebris, ſtatim expellit, ac delet. Pſal. 5. *Omnes iniquitates meas dele.* 2do. Corda eorum, in quibus diffunditur, ſic immutat ac innovat, ut ex impiis, injuſtis & peccatoribus, formaliter efficiat juſtos, pios ac ſanctos; juxta illud, 1. Cor. 6. *Et hæc quidem fuiſtis; ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis.* Et ad Rom. 5. *Juſtificati per gratiam ipſius.* 3tio. Ex inimicis & Deo exoſis reddit amicos, dilectos, cives Sanctorum & domeſticos Dei. Ad Epheſ. 1. *In laudem gloriæ, gratiæ ſuæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio ſuo.* Et cap. 2. *Et cùm eſſetis mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto (cujus gratiâ eſtis ſalvati) & conreſuſcitavit & conſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto JEſu.* 4to. Per illam fiunt homines divinæ naturæ conſortes, quemadmodùm declarat S. Petrus 2. ſuâ Epiſt. cap. 1. *Per quem maxima & pretioſa promiſſa nobis donavit, ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ.* 5to. Per eandem homo efficitur filius Dei adoptivus, non denominatione extrinſecâ duntaxat & morali, ſed vero etiam quodam ac proprio ſenſu. Hinc, 1. Joan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & ſimus.* 6to denique, quod ex dictis ſequitur, gratia ſanctificans hominem conſtituit hæredem vitæ æternæ. *Si filii*, inquit Apoſtolus Rom. 8. *& hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti*, hoc eſt ejuſdem gloriæ cum Chriſto participes; hancque ſingula pietatis opera, hujuſmodi adoptionis gratiâ ſanctificata verè ac propriè de condigno merentur.

Inter inſignes illos ac eximios Gratiæ habitualis effectus, duo potiſſimùm ſunt, juſtificatio ſcilicet & meritum, de quibus graviſſimæ occurrunt controverſiæ Catholicos inter & Acatholicos. Quæ circa juſtificationem ſunt, præſenti §. explanabuntur à nobis; quæ autem de merito ſunt, ſequenti. 80

Nomine juſtificationis hîc intelligitur *acquiſitio juſtitiæ qua quis Deo gratus efficitur:* hoc ſenſu loquitur Apoſtolus Rom. 3. cùm ait: *Juſtificati gratis per gratiam ipſius.*

Circa juſtificationem ſic ſumptam tria præſertim quæri ſolent. 1mo. Quænam præviæ ſint ad ipſam diſpoſitiones. 2do.

Digitized by Google

2do. Quænam ſit illius natura. 3tio. Quænam proprietates. De his conſulendum eſt Concilium Trid. Seſſ. 6. quæ eſt de juſtificatione, ubi clariſſimè & inviĉtiſſimè capitibus ſexdecim, & triginta tribus Canonibus exponitur ac definitur Catholicum dogma; ad cujus Concilii proindè mentem hîc adverſus Acatholicos decertare nobis eſt animus.

81 Quod naturam juſtificationis ſpectat, non opus arbitramur, ut iis, quæ de ea §. præcedenti diſputavimus, quidquam addamus, ſufficienter enim oſtendimus, in ea peccata verè tolli quoad culpam & non ſolùm tegi. Eam non in ſola peccatorum remiſſione conſiſtere, ſed interiorem inſuper hominis renovationem formaliter includere. Eam denique fieri formaliter per donum aliquod internum & animæ inhærens; ſeu conſiſtere in forma aliqua intrinſeca, quæ animæ inhæreat. Ergo ſolùm hîc nobis quæſtio eſt de præviis ad illam diſpoſitionibus; necnon illius proprietatibus &c. &c.

82 Circa hujusmodi ergo diſpoſitiones quæritur 1mo. an ad juſtificationem ſint neceſſariæ. Qua de re certum eſt 1mo. Nullam in parvulis ad eam requiri diſpoſitionem. Conſtat id ex univerſali Eccleſiæ Traditione, quæ parvulos, quamvis rationis impotes, hactenus baptizavit in remiſſionem peccati originalis; undè Concilium Trid. Seſſ. 7. Can. 13. dicit anathema iis, qui docuerint parvulos, cùm ad annos diſcretionis pervenerint, eſſe rebaptizandos. Enimverò ſi inobedientia primi hominis potuit illis nocere, à fortiori obedientia ſecundi hominis, *qui factus eſt nobis juſtitia à Deo*, illis proderit. 2do. Certum eſt tùm apud Catholicos tùm Acatholicos adultum non juſtificari ſine prævia ſua diſpoſitione, quæcunqe tandem illa ſit; nam Scripturæ ſpem veniæ non præbent niſi peccatoribus diſpoſitis, Ezechiel. 18. v. 21. *Si . . . impius egerit pœnitentiam . . . . vitâ vivet.* Act. 2. Apoſtolus Petrus Judæis ſua prædicatione conterritis, ait: *Pœnitentiam agite & baptizetur unusquisque veſtrùm.* Act. 8. Philippus Eunucho baptismum efflagitanti reſpondet: *Si credis ex toto corde licet*, nimirùm te baptizari. Tritum eſt S. Auguſtini effatum: *qui fecit te ſine te, non juſtificat te ſine te.* Nec alia ratio afferri poteſt, cur Deus, qui vult omnes homines ſalvos fieri, aliis veniam concedat, pluribus deneget, quàm quòd illi gratiæ, qua ſe ſe diſponant, conſentiant, hi reſiſtant.

Sed gravis exiſtit controverſia Catholicos inter & Acatholicos, quæ ſit neceſſaria diſpoſitio ad juſtificationem. Hi quippe unicam agnoſcunt, nempe fidem, non qualemcunque, ſed qua peccator credat pro certo, ſe eſſe juſtificatum, & ſibi ſpeciatim applicari promiſſiones peccatoribus generatim factas &c. (y) contra quos ponitur

CONCLUSIO I. 83

Fides, quæ neceſſaria eſt ad juſtificationem (z), non eſt ſpecialis promiſſionum fides, ſed eſt dogmatica ſeu catholica fides, aſſenſus ſcilicet firmus ac certus rebus omnibus à Deo revelatis.

 Prob.

(y) Vide dicta ſupra c. 2. §. 6 num. 13.

(z) Indubium apud omnes eſt, in adulto ad juſtificationem requiri fidem aliquam; enimverò *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo &c.* ait Apoſtolus, Heb. cap. 11. verſ. 6. Et Conc. Trid Seſſ. 6. cap. 6 & cap. 8. *Fides*, ait, *eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix omnis juſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo &c.*

Digitized by Google

Prob. 1mo. ex Scripturis. Apoſtolus Heb. 11. fidem deſcribens ſic habet: *Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Ex quo ſic arguimus: Ibi loquitur Apoſtolus de fide juſtificante, ut apertè indicant verba quæ immediatè præcedunt, *juſtus ex fide vivit*; & iſta, quæ ſequuntur, *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Atqui fides illa non eſt ſpecialis promiſſionum fides, ſeu actus, quo quis credit, aut certò confidit peccata ſibi eſſe remiſſa propter Chriſtum; ſed eſt eſſenſus firmus iis, quæ ſunt à Deo revelata; quod probatur tùm ex illis verbis, *argumentum*, hoc eſt demonſtratio & convictio, *non apparentium*, quatenus ſcilicet fides facit, ut intellectus omninò aſſentiatur rebus à Deo revelatis, licèt obſcuris & inevidentibus: tùm ex illis aliis, *fide intelligimus aptata eſſe ſæcula:* & rurſùs, *accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt &c.* tùm denique quia toto illo capite, ubi fidei plurima alia tribûit Apoſtolus, de illa ſpecialis miſericordiæ Dei fide ſeu fiducia, qua hominem juſtificari contendunt Acatholici, nulla fit mentio. Ergo &c.

Prob. 2do. ex Concilio Trid. Seſſ. 6. Can. 12. ubi ſic definit: *Si quis dixerit, fidem juſtificantem nihil aliud eſſe, quàm fiduciam miſericordiæ divinæ peccata remittentis propter Chriſtum, anathema ſit.*

Prob. 3tio. momentis Theologicis. 1mo. Fides, quam requirebat Chriſtus ab iis quibuscum agebat, erat fides juſtificans, ſeu ad juſtificationem diſponens. Atqui illius fidei objectum non erat ſpecialis Dei miſericordia, ſed vel omnipotentia, vel myſteria, vel miracula: eorum enim duntaxat fidem ab iis requiſiiſſe legitur, quibus peccata dimiſit. 2do. In Symbolo Apoſtolico, quod præcipua capita ad ſalutem neceſſaria continet, nullum occurrit verbum de miſericordiæ ſpecialis fide, quæ apud Adverſarios tanti eſt momenti, ut nullus adultus ſine ea ſalutem conſequi poſſit. 3tio. Fides juſtificans præcedit juſtificationem & peccatorum remiſſionem, cùm ſit diſpoſitio ad illam. Atqui fides de ſpeciali Dei miſericordia, qua quis credit vel certò confidit ſibi remiſſa eſſe peccata propter Chriſtum, non præcedit juſtificationem nec peccatorum remiſſionem: ſi enim præcederet, eſſet falſa; per illam enim crederetur id eſſe, quod nondum eſt. Ergo talis fides non eſt fides juſtificans; nam fides juſtificans eſt fides divina, ideoque veriſſima. 4to. Qui juſtificantur nec certò ſciunt, aut ſcire poſſunt, ſibi ex ſpeciali miſericordia Dei peccata dimitti, ut infra oſtendemus Concluſione 3tia. Ergo &c. 5to. Ideo Acatholicis remiſſa ſunt peccata, quia remiſſa eſſe certò credunt, ideò autem remiſſa eſſe certò credunt, quia reipſa ſunt remiſſa. Sed hoc eſt circulus vitioſus. Ergo &c.

CONCLUSIO II. 85.

Sola Fides non juſtificat. Prob. 1mo ex Scripturis, quæ præter fidem alios actus ad juſtificationem requirunt. Scilicet, 1mo Actum timoris, Eccleſiaſtici 1. verſ. 27. *Timor Domini expellit peccatum.* 2do. Actum Spei, Prov. 28. verſ. 25. *Qui . . . ſperat in Domino, ſanabitur.* 3tio. Dilectionem, Lucæ 7. verſ. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* 4to. Pœnitentiam, Act. 3. verſ. 19. *Pœnitemini . . . & convertimini, ut deleantur peccata veſtra.*

Præterea S. Jacobus in ſua Epiſtola Canonica, in eo penè totus eſt, ut oſtendat non ſolam fidem juſtificare: clara ſunt & aperta quæ leguntur c. 5. *Sicut corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita fides ſine operibus mortua eſt.*

Prob.

Digitized by Google

Prob. 2do. ex Concilio Trid. Seſſ. 6. Can. 9. ubi ſic definitur: *Si quis dixerit ſola fide hominem juſtificari . . . . anathema ſit.*

Prob. 3tio. Ratione. 1mo. Vox hæc *ſola* juncta cum fide juſtificante nullibi in Scriptura reperitur, imò fidem non ſufficere, ut quis juſtificetur S. Jacobus expreſsè ſcripſit in ſua Epiſt. cap. 2. verſ. 24. *Videtis*, ait, *quia ex operibus juſtificatur homo*, *& non ex fide tantùm.* 2do. Fides ſeparata à dilectione non juſtificat. Nam 1. Joan. 2. verſ. 14. *Qui non diligit manet in morte.* Atqui fides vera & chriſtiana poteſt ſeparari à dilectione, ex Apoſtolo 2. ad Cor. 13. verſ. 2. ubi ſic loquitur: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Ergo.

Et verò fidem ſolam habentes poſſunt eſſe adulteri, fures, avari, ebrioſi, maledici. Atqui ex eodem Apoſtolo 1. Cor. 6. hujusmodi facinoribus dediti, regnum Dei non poſſidebunt. Ergo &c.

Unde conſtans univerſalis Eccleſiæ ab ipſorum Apoſtolorum tempore praxis obtinuit, ut variis virtutum operibus ſiveCatechumeni ad baptismum,ſive Lapſi poſt baptismum ad Sacramentum pœnitentiæ diſponerentur. Unde etiam, cæteris prætermiſſis SS. Patribus, Chryſoſtomus ait hom. 7. in Matth. *Ne fideles ſola fide ſe ſalvari poſſe confidant.* Et Auguſtinus, Serm. 22. de verbis Apoſtoli: *Domus Dei credendo fundatur, ſperando erigitur, diligendo perficitur.*

Igitur præter fidem ſex adhuc actus requiri, quibus impii ad juſtitiam diſponantur, ſtatuit Concilium Tridentinum Seſſ. 6. c. 6. 1mo. Fidem eſſe initium ſalutis docet Apoſtolus Heb. 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum* (a). *Fides*, inquit Clemens Alexandrinus, lib. 2. Strom. *eſt ad ſalutem inclinatio, poſt quam timor, & ſpes, & pœnitentia.* Et S. Auguſtinus, lib. de prædeſt. Sanct. c. 1. *Fides*, ait, *prima datur, ex qua cætera impetrantur.*

2do. Requiritur timor Dei, de quo dicitur Eccli. 1. *Qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari.* Item, *timor Domini expellit peccatum.* De eodem quoque S. Auguſtinus, lib. de catechizandis rudibus, cap. 5. hæc ait: *Rariſſimè accidit, imò verò nunquam, ut quisquam veniat volens fieri Chriſtianus, qui non ſit aliquo timore Dei perculſus.* Et Tract. 9. in Epiſt. Joan. *Timor Dei ſic vulnerat, quomodò Medici ferramentum putredinem tollit. Opus eſt ergo ut intret timor, per quem veniat charitas; timor, medicamentum; charitas, ſanitas.*

3tio. Spes diſponit ad juſtitiam, Prov. 28. *Qui . . . ſperat in Domino ſanabitur.* Matth. 9. *Confide fili, dimittuntur tibi peccata tua.* Hinc S. Ambroſius, lib. 1. de pœnit. c. 1. *Nemo*, inquit, *poteſt benè agere pœnitentiam, niſi ſperaverit indulgentiam.*

4to. Dilectio Dei ſequitur Spem, ut habetur Eccli. 2. *Qui timetis Dominum, ſperate in illum. . . . diligite illum, & illuminabuntur corda veſtra.* Item Galat. 5. *Neque circumciſio aliquid valet, neque præputium; ſed fides, quæ per charitatem operatur.* Si hæc dilectio ſit perfecta, eſt ultima diſpoſitio, & juſtificat extra Sacramentum actu ſuſceptum, juxta illud Chriſti, Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Si verò ſit imperfecta, eſt diſpoſitio duntaxat remota, nec juſtificat extra Sacramentum. Et de hoc amore imperfecto intelligen-

 dum

(a) Vid. ſupra not. n. 83.

Digitized by Google

dum eſt Concilium Arauſicanum II. (*b*) Can. ult. ubi ſic habet: *Deus fidem & amorem ſui priùs inſpirat, ut Sacramenta baptiſmi fideliter inquiramus.*

5to. de Pœnitentia, quæ dilectionem conſequitur, habetur Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque veſtrûm in nomine JEſu Chriſti in remiſſionem peccatorum.* Et cap. 11. *Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.*

6to. Odium peccati, quod pœnitentia ſecum fert ac includit.

7mo. denique ſequitur Propoſitum ſervandi mandata, inchoandi novam vitam, & ſuſpiciendi Sacramentum. De eo loquuntur hi Scripturæ textus: *Præparate corda veſtra Domino*, 1. Reg. 7. *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, docentes eos ſervare omnia quæcunque mandavi vobis*, Matth. 28. verſ. 19. Enimverò qui paratus non eſt obtemperare voluntati ejus, quem offendit, cum illo reconciliari non poteſt. Atqui Deus vult, ut peccator Sacramentum recipiat, & mandata ejus obſervet. Ergo.

Porro has recenſitas ad juſtificationem diſpoſitiones hominem peccatorem ſolis liberi arbitrii viribus ſibi comparare non poſſe, fidei dogma eſt adverſus Pelagianos & Semipelagianos in Eccleſia ſtabilitum, quod ſequenti Capite, ubi de Gratia actuali, quam dogma iſtud reſpicit, nobis ſermo erit, expendemus, atque ubi demonſtrabimus, Neminem ullo modo ſe per ſolas naturæ vires præparare poſſe ad Gratiam actualem, adeoque & habitualem ſeu juſtificationem.

86 Quod proprietates juſtificationis ſpectat Acatholici ex palmari ſuo dogmate de juſtitia Chriſti per fidem apprehenſa, qua juſti efficimur ac Deo accepti, colligunt 1mo. Poſſe ac debere omnes fide divina certò credere ſe eſſe juſtos; ita ut ſi iſtud non crederent, jam fideles & juſti non eſſent, quia per ſolam fidem juſtificantur. Et in hoc errore planè conveniunt Lutherani omnes & Calviniſtæ. 2do. Colligunt ſpeciatim Calviniſtæ, juſtitiam ſemel adeptam nullo unquam tempore poſſe deperdi: ex quo ſequitur, juſtitiam ita propriam eſſe electorum, ut in ſolis reperiatur electis, iisque inſit immobiliter. *Solos electos*, inquit Calvinus, lib. 3. Inſtit. c. 2. *ſemine incorruptibili Deus in perpetuum regenerat, ut nusquam diſpereat ſemen vitæ in eorum cordibus inſitum.* 3tio. Colligunt Lutherani, juſtos omnes æqualiter eſſe juſtos. Ratio ipſorum eſt, quia unâ & eâdem Chriſti juſtitiâ fide apprehenſâ & à Deo imputatâ juſtificantur omnes: juſtitia autem Chriſti non ſuſcipit magis & minus (*c*).

Contra erronea perindè ac abſurda hæc conſectaria ſit 1mo.

CONCLUSIO III. 87

Nemo poteſt nec debet, ſecluſa ſpeciali revelatione, fide divina credere ſibi remiſſa eſſe peccata.

Prob. 1mo. ex Scripturis. Prov. 20. v. 9. *Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato?* Eccleſ. 9. v. 1. *Neſcit homo, utrùm odio vel amore dignus ſit.* Eccli. 5. v. 5. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu.* 1. Cor. 4. v. 4. *Nihil . . . mihi conſcius ſum.* inquit Apoſtolus, *ſed non in hoc juſtificatus ſum &c.*

Prob.

(*b*) Celebratum an. 529. Ei præſedit Cæſarius Arelatenſis ſub Sum. Pont. Felice IV. approbatum à Bonifacio II Felicis ſucceſſore, contra Semipelagianos &c.

(*c*) Vide dicta ſup. c. 2. §. 6.

Digitized by Google

Prob. 2do. ex SS. Patribus. S. Baſilius (*d*) ad citatum Apoſtoli locum, Conſtit. Monaſt. c. 2. *Multa*, ait, *peccantes plurima non intelligimus. Quapropter dicit Apoſtolus, Nihil mihi conſcius ſum; ſed non in hoc juſtificatus ſum; hoc eſt, multa pecco & non intelligo.*

Ad eadem Apoſtoli verba S. Chryſoſtomus (*e*), *Non Corinthios tantùm*, inquit, *ſed ſe ipſum privat hoc judicio.*

S. Hieronymus (*f*) in Eccli. cap. 9. verſ. 1. à nobis citatum, *Senſus eſt*, inquit, *inveni juſtorum quidem opera in manu Dei, & tamen utrum à Deo amentur, aut non, nunc eos ſcire non poſſe, & ambiguos fluctuare, utrùm ad probationem ſuſtineant, quæ ſuſtinent, an ad ſupplicium. In futuro igitur ſcient.* Et lib. 2. contra Pelagianos, ad citata Apoſtoli verba *Nihil mihi conſcius ſum &c.* hæc ſcribit: *Temperabat ſententiam, ne fortè per ignorantiam deliquiſſet, quanta abyſſus ſit, audite.*

S. Auguſtinus (*g*), in Pſal. 41. *Tantam*, inquit, *profunditatem credit eſſe in homine, quæ lateat ipſum hominem in quo eſt.* Et Lib. de perfectione juſtitiæ. c. 15. *Quantâlibet*, inquit, *juſtitiâ ſit præditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipſe non videat, inveniatur eſſe culpandum.*

Denique S. Gregorius (*h*), lib. 9. Moral. hæc ait: *Conditoris contra me judicia, qua temeritate redarguo, qui ipſum me de infirmatis caligine ignoro?* Et lib. 2. Regiſt. Epiſt. 22. ad Gregoriam, quæ optabat certior, peccata ſibi fuiſſe remiſſa, fieri, ſic reſcribit: *Rem difficilem & inutilem poſtulaſti. Difficilem quidem, quia indignus ſum, cui revelatio fieri debeat. Inutilem etiam; quia ſecura de peccatis remiſſis fieri non debes, niſi cùm jam in die vitæ tuæ ultimo plangere eadem peccata minimè valebis. . . . quoadusque veniat, ſemper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare.*

Prob. 3tio. Ex Concilio Trid. (*i*). Seſſ. 6. c. 9. Ubi, *Quilibet*, inquit, *dum ſe ipſum ſuamque infirmitatem, & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare & timere poteſt, cùm nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum.* Idipſum decernitur Can. 13. 14. & 15.

Prob. 4to. ratione (*k*). Nihil fide divina credi poteſt, niſi quod immediatè continetur in verbo Dei, aut ex illo per evidentem conſequentiam deducitur; fides enim divina Dei loquentis auctoritate nititur. Atqui 1mo immediatè non continetur in verbo divino, talem vel talem hominem in particulari juſtificatum eſſe; promiſſiones enim Scripturæ ſunt univerſales, & conditiones aliquas ſupponunt, ut ſingulis applicentur. 2do. Nemo per evidentem conſequentiam ex verbo Dei deducere poteſt, ſe eſſe juſtificatum: etſi enim clarum ſit ex Scripturis, omnes verè converſos ad Deum, & ſeriam de peccatis pœnitentiam agentes, indulgentiam & gratiam obtinere, nullus tamen certò cognoſcere poteſt an verè & ex corde ad Deum converſus fuerit, & an ſeriam ac condignam agerit pœnitentiam: nam Jerem. 17. v. 9. dicitur: *Pravum eſt cor hominis & inſcrutabile, & quis cognoſcet illud?* Deinde multi fallun-

(*d*) Obiit. an. 378. (*e*) Obiit an. 407. (*f*) Obiit an. 420. (*g*) Obiit an. 430. (*h*) Obiit an. 604. (*i*) Inchoatum fuit an. 1545. finitum an. 1563. (*k*) Iſtud eſt argumentum ad hominem & ex principiis Acatholicorum deductum.

Digitized by Google

fallūntur circa proprias diſpoſitiones & internos affectus; ſæpè videtur eſſe charitas, quæ nos movet, & reipſa non eſt niſi cupiditas. Certè cùm Apoſtolorum Princeps dicebat: *Tecum paratus ſum in carcerem & in mortem ire*, paratum ſe eſſe credebat mortem ſubire pro Chriſto, & tamen verè paratus non erat: quin & ipſe Calvinus fatetur, pleroſque ex iis, qui non ſunt prædeſtinati, putare ſe credere eo modo, qui requiritur ad juſtificationem, & tamen revera ita non credunt. Ergo nemini certò conſtare poteſt ſe peccatorum remiſſionem conſecutum fuiſſe.

88 CONCLUSIO IV.

Fides & juſtitia ſemel habitæ amitti poſſunt, nec ad ſolos electos pertinet (*l*).

Prob. 1mo. ex Scripturis. Pſal. 2. v. 12. *Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via juſta.* Ezechiel. 18. v. 26. *Cùm averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, morietur in illa.* Ergo ſi juſtus poteſt perire de via juſta, ſi poteſt à juſtitia ſua excidere & in iniquitate mori; tunc utique juſtitia nec eſt inamiſſibilis, nec ad ſolos electos pertinet. Hinc Apoſtolus, 1. Cor. 10. v. 12. graviter monet, *qui ſe exiſtimat ſtare, videat, ne cadat.* Et c. 6. v. 9. &c. *Nolite errare, neque fornicarii, neque &c. regnum Dei poſſidebunt.* Quibus ipſemet perterritus ſcribit, c. 9. v. 27. *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.*

Accedunt exempla ex Scripturis deprompta. Lucifer juſtitiam, in qua conditus fuerat, per peccatum amiſit. Saul à Deo electus, peccando in æternum periit. David omnium conſenſu juſtus, utpote de quo dicit Deus, Act. 13. v. 22. *Inveni David virum ſecundùm cor meum*, à juſtitia procul dubio verè excidit; quando ſcilicet adulterium & homicidium commiſit. Salomon ejus filius priùs Deo amabilis, poſtmodùm exoſus factus, &, ſi Sancto Auguſtino fides, lib. 22. contra Fauſt. c. 88. in fine reprobatus eſt. S. Petrus haud dubiè juſtus erat, cùm ad ipſum diceret Chriſtus, Joan. 13. v. 10. *Qui lotus eſt non indiget niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus:* attamen idem Petrus peccavit & excidit à gratia, quando Chriſtum negavit.

Prob. 2do. ex SS. Patribus. Ex S. Hieronymo, quia ex profeſſo lib. 2. contra Jovinianum, confutavit oppoſitam hæreſim. Ex S. Auguſtino, qui lib. de hæreſ. hæreſi 82. Joviniani ſententiam numerat inter hæreſes ab Eccleſia proſcriptas. Et lib. de prædeſt. SS. c. 13. ubi apertè ſupponit juſtos quandoque à ſua juſtitia excidere & in impietate mori. Et c. 14. addit, juſtum, qui poſt caſum moritur, abſolutè potuiſſe

(*l*) Jovinianus Monachus Mediolanenſis ſub S. Ambroſio Mediolanenſi Antiſtite circa finem Sæculi 4ti. ſcilicet circa an. 382. Eccleſiam ſuis erroribus vexare cœpit, atque inter alia etiam negavit, juſtum gratiam adeptam amittere poſſe, ut conſtat ex S. Hieronymo lib 2. cont. ipſum. Calvinus, ut ſuprà adnotavimus, eumdem errorem à mille trecentis annis in Joviniano damnatum ſuſcitavit. In illam autem foveam lapſus eſt ex erroneo ſuo principio, quo ſtatuit, peccatorem juſtum fieri ſola fide, quæ certò credit ſe eſſe prædeſtinatum; & ideò merita Paſſionis Chriſti ſibi applicari. Hoc enim fundamentò poſitò neceſſariò ſequitur, nec Davidem per adulterium & homicidium, nec Petrum per negationem à juſtitia excidiſſe, nec ullum prædeſtinatum per atrociora crimina gratiam ſanctificantem amittere, quamdiu fides in corde remanſerit; quia immutabile eſt Dei prædeſtinantis decretum.

Digitized by Google

fuiſſe à Deo ſalvari, ſi nempe eum antequam laberetur, è vita exire juſſiſſet. Ac lib. de correp. & grat. c. 13. ſic ſcribit: *Credendum eſt, quoſdam de filiis perditionis non accepto dono perſeverandi uſque in finem, in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere vivere, & aliquamdiu fideliter & juſtè vivere, & poſteà cadere, neque de hac vita, priusquam id contingat, auferri.*

Prob. 3tio. ex Concilio Trid. Seſſ. 6. Can. 23. ubi ſic definit: *Si quis hominem ſemel juſtificatum dixerit amplius peccare non poſſe, neque Gratiam amittere; atque adeò eum, qui labitur & peccat, nunquam fuiſſe verè juſtificatum .... anathema ſit.*

Prob. 4tò. Ratione. 1mo. Quia omnes infantes, qui baptiſma recipiunt, verè juſtificantur; imò ſi Calvino, Bucero, aliiſque Sectariis credatur, omnes filii Fidelium ſancti & juſti naſcuntur. Atqui nemo dixerit, omnes filios Fidelium, eoſque omnes qui in infantia baptizantur, à juſtitia, cùm adoleverint, nuſquam excidere: experientiâ quippe exploratum eſt, plurimos ex ipſis in adulta ætate graviter peccare; atque in iis criminibus nonnunquam mori, de quibus Apoſtolus, ad Galat. 5. v. 21. *Qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* Ergo.

2do. Quia ex impia Calviniſtarum doctrina ſequitur omnimoda morum ſubverſio. Si enim juſtus in eorum ſententia non amittit Gratiam juſtificantem, quantumcumque deteſtabiliter peccet, modò non timeat propterea mitti in gehennam, nec de prædeſtinatione ſua diffidat, ſequitur 1mo. Juſtis & Dei amicis pugnandum eſſe contra indeliberatos timoris motus (quibus Spiritus ſanctus

ad declinandum peccatum & ad perſeverandum incitat) veluti contra graviſſimam & periculoſiſſimam tentationem, nec audiendum Chriſtum dicentem, Luc. 12. v. 4. & 5. (m) *Dico vobis amicis meis ... timete eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam.* 2do. Salubre fore Lutheri conſilium, *fortiter crede, & fortiùs pecca*, quia nihil ita expellit timorem, quàm peccandi aſſiduitas, qua induratur cor, & præſumptio contra deſperationem inducitur.

CONCLUSIO V.

Juſtificatio ſeu juſtitia, qua formaliter juſti ſumus, non eſt in omnibus juſtis æqualis. Eſt de fide contra Lutheranos & Calviniſtas, qui Jovinianum docentem, virtutes & peccata eſſe paria (n), ſecuti tuentur, juſtitiam ſeu juſtificationem majus vel minus haud ſuſcipere.

Prob. 1mo. ex Scripturis. Prov. 4. *Juſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens procedit & creſcit uſque ad perfectam diem.* 2. Cor. 9. v. 10. *Augebit* (Deus) *incrementa frugum juſtitiæ veſtræ.* Apocalyp. ult. v. 11. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc; & qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc*, ſeu, quod idem eſt, cuique incumbit debitum, ſuam & juſtitiam & ſanctitatem augendi per pietatis opera. Orant perſæpè Apoſtoli, ut Fideles *impleantur in omnem plenitudinem Dei*, Epheſ. 3. v. 19. *Agnitione Dei*, Coloſſ. 1. v. 9. *Pace & charitate*, Jud. v. 2. Illudque juſtitiæ incrementum petit pro filiis ſancta Mater Eccleſia Dom. 15. poſt Pentecoſt. cùm ſic orat: *Da nobis Domine, fidei, ſpei, & charitatis augmentum.*

(m) Ex Matth. cap 10. verſ. 28. *Timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.*

(n) Apud S. Hieronymum lib. 2. adv. Jovinian.

Prob. 2do. ex SS. Patribus, pro omnibus ſint Hieronymus, lib. 2. contra Jov. *Quare*, ait, *dicunt Apoſtoli, adauge nobis fidem, ſi omnium una menſura eſt?* Et S. Auguſtinus, ſerm. 158. aliàs 16. de Verb. Apoſt. *Juſtificati ſumus; ſed ipſa juſtitia, cùm proficimus creſcit.* Epiſt. 127. aliàs 29. *Induti ſunt Sancti juſtitiâ, alii plùs alii minùs.* Et Tract. 5. in Joan. *Cùm fuerit nata* (charitas) *nutritur; cùm fuerit nutrita, roboratur; cùm fuerit roborata, perficitur.* Denique Tract. 6. in eundem. *Ipſi ſpirituales ſancti in Eccleſia ſunt alii aliis ſanctiores, alii aliis meliores.*

Prob. 3tio. ex Concilio Trid. Seſſ. 6. Can. 44. ubi ſic definit: *Si quis dixerit juſtitiam acceptam non .... augeri coram Deo per bona opera .... anathema ſit.*

Prob. 4to. Ratione. 1mo. Diſpoſitiones, quæ præparant ad juſtitiam ſeu juſtificationem non ſunt in omnibus æquales, prout patet. Ergo nec in omnibus eſt æqualis juſtitia. 2do. Charitas, utpote amor amicitiæ, amici præſentiam quærit, donec illi perfectè uniatur juxta illud Pſal. 104. *Quærite Dominum & confirmamini, quærite faciem ejus ſemper.* Appropinquat autem dum creſcit per bona opera, & cùm perfecta fuerit, apprehendet poſſidebitque. 3tio. Varia erunt & inæqualia præmia, quibus beati remunerabuntur. Ergo inæqualis erit eorum juſtitia; cùm juſtitia hujus vitæ ſit menſura præmii, quod in altera rependetur.

90 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. contra 1mam Concluſionem. Scripturæ paſſim fiduciam exigunt ad remiſſionem peccatorum. Matth. 9. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Ergo fides juſtificans eſt fiducia.

Reſp. Diſt. ant. Scripturæ exigunt fiduciam, id eſt, ſpem obtinendæ veniæ per merita Chriſti, quam diſpoſitionem inter alias ad juſtificationem poſtulat Concilium Trid. Seſſ. 6. c. 6. conc. Exigunt fiduciam, ſeu fidem ſpecialem Acatholicorum, qua quis certò credat, aut certò confidat, ſibi dimiſſa eſſe peccata. neg. ant. ſolutio patet ex paſſim dictis.

Ob. 2do. Impius, qui juſtificationis 91
gratiam expoſcit, debet certò credere ſe eam conſecuturum, juxta illud Marci, 11. *Quidquid orantes petitis, credite, quia accipietis, & fiet vobis.* Atqui illa certitudo nonniſi per fidem miſericordiæ ſpecialis haberi poteſt. Ergo &c.

Reſp. neg. maj. Quia homo non poteſt eſſe certus, an, ut par eſt, juſtificationem poſtulet: unde dicendum, ſententiam, ex Marco adductam, conditionatam eſſe; eſt enim ex ſuppoſitione, quòd petamus, ſicut oportet.

Ob. 3tio. Debet eſſe aliquod diſcri- 92
men inter fidem Diabolicam, & Chriſtianam. Atqui illud diſcrimen ſumi tantùm poteſt ex eo, quòd iſta Dei ſpecialem miſericordiam reſpiciat; illa verò nequaquam, cùm Dæmonibus nulla ſalutis ſpes affulgeat. Ergo &c.

Reſp. neg. min. Illud diſcrimen non ſumitur ex parte objecti, ſed ex parte modi. Chriſtiani credunt ex humili reverentia in Deum revelantem; Diaboli verò Chriſtianam religionem eſſe veram concludunt coacti miraculis, quæ ſciunt in confirmationem illius à Chriſto & ejus diſcipulis patrata fuiſſe. Vid. Auguſtin. Ep. ad Sixtum.

Ob. 4to. Contra Concluſionem 2dam. 93
Arbitramur, inquit Apoſtolus Rom. 3. *hominem juſtificari per fidem ſine operibus legis.* Galat. 2. *Scientes, quòd non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem JEſu Chriſti.* Epheſ. 2. *Gratiâ*

tiâ eſtis ſalvati per fidem, & non ex operibus. Ergo re vera ſola fides juſtificat.

Reſp. neg. conſ. Apoſtolus locis citatis à juſtificatione rejicit tùm opera moraliter bona, quibus Gentiles converſi ſe Evangelii prædicationem promeruiſſe gloriabantur; tùm opera ceremonialia legis Moſaicæ, & ſine gratia Chriſti facta; ſed non excludit opera pietatis, quæ ex gratia per JEſum Chriſtum eliciuntur: *Abſit enim,* inquit hic S. Auguſtinus (*o*), *ut hoc ſentiret vas electionis, qui cùm dixiſſet in quodam loco, In Chriſto enim JEſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium; mox addidit, ſed fides, quæ per dilectionem operatur.*

94 Ob. 5to. Scriptura juſtificationem ſæpius fidei tribuit, ut Matth. 3. *Fides tua te ſalvam fecit.* Ergo ſola præſupponitur juſtificationi.

Reſp. neg. conſ. Quando multæ cauſæ ad eundem effectum concurrunt, Scriptura modò unius meminit, modò verò alteriùs, & quidem frequentiùs eam recenſet, quæ, ut ait Concilium Trid. *de fide*, eſt reſpectu juſtitiæ radix, fundamentum, & initium. *Ex fide*, inquit S. Auguſtinus, lib. de prædeſt. SS. c. 7. *ideò dicit Apoſtolus juſtificari hominem, non ex operibus, quia ipſa prima datur ex qua impetrentur cætera, quæ propriè opera nuncupantur, in quibus vivitur.*

95 Ob. 6to. Rom. 10. & Act. 13. omnes qui credunt juſtificantur & ſalvantur. Atqui hoc falſum foret, ſi non ſufficeret ſola fides. Ergo &c.

Reſp. Diſt. maj. Omnes qui credunt juſtificantur &c. modò alia ſimul requiſita addantur, conc. ſi cætera deſint, neg. maj. Ita SS. Patres paſſim docent, cùm admonent, ſolam fidem non ſufficere. *Multi*, inquit S. Auguſtinus, Tract. 10. in Ep. Joan. *dicunt, credo, ſed fides ſine operibus non ſalvat.*

Ob. 7mo. Plures SS. Patres, ut Hilarius c. 8. in Matth. abſolutè dicunt *ſolam fidem juſtificare.* Ergo &c. 96

Reſp. Diſt. ant. Sola fides juſtificat, viva ſcilicet, quæ per dilectionem operatur, conc. Sola fides mortua ſeu informis, ut loquuntur Theologi, neg. ant. Nam ex S. Auguſtino, lib. 15. de Trin. c. 18. *Fides ſine charitate poteſt quidem eſſe, ſed non & prodeſſe.* Et lib. de nat. & grat. c. ult. *Charitas inchoata, inchoata juſtitia eſt: charitas provecta, provecta juſtitia eſt: charitas magna, magna juſtitia eſt: charitas perfecta, perfecta juſtitia eſt.*

Inſt. 1mo. Fides mortua non eſt vera fides, quemadmodum homo mortuus non eſt homo niſi æquivocè. Atqui fides ſine operibus mortua eſt. Ergo non eſt vera fides, niſi illa, quæ attrahit Spiritum ſanctum &c.

Reſp. neg. maj. & paritatem. Diſparitas eſt, quòd homo dicatur mortuus per ſubſtractionem & ſeparationem alicujus eſſentialis, nempe animæ; ſublata autem parte eſſentiali, deſinit totum eſſentiale, ſcilicet homo. Contrà fides dicitur mortua, eo ſenſu, quo dicitur corpus mortuum, hoc eſt, propter ſubſtractionem ac ſeparationem alicujus extrinſeci, & minimè eſſentialis; ſicut enim anima non eſt eſſentialis corpori, ita nec charitas fidei. Ergo ſicut corpus mortuum eſt verum corpus, ſic & fides mortua eſt vera fides.

Juſt. 2do. S. Jacobus Epiſt. ſuæ c. 2. fidem ſine operibus comparat fidei Dæmonum. Atqui vera fides non eſt in Dæmonibus. Ergo nec in iis qui non operantur.

Dddd 2 Reſp.

(*o*) *Lib. de Grat, & lib. arb. c. 7.*

Digitized by Google

Reſp. neg. min. (*p*) Quamvis fides peccatoris eſſentialiter differat à fide Dæmonum, quæ in ipſis eſt cognitio naturalis, & propter rerum evidentiam neceſſaria; in eo tamen convenit cum fide Dæmonum, quòd ſit charitate & bonis operibus deſtituta; ac proinde peccator ad mentem Apoſtoli, de hac fide non debet gloriari; nam fides Juſtorum propria per dilectionem operatur. Et hæc eſt fides viva, de qua dicitur, ad Galat. 3. v. 11. *Juſtus ex fide vivit.*

Inſt. 3tio. Sicut fides non ſeparatur à Spiritu ſancto, ſic nec etiam à dilectione. Ergo.

Reſp. neg. ant. Fides quidem non poteſt eſſe ſine ſancto Spiritu aſſiſtente, ſicut nec lux dici ſine ſole illuminante (*q*) Sed manet in peccatoribus Spiritu ſancto non inhabitante; *Sanctus enim Spiritus diſciplinæ effugiet fictum.... nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Sap. 1. v. 4. & 5. *Jam credit aliquis in Chriſto, ſed odit Chriſtum*, inquit S. Auguſtinus, Tract. 10. in Ep. Joan. *habet confeſſionem fidei timore pœnæ, non in amore coronæ. Adde huic fidei dilectionem, ut fiat fides, qualem dicit Apoſtolus, fides, quæ per dilectionem operatur.*

Inſt. 4to. 1. Joan. 2. *Qui dicit ſe noſſe eum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt.* Ergo non datur vera fides ſine operibus.

Reſp. neg. conſ. Duplex eſt Dei cognitio, alia eſt ſpeculativa, imperfecta, & otioſa, qualem Apoſtolus dixit Rom. 1. habuiſſe Philoſophos, *qui cùm Deum cognoviſſent, non ſicut Deum glorificaverunt . . . ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis.* Alia eſt effectiva & practica. Qui hanc habet, *ex Deo natus eſt*, 1. Joan. 5. *& ſervat ejus mandata;* qui non habet, *confitetur quidem ſe noſſe Deum, factis autem negat*, ut dicitur ad Tit. c. 1. Et ideo non illum novit ſicut oportet, mendaxque eſt, ſi hoc modò ſe eum noſſe dicat.

Ob. 8vo. S. Auguſtinus lib. de fide 97
& operibus, c. 14. *Sequuntur*, ait, *opera juſtificatum, non juſtificandum.* In Pſal. 110. *Juſtitiam homo non operatur, niſi juſtificatus.* Ergo ſola fides præcedit juſtificationem, quatenus per eam veluti per manum apprehenditur juſtitia Chriſti.

Reſp. diſt. ant. Juſtificationem ſequuntur opera viva & meritoria, quibus lex adimpletur, & quibus retributio ſeu merces debetur, conc. Sequuntur omnia omninò opera, ita ut nulla bona præcedant, neg. ant. Namque S. Auguſtinus Serm. 351. aliàs Hom. 50. & alibi paſſim deſcribit pœnitentiam, quam agi oportet ante Baptiſmum.

Ob. 9no. Contra Concluſionem 3tiam. 98
Rom. 4. v. 14. & 16. ſic legitur: *Si enim qui ex Lege, hæredes ſunt, exinanita eſt fides, abolita eſt promiſſio.... Ideò ex fide, ut ſecundùm gratiam firma ſit promiſſio omni homini.* Ergo certitudine fidei credere debemus Dei promiſſa.

Reſp. diſt. conſ. Credere debemus promiſſa generatim facta, v. 9. *Omnis, qui invocaverit nomen Domini ſalvus erit. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, conced. quia Deus hæc dixit; nec eorum veritatem labefactare poteſt hominum iniquitas. Credere debemus promiſſa illa mihi privato applicari, dum invoco nomen Domini, aut panem hunc manduco, neg. conſ. Quia certus non ſum, me invocare nomen Domi-

(*p*) Sic habet textus c. 2. v. 19. *Tu credis, quoniam unus eſt Deus: Bene facis: & Dæmones credunt, & contremiſcunt.* Ergo juxta Apoſtolum Dæmones habent veram fidem, licèt mortuam.

(*q*) Id eſt lucem premente.

Digitized by Google

Domini, aut panem, quem dedit nobis Dominus, manducare ſicut oportet; Deus enim illud poſterius non mihi revelavit. *Sicut nemo pius*, inquit Concil. Trid. Seſſ. 6. cap. 9. *de Dei miſericordia, de Chriſti merito, deque Sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet: ſic quilibet, dum ſe ipſum, ſuamque propriam infirmitatem & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare & timere poteſt.*

Inſt. Promiſſio eſt univerſalis & omnibus facta. Ergo & ſingulis, namque pars continetur in toto.

Reſp. Diſt. conſ. Ergo & ſingulis conditionatè, ſi pœnitentiam agant, ſicut oportet, conc. Ergo & ſingulis abſolute, neg. conſ.

Urg. Ergo ſi ſinguli partes ſuas non agant, nec conditionem ponant, abolita eſt promiſſio, quod manifeſtè pugnat contra Apoſtolum; probat quippe firmam eſſe Dei promiſſionem, quia ex fide; alioqui ſi ex operibus, evacuata eſt promiſſio; nam ex Pſal. 13. quem laudat, *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum &c.* Ergo.

Reſp. 1mo retorquendo argumentum contra Adverſarios: ſi ſinguli careant certâ illâ fiduciâ, ſine qua non applicantur merita Chriſti, ut contendunt, abolita ſimiliter erit Dei promiſſio. Abſit, inquient; nam promiſſio Dei ſemper in ſe ſtat firma, etiamſi ſupponantur homines illam negligere; quemadmodùm fons perennis non ideo exſiccatur, quia nullus haurit ex illo. Bene quidem: ſed quis non videat hac reſponſione ſolvi incommodum, quod nobis objiciunt?

Reſp. 2do. neg. ant. Promiſſio Dei eſt quidem abſoluta & univerſim omnibus hominibus, ſeu univerſali Eccleſiæ ſuæ facta, ut hæc, *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*, Matth. 16. Et *Ecce vobiscum ſum usque ad conſummationem ſæculi*, Matth. 28. falsò proinde ſupponitur in objectione, quòd omnes collectivè promiſſionibus divinis obicem ponant, quamvis id poſſint ſinguli diſtributivè ſumpti, mala namque ſecundùm Dialecticæ (*r*) regulas eſt argumentatio à ſenſu collectivo ad diſtributivum. Ex falſa autem hypotheſi mirum non eſt, quòd ſequatur abſurdum.

Ob. 10mo. Rom. 8. ſic habetur: 99
Ipſe Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quòd ſumus filii Dei. Atqui teſtimonium Spiritus ſancti, qui nec falli nec fallere poteſt, ſummam certitudinem efficere debet. Ergo certa fide poſſumus credere, nos eſſe juſtos & filios Dei.

Reſp. diſt. maj. Spiritus teſtimonium reddit ſignis quibusdam conjecturalibus, conc. ſignis evidentibus aut per revelationem, neg. maj. Scilicet teſtimonium illud non fit per verbum aliquod expreſſum, ſed per experimentum cujusdam ſuavitatis & pacis internæ, quæ non gignit niſi certitudinem conjecturalem aut moralem. Ita textum hunc interpretantur plerique SS. Patres, præſertim Latini.

Ob. 11mo. Apoſtolus 2. Cor. 13. v. 5. 100
ſic ſcribit: *Vosmetipſos tentate, ſi eſtis in fide, ipſi vos probate. An non cognoſcitis vosmetipſos, quia Chriſtus JEſus in vobis eſt, niſi fortè reprobi eſtis?* Atqui hæc verba indicant omnimodam certitudinem. Ergo.

Reſp. Diſt. min. indicant omnimodam certitudinem miraculorum, per

(*r*) *Dialectica* vox græca latinè ſignificat *artem diſputandi.*

Digitized by Google

quæ Apoſtolus efficaciter probavit ſe à Deo miſſum, & Chriſtum eſſe Filium Dei, conc. indicant certitudinem gratiæ ſanctificantis in unoquoque juſto exiſtentis, neg. min. Nam de ea non agit Apoſtolus, ſed de gratiis gratis datis, de dono linguarum, & aliis miraculis, quæ frequentia erant in Eccleſia Corinthiorum, quæque potenter demonſtrabant divinam Chriſti potentiam, *niſi fortè*, inquit Apoſtolus, *eſtis reprobi*, hoc eſt, niſi aliqui inter vos ex infidelitate blaſphemantes divina illa opera tribuant magicis artibus.

Inſt. 1. Cor. 2. Apoſtolus manifeſtè loquitur de Gratia ſanctificante, & tamen de ea ſic ſcribit, v. 12. *Nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, ut ſciamus, quæ à Deo donata ſunt nobis.* Ergo.

Reſp. neg. ant. Conſtat enim vel ex ipſo contextu, Apoſtolum loqui de myſteriis noſtræ Religionis, ac præſertim de oeconomia redemptionis per JEſum Chriſtum, quæ fuerat abſcondita in Deo, quamque nemo ſine Spiritu Dei cognoſcere poteſt. *Quis enim hominum*, inquit, *ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? Ita & quæ Dei ſunt, nemo cognovit, niſi ſpiritus Dei. Nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed Spiritum, qui ex Deo eſt, ut ſciamus, quæ à Deo donata ſunt nobis.*

101 Ob. 12mo. S. Chryſoſtomus, Hom. 14. in Epiſt. ad Romanos de interiori Spiritus ſancti teſtimonio ſic loquitur: *Quando verò Spiritus ſanctus teſtatur, quænam relinquitur ambiguitas?* Ergo in mente S. Doctoris hujus juſtus habet omnimodam certitudinem peccata ſibi eſſe remiſſa.

Reſp. 1mo. Opponendo quæ ex eodem S. Doctore retulimus in confirmationem Concluſionis noſtræ.

Reſp. 2do. Diſt. ant. Nulla relinquitur ambiguitas circa teſtimonium Spiritus ſancti in ſe ſpectatum, conc. firma enim fide credimus, peccata in baptiſmo remitti; Chriſtianos non accipere ſpiritum ſervitutis iterum in timore; ſed ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clament, *Abba Pater*. Nulla relinquitur ambiguitas circa ſigna, quibus juſtus conjicit Spiritum ſanctum ſibi teſtari ſua peccata eſſe remiſſa, ſe accepiſſe gratiam adoptionis, neg. ant. Quot enim peccatores confidenter Deum inclamant, *Abba Pater?* Nonne Sathanas transfigurat ſe in Angelum lucis, ut decipiat. Illud ipſum agnoſcit Calvinus, docetque plures falsò credere ſe eſſe prædeſtinatos, & peccatorum remiſſionem eſſe conſecutos, prout ſupra jam adnotavimus. Itaque non de teſtimonio Spiritus ſancti, ſed de teſtimonio propriæ conſcientiæ cum Apoſtolo dubitamus; ita tamen ut juſtis non deſint ſigna magis aut minùs probabilia acceptæ juſtitiæ.

Ob. 13tio Spes certiſſima eſt ac firmiſſima; hinc ad Heb. 6. comparatur anchoræ, propter ſuam firmitatem & immobilitatem. Atqui firmiſſimá ſpes eſſe non poteſt, niſi quis certiſſimè credat & confidat ſibi remiſſa eſſe peccata. Ergo. 102

Reſp. Diſt. maj. Spes certiſſima eſt ex parte Dei, conc. ex parte noſtri neg. maj. ſcilicet ſpes eſt certa expectatio futuræ præſertim beatitudinis: hujus autem conſecutio à duobus pendet; à Deo nimirùm auxiliante, & ab homine cooperante. Ex primo capite certiſſima & firmiſſima ſpes eſſe debet, quia principaliter innititur divinæ omnipotentiæ & miſericordiæ, de quibus certus eſt quicunque habet fidem. Aſt ex altero capite, habita nempe ratione propriæ diſpoſitionis præſentis aut futuræ, nusquam omnem penitùs formidinem excludit aut excludere poteſt ſpes. Licèt autem ſpectata unius-

Digitized by Google

uniuscujusque propria infirmitate & indiſpoſitione, nusquam ſpes ex ſe excludat omnem omninò formidinem, attamen tollit tumultuoſam anxietatem & timorem nimium; atque tanta eſt in juſtis, ut ſatis eſſe poſſit ad ſecuritatem quamdam & moralem certitudinem gignendam, quo fit ut legitima conſcientiæ pace, tranquillitate & lætitia interiori perfruantur. Hæc porro interior pax & tranquillitas non oritur ex certitudine abſoluta fidei de remiſſione peccatorum, ut volunt Proteſtantes, ſed ex conſcientia charitatis & bonorum operum exercitio, ſicuti tradunt SS. Ambroſius, Auguſtinus, & Bernardus Serm. 69. in Cantica.

Proteſtantes in hoc errant, quòd ſicut fidem cum fiducia, ita certitudinem fidei cum certitudine fiduciæ confundant: attamen multùm intereſt diſcriminis inter utramque certitudinem. Namque certitudo fidei, utpotè cùm ſola Dei revelantis auctoritate nitatur, omni ex parte dubitationem excludit, eſtque abſoluta & infallibilis certitudo: aſt è contrà certitudo ſpei & fiduciæ partim nititur divina promiſſione, partim propria diſpoſitione: quod attinet ad divinam promiſſionem, omnem pariter formidinem excludit, & eſt ſimpliciter & abſolutè certitudo: quod attinet ad propriam ſperantis diſpoſitionem, non excludit omnem penitùs formidinem, neque eſt certitudo ſimpliciter, ſed conjecturalis duntaxat & moralis. Vid. Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 18. a. 4. Concil. Trid. Seſſ. 6. cap. 9. 12. 13. Bellarm. lib. 3. de juſtificatione cap. 2.

103 Ob. 14to. Contra Concluſionem 4tam. Ex Apoſtolo, 1. Cor. 13. *Charitas nunquam excidit.* Ergo nec fides & juſtitia &c.

Reſp. Diſt. ant. Nunquam excidit per ſuperveniente gloriam, & viſionem beatificam, prout excidunt fides & ſpes. conc. Eadem enim charitas, quæ in vita inchoatur, & creſcit, in patria perficietur, & in æternum permanebit, ſicut reverentialis & caſtus Dei timor: contrà verò per Dei intuitivam viſionem & poſſeſſionem fides & ſpes deſtruentur, ut ibidem docet Apoſtolus. Charitas nunquam excidit ſuperveniente gravi peccato, neg. ant.

Inſt. 1mo. Charitas per peccatum extingui non poteſt, ut conſtat ex pluribus Scripturæ textibus; nam Cant. 8. habetur: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Rom. 8. *Certus ſum, quòd neque mors, neque vita, &c. poterit nos ſeparare à charitate Dei.* Et Joan. 4. *Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, ſed . . . fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Ergo.

Reſp. Diſt. ant. Nec aquæ tribulationum, nec timor mortis, nec ſitis, ſeu cupiditas rei cujusque creatæ prævalere poſſunt adversùs hominem Gratia ſanctificante inſtructum, ſi eam per liberum arbitrium non abjiciat, nec negligat, conc. Si abjiciat aut negligat, neg. ant. Quemadmodùm enim Adamus, licèt, deſerendo juſtitiam originalem, mortem incurrerit, immortalis tamen dicitur creatus; quia manente ſtatu innocentiæ, mors adversùs illum prævalere non poterat; Similiter juſtus, ſi in omnibus ſumat ſcutum fidei per dilectionem operantis, & poteſt omnia tela nequiſſimi ignea extinguere; ſecùs ſi potentiſſima illa arma voluntariè abjiciat.

Inſt. 2do. Atqui juſtus non poteſt abjicere gratiam ſanctificantem, ut manifeſtè colligitur ex his verbis 1. Joan. 3. v. 9. *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit; quoniam ſemen ipſius in eo manet; & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.* Ubi Apoſtolus probat

bat liberum non eſſe ei, qui natus eſt ex Deo, deſerere juſtitiam. Ergo &c.

Reſp. diſt. ant. Juſtus, ſeu qui natus eſt ex Deo, non poteſt abjicere juſtitiam, ſeu peccare, ſi agat quatenùs natus eſt ex Deo, hoc eſt ex motivo ſupernaturali, conc. Si agat prout natus eſt ex Adamo, neg. ant. Vel aliter etiam diſt. Non poteſt peccare lethaliter, quamdiu manet filius Dei, quia ſemen Dei, hoc eſt, charitas, quæ omnibus peccatis lethalibus eſt contraria, in ipſo manet, conc. Non poteſt in ſenſu diviso, quaſi juſtitia ſemel habita amitti non poſſit, neg. ant. Certè juſtum juſtitiam ſuam amittere ac peccare poſſe, ſicque ex juſto injuſtum fieri, patet ex c. 6. ad Heb. v. 4. ubi *Impoſſibile eſt*, ait Apoſtolus, *eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti. . . & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam* Vid. S. Auguſt. lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ. c. 7. & Tract. 5. in Epiſt. Joan.

104 Ob. 15to. contra Concluſionem 5tam. Evangelii parabola, in qua ſuis vineæ cultoribus Paterfamilias, Deus nempe, æquale pretium rependit, licèt inæquali tempore laboraſſent. Ergo ſi æquale futurum ſit in cœlis præmium, æqualis ſit, oportet, in hoc ſæculo omnium prædeſtinatorum juſtitia; cùm gradus gloriæ in altera vita reſpondeat gradui gratiæ, quem quis in iſta habuerit.

Reſp. neg. conſ. Qui breviori tempore laboraverant in vinea, eâ fuerunt diligentiâ, ut cæterorum, qui ſummô manè conducti fuerant, laborem æquaverint. Porro æquale futurum eſt in cœlis præmium objectivè duntaxat & ratione durationis; non verò intenſivè & ratione perfectionis. Vide, quæ de hoc argumento diximus hoc 2dô. Theologiæ noſtræ Tomô, Tract. 1mô. De Deo part. 1mâ. cap. 4. §. 5. Ad Object. 1mam. pag. 67.

§. III.

De Merito Juſti. 105

Tria circa meritum occurrunt expendenda. 1mum. An exiſtat meritum, ſive an homo poſſit aliquid à Deo verè mereri. 2dum. Quænam ad meritum requirantur conditiones. 3tium. Quid ſub meritum cadat, ſeu quodnam ſit objectum meriti.

(s) *Meriti* nomine intelligitur *opus præmiô & retributione dignum:* ſicut è contrà *Demeritum* vocatur opus pœnis & ſuppliciis plectendum (t)

Lutherani & Calviniſtæ, qui contendunt hominem ſola fide juſtificari, atque omnia etiam juſtorum opera vera eſſe peccata, etſi non imputata, quodlibet proinde excludere tenentur verum ac propriè dictum meritum. Contra quos ſequentes ponuntur Concluſiones.

Conclusio I. 106

Datur meritum propriè dictum; ſive bona juſtorum opera verè ac propriè ſunt meritoria.

Prob. 1mo. ex Scripturis. Matth. 5. *Merces veſtra copioſa eſt in cœlis* Et cap. 16. *Reddet unicuique ſecundùm opera ejus.* Et 1. Cor. 3. *Unusquisque propriam mercedem accipiet ſecundùm laborem*

(s) Meritum à merendo dicitur.

(t) *Demeritum* vulgò etiam *meritum* nuncupatur, ut cùm fur patibulum mereri dicitur. Sed hìc *meritum* in bonam partem ſumitur, non in malam duntaxat.

Digitized by Google

rem ſuum. Quibus locis vita æterna dicitur merces bonorum operum; merces autem correlativa eſt ad meritum verè & propriè dictum; per hoc enim differt à dono purè gratuito: proindeque dantur vera merita.

Pro 2do Ex SS. Patribus. Pro omnibus ſit S. Auguſtinus, Epiſt. 105. ad Sixtum: ubi *Nullanè*, inquit, *ſunt merita juſtorum? ſunt planè, quia juſti ſunt.* Similia habet Tract. 67. in Joan. tradunt & SS. Chryſtomus, Ambroſius, aliique Patres.

Prob. 3tio. ex Conciliis, ſcilicet Arauſicano II. (*u*) Can. 18. ubi ſic habet: *Debetur merces bonis operibus, ſi fiant; ſed Gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant.* Lateranenſi IV. Generali (*x*), cap. 1. *Non ſolùm virgines & continentes, verùm etiam conjugati per fidem rectam & operationem bonam, placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinem pervenire.* (*y*) Florentinô, in litteris Unionis definiente animas plenè purgatas *in cælum mox recipi, & intueri clarè ipſum Deum trinum & unum ſicuti eſt, pro meritorum tamen diverſitate alium alio perfectiùs.* Tridentinô (*z*), Seſſ. 6. c. 16. *Benè operantibus usque in finem, & in Deo ſperantibus proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Chriſtum JEſum miſericorditer promiſſa: & tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus, & meritis fideliter reddenda. Hæc eſt enim illa corona juſtitiæ, quam poſt ſuum certamen & curſum repoſitam ſibi eſſe ajebat Apoſtolus, à juſto Judice ſibi reddendam, non ſolùm autem ſibi, ſed & omnibus, qui diligunt adventum ejus.* Eadem repetit Can. 32.

CONCLUSIO II. 107

Multæ conditiones requiruntur ad meritum ſtrictè ſumptum (*a*).

Prob. enumeratione illarum conditionum tùm ex parte perſonæ merentis, tùm ex parte actus meritorii, tùm denique ex parte Dei remunerantis, tam ad meritum de condigno, quàm ad meritum de congruo requiſitarum.

Conditiones ad meritum de condigno ex parte merentis duæ requiruntur: Prima eſt, ut ſit juſtus & in ſtatu gratiæ: id patet ex illo Chriſti Joan. 15. *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo niſi manſerit in vite, ſic nec vos niſi in me manſeritis.* Altera conditio eſt, ut qui meretur ſit viator: ita paſſim teſtantur Scripturæ; 2. Cor. 6. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* Galat. 6. *Dum tempus habemus operemur bonum.* Et verò nemo, niſi viator ſit, poteſt aliquid apud Deum mereri, *Ubi enim ceciderit lignum,*

(*u*) An. 529. (*x*) An. 1215. (*y*) An. 1438. (*z*) Ab an. 1545. usque ad an. 1563.

(*a*) Duplex, prout in Tract. de Incarn. c. 4. §. 1. num. 136. jam adnotavimus, diſtinguitur meritum, unum de condigno, alterum de congruo. Meritum de condigno illud eſt, cui propter Dei promiſſionem & ipſius operis æqualitatem debetur præmium ex juſtitia. Meritum autem de congruo eſt illud, cui præmium debetur ex aliqua decentia & congruitate, non verò ex juſtitia. Si opus cui ex juſtitia debetur merces habeat æqualitatem cum mercede, ſine gratia ex parte remunerantis, erit meritum de condigno rigoroſo, ſi verò operis valor & dignitas remunerantis gratia nititur, erit meritum de condigno ordinario. Meritum rigoroſum de condigno ſoli Chriſto competit, nobis verò, cùm actiones noſtræ in gratia fundentur, ſintque Dei dona, & aliàs ita ipſi debitæ ſint, ut omnes ſibi vindicare poſſit, meritum quidem ſimpliciter dictum competere [illegible], minùs rigoroſè ſumptum.

lignum, ibi manebit, inquit Eccleſiaſt. c. 11. v. 3.

Ex parte operis meritorii tres requiruntur conditiones. Prima, ut actus ſit liber, atque à neceſſitate etiam ſimplici & relativa immunis. Secunda, ut ſit moraliter bonus & honeſtus: quippè ſolum opus bonum præmiô dignum eſt. Tertia, ut ſit ſupernaturalis, & ad Deum referatur. Ergo 1mo. ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non ſufficit in homine libertas à coactione, ſed requiritur immunitas à neceſſitate etiam ſimplici, mutabili & relativa; prout alibi ex profeſſo oſtendemus. 2do. Omnia opera, quæ fiunt in ſtatu Gratiæ & procedunt ex Gratia actuali, atque adeo ex motivo ſupernaturali, ſunt meritoria de condigno vitæ æternæ, quia Deus reddet Juſtis vitam æternam propter opera miſericordiæ & beneficentiæ, imò & propter omnia quæcumque fecerunt piè, hoc eſt, in ordine ad ſalutem æternam; hinc Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi*, inquit Chriſtus, *ſerva mandata.* Et Joan. 5. de quibusvis operibus in ſtatu gratiæ & ex gratia factis ſive ſecundùm ſe & quoad entitatem ſupernaturalibus, ſive quoad modum duntaxat ſeu motivum; & ſive à charitate, ſive ab alia aliqua virtute elicitis, ſic habetur: *Procedent, qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ.* Nulla enim deeſt talibus operibus conditio ad meritum de condigno vitæ æternæ. Unde Concilium Trid. Seſſ. 6. cap. 16. generatim & abſolutè docet, *vitam æternam bonis juſtorum operibus eſſe reddendam.* Ergo modò ſint bona & in Deo facta, ut ibidem loquitur Concilium, hoc eſt in gratia & ex gratia, omnia ſunt vitæ æternæ meritoria. 3tio. Ut opera juſtorum ſint meritoria de condigno vitæ æternæ, requiritur ſaltem & ſufficit intentio ſeu relatio ad Deum virtualis, quæ tunc cenſetur adeſſe & perſeverare, cùm aliquis opus ſuum ad Deum retulit, & poſteà virtute illius intentionis in actum moraliter influentis operatur: preſſiùs, intentio virtualis perſeverare cenſetur, quamdiu non eſt retractata, nec moraliter interrupta.

Denique ex parte Dei remunerantis ad meritum de condigno requiritur pactum ſeu promiſſio. Quippe meritum de condigno non ſolùm dicit operis condignitatem, ſed obligationem ex parte remunerantis. Atqui talis obligatio non ſtat ex parte Dei, niſi quia coronam vitæ repromiſit diligentibus ſe: ut enim habet S. Auguſtinus in Pſal. 83. *Debitorem Dominus ipſe ſe fecit, non accipiendo ſed promittendo: non ei dicitur, Redde quod accepiſti, ſed redde quod promiſiſti.*

Et mox dictis facilè colliguntur con- 108 ditiones ad meritum de congruo requiſitæ. 1mo. namque ex parte perſonæ merentis requiritur, ut ſit viator, quia, ut mox diximus, meritum eſt viæ. At neceſſum non eſt, ut ſit juſtus, quia actus pietatis, quos peccator nondum juſtificatus elicit, ipſum diſponunt ad impetrandam Gratiam, eamque merentur de congruo: hinc illud Tob. 4. *Eleemoſina ab omni peccato & à morte liberat.* 2do. Ex parte actûs requiritur, ut ſit liber, bonus, & ſupernaturalis: quam poſtremam conditionem exigit Concilium Trid. Seſſ. 6. Can. 3. ubi anathema pronuntiat in eos, qui aſſerunt, absque Gratia fieri poſſe aliquod opus ad ſalutem pertinens. 3tio. Ex parte Dei non requiritur pactum nec promiſſio, ſicut ad meritum de condigno. Ratio eſt, quia opus ſupernaturale de ſe congruitatem habet ad impetrandum illud, cujus de congruo meritorium eſt.

CON-

Digitized by Google

109 CONCLUSIO III.

Juſti de condigno per bona ſua opera mereri poſſunt beatitudinem æternam.

Prob. 1mo. ex Scripturis. Matth. 5. & 20. vita æterna dicitur *merces* bonorum operum. 2. ad Tim. 4. appellatur *corona juſtitiæ* à juſto Judice reddenda. Et 1. Cor. 9. vocatur *bravium:* Atqui hæc omnia meritum de condigno arguunt. Ergo.

Prob. 2do. ex SS. Patribus ſuprà concluſione 1ma. adductis, præcipuè autem ex S. Auguſtino, Ep. 105. ad Sixtum, ubi iis, quæ ſuprà dicta concluſione 1ma. ex eo adduximus, hæc addit: *Sicut merito peccati tanquam ſtipendium redditur mors; ita merito juſtitiæ, tanquam ſtipendium, vita æterna.* Idem tradit pluribus aliis in locis.

Prob. 3tio. ex Conciliis Concluſione citata adductis.

Prob. 4to. Ratione. 1mo. Bonis operibus juſtorum conveniunt conditiones ad meritum de condigno reſpectu vitæ æternæ: ſcilicet juſtus ac viator ſupponitur ille qui meretur; liberum, bonum, & ſupernaturale eſt ejus opus, imò & ſæpè à charitate elicitum vel imperatum; nec etiam deeſt pactum Dei, qui *coronam vitæ repromiſit diligentibus ſe.* Ergo &c. 2do. Juſtum mereri apud Deum de condigno, eſt juſtum mereri apud Deum ex æqualitate operis cum mercede illi à Deo promiſſa ob illud opus, ideoque debitâ ex juſtitia aliqua ſaltem latè dicta, nempe ex fidelitate in promiſſis, juxta Apoſtolum, 2. ad Tim. 4. *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex: non ſolùm autem mihi, ſed & iis, qui diligunt adventum ejus.* Et Heb. 6. *Non enim injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri.* Hinc S. Auguſtinus, lib. de nat. & grat. cap. 2. ait: *Non eſt injuſtus Deus, qui juſtos fraudet mercede juſtitiæ.* Atqui juſtus ſic meretur apud Deum beatitudinem æternam, Sap. 3. *Deus tentavit eos, & invenit illos dignos ſe.* Luc. 20. *Qui digni habebuntur ſæculo illo & reſurrectione ex mortuis,* ad vitam æternam. 2. ad Theſſal. cap. 1. *Ut digni habeamini in regno Dei.* Et Apocal. cap. 3. *Ambulabunt mecum in albis.* Ergo juſti per bona opera fiunt digni beatitudine æterna. Atqui non poteſt eſſe juſti dignitas ad beatitudinem aſſequendam ob bona opera, niſi illa opera habeant æqualitatem quamdam cum beatitudine. Item beatitudo rependenda juſtis tanquam merces vocatur ab Apoſtolo *corona juſtitiæ*, quæ vox ſanè æqualitatem quamdam operis cum mercede exprimit. Unde S. Cyprianus, epiſt. 25. ait: *Non minùs mercede condignus eſt, qui hortatur, quàm qui & paſſus eſt.* Vid. Conc. Trid. Seſſ. 6. cap. 16. & Can. 32.

110 Circa objectum meriti hæc adhuc quærere ſolent Theologi 1mo. Num quis mereri poſſit primam Gratiam actualem, & habitualem ſeu ſanctificantem. 2do. An juſtus poſſit mereri perſeverantiam.

Ad quæ reſpondemus breviter. Ad 1mum. Nemo quidem poteſt, ne quidem de congruo, mereri primam Gratiam actualem; at contrà primam Gratiam ſanctificantem, non quidem de condigno, ſed de congruo. Ratio 1mi eſt, quia ante primam gratiam actualem nihil eſt niſi ſimplex natura. Atqui natura ſibi ſoli relicta nulla ratione poteſt gratiam ſupernaturalem mereri, aliàs gratia non ampliùs foret gratia, & valerent omnia Semipelagianorum principia. Ratio 2di eſt, quia peccator actum perfectæ contritionis poteſt elicere. Atqui ille actus de congruo meretur primam Gratiam habitualem, ad quam ultima eſt diſpoſitio. Unde S. Auguſti-

Digitized by Google

nus ſæpè laudatâ Ep. 105. *Sed nec*, inquit, *ipſa remiſſio peccatorum* (quæ cum prima Gratia habituali neceſſariò conjuncta eſt) *ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat; neque enim nullum eſt meritum fidei.*

Nemo tamen eam de condigno mereri poteſt; expreſsè enim ait Apoſtolus, Rom. 3. *Nos juſtificari gratis per gratiam.* Concilium quoque Trid. Seſſ. 6. cap. 8. aſſerit, *nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fidem, ſive ipſa opera, juſtificationis gratiam promereri*; quod intelligi debet de condigno. Ratio etiam eſt, quia meritum de condigno requirit, ut homo ſit juſtus. Sed ante primam Gratiam habitualem ſeu ſanctificantem nemo juſtus eſt; cùm igitur principium meriti non cadat ſub meritum, prima gratia ſanctificans, quæ ad meritum de condigno requiritur, ſub idem meritum cadere nequit.

111 Ad 2dum dicimus, quòd homo juſtus non quidem poſſit de condigno mereri perſeverantiam, poſſit tamen de congruo. Ratio 2di. eſt, quia hìc non deſunt ſupra allatæ, nempe Concluſione 2da conditiones ad meritum de congruo. Unde S. Auguſtinus, lib. de dono perſeverantiæ, cap. 6. *Hoc itaque*, ait, *donum Dei ſuppliciter emereri poteſt; ſed cùm datum fuerit, amitti contumaciter non poteſt.* Huc etiam pertinet, quòd in publicis Eccleſiæ precibus oremus (cum ſpe utique obtinendi) *fac nos tuis ſemper inhærere mandatis.* Et in Miſſæ Sacrificio, *à te nunquam ſeparari permittas.*

Ratio 1mi. verò habetur 1mo. Quia neque ex Scriptura, neque ex Patribus colligi poteſt, Deum uni aut pluribus meritoriis operibus alligaſſe perſeverantiæ donum, ita quòd juſtus tali meritorum cumulô inſtructus, certò perſeveraturus ſit: imò monentur omnes, Philipp. 2. *Cum metu & tremore ſalutem veſtram operemini.* 1. ad Cor. 10. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat, ne cadat.* Et Chriſtus voluit, ut omnes, nemine excepto, preſeveranter orent ac petant, *Ne nos inducas in tentationem.* Hinc Concilium Trid. ſæpè cit. Seſſ. 6. Can. 32. recenſens ea, quæ verè & de condigno meremur, nullatenus meminit perſeverantiæ. 2dò. Quia quilibet infallibiliter conſequitur id omne, quod de condigno apud Deum meretur. Atqui conſtat etiam juſtiſſimos poſt excellentia merita, quandoque non conſequi perſeverantiam. Ergo eam non merentur de condigno, &c. &c.

Solvuntur Objectiones. 112

Ob. 1mo. Contra 1mam & 3tiam. Concluſionem, illud Pſal. 102. *Qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.* Adſtipulatur Chriſtus ipſe, Matth. 7. ubi inquit, *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Ergo ex miſericordia juſti vitam æternam conſequuntur duntaxat, non verò ex juſtitia bonis ipſorum operibus debita.

Reſp. neg. conſ. Beatitudo ſeu vita æterna rectè attribuitur miſericordiæ divinæ, non quòd non ſit vera merces, ſed quia ex miſericordia Dei procedit, & in merito noſtro multiplex miſericordia intervenit: nam 1mo. Deus nos miſericorditer juſtificat, ſine qua gratuita juſtificatione mereri non poſſumus vitam æternam. 2do. Nobis miſericorditer donat opera bona meritoria, dando miſericorditer Gratiam congruam ad illa exercenda. 3tio. Miſericorditer præmium bonis noſtris operibus promiſit, cùm potuiſſet non promittere, & nihil pro illis retribuere.

Ob. 2do. Iſai. 64. dicitur, *Quaſi pannus menſtruatæ, univerſæ juſtitiæ noſtræ.* Ergo omnia juſtorum opera ſunt peccata. 113

Reſp.

Reſp. neg. conſ. Quia 1mo aliter docet Scriptura, in qua legimus, juſtorum pia opera Deo placere,& certam facere eorum vocationem & electionem. Præterea peccatum quoque eſſet juſtis hæc à Chriſto præcepta oratio: *Dimitte nobis debita noſtra*, necnon & iſte actus, apud adverſarios juſtificans: *Credo per Chriſtum mihi remiſſa eſſe peccata mea.* Quia 2do. Ibi Propheta loquitur in perſona impiorum Judæorum, & ſolùm de obſervatione cæremoniarum legalium, & de ſacrificiis, quæ polluebant multis defectibus admixtis, unde Deum ſic poſteà loquentem adducit: *Incenſum abominatio eſt mihi.*

114 Ob. 3tio. Lucæ 17. Chriſtus ita loquitur: *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſervi inutiles ſumus.* Ergo actiones noſtræ non ſunt verè ac propriè meritoriæ.

Reſp. neg. conſ. Quippe ſervi inutiles appellamur, etiam obſervata lege; non quòd non mereamur bonis operibus, ſed quia absque gratia & Dei promiſſione nihil conferrent opera noſtra ad ſalutem; vel quia re ipſa etiam Deo non proſunt, ſed nobis tantùm. Ita SS. Ambroſius, & Auguſtinus.

115 Ob. 4to. Vita æterna dicitur gratia, Rom. 6. Ergo non eſt merces, nullusque eam mereri poteſt de condigno.

Reſp. neg. conſ. Vita enim æterna dicitur ſimul & gratia, & merces ſeu corona juſtitiæ: gratia quidem, quia rependitur bonis operibus ex gratia factis; merces verò, quia ex juſtitia debetur iis, qui legitimè pugnârunt ac vicerunt. Ita S. Auguſtinus, Ep. 105. & lib. de correp. & grat. cap. 13.

116 Ob. 5to. Ibid. cap. 8. ait Apoſtolus: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Ergo &c.

Reſp. neg. conſ. Ibi namque loquitur Apoſtolus de paſſionibus ex ſe præcisè ſecundùm ſuam ſubſtantiam, gravitatem, & durationem ſpectatis; non autem quatenùs ſunt paſſiones ex gratia propter Deum à filiis ejus adoptivis toleratæ, & Chriſti meritis innixæ: ſic enim conſideratæ, ait S. Thomas hîc a. 3. ad 3. condignitatem habent cum præmio vitæ æternæ, etſi non actu, certè virtute; ſicut ſemen arboris, in quo eſt tota virtus ad arborem. Unde Epheſ. 1. *gratia* dicitur *pignus hæreditatis noſtræ.* Et 2. ad Theſſal. Apoſtolus fideles adhortans ad tribulationes patienter ſuſtinendas, ſic habet, *ut digni habeamini regnô Dei.*

Ob. 6to. Ad Tit. 3. *Non ex operibus juſtitiæ*, inquit idem Apoſtolus, *quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit.* Ergo per Dei miſericordiam, non bona opera, ſalvi ſimus &c. 117

Reſp. neg. conſ. Ibi enim loquitur Apoſtolus de juſtificatione prima, ſeu de ſalute inchoata, quæ habetur in hac vita per gratiam juſtificationis: non de ſalute perfecta ſeu conſummata, quæ deſtinatur juſtis in cœlis, ut patet ex verbis immediatè ſequentibus: *Sed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus ſancti.* Item ibi loquitur de juſtitia & operibus, quæ fidem & Gratiam Chriſti præcedunt: opera autem ſine fide in Chriſtum, nec ex ejus gratia, nec ab ejus vivis membris facta, non poſſunt eſſe meritoria vitæ æternæ.

Ob. 7mo. Ad meritum requiritur totius legis obſervatio. Atqui hæc in hac vita eſt impoſſibilis, cùm Jacobus Apoſtolus aſſerat, omnes in multis offendere, & cùm hæc duo præcepta: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* 118

Digitized by Google

Non concupiſces, in hac vita ſervari non poſſint.

Reſp. neg min. ad ejus probationem, Jacobus loquitur de peccatis venialibus, quæ non extinguunt charitatem, ſed illius fervorem minuunt tantùm. Ita SS. Auguſtinus, & Thomas. Primum Decalogi præceptum jubet 1mo. ut Deum rebus omnibus creatis anteponamus; 2do. ut nihil niſi in ordine ad ipſum amemus; 3tio. ut ad perfectum Dei amorem conemur: at tria hæc maximè poſſibilia ſunt. Præceptum *Non concupiſces*, prohibet concupiſcentiæ titillanti conſenſum, quem cum gratia ei negare poſſumus, quamvis titillationem ipſam impedire non valeamus.

119 Ob. 8vo. S. Auguſtinus variis in locis noſtræ doctrinæ videtur eſſe contrarius, ut 1mo. In Pſal. 70. Serm. 2. ubi ait: *Cùm præmium venerit, ſua dona coronabit* (Deus) *non tua merita.* 2do. Serm. 15. de verbis Apoſt. *Prorsùs gratis das, gratis ſalvas, qui nihil invenis unde ſalves, & multum invenis unde damnes.* 3tio. Lib. de grat. & lib. arb. dicit: *Inſuper accipiemus & gratiam pro gratia, quando nobis vita æterna reddetur.* 4to. Eodem lib. cap. 9. ait: *Maluit dicere: gratia autem Dei vita æterna; ut hinc intelligeremus, non pro meritis noſtris Deum nos ad æternam vitam, ſed pro ſua miſeratione perducere.* Ergo &c.

Reſp. neg. ant. Ad 1mum S. Doctoris textum dicimus, eum ſolùm velle, quòd Deus tribuendo juſtis beatitudinem æternam, non coronet merita, quæ ſint in illis ex ſolis naturæ viribus, qualia nulla eſſe poſſunt; ſed coronet merita, quæ ſunt in nobis ex gratia, quæque hoc ipſo ita ſunt merita noſtra, ut verè ſint etiam dona Dei. Enimverò hîc expreſſè agnoſcit beatitudinem eſſe præmium: at omne præmium eſt alicujus meriti præmium: ergo agnoſcit in juſto aliquod beatitudinis meritum. Quare excludit tantùm merita noſtra in ſenſu Pelagianorum, hoc eſt, merita ex ſolis naturæ viribus profecta. Nam ibi & in ſimilibus locis impugnat Pelagianos aſſerentes vitam æternam haberi & retribui meritis ex ſolis naturæ viribus profectis, qualia ſane nulla ſunt; prout conſtat ex lib. de grat. & lib. arb. cap. 6.

Ad 2dum. Reſp. In eo ſenſu Deus gratis ſalvat, quòd vitam æternam det nulla merita habentibus, quæ non fuerint ab eo donata: ſive Deus gratis ſalvat, quia gratis dat gratiam, per quam ſalutem meremur & ſalvamur. Itaque juxta S. Auguſtinum Deus antequam nobis gratis donet gratiam, nulla invenit in nobis bona merita, propter quæ nos ſalvare poſſit, ſed è contrà multa invenit mala merita, propter quæ nos damnare poſſit; & tamen nos ſalvat & gratis ſalvat quia nos ſalvat, propter merita, quæ ſunt ejus dona. Unde ſolùm vult vitam æternam non dari propter opera ex ſolis naturæ viribus facta, & Gratiam præcedentia prout patet ex his verbis, ea, quæ hîc objiciuntur, præcedentibus: *Non putes te promerendo accepiſſe, qui non promereres, niſi acciperes. Gratia præceſſit meritum tuum, non Gratia ex merito, ſed meritum ex Gratia. Nam ſi Gratia ex merito emiſti, non accepiſti.*

Ad 3tium. Ex S. Doctore vita æterna eſt Gratia, quia datur bonis meritis, quæ ſunt effectus Gratiæ, & dona Dei, prout ſe ipſum explicat Ep. 105. ubi, *Unde*, inquit, *& ipſa vita æterna, quæ utique in fine ſine fine habebitur, & ideò præcedentibus meritis redditur; quia tamen eadem merita, quibus redditur, non à nobis parata ſunt per noſtram ſufficientiam, ſed in nobis facta per Gratiam; etiam ipſa gratia nuncupatur, non ob aliud niſi quia gratis*

Digitized by Google

tis datur. Nec ideo quia meritis non datur, ſed quia data ſunt & ipſa merita, quibus datur.

Ad 4tum. Sic loquitur S. Auguſtinus, non quòd ſentiat vitam æternam minimè retribui noſtris bonis operibus, ſed quia bona illa opera, quibus retribuitur vita æterna ut merces, Deus in nobis pro ſua miſericordia operatur per gratiam efficacem purè gratuitam, ut ipſe explicat eodem loco: *cùm poſſet*, inquit, *dicere: ſtipendium juſtitiæ æterna vita; maluit dicere: Gratia autem Dei vita æterna* . . . . . Deinde ſic proſequitur: *Nunquid non corona bonis operibus redditur? Sed quia ipſa bona opera ille in bonis operatur* . . . . *Ideò dixit Pſalmus: coronat te in miſeratione & miſericordia; quia ejus miſeratione bona operamur, quibus corona redditur.*

120 Ob. 9no. S. Gregorius Magnus lib. 9. Moral. cap. 14. ait: *Si opus virtutis exercuero, ad vitam non ex meritis, ſed ex venia convaleſco.* Ergo &c.

Reſp. neg. conſ. S. Gregorius hîc loquitur de peccatore, qui revera gratuitò, non ex merito, juſtificatur, quamvis ſe per bona opera ſupernaturalia ad juſtificationem diſponat. Præterea, etiamſi de juſto loqueretur, ſenſus eſſet, quòd dum opera virtutis facimus, ad vitam convaleſcimus non ex meritis ſine Gratia acquiſitis, ſed ex venia & miſericordia, per quam juſtificati à Deo, ejus Gratiæ ope bona opera agimus.

121 Ob. 10mo. S. Bernardus, Serm. 61. in Cant. ait: *Proinde meritum meum, miſeratio Domini.* Ergo.

Reſp. neg. conſ. Hoc dicit S. Bernardus, quia merita noſtra proficiſcuntur ex miſericordia Dei; nam noſtra bona opera vitam æternam non merentur, niſi quia per gratiam miſericorditer donatam facta ſunt ab homine miſericorditer juſtificato, & quia iis à Deo miſericorditer promiſſa eſt vita æterna.

Ob. 11mo. Doctrina de merito operum opponitur tùm diſcrimini legis novæ ab antiqua, tùm veræ ac Chriſtianæ libertati: præſupponit enim bonorum operum neceſſitatem ad vitam æternam conſequendam, quam tamen Evangelium & libertas Chriſtiana rejiciunt; Lex quippe nova cœlum proponit ſine ulla conditione prærerquam fidei; & in hoc conſiſtit libertas filiorum. Ergo &c. 122

Reſp. neg. ant. ad ejus prob. neg. quòd Evangelium & libertas Chriſtiana bonorum operum neceſſitatem ad vitam æternam conſequendam rejiciant &c. Lex antiqua namque differt à nova in myſteriis, quæ figuratè tantùm adumbrabat; in promiſſionibus, utpotè terrenis; in legibus, quæ multa ad duritiam cordis Judæis permittebant. Præterea lex vetus ſola venerat; nova verò cum gratia ſimul ita ut juſtitiam Chriſtiani cum gratiæ auxilio conſequantur. Chriſtiana libertas autem poſita eſt in libertate à peccato; à jugo legis cæremonialis, à reatu legis naturalis, non quidem adimendo vim obligandi, ſed vires obediendi tribuendo, juxta illud Apoſtoli ad Galat. 5. *Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege.* Unde patet quòd promiſſio vitæ æternæ ſub conditione bonorum operum nec Evangelii à lege diſcrimen, nec libertatem Chriſtianam evertat; idque eò evidentiùs, quòd bona opera illa Chriſtus ipſe præceperit in ſermone, quem in monte habuit Matth. cap. 5. tanquam media ad regnum cœlorum & beatitudinem æternam adipiſcendam abſolutè prærequiſita.

Ob. 12mo. Chriſtus nobis meritus eſt vitam æternam. Ergo. 123

Reſp. Diſt. ant. Meritus eſt nobis vitam æternam ut conſequendam tùm titulò hæreditatis, tùm titulò mercedis

per

per bona opera, conc. Ut conſequendam ſolo titulo hæreditatis. neg. ant.

Inſt. 1mo. Merita Chriſti ſufficiunt ad vitam æternam conſequendam. Ergo inutilia ſunt noſtra merita.

Reſp. Diſt. ant. Merita Chriſti ſufficiunt, ſi nobis plenè & completè applicentur ad beatitudinem conſequendam, conc. ſecùs, negamus ant. Merita autem Chriſti nobis non applicantur plenè & completè in ordine ad beatitudinem conſequendam niſi per bona opera meritoria ex ejus Gratia facta, ejusque meritis innixa; idque ex voluntate Dei & ipſius Chriſti nobis per Scripturam & Traditionem declarata ad excitandos homines ad multa bona opera agenda, juxta illud 1. Cor. 15. *Abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes, quòd labor veſter non eſt inanis in Domino.*

Inſt. 2do. Si ad beatitudinem requiruntur merita hominum. Ergo non ſufficiunt merita Chriſti. Atqui &c. Ergo.

Reſp. neg. ſequel. maj. Quia merita hominum non requiruntur propter inſufficientiam meritorum Chriſti, ſed propter eorum applicationem, & maximam efficaciam. Nam Chriſtus non ſolùm beatitudinem æternam, ſed etiam virtutem illam merendi nobis meruit: unde merita noſtra commendant merita Chriſti, à quibus vim ſuam accipiunt, nedum illis derogant. Porro neceſſitas operum meritoriorum ad ſalutem provenit ex ordinatione Dei, qui noluit adultis beatitudinem tribuere niſi propter merita Chriſti iis tali modô applicata, nempe per bona opera ex ejus Gratia facta, & ab eo vim merendi accipientia.

Inſt. 3tio. Saltem per merita hominum dividitur gloria inter Deum & hominem. Ergo.

Reſp. neg. ant. Quia juſtorum merita [illegible] dona Chriſti; à meritis Chriſti [illegible] vim ſuam accipiunt: nam proficiſcuntur ex ejus Gratia, & propter ejus merita acceptantur à Deo in præmium. Unde quidquid meriti habent opera noſtra, id totum redundat in laudem meritorum Chriſti, & ab eorum efficacia oritur. Itaque non minùs ſalutem noſtram totam ac integram Chriſto referre debemus, cùm illam meritis noſtris acquirimus, quàm ſi absque ullis noſtris obtineremus meritis: imò multò magis illi obſtricti ſumus, & debemus, ſiquidem non ſolùm per ejus gratiam & merita ſalvamur, ſed etiam nobiliſſimô honorificentiſſimoque modô ſalvamur.

Ob. 3tio. Vulgò à Theologis dici- 124
tur Deus remunerare ſupra condignum, & punire infra condignum. Ergo.

Reſp. neg. conſ. Deus bona opera juſtorum remuneratur ſupra condignum, quia in retribuendo illis præmio non attendit ſolùm ad propriam illorum operum excellentiam & perſonæ illa exercentis dignitatem, ſub qua conſideratione aliquid minùs beatitudine æterna eſſet illis præmium æquale; ſed etiam inſuper attendit ad ſuam & Chriſti excellentiam, ſub qua ſola conſideratione vita æterna eſt præmium illis æquale. Quare Deus remuneratur ſupra condignum juſtorum bona opera conſiderata ſolùm ſecundùm propriam & illa exercentis excellentiam, non autem conſiderata etiam ſecundùm excellentiam tùm perſonæ remunerantis, tùm perſonæ propter quam præmio afficiuntur. Hinc illud S. Baſilii in Pſal. 114. *Requies æterna non ſecundùm operum debitum ac meritum retribuitur, ſed juxta magnificentiam Dei b[illegible], qui in ipſum ſperaverunt, exhibetur.*

Ob. 4to. Hæc Baji propoſitio: *Ope-* 125
ra bona juſtorum non accipient in die judicii extremi ampliorem mercedem, quàm juſtô Dei judiciô merentur accipere, damnata eſt. Ergo bona opera juſti [illegible]

merentur de condigno vitam æternam, quæ eis retribuetur.

Reſp. Diſt. conſ. Non merentur de condigno, ſi præciſè ſecundùm ſe, ſeu ſecundùm propriam excellentiam conſiderentur, conc. ſi ſpectentur ſecundùm excellentiam tùm perſonæ remunerantis, nempe Dei, tùm perſonæ, propter quam præmio afficiuntur, nempe Chriſti, neg. conſ. Porro Baji propoſitio damnata eſt, quia in ea agitur de bonis operibus ſolùm ſecundùm ſe ſeu propriam excellentiam, & illa excercentis excellentiam ſpectatis.

126 Ob. 15to. Meritum de condigno exigit æqualitatem & proportionem actûs meritorii cum præmio. Atqui impoſſibile eſt, ut actus humani proportionem habeant cum præmio vitæ æternæ, quod eſt infinitum, utpotè Deus ipſe. Ergo.

Reſp. Diſt. min. Actus humani in ſe præcisè ſpectati non habent proportionem cum præmio vitæ æternæ, conc. Si conſiderentur, quatenùs informantur gratiâ adoptionis, ſeu quatenùs fiunt à filiis adoptivis & ex motione Spiritus ſancti, neg. min. Sic enim ſpectata bona juſti opera poſſunt eſſe æqualia præmio vitæ æternæ, & ſi non actu, certè virtute; ſicut ſemen eſt quantùm ad virtutem æquale arbori. Unde Pſal. 125. *Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent;* quo in loco bona opera ſemini comparantur, fructus verò ſeu merces eorum, frugibus & manipulis ſpicarum.

127 Ob. 16to. Nemo poteſt de condigno mereri per id, quod gratis accepit à creditore. Atqui bona opera gratis à Deo conceduntur hominibus, eaque omnia pluribus titulis Deo debita ſunt. Ergo.

Reſp. Diſt. maj. Meritô de condigno ad rigorem, cujus condignitas & valor in nulla creditoris gratia fundatur, conc. Meritô de condigno ſimpliciter, quod dicit æqualitatem operis, & ſi ejus valor & dignitas nitatur remunerantis gratiâ, neg. maj. Hinc bonus & juſtus Dominus ſua in bonis dona coronat, inquit S. Auguſtinus. Itaque triplex diſtinguendum eſt meritum. Primum ex rigore juſtitiæ, quod dicit æqualitatem operis cum præmio, ſine gratia ex parte remunerantis. Secundum de condigno, quod dicit æqualitatem operis, etſi ejus valor & condignitas fundetur in gratia remunerantis. Tertium de congruo, quod non tantùm dicit gratiam remunerantis, ſed etiam operis inæqualitatem; quamvis congruum ſit, ut illi rependatur aliquid præmii locô. Primi generis meritum, quod eximium eſt, ſolius Chriſti eſt proprium. Secundum competit ſoli juſto, dùm operatur ex impulſu gratiæ. Tertium, annexum eſt quibuslibet bonis operibus *ordinis ſupernaturalis* in ſtatu peccati factis; iis enim, non quidem ex juſtitia, ſed ex aliqua decentia & congruitate præmium quoddam debetur.

Ob. 17mo. Inter Deum & hominem nulla intercedit juſtitia. Ergo nec meritum de condigno. 128

Reſp. Diſt. ant. Nulla intercedit juſtitia omninò perfecta, abſoluta & rigoroſa, conc. Vera & propria, ſaltem præſuppoſita Dei ordinatione & promiſſione, neg. ant. Inter Deum & hominem non eſt juſtitia ſtrictè & rigoroſè: tùm quia omne meritum noſtrum fundatur in gratia; tùm quia omnia noſtra Dei ſunt, eaque ſibi vindicare poteſt titulis Creatoris, Conſervatoris, Domini &c. Unde fit, ut Deus non ſit nobis ſimpliciter debitor, ſed ſibi ipſi: attamen præſuppoſita ordinatione divina, ipſaque promiſſione mercedis vitæ æternæ, verum eſt ac propriè dictum meritum Deum inter & hominem, recteque dicitur Deum debere juſtis vitam æternam, & qui-

Digitized by Google

quidem non ſolùm ex fidelitate, ſed etiam ex juſtitia; juxta illud Apoſtoli 2. ad Tim. 4. *In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi in illa die juſtus Judex.* Et verò promiſſio ſub conditione operis condigni inducit obligationem ex juſtitia, ſi ea fuerit acceptata & illud opus præſtetur. Atqui Deus promiſit vitam æternam ſub conditione bonorum operum, quæ, quatenus procedunt ab homine juſto ex motione Spiritus ſancti, condignitatem habent cum vita æterna, ut vidimus, certumque eſt juſtos dictam promiſſionem ſaltem implicitè acceptare. Ergo.

129 Ob. 18vo. Contra ultimum aſſertum noſtrum, quòd juſtus non poſſit de condigno mereri perſeverantiam &c.

Qui poteſt de condignó mereri finem, poteſt etiam de condigno mereri media ad finem. Atqui juſtus poteſt juxta dicta de condigno mereri vitam æternam. Ergo poteſt & perſeverantiam, quæ medium eſt, de condigno mereri.

Reſp. 1mo. neg. maj. Nam prima omnium gratia eſt etiam medium ad finem, nec tamen illam homo poteſt mereri. Reſp. 2do. Equidem vita æterna cadit ſub meritum de condigno, ſed non conſervatio juris ad vitam æternam; unde nec quæ neceſſaria ſunt ad conſervationem talis juris, ea cadunt ſub meritum. Atqui talis eſt perſeverantia. Ergo &c.

Inſt. Qui meretur id quod eſt excellentius, poteſt mereri id quod eſt minus. Atqui vita æterna eſt excellentior perſeverantiâ. Ergo &c.

Reſp. Diſt. maj. Si cætera ſint paria, conc. ſecùs, neg. maj. Porro cætera non ſunt paria: extat enim promiſſio de conferenda vita æterna, tanquam mercede bonis juſtorum operibus; nulla verò extat promiſſio de perſeverantia, tanquam mercede & ex juſtitia concedenda.

Ob. 19no. Chriſtus ſæpiùs promiſit 130
ſe orantibus daturum quidquid petierint, Matth. 7. Joan. 16. & alibi. Atqui ſub illa generali promiſſione continetur perſeverantia. Ergo Deus promiſit perſeverantiam orantibus: proindeque juſti illam de condigno merentur.

Reſp. Diſt. maj. Promiſit per modum gratuiti doni & ex liberalitate, conc. per modum mercedis, coronæ & ex juſtitia, neg. Unde neg. conſ. Perſeverantia propoſita eſt juſto, ut gratia precibus obtinenda, non ut merces propriè dicta, ac proindè de condigno illam mereri nequit.

Ob. 20mo. Poteſt juſtus mereri de 131
condigno augmentum Gratiæ habitualis. Ergo & aliquod auxilium actuale efficax: eadem enìm eſt in utroque ratio, par & æqualis utriusque gratiæ dignitas: porro ſi poſſit juſtus de condigno mereri auxilium efficax ad bonum opus agendum, eadem ratione per iſtud opus ſubſequens poterit mereri auxilium efficax ad aliud, & per iſtud, aliud ſimiliter, & ſic deinceps; Ergo &c.

Reſp. 1mo. neg. conſ. & parit. Diſparitas eſt, quia extat promiſſio Dei de concedendo ex juſtitia ipſis bonis operibus gratiæ augmento, & non deeſt aliqua hîc conditio ad meritum de condigno requiſita. *Is qui intus eſt*, inquit Apoſtolus, 2. Cor. 4. *renovatur de die in diem.* Et Apocal. ult. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc: & ſanctus ſanctificetur adhuc.* Unde definit Concilium Trid. Seſſ. 6. Can. 32. *Juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per gratiam JEſu Chriſti, cujus vivum membrum eſt, fiunt, mereri gratiæ augmentum.* Et S. Auguſtinus Epiſt. 106. *Gratia*, inquit, *meretur augeri, ut aucta mereatur & perfici.* At ſecùs eſt de auxilio efficaci.

2do.

2do. Nihil obſtat quominùs juſtus mercatur de condigno augmentum Gratiæ habitualis; aſt videtur repugnare gratiæ, quam Deus ſolet in hoc ſæculo impertiri, ut per ipſam juſtus mereri poſſit de condigno aliud auxilium efficax; ex vi enim talis meriti, ut anteà obſervavimus, unico actu meritorio juſtus confirmaretur in gratia & impeccabilis redderetur.

133 CAPUT V.

De Gratia actuali.

CApite primo hujus Tractatus Gratiam actualem definivimus, *Auxilium internum, ſupernaturale, tranſiens, quo Deus creaturam intellectualem illuſtrat, excitat, & adjuvat ad eliciendos actus ſalutares.*

Igitur Gratia actualis mentem illuſtrat, & voluntatem excitat & adjuvat. Unde etiam excitans dicitur & adjuvans, prout ibidem adnotavimus. Verùm famoſiſſima eſt hujusmodi Gratiæ excitantis diviſio, qua in Gratiam *ſufficientem*, & *efficacem* dividitur, qua de re hîc potiſſimùm nobis ſermo eſt inſtituendus; utpotè undè cæteræ Gratiæ actualis ſubdiviſiones pendent; priùs tatem de ea generatim ſumpta quædam nobis expendenda veniunt. Et ne fusa rerum hîc à nobis exponendarum materia confuſionem aliquam pariat, præſens Caput in tres Sectiones diſpeſcimus. In quarum 1ma de Gratia actuali generatim. In 2da de Gratia ſufficiente. Et in 3tia denique de Gratia efficaci diſſeremus.

134 SECTIO I.

De Gratia actuali generatim ſumpta.

Varia de Gratia actuali generatim ſumpta quærere ſolent Theologi, quæ ſingulis paragraphis expedimus.

§. I. 135

Utrum ſine Gratia actuali poſſit quis aliquid conducens ad ſalutem.

Aſſeruêre Pelagiani & Semipelagiani, prout ſuprà cap. 2. §. 2. & 3. adnotavimus, atque ob id ab Eccleſia damnati fuerunt. Contra quos proinde ſit

CONCLUSIO. 136

Nemo ſine Gratia actuali quidquam poteſt velle, agere, perficere, aut etiam inchoare, quod conducat ad ſalutem æternam, conſequenter nec quidquam ex ſolis naturæ viribus facere, quo ſe aliquo modo diſponat ad Gratiam actualem recipiendam. Quia omnis actus ad Gratiam actualem recipiendam diſponens, eſt actus ad ſalutem conducens.

Prob. 1mo. ex Scripturis. Joan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me traxerit eum.* Ibid c. 15. v. 4. *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite; ſic nec vos, niſi in me manſeritis.* Et verſ. 5. *Sine me nihil poteſtis facere.* Non ait: non poteſtis operari facilè, ſed nihil poteſtis, ut advertit S. Auguſt. lib. de Grat. Chriſt. c. 29. Rom. 11. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* 1. Cor. 4. *Quid habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* S. Auguſtinus lib. de prædeſt. SS. cap. 3. teſtatur, ſe hoc Apoſtoli teſtimoniô victum receſſiſſe à ſemitis Semipelagianorum, in quibus ante Epiſcopatum errabat. 2. Cor. 3. *Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Philipp. 1. *Qui cæpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Chriſti Jeſu.* Et cap. 2. *Deus eſt, qui opera-*

Digitized by Google

tur in nobis & velle & perficere, pro bona voluntate. Qui textus ſecundùm interpretationem Patrum ſignificant, nos ſine Gratia interna præveniente non poſſe velle, agere, vel etiam incipere ullum opus ſalutare.

Prob. 2do. Ex Conciliis, quibus conſoſſa fuit Pelagiana hæreſis. Talia fuêre duo Carthaginenſia, Milevitanum, Arauſicanum II. & alia, quorum verba, in re adeò manifeſta, exſcribere ſupervacaneum eſt.

Prob. 3tio. Momentis Theologicis, quibus contra Pelagianos uſus eſt S. Auguſtinus. Primum petitur ex humanæ naturæ corruptione per peccatum, quo vires voluntatis ita debilitatæ ſunt, ut ſine interiori Spiritus ſancti ſubminiſtratione, qua ſopitam & ad opus bonum torpentem excitet voluntatem, in bonam ſupernaturale tendere nullatenùs poſſit.

Secundum deſumitur ex neceſſitate orationis, *Oratio*, inquit S. Doctor Ep. 177. *eſt gratiæ teſtificatio.* Conſtat autem in Eccleſia ſemper habitas fuiſſe orationes tanquam neceſſarias, quibus gratia impetretur. Ergo &c.

137 Ex dictis per neceſſariam conſequentiam ſequitur, Neminem poſſe ſolis naturæ viribus neque mediatè neque immediatè ſe diſponere ad Gratiam habitualem recipiendam, ſed ad hoc indigere Gratia actuali excitante & præveniente &c. quippe ſine qua habitualis ſeu ſanctificans non valet in actum hîc & nunc erumpere. Ita communis Theologorum poſt S. Thomam 1. 2. q. 109. a 2. & 9.

Immediatè non poteſt, quia nequit ſe ad illam immediatè & proximè diſponere niſi per actus Fidei, Spei & Charitatis perfectæ vel imperfectæ, cum Sacramento. Atqui nemo poteſt ex ſolis naturæ viribus ſe diſponere per hos actus: nam hi actus fieri non poſſunt ſine gratia præveniente ſeu actuali, ut definit Concilium Trid. Seſſ. 6. Can. 3.

Sed nec mediatè ſeu remotè ſe quisquam diſponere poteſt ad Gratiam habitualem recipiendam; Nam nemo poteſt mediatè & remotè ſe diſponere ad juſtificationem ſolis naturæ viribus, niſi poſſit ſolis naturæ viribus ſe diſponere ad recipiendam Gratiam actualem, quacum elicere poſſit actus Fidei, Spei, Charitatis, vel Pœnitentiæ. Atqui hoc nemo poteſt, ut probatum eſt. Ergo.

Solvuntur Objectiones. 138

Ob. 1mo. In Scripturis ſæpiſſimè indicatur primam hominis bonam voluntatem præire gratiæ. Sic 1. Reg. c. 7. *Præparate corda veſtra Domino.* Zachar. 1. *Convertimini ad me, ait Dominus, & ego convertar ad vos.* Proverb. 16. *Hominis eſt præparare animam.* Item Luc. 3. *Parate viam Domini.* Ergo.

Reſp. neg. ant. Ad citatos textus, dicimus, hæc & ſimilia Scripturæ teſtimonia Gratiæ neceſſitatem non excludere, ſed liberam hominis ſub gratia commendare operationem, commendant ergo liberum arbitrium, ſed non excludunt Gratiam prævenientem, prout ſic Pſalmiſtæ textus *Converte nos Deus ſalutaris noſter* idem præſtat, atque gratiam prævenientem commendat ſine diſpendio libertatis. Ita diſertis verbis S. Auguſtinus, lib. de Grat. & lib. arb. Hinc. etiam Concilium Trid. Seſſ. 6. cap. 5. ait: *Cùm dicitur: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos: libertatis noſtra admonemur. Cùm reſpondemus: Converte nos Domine, & convertemur: Dei nos gratiâ præveniri confitemur.*

Ob.

139 Ob. 2do. Paulus Rom. 7. ait: *Velle adjacet mihi: perficere autem bonum non invenio.* Ergo deſiderium ſalutis eſt à nobis.

Reſp. neg. conſ. Nam ſenſus Apoſtoli eſt, quòd cum Gratia Dei velit aliquid, quod ſine ulteriori gratia obtinere non poteſt. Volebat quippe facere bonum facilè & perfectè perfectione excludente omnem contrarium concupiſcentiæ motum.

140 Ob. 3tio. Cornelius Centurio oratione & eleemoſynis ſine Gratia factis obtinuit Gratiam, qua ad fidem & juſtificationem pervenit. Ergo.

Reſp. neg. ant. Nam ejus oratio & eleemoſynæ factæ ſunt ex auxilio Gratiæ prævenientis, imò ex fide ſupernaturali veri Dei ut remuneratoris, quod objectum fidei à Judæis, vel per illuſtrationem, didicerat. *Nec tamen ſine aliqua fide donabat, & orabat*, ait S. Auguſtin. lib. de prædeſtin. SS. cap. 7.

141 Ob. 4to. Juſtinus Martyr Apolog. 2. docet eos, qui ante Chriſtum cum ratione vixerunt, Chriſtianos fuiſſe. Ergo.

Reſp. neg. conſ. Juſtinus vult ſolùm, eos, qui ante Chriſti adventum rationis ductum ſecuti ſunt, in hoc ipſo legem Chriſtianam ſervaſſe, quæ legis naturalis obſervantiam præcipit, & ſic quodam modo Chriſtianos fuiſſe. At legem naturalem in rebus difficilibus ſervare non potuerunt ſine gratia Dei.

142 Ob. 5to. Clemens Alexandrinus, lib. 1. Strom. docet Græcos veniſſe ad Chriſtum per philoſophiam, & ab ea fuiſſe juſtificatos. Et lib. 7. dicit philoſophiam Græcam præparare animam ad fidem. Ergo.

Reſp. neg. conſ. Clemens ſolùm vult Philoſophos ope luminis naturalis bona quædam opera ordinis naturalis feciſſe, & ad Dei cognitionem perveniſſe. Aſſerendo autem Philoſophiam præparare ad fidem, valdè impropriè locutus eſt, & ſolùm intendit philoſophiam tollere aliqua ad fidem impedimenta, quæ ſine illa fuiſſent. Nam ipſe in libris Stromatum 2. 5. & 6. omnia hominum merita tribuit Gratiæ, & contendit Dei cognitionem, quæ ad juſtificationem neceſſaria eſt, haberi non poſſe ſine gratia.

Ob. 6to. S. Hilarius, lib. 8. de Trinit. dicit Deum non dare nobis voluntatem, quæ ſi data eſſet, non haberet fides præmium. Et in Pſal. 118. dicit originem incipiendi à nobis eſſe. Ergo. 143

Reſp. neg. conſ. 1mo. Hilarius ſolùm intendit contra Manichæos Deum non dare nobis voluntatem, ipſam neceſſitando, quod indicant verba ibidem ſequentia. 2do. vult ſolùm ſignificare determinationem ad bonum eſſe noſtræ voluntatis Gratiâ præventæ & adjutæ. Nam ibidem agnoſcit ex divinæ bonitatis munere incipere orationem & deprecantis ſalutem, omniaque à divina bonitate inchoari.

Ob. 7mo. S. Chryſoſtomus docet, 144 vel ſupponit hominem poſſe ex ſolis naturæ viribus aliquid ad ſalutem conducens, & ſeipſum præparare ad Gratiam. Nam hom. 9. in Geneſ. ſic ait: *Gratia parata eſt, quærens qui ſe cum largitate ſuſcipiant. Quòd ſi Deus viderit animam vigilem, & deſiderium fervens, ipſe ſuas divitias largiter ſuppeditat.* Et Hom. 27. in Joan. *Hinc admoneri poſſumus, Deum ſuis in nos beneficiis noſtras non prævenire voluntates, ſed à nobis incipiendum eſſe. Sed cùm nos prompto paratoque animo ad ſuſcipiendam gratiam exhibemus, tunc multas nobis offert ſalutis occaſiones.* Et hom. 12. in Ep. ad Heb. *Oportet nos eligere primùm quæ bona ſunt, & tunc Deus quæ ſua ſunt introducit. Non antecedit noſtras voluntates, ne lædat* arbi-

arbitrium : cùm autem nos elegerimus, multam tunc affert auxiliationem. Ergo.

Reſp. neg. ant. Nam S. Doctor multis locis docet, omnes actus ſalutares ſeu conducentes ad ſalutem eſſe à Gratia præveniente, ut Hom. 13. in Joan. *Gratia Dei ſemper in beneficiis priores ſibi partes vindicat.* Et Hom. 22. in Geneſ. *Quia in noſtra voluntate totum poſt Gratiam relictum eſt, ideo & peccantibus ſupplicia propoſita ſunt, & benè operantibus retributiones.* Et hom. in c. 4. 1. ad Cor. *Igitur quod accepiſti habes, neque hoc tantùm aut illud, ſed quidquid habes, non enim merita tua hæc ſunt* (id eſt, non ex ſolis tuis viribus naturalibus proveniunt) *ſed Dei gratia. Quamvis fidem adducas, quamvis dona, quamvis doctrinæ ſermonem, quamvis virtutem, omnia tibi inde provenerunt. Quid igitur habes, quæſo, quod acceptum non habeas? Num ipſe per te rectè operatus es? Non ſanè, ſed accepiſti . . . . proptereà cohibearis oportet: non enim tuum id munus eſt, ſed largientis.*

Igitur quamvis in locis objectis & aliis ſimilibus mentionem gratiæ non faciat, eam tamen ſemper ſupponit, & alibi ejus neceſſitatem ſufficienter exprimit, ut in textibus allatis. Ideò autem in locis objectis & aliis ſimilibus Gratiam prævenientem non memorat, quia totus eſt in defendendo libero arbitrio contra Manichæos, & in adducendis hominibus ad exercenda bona opera, & in excutienda eorum negligentia, ne ſcilicet homines putent ſe in omnibus à Deo ſic præveniri per Gratiam, ut nihil ſibi agendum relinquatur. Quare in textibus objectis intendit ſolùm, quòd Deus non det ſaltem communiter magna Gratiæ dona ad exercenda præſtantiora virtutum opera, niſi iis, quorum voluntas jam præparata fuerit, ſcilicet per gratiam prævenientem ſed minorem & ad minùs excellentia opera excitantem. Item quòd Deus non præveniat noſtras voluntates, totum faciendo, & nihil nobis agendum relinquendo; ſed cùm præparati fuerimus, benè utendo gratiâ acceptâ, putà gratiâ orationis & boni deſiderii, tunc Deus multas ulteriores & potentiores Gratias nobis ſuppeditat. Nam re vera bonus uſus minorum donorum eſt diſpoſitio ad majora beneficia accipienda. Sic exponi debent ſimiles aliorum Patrum textus.

Ob. 8vo. S. Hieronymus, Dialog. 145
3. contra Pelagianos, ait: *Quæ* (juſtitia) *labore, & induſtria ac diligentia, & ſuper omnia Dei clementiâ cuſtoditur, ut noſtrum ſit rogare, illius ſit tribuere, quod rogatur; noſtrum incipere, illius perficere; noſtrum offerre quod poſſumus, illius perficere quod non poſſumus.* Ergo.

Reſp. neg. conſ. S. Hieronymus hìc ſupponit Gratiam, qua poſſumus orare, incipere, velle; & intendit iſta præſtare noſtrum eſſe dependenter à Gratia præveniente & adjuvante, ita tamen, ut plus ſæpè non poſſimus, ſed Dei ſit dare nobis uberiorem gratiam, quacum majora poſſimus præſtare. Nam cum Gratia, quam habemus, non poſſumus quidlibet præſtare; ſed aliquando poſſumus tantùm orare, & bonum aliquod opus incipere, & ita boni operis initium ſeu deſiderium Deo offerre: cui Gratiæ ſi cooperemur, Deus uberiores & potentiores Gratias concedet, quibuſcum bonum propoſitum exequi, & plura ac præſtantiora opera efficere poſſimus.

Hanc eſſe mentem S. Doctoris patet ex eo, quòd clarè agnoſcat Gratiæ prævenientis neceſſitatem ad quemlibet actum ſalutarem, ut Ep. ad Demetriadem, ubi ait: *Velle & nolle noſtrum eſt; ipſumque quod noſtrum eſt, ſine Dei miſeratione noſtrum non eſt.* Et Ep. ad

Cteſi-

Digitized by Google

Cteſiphontem: *Velle & currere meum eſt, ſed ipſum meum ſine Dei ſemper auxilio non erit meum.* Sic explicandi ſunt aliqui aliorum Patrum textus ſimiles, quibus nempe ſolùm intendunt, nos cum certo gratiæ auxilio multa velle, ad quæ perficienda opus ſit ulteriori auxiliò uberiori ac fortiori. In aliis verò locis, qui objici poſſunt, Patres ſupponunt Gratiam prævenientem. Sic cùm S. Ambroſius in Pſal. 6. ait: *Ne expectes, ut excitet te Chriſtus; ſed priùs Chriſtum excita:* ſolùm ſignificat orandum eſſe Chriſtum cum ejus Gratia ad obtinendum ab eo majus auxilium ad executionem boni neceſſarium.

146 Ob. 9no. Si homo nihil ſalutare incipere & facere poſſit ſine gratia præveniente, non erit liber. Falſum conſequens. Ergo.

Reſp. neg. ſeq. maj. Equidem homo ſine Gratia præveniente, non eſt liber ad ullum bonum ſalutare incipiendum & agendum, cùm à Gratia accipiat potentiam illud inchoandi & agendi; ſed cum Gratia eſt liber, quia gratia voluntatem non neceſſitat, ſed ſanat, excitat, complet, corroborat & adjuvat. *Peccatô Adæ*, inquit S. Auguſtin. lib. 2. contra duas Ep. Pelagian. cap. 5. *liberum arbitrium de hominum natura periſſe non dicimus, ſed ad peccandum valere in hominibus ſubditis diabolo: ad benè autem pieque vivendum non valere, niſi ipſa voluntas hominis Dei gratiâ fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, ſermonis, cogitationis, adjuta.*

147 Ob. 10mo. hoc axioma Theologicum: *Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam.* Ergo.

Reſp. neg. conſ. Axioma iſtud ſic intelligi debet: facienti quod in ſe eſt, conſentiendo & cooperando Gratiæ prævenienti acceptæ, Deus non denegat Gratiam habitualem, vel Gratiam actualem ulteriorem majorem proximè ſufficientem ad ſalutem & ad ſervanda præcepta. Nam falum eſt facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus Deum non denegare Gratiam actualem vel habitualem, ut conſtat ex dictis in Concluſione noſtra.

Inſt. Prædictum axioma verum eſt etiám in hoc ſenſu, quòd Deus homini ex ſolis naturæ viribus, quantùm poteſt, benè operanti det certò Gratiam actualem, ſed gratis & ex liberalitate, ita ut bonus naturalium virium uſus præcedens, habeat ſolam rationem diſpoſitionis negativæ, removendo obicem Gratiæ. Ergo.

Reſp. Neg. ant. Nam ſi hoc verum eſſet, 1mo. homo ſine gratia benè ſeu utiliter ad ſalutem liberô uteretur arbitriô; & in ordine ad ſalutem haberet aliquid de ſuo, quod non eſſet peccatum: quæ duo repugnant Concilio Arauſicano II. 2do. In negotio ſalutis liberum arbitrium præiret, & gratia interna ſubſequeretur; homo ſine gratia interna poſſet aliquid conducens aliquo modo ad ſalutem; dareturque in nobis initium aliquod ſalutis. 3tio. Quæſtio Semipelagianos inter & Catholicos tota eſſet ferè de nomine, an ſcilicet bona opera naturalia, quibus certò obtineretur Gratia, dici deberent aliquo modo merita, necne.

§. II.

Utrum & quando homo indigeat Gratiâ actuali? 148

Sat multa præſenti paragraphô expedienda nobis ſunt prout ex ſequentibus Concluſionibus patebit.

CON-

Digitized by Google

Conclusio I.

Homo juſtus præter habitualem ſeu ſanctificantem gratiam, indiget actualis Gratiæ adjutoriô, ut bonum ſupernaturale & ad ſalutem conducens elicere valeat.

Prob. 1mo. ex Scripturis. Joan. 15. *Sine me nihil poteſtis facere.* Quæ verba ex Patribus & Conciliis ſignificant, ſine gratia illuminationis & inſpirationis gratis ex meritis Chriſti data nullum opus ad ſalutem conducens fieri poſſe. Et Philip. 2. *Deus eſt, qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Quibus verbis Apoſtolus alloquitur præſertim juſtos, & ſignificat, omnem deliberatam volitionem effici à Deo per Gratiam excitantem & adjuvantem gratis donatam.

Prob. 2do. Ex dictis §. præcedenti nemo poteſt velle aut agere quidquam ſalutare ſine Gratia actuali. Ergo non ſufficit Gratia habitualis. Ita Concilia Dioſpolitanum, Carthaginenſe, Arauſicanum II. cap. 7. & Tridentinum, Seſſ. 6. cap. 16. Cœleſtinus quoque Papa capitulô ſextô inter multa, quæ Epiſtolæ ipſius ad Gallos ſubjecta ſunt, & Catholicam de gratia fidem continent.

Adde S. Auguſtinum, lib. de nat. & grat. cap. 26. ubi, *Sicut*, inquit, *oculos corporis etiam pleniſſimè ſanus, niſi candore lucis adjutus non poteſt cernere, ſic homo etiam juſtificatus, niſi æterna luce juſtitiæ divinitùs adjuvetur, rectè non poteſt vivere.* Intelligit autem lucem non ſolùm illuminantem, ſed etiam accendentem.

Prob. 3tio. Ratione. Facultas, etiam habitu inſtructa, operari non poteſt, niſi priùs, ſi quæ ſit, tollatur difficultas. Atqui in homine juſto ſemper remanet difficultas ad bonum, tùm ex tentationibus quæ frequentes pulſant & ingruunt, tùm ex concupiſcentia & naturæ infirmitate. Ergo.

Conclusio II. 149

Ad ſervanda omnia mandata divina & ad ſuperandas graves tentationes neceſſaria eſt, etiam homini juſto, Gratia actualis.

Prob. 1mo. ex Scripturis. Pſal. 17. *In te eripiar à tentatione.* Pſal. 29. *Avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.* Hinc in oratione ipſa quotidiana ſupplices petimus; *Et ne nos inducas in tentationem.* Matth. 26. Chriſtus ſuos Apoſtolos juſtos ſic alloquitur: *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.* Et Rom 7. *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per JEſum Chriſtum.* Per Gratiam hìc manifeſtè intelligitur Gratia actualis.

Prob. 2do. ex cap. 6. Ep. Cœleſtini I. ad Gallos, ubi ait: *Neminem etiam Baptiſmatis Gratiâ renovatum, idoneum eſſe ad ſuperandas diaboli inſidias, & ad evincendas carnis concupiſcentias, niſi per quotidianum adjutorium Dei perſeverantiam bonæ converſationis acceperit.*

Prob. 3tio. ex Conciliis à quibus impugnata eſt & damnata Pelagiana hæreſis, cujus hoc unum caput erat, tentationum victoriam ſoli libero arbitrio eſſe adſcribendam. Concilium Arauſicanum II. Can. 10. ita definit: *Adjutorium Dei etiam renatis ac ſanctis ſemper eſt implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono poſſint opere perdurare.* Per adjutorium illud intelligit Gra-

Digitized by Google

Gratiam actualem: nam renati & ſancti jam habent Gratiam habitualem. Si autem Gratia actualis ſemper ſit juſtis imploranda, tunc ſemper quoque iis neceſſaria eſt ad præcepta ſervanda & vincendas graves tentationes Et Can. 19. *Natura humana etiamſi in illa integritate, in qua eſt condita, permaneret, nullo modo ſe ipſam, Creatore ſuo non adjuvante, ſervaret. Undè cùm ſine Dei gratia ſalutem non poſſit cuſtodire, quam accepit, quomodò ſine Dei gratia poterit reparare, quod perdidit?*

Inter doctrinæ capita, quorum à Pelagianis confeſſionem poſtulârunt Dioſpolitani Concilii Patres, iſtud num. 11. recenſetur: *Ut fateatur, quandò contra tentationes, concupiſcentiasque illicitas dimicamus, non ex propria voluntate, ſed ex Dei adjutorio provenire victoriam.*

Adde præter alios SS. Patres S. Auguſtinum, qui contra Pelagianos probat neceſſitatem gratiæ actualis etiam in juſtis ad vitandum peccatum.

Prob. 4to. Ratione ex infirmitate naturæ per peccatum vitiatæ deſumpta. Ita enim ad malum inclinatur homo lapſus, ut longè potiùs cupiditate tangatur, quàm honeſtate: unde ſi gravis urgeret tentatio, nec adeſſet gratia, in peccatum laberetur per concupiſcentiam illectus.

150 CONCLUSIO III.

Homo juſtus cum ordinariis Gratiæ auxiliis non poteſt toto vitæ tempore omnia omninò peccata venialia vitare.

Prob. 1mo. Ex Scripturis. Lib. 2. Paralip. cap. 6. *Non eſt homo, qui non peccet.* Prov. 24. *Septies cadet juſtus*; id eſt, multoties. Eccleſiaſtis, 7. *Non eſt enim homo juſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Ep. Jacobi, cap. 3. *In multis offendimus omnes.* 1. Joan. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus; ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Quam confeſſionem ab ipſis juſtis fieri debere, non ex modeſtia tantùm & humilitate, ſed etiam ex veritate, docet S. Auguſtin. lib. de nat. & grat. cap. 36. & definit contra Pelagianos Milevitana Synodus (*b*), Can. 6.

Prob. 2do. Ex conſtanti Traditione, cujus præ cæteris teſtes ſunt SS. Hieronymus, & Auguſtinus. S. Hieronymus, lib. 2. contra Pelagianos: *Quamdiu*, inquit, *finis ille adveniat, neceſſe eſt nos ſubjacere peccato, non naturæ & conditionis vitiò, ſed fragilitate & mutatione voluntatis humanæ, quæ per momenta variatur.*

Id ipſum ſæpiùs docet ac probat S. Auguſtinus, lib. de dono perſever. cap. 2. *Tria ſunt*, inquit, *quæ maximè adversùs Pelagianos defendit Eccleſia; quorum unum eſt; in quantacumque juſtitia, ſine qualibuscumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere.* Quod quidem deditâ operâ probat S. Doctor integrô librô de perfect. juſtitiæ, & lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 1. 3. &c.

Hinc Concilium Trid. Seſſ. 6. Can. 23. ſic pronuntiat: *Si quis dixerit hominem ſemel juſtificatum . . . . poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Eccleſia, anathema ſit.*

Prob. 3tio. Ratione ducta ex naturæ humanæ infirmitate, qua fit, ut homo

(*b*) Annô 416.

lapſus non poſſit erectô ſemper ac vigili animô obrepentes undequaque tentationes ſuperare, & inſurgentes paſſim concupiſcentiæ motus conſtanter elidere: quamvis ergo nullum ſit ſingulare peccatum, cui vitando juſtus pares non habeat vires; ſi tamen venialium multitudo ſpectetur, & tentationum frequentia, neceſſè eſt ipſum brevi defatigatum fatiſcere, &, dùm uni conatur obſiſtere, ab alio ſuperari.

CONCLUSIO IV.

151

Nemo ſine interioris Gratiæ auxilio, credere poteſt Fide Chriſtianâ myſteria Fidei noſtræ, quantumvis credibiliter propoſita.

Prob. 1mo. ex Scripturis. Epheſ. 2. *Gratiâ eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt.* Et Philipp. 1. *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut in eum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini.* Ergo ex Apoſtolo Fides Chriſtiana eſt donum Dei. Sed non eſt donum Dei, niſi quia non elicitur niſi dependenter à Gratia interiore & adjuvante gratis data.

Prob. 2do. Ex Concilio Arauſicano II. Can. 5. ſic definiente: *Si quis ſicut augmentum; ita etiam initium fidei, ipſumque credulitatis affectum, non per Gratiæ donum, id eſt, per inſpirationem Spiritus ſancti, ſed naturaliter nobis ineſſe dicit, Apoſtolicis dogmatibus adverſarius approbatur.* Et ex Concilio Trid. Seſſ. 6. Can. 3. *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus ſancti inſpiratione atque ejus adjutorio hominem credere poſſe ſicut oportet, &c. Anathema ſit.*

Prob. 3tio. Ex S. Auguſtino, lib. de præ-deſt. Sanct. c. 2. *Sicut nemo ſufficit ad incipiendum vel perficiendum quodcumque opus bonum... Unde in omni opere bono & incipiendo & perficiendo ſufficientia noſtra ex Deo eſt: ita nemo ſibi ſufficit vel ad incipiendam vel ad perficiendam Fidem, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.*

Prob. 4to. Ratione. Quia nullum opus ſalutare ſine Gratia interiore fieri poteſt, ut conſtat ex dictis paragraphô præcedenti. Atqui Fides Chriſtiana eſt opus ſalutare, imò ex Concilio Trid. Seſſ. 6. cap. 8. *Fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix omnis juſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo.* Ergo.

CONCLUSIO V. 152

Deus ſine Gratia interiore illuſtrationis & inſpirationis amari non poteſt amore perfecto ſeu ſuper omnia.

Prob. 1mo. Ex Scripturis. Galat. 5. *Fructus autem Spiritûs eſt Charitas.* Et 1. Joan. cap. 4. *Charitas ex Deo eſt.* Ubi ſimpliciter dicitur ex Dei gratia eſſe dilectio perfecta Dei.

Prob. 2do. Ex Concilio Arauſicano II. Can. ult. ubi dicit: *Prorſùs donum Dei eſt diligere Deum.*

Prob. 3tio. Ex S. Auguſtino, lib. de Grat. & libero arbit. cap. 18. dicente: *Unde eſt in hominibus charitas Dei & proximi, niſi ex ipſo Deo? Nam ſi non ex Deo, ſed ex hominibus, vicerunt Pelagiani: ſi autem ex Deo, vicimus Pelagianos.*

Prob. 4to. Ratione. Si perfectus Dei amor poſſet eſſe ſine Gratia, homo ſolis naturæ viribus poſſet ſervare omnia præcepta & vivere ſine peccato: quod eſt dogma Pelagianum. Prob ſeq. Nam amor Dei ſuper omnia dilecti excludit omnem affectum ad peccatum mortale, & includit odium efficax omnium, quæ legi & amicitiæ divinæ adverſantur: qui enim Deum ſuper omnia amat, eum

efficaciter

efficaciter rebus omnibus anteponit, & paratus eſt, omnia alia bona amittere, & quælibet mala pati potiùs, quàm illum graviter offendere.

153 (c) CONCLUSIO IV.

Homo etiam infidelis poteſt ſolis naturæ viribus facere aliquod opus bonum morale naturale, ſeu actum naturalem ex omni parte etiam ex fine honeſtum. Eſt contra Lutherum, Calvinum, Bajum, Janſenium, & eorum Sectatores, qui docent omnia opera Infidelium eſſe peccata, licèt aliqua ſint ex objecto bona.

Prob. 1mo. Ex Scripturis. Exodi 1. dicitur Deus obſtetrices Ægyptiacas Infideles remuneraſſe (*d*), eoquòd non paruiſſent injuſto edicto Pharaonis de occidendis omnibus infantibus maſculis Iſraelitarum. Certè ad hoc opus ſufficiebant ſolæ vires naturæ, & tamen erat opus bonum, ſiquidem Deus illud remuneratus eſt.

Matth. 5. Chriſtus ait: *Si ſalutaveritis fratres veſtros tantùm, quid ampliùs facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt? Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Ubi Chriſtus indicat exhibitionem ſignorum benevolentiæ, quæ ſuis fratribus adhibent Fideles, eſſe etiam in Infidelibus opus bonum moraliter: nam id non reprehendit, ſed ſolùm aliquid adhuc perfectius præcipit.

Rom. 2. *Cùm enim gentes, quæ legem* (ſcriptam) *non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex.* Ergo ex Apoſtolo Infideles aliqua legis naturalis præcepta ſolis naturæ viribus obſervant cum omnibus circumſtantiis ad honeſtatem morum requiſitis; nam has lex naturalis præcipit.

Prob. 2do. Ex Patribus. Pro omnibus ſit S. Auguſtinus, qui lib. de Spiritu & Litt. cap. 27. ſic ait: *Quædam tamen facta* (Infidelium) *vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ ſecundùm juſtitiæ regulam non ſolùm vituperare non poſſumus, verùm etiam meritò recteque laudamus: quamquam ſi diſcutiatur, quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ juſtitiæ debitam laudem defenſionemvè mereantur.* Ubi per particulam *vix* ſignificat pauca illa quidem, ſed tamen aliqua opera ex omni parte etiam ex fine bona & laudabilia fieri ab Infidelibus. Cujus veritatis hanc rationem immediatè ſubjicit: *Quia non usque adeò in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita eſt: ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanſerint, undè meritò dici poſſit* (Gentiles) *etiam in ipſa impietate vitæ ſuæ facere aliqua leges vel ſapere.* Et cap. ſequenti addit: *Sicut enim non impediunt à vita æterna juſtum quædam peccata venialia, ſine quibus hæc vita non ducitur: ſic ad ſalutem æternam nihil proſunt impio aliqua bona opera, ſine quibus difficillimè vita cujuslibet peſſimi hominis invenitur.* Certè per aliqua bona opera, quæ dicit nihil prodeſſe impiis ad ſalutem, intelligit opera verè & moraliter bona, & nullatenùs mala: nam de operibus, quæ eſſent mala verè dici non poteſt, quòd ſine illis difficillimè vita impiorum invenitur; & nugatoriè de operibus malis diceretur, quòd ad ſalutem non proſint.

(*c*) Vid. inf. Exercit. Theol. Exercit. 10. num. 170. & ſeq.
(*d*) *Benefecit Deus obſtetricibus, & . . . ædificavit eis domos*, id eſt, prolem copioſam eis dedit.

Digitized by Google

Prob. 3tio. Quia damnatæ ſunt à Pio V. & Gregorio XIII. hæ Baji propoſitiones, 25. *Omnia opera Infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia.* 27. *Liberum arbitrium ſine Gratiæ Dei adjutorio nonniſi ad peccandum valet.* 37. *Cum Pelagio ſentit, qui boni aliquid naturalis, hoc eſt, quod ex ſolis naturæ viribus ortum ducit, agnoſcit.* Item hæ Quesnelli propoſitiones à Clemente XI. in Bulla *Unigenitus* damnatæ: 38. *Peccator non eſt liber niſi ad malum ſine gratia Liberatoris.* 39. *Voluntas, quam Gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum; ardoris, niſi ad ſe præcipitandum; virium, niſi ad ſe vulnerandum; eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.* 40. *Sine gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.*

Prob. 4to. Ratione. Quia vires naturæ in ordine ad ſectandam honeſtatem, licèt ſint multum debilitatæ per peccatum originale, non ſunt tamen penitùs extinctæ: nam Concilium Tridentinum Seſſ. 6. c. 1. docet per peccatum Adami liberum arbitrium hominis *minimè extinctum eſſe, viribus licet attenuatum & inclinatum.* Ergo quædam opera bona moraliter ob finem honeſtum facta non ſuperant vires naturæ: qualia ſunt dare eleemoſynam pauperi, aliqua obſequia præſtare parentibus &c. Quia hoc eſt conſentaneum naturæ rationali & rectæ rationi.

154 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. contra 1mam. & 2dam. Concluſionem. Concilium Milevitanum Can. 3. definit, Gratiam juſtificantem non tantùm valere ad remiſſionem peccatorum, quæ jam commiſſa ſunt, verùm etiam in adjutorium ne committantur. Ergo Gratia habitualis ſufficit &c.

Reſp. neg. conſ. Quia Gratia ſanctificans ex ſapientia, bonitate, & promiſſione divina habet ſibi annexa Gratiæ actualis auxilia ad ipſam Gratiam ſanctificantem conſervandam, & ad ſervanda mandata neceſſaria. Nam ad ſapientiam & bonitatem Dei pertinet, ut Gratiæ ſanctificanti annexa ſint Gratiæ auxilia, ſine quibus impoſſibilis eſſet Legis obſervatio, ad quam ipſa ex natura ſua tendit. Hinc S. Auguſtinus in Pſal. 7. de peccatore & juſto loquens ait: *Ibi miſericors auxilium eſt, quia nullum habet meritum peccator .... hic autem juſtum auxilium eſt, quia jam juſto tribuitur.* Concilium autem ibi damnat Pelagium docentem, hominem non indigere Gratiâ actuali internâ ad ſervanda mandata, & Gratiam baptiſmalem remittere tantùm peccata, nec dare jus ad auxilia Gratiæ.

Ob. 2do. Gratia habitualis cum ſuis 155
habitibus infuſis id totum poteſt, quod Gratia actualis. Ergo.

Reſp. neg. ant. Nam habitus infuſi non excitant ad agendum, & non coërcent concupiſcentiæ motus nec voluntatem contra eos roborant: alioqui quamdiu haberemus Gratiam ſanctificantem, ſemper haberemus pias cogitationes, excitationes & volitiones. Imò habitus per ſe præcisè non agunt niſi ex applicatione & determinatione voluntatis, quæ ut illos ad agendum determinet, eget auxiliò ſupernaturali ab iis diſtinctò.

Inſt. 1mo. Gratia ſanctificans cum ſuis habitibus eſt principium ſupernaturale.

Reſp. Eſt principium &c. incompletum, non autem completum & ſufficiens.

Inſt.

Digitized by Google

Inſt. 2do. Gratia ſanctificans cum ſuis habitibus reddit hominem habilem ad actus meritorios.

Reſp. Reddit habilem incompletè non verò completè niſi per Gratias actuales ipſi annexas: Nam ad actus ſalutares requiritur principium excitans & corroborans.

156 Ob. 3tio. Contra Concluſionem 3tiam. Luc. 1. De Zacharia & Eliſabeth dicitur: *Erant autem juſti ambo ante Deum incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſine querela.* Et Job laudatur, quòd ſe abſtinuerit ab omni opere malo. Ergo.

Reſp. neg. conſ. ad textum Lucæ, ſenſus eſt, quòd omnia mandata ſervarint ſic, ut ea nunquam graviter ſeu in re gravi violarent: quod non impedit, quominùs aliqua leviter læderent. Ad id quod de Jobo additur, idem eſt ſenſus, nempe Jobum omne peccatum grave evitaſſe duntaxat.

157 Ob. 4to. 1. Joan. 3. dicitur: *Omnis qui ex Deo natus eſt peccatum non facit, quia ſemen ejus in ipſo manet.* Et ibid cap. 5. *Omnis qui natus eſt ex Deo non peccat.* Atqui homo juſtus ex Déo natus eſt per gratiam. Ergo etiam cum ordinariis gratiæ auxiliis poteſt evitare omnia etiam venialia peccata.

Reſp. diſt. maj. Omnis, qui ex Deo natus eſt, non peccat mortaliter; quamdiu nimirùm in charitate manet, à qua per peccatum lethale excideret; conc. Non peccat ſaltem venialiter; neg. maj. *Non enim eſt juſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.*

158 Ob. 5to. Cuilibet juſto, urgente præcepto, ſemper adeſt gratia, cujus beneficiô mandatum urgens adimplere poteſt. Atqui ſi iſti gratiæ conſentiat juſtus ille, quemadmodùm poteſt, ac tenetur, novum ac uberius impetrabit auxilium, quo vegetior factus ſubſequens præceptum, & ſic deinceps hæc & illa promptiùs ac expeditiùs adimplebit. Ergo quilibet juſtus poteſt ſingula præcepta obſervare, ac proindè ſimiliter abſtinere à quovis peccato etiam veniali.

Reſp. Diſt. min. Poteſt juſtus conſentire cuilibet gratiæ, diſtributivè, conc. collectivè, neg. min. Equidem juſtus gratiæ, prout poteſt, conſentiendo novas à Deo vires impetrat, novum robur, novam fortitudinem: ſed cùm non ſemper faciat quod poteſt, ac brevì pro ſua infirmitate deficiat à conſtanti ac interrupta vigilantia, hinc eſt, quòd citò obrepant ipſi leviores quædam gratiis reſiſtentiæ, ac venialia peccata.

Ob. 6to. Deus impoſſibilia non jubet. Atqui Deus præcipit, ut omnia peccata venialia vitentur. Ergo &c. 159

Reſp. Diſt. min. Præcipit, ut omnia vitentur diſtributivè, conc. collectivè, neg. min. Non præcipit Deus ut omnia collectivè venialia peccata vitentur, ſed diſtributivè duntaxat & in particulari: nullum porro tale eſt, quòd juſtus declinare non poſſit, ſi eo, quo poteſt ac tenetur modo, velit; ipſius ergo culpa eſt, quando labitur. Solutio colligitur ex S. Auguſtino, lib. 2. de peccat. meritis & remiſſ. cap. 3.

Ob. 7mo. Si juſtus non poteſt ſe immunem ſervare ab omni veniali peccato, tunc aliqua conſtringitur peccandi neceſſitate. Abſurdum conſeq. Ergo & antecedens. 160

Reſp. Diſt. ſeq. maj. conſtringitur vaga quadam, generali ac indeterminata peccandi neceſſitate, quæ non eſt niſi de peccatis venialibus collectivè ſumptis, non autem diſtributivè, conc. Speciali ac determinatâ, quæ in hoc vel illud cadat peccatum veniale, neg. ſeq. maj.

Tribus præſertim modis ſpectari poſſunt peccata venialia, 1mo. collective ſimul, id eſt, omnia omninò. 2do. collectivè diſtributivè, id eſt, hæc & illa, & ſic deinceps ad ſe invicem & ad totum comparata. 3tio. diſtributivè tantùm, id eſt, ſingula ſucceſſivè duntaxat & in particulari. Dicimus autem, quòd hoc tertio ſenſu ſingula peccata venialia juſtus vitare poſſit & teneatur, Deo ita præcipiente: aſt ſi duplici altero ſenſu ſpectentur, nec poteſt ab iis omnibus præ inconſtantia & infirmitate voluntatis abſtinere; nec pro ſua æquitate id ipſum Deus præcipit.

Inſt. Homo qui cadente pluvia jubetur locum aliquem medio aëre patentem pertranſire, ea lege, ut ſingulas devitet pluviæ guttas, poteſt ſingulas diſtributivè devitare; nec tamen reus eſſet, ac immeritò plecteretur, quòd aliquas non declinaſſet, quia ſcilicet vera eſt in ipſo ad omnes & ſingulas devitandas impotentia. Ergo idem dicendum foret de juſto, qui per totum vitæ curriculum aliquoties venialiter peccat.

Reſp. neg. conſ. & parit. Homo ille pluvia cadente loco aëre medio patente incedens nullo inſtanti poteſt omnes pluviæ guttas devitare, propter ſcilicet earum multitudinem & inſtantiam; imò quolibet inſtanti quaſdam ita declinat, ut aliis neceſſariò conſpergatur ac madefiat. Non ita eſt de juſto, qui ab omni veniali peccato quandoque abſtinet, nullumque aſſignari poteſt inſtans determinatum, quo neceſſariò peccet.

161 Ob. 8vo. Juſtus poteſt unumquodque peccatum diſtributivè ſumptum vitare. Ergo & collectivè omnia.

Reſp. neg. conſ. Nec enim valet conſecutio à diſtributivo ad collectivum, ubi repugnantia fundatur in ipſa collectione: ſic malè inferretur, poteſt quis lapidem hunc vel illum geſtare; ergo & acervum ſimul. Porro quæ in juſto reperitur impotentia vitandi omnia peccata venialia, in ipſamet horumce peccatorum collectione fundatur: ſcilicet multoties pleraque ſimul occurrunt cavenda, aut continuè & immediatè ſibi ſuccedunt: & exindè propter hanc multitudinem & inſtantiam, eamque continuam ac diuturnam, atque propter attentionem & vigilantiam requiſitam, juſtus veram dicitur habere impotentiam ad omnia omninò peccata declinanda: eo fermè modo, quo homo viribus præpotens centum homines ſigillatim impugnare & proſternere poteſt: aſt ſi centum illi homines ſimul irruerent, aut ſibi immediatè ſuccederent; jam eos debellare non valeret, ſed tandem deficeret, ac neceſſariò ſuccumberet.

Ob. 9no. Contra Concluſionem 4tam. 162
Proteſtantes Lutherani & Calviniſtæ ſine gratia credunt myſteria Trinitatis & Incarnationis: nam eodem modo hæc credunt, quo ſuos errores. Ergo.

Reſp. Neg. conſ. Quia Proteſtantes iſti hæc myſteria non credunt fide divina, ſed humana. Nam vel non credunt myſterium Trinitatis propter revelationem divinam, ſed propter hominum, putà ſuorum Miniſtellorum auctoritatem: vel ſi credunt propter revelationem divinam, non credunt propter revelationem divinam ex pio affectu ſe ſe in omnibus plenè ſubmittendi Deo revelanti credibiliter, ut patet ex eorum pertinacia in rejiciendis aliis dogmatibus Fidei noſtræ pariter à Deo revelatis.

Ob. 10mo. Homo poteſt aſſenſu na- 163
turali credere myſteria Fidei propter revelationem divinam ſibi propoſitam. Ergo.

Reſp. trans. ant. neg. conſ. Nam etiamſi homo poſſet utcumque credere actu naturali myſteria Fidei propter revela-

velationem divinam ſibi propoſitam; tamen non poteſt ea credere Fide Chriſtiana. Quia credere Fide Chriſtiana eſt ex pio affectu ſe in omnibus plenè ſubmittendi Deo credibiliter revelati credere prudenter & firmiſſimè res revelatas à Deo quantumvis humanum captum ſuperantes, præciſè propter auctoritatem Dei revelantis, ideòque propter revelationem divinam, quæ ſit evidenter credibilis credenti. Quod ſanè fieri non poteſt ſine gratia: nam neque intellectus poteſt ſine gratia illuſtrationis attingere credibilitatem revelationis, neque voluntas ſine gratia illuſtrationis & inſpirationis efficaciter moveri honeſtate & neceſſitate ſe ſubmittendi plenè Deo, & ex hac pia volitione velle captivare intellectum in obſequium Fidei, & firmiſſimè credere res revelatas.

Inſt. Motiva credibilitatis poſſunt naturaliter cognoſci ab intellectu. Ergo.

Reſp. diſt. ant. Poſſunt cognoſci naturaliter utcunque, & quæ cognitio non ſufficiat ad eliciendum actum Fidei Chriſtianæ, conc. Poſſunt cognoſci ſufficienter &c. neg. ant. Motiva credibilitatis non poſſunt cognoſci ſufficienter ad Fidem Chriſtianam ſine gratia interiore: nam ad Fidem Chriſtianam neceſſe eſt, ut motiva credibilitatis evidenter judicentur credibilia eſſe ut ſigna divina, & cum revelationis exiſtentia infallibiliter connexa. Ad quod requiritur Gratia illuſtrans & elevans intellectum.

164 Ob. 11mo. Contra Concluſionem 5tam. Amor Dei ſuper omnia lege naturali præcipitur. Ergo naturaliter haberi poteſt.

Reſp. Diſt. conſ. Si non obſtent infirmitas & corruptio naturæ, conc. Si obſtent, neg. conſ. Porro lex naturalis nihil abſolutè præcipit quod ſit impoſſibile naturæ puræ ſeu non corruptæ, licèt ſit impoſſibile naturæ per peccatum originale depravatæ ſibique relictæ.

Ob. 12mo. Poteſt homo naturaliter 165 cognoſcere Deum ut ſummè amabilem. Ergo & diligere.

Reſp. neg. conſ. Homo enim longè graviùs vulneratus eſt in voluntate, quàm in intellectu: *Video meliora proboque, deteriora ſequor.*

Ob. 13tio. Naturalia manſerunt inte- 166 gra poſt peccatum. Atqui homo ſanus & integer poterat ex ſe Deum ſuper omnia diligere. Ergo &c.

Reſp. Diſt. maj. Manſerunt integra quoad facultatem naturalem, conc. Quoad integritatem & perfectionem virium, ita ut eædem omninò permaneant, neg. maj. *Tametſi enim liberum arbitrium extinctum non ſit, viribus tamen attenuatum eſt & inclinatum*, inquit Concilium Trid. Seſſ. 6. de juſtificatione, cap. 1.

Ob. 14to. Homo naturalem habet in- 167 clinationem ad diligendum Deum, ſaltem ut ſummum bonum. Ergo.

Reſp. neg. conſ. Quæcumque ſit illa inclinatio naturalis, ſaltem per naturæ corruptionem & infirmitatem impeditur, ne poſſit abſque gratia in actum prodire.

Ob. 15to. Amor concupiſcentiæ ori- 168 tur ex amore ſuî. Ergo ſaltem illo amore poteſt homo naturaliter Deum proſequi.

Reſp. Diſt. ant. Ex amore ſuî recto ac perfectè ordinato, conc. Secùs, neg. At hæc perfecta ordinatio nonniſi ex gratia eſt.

Ob. 16to. Aliqui ita filios vel pa- 169 triam naturaliter dilexerunt, ut pro illis mortem ſubire non detrectaverint. Ergo etiam homo poterit naturaliter Deum ſuper omnia diligere.

Reſp. Neg. conſ. Qui ſe pro patria vel pro alio homine morti devoverunt, id egerunt ex vanæ gloriæ cupiditate, vel ex inordinato amore ſenſibili, vel

ex

Digitized by Google

ex aliqua alia prava cupiditate, quæ modum neſcit. Cùm autem homo facillimè & vehementiſſimè ad ſenſibilia, & cupiditatum objecta, parùm verò ad inſenſibilia & honeſta afficiatur, longè facilius ei eſt creaturam amare quàm Deum; imò hunc ſuper omnia amare propter naturæ corruptionem impoſſibile eſt ſine gratia.

170 Ob. 17mo. contra Concluſionem 6tam. Pſal. 13. *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt; non eſt qui faciat bonum, non eſt usque ad unum.* Ergo Infidelium opera omnia ſunt mala &c.

Reſp. neg. conſ. Infideles ſunt quidem in ſtatu peccati, & inutiles ad exercenda opera meritoria vitæ æternæ, àt nihilominùs poſſunt facere, & interdum faciunt ex ſolis naturæ viribus aliqua opera honeſta.

171 Ob. 18vo. Matth. 7. dicitur: *non poteſt . . . arbor mala bonos fructus facere.* Id eſt malus homo non poteſt facere bona opera. Atqui Infideles ſunt mali homines. Ergo &c.

Reſp. conc. textum & diſt. illius expoſitionem, homo malus, quoties agit ut malus ſeu ex cupiditate, non poteſt facere opera bona ſed nonniſi mala, conc. quoties agit non ut malus nec ex prava cupiditate, ſed ex fine honeſto. neg. &c.

172 Ob. 19no. Rom. 14. *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Atqui opera Infidelium non ſunt ex fide. Ergo.

Reſp. diſt. & exponimus textum Apoſtoli: quod non eſt ex fide practica, id eſt, ex conſcientia, peccatum eſt, conc. Quod non eſt ex fide Theologica. neg. Per fidem hoc locô Apoſtolus non intelligit fidem Theologicam, id eſt, eam, qua credimus in Chriſtum, ſed practicam, ſeu eam, qua quis judicat aliquid eſſe licitum, ut explicat Concilium Lateranenſe IV. cap. 41. & patet ex contextu. Unde ſenſus eſt: quod non eſt ex prudenti perſuaſione, quòd ſit licitum, peccatum eſt. Aliqui tamen Patres nomine fidei intellexerunt fidem Chriſtianam ſeu Theologicam; ſed nomine peccati intelligunt id omne quod vel offendit Deum, vel ad ſalutem inutile eſt, quia nomine peccati intelligunt id omne quod defectuoſum eſt: inutilitas autem ad ſalutem eſt magnus defectus.

Ob. 20mo. Heb. 11. *Sine fide*, ait Apoſtolus, *impoſſibile eſt placere Deo.* Ergo infidelis nullum opus bonum exercere poteſt, quod Deo placeat. 173

Reſp. Diſt. ant. Sine fide impoſſibile eſt placere Deo, hoc eſt, homo infidelis non poteſt placere Deo, conc. Hoc eſt, opus bonum ab infideli factum, non poteſt Deo placere, ſubdiſt. non poteſt placere Deo perfectè & in ordine ad meritum vitæ æternæ, conc. Imperfectè & in ordine ad honeſtatem purè moralem, neg. Siquidem ſuprà vidimus à Deo mercedem aliquam temporalem infidelibus præparatam & datam fuiſſe propter opera moraliter bona.

Ob. 21mo. Ad Titum 1. *Infidelibus*, inquit Apoſtolus, *nibil eſt mundum.* Ergo. 174

Reſp. diſt. ant. Infidelibus nihil eſt mundum, quando & quoties infideliter vivunt, conc. Quando ex honeſto motivo operantur, & juxta præſcriptum legis naturalis, neg. ant.

(*e*) Ob. 22do. S. Auguſt. lib. de Gratia Chriſti. c. 26. & lib. de Gratia & libero arb. c. 18. docet, quod quidquid 175

(*e*) Ut immenſa propemodùm ſuccidatur objectionum ſylva, quæ ex S. Auguſtini, præſertim contra Julianum, Scriptis peti ſolent; præſtat hic contractam exhibere illius doctrinæ delineationem. Docet itaque 1mo. Infideles, dum operantur ut infideles, id

quid ex charitate non fit, non ſit bonum opus.

Reſp. In his & ſimilibus locis loquitur de bono opere quod ſit meritorium vitæ æternæ, ad quod requirit charitatem.

176 Ob. 23tio. Idem S. Doctor, lib. de Spiritu & litt. c. 3. dicit; *Neque liberum arbitrium quidquam niſi ad peccandum valet, ſi lateat veritatis via, &c.*

Reſp. Ibi loquitur de libero arbitrio quoad opera, quæ ad ſalutem æternam conducunt, vel ab ea abducunt: ex quibus ſine Gratia homo non poteſt niſi ea, quæ a ſalute æterna abducunt. Similiter cùm lib. 3. contra duas Epiſt. Pelagian. c. 8. dicit, *liberum arbitrium ſine Gratia ipſum liberante non valere niſi ad peccandum;* loquitur de potentia liberi arbitrii relatè ad ſalutem vel merendam vel demerendam; undè ſolùm vult liberum arbitrium in ordine ad ſalutem ſine gratia ipſum liberante non poſſe niſi ſalutem demereri.

177 Ob. 24to. Lib. 1. de nuptiis & concupiſcentia, & lib. 4. contra Julianum & alibi docet, omnia infidelium opera eſſe peccata ſeu vitia. Ergo bona eſſe non poſſunt.

Reſp. S. Doctor cùm dicit omnia infidelium opera eſſe peccata, per peccatū intelligit non ſolùm id, quod eſt culpabilis violatio legis divinæ & pœnâ dignum, ſed etiam id omne, quod inutile eſt ad ſalutem æternam conſequendam, ut explicat citatô lib. 4. cont. Jul. c. 3. ubi dicit ſe dicere illud opus bonum, per quod ſolum homo poteſt ad æternum Dei regnum perduci: ac proinde per peccatum quandoque intelligit opus inutile ad ſalutem æternam, utpote defectuoſum, nam hæc inutilitas eſt defectus & quidem magnus; hoc ſenſu ait ibidem ex Apoſtolo, *quod non eſt ex fide, peccatum eſt;* nempe inutile ad ſalutem. Ideo etiam ait non eſſe in Infidelibus veras virtutes, ſed potiùs vera vitia, quia in ſuis operibus finem perverſum plerumque ſibi proponunt. Verbo, vult S. Doctor, opera infidelium ferè omnia duntaxat eſſe peccata, non omnia omninò, ultrò enim fatetur eos etiam quædam licèt pauciſſima moraliter bona opera peragere non tamen ad ſalutem conducentia; in moralibus autem parum pro nihilo reputatur.

Ob. 25to. Eadem eſt mens S. Augu- 178
ſtini & illius Diſcipulorum. Atqui illius diſcipuli aſſerunt, opera ſine fide facta eſſe peccata. S. Proſper Carmine de ingratis c. 16. ſic loquitur:

Omne etenim pietatis opus, niſi ſemine veræ
Exoritur fidei, peccatum eſt &c.

Similia habet S. Fulgentius lib. de Incarnat & grat. c. 25.

id eſt, non ex regula rectæ rationis ſed ex regula erroris ſui, ſemper peccare. 2do. Ipſos ut plurimùm malè operari, quia inter agendum vix ſibi bonum finem proponunt, ſed potiùs uno vitio aliud depellunt: qui enim apud Paganos ſapientiores viſi ſunt, ſuperbiâ tumebant, ope cujus frænabant vitia. 3tio. Omnia infidelium opera eſſe peccata, non quòd omnia omninò vitioſa ſint, ſed quia vix ac rarò admodùm inveniuntur, quæ ex fine recto & laudabili fiant. 4to. Infideles virtutibus ſuis non reddi ſimpliciter bonos & Deo gratos, contrà quàm ſentiebat Julianus, qui contendebat, his virtutibus infideles juſtificari, undè adversùs ipſum urget S. Auguſtinus illud Apoſtoli, *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Tandem explodit abſurdam Juliani doctrinam, qua fingebat, virtutes eſſe veras ac ſimpliciter bonas, quæ ex officio bonæ quidem forent, licèt fierent ob malum finem & ex perverſa intentione, quæ tamen proptereà ad regnum cœlorum ſteriles eſſent; eas autem, quæ ex bono fine fierent, eſſe in ordine ad vitam æternam fructuoſas.

Reſp. neg. min. S. Proſperi textus exponendus eſt de infidelibus qui in malum vanitatis finem opera dirigunt; huncque ſenſum clarè referunt verba, quæ immediatè ſequuntur:

Exoritur fidei peccatum eſt; inque reatum
Vertitur, & ſterilis cumulat ſibi gloria pœnam.

Eadem ratione exponenda ſunt pleraque alia ejusdem S. Proſperi & S. Fulgentii teſtimonia.

179 Ob. 26to. S. Hieronymus, in c. 3. ad Galat. ait: *Sine Chriſto omnis virtus in vitio eſt.* Ergo.

Reſp. neg. conſ. Solùm intendit S. Doctor, quòd ſine Gratia Chriſti omnis virtus ſit defectuoſa in ordine ſcilicet ad finem ultimum aſſequendum, quatenùs eſt inutilis ad beatitudinem æternam conſequendam: quæ inutilitas utpote magnus defectus, meritò vitium dicitur.

180 Ob. 27mo. Concilium Arauſicanum II. c. 22. ait: *Nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum.*

Reſp. Subintelligitur in ordine ad ſalutem æternam, de qua tunc agebatur, ita ut ſenſus ſit, quòd homo in iis, quæ ſalutem ſpectant, non poſſit de ſuo niſi demereri; quia ſolis naturæ viribus nihil poteſt velle aut agere, quod conducat ad ſalutem æternam, & tamen poteſt peccare.

181 Ob. 28vo. In homine poſt Adæ peccatum nulla ſemina virtutum remanſerunt. Ergo iis carent infideles &c.

Reſp. diſt. ant. Nulla remanſerunt in ſenſu Semipelagianorum, qui per ſemina virtutum intelligebant bonas cogitationes & pia deſideria ex ſolis naturæ viribus elicita, quæ conducerent ad ſalutem, & quibus homo ad recipiendam Dei Gratiam diſponeretur, conc. ant. Non remanſerunt in alio ſenſu, nempe ſi per illa ſemina virtutum intelligatur aliquod lumen naturale oſtendens in multis, quid ſit honeſtum vel inhoneſtum, & naturalis propenſio ad agendum bonum honeſtum & vitandum inhoneſtum, quamvis extenuata & valde infirma, atque longè minor propenſione naturali in delectabilia legi & rationi repugnantia, neg. ant.

Ob. 29no. Dæmones licèt careant 182
concupiſcentiâ, nullum tamen poſſunt bonum opus facere. Ergo multò minùs infideles.

Neg. conſ. & parit. Diſparitas eſt, quia Dæmones ſunt obfirmati in actuali odio Dei, & hominum ut Dei imaginum: unde ex tali adio agunt quidquid agunt, & ſic neceſſariò neceſſitate conſequente peccant in omnibus ſuis actibus. At homines etiam infideles & ſceleſtiſſimi non ſemper actu oderunt Deum & proximum: unde non ſemper agunt ex pravo affectu, & ſic poſſunt identidem aliquod opus bonum facilè agere.

Ob. 30mo. Opus moraliter bonum 183
ferri debet in finem ultimum ſaltem naturalem. Atqui opera infidelium non referuntur in finem ultimum. Ergo.

Reſp. Diſt. maj. debet referri &c. vel ex natura ipſius operis, vel ex intentione operantis, conc. maj Semper ex intentione operantis, neg. maj. Ut actus aliquis ſit bonus moraliter, ſufficit, quòd ex ſe referatur ad Deum ut regulam & fontem omnis honeſtatis: ſic autem refertur hoc ipſo, quòd ſit honeſtus, & fiat propter finem honeſtum.

Ob. 31mo. Omnia opera infidelium 184
ſunt inutilia. Sed nullum opus bonum eſt inutile. Ergo.

Reſp. Diſt. maj. Omnia opera infidelium ſunt inutilia ad ſalutem æternam, conc. Sunt inutilia ex omni parte, neg. maj. Nam aliqua opera infidelium nempe bona ſunt ipſis utilia ad ſervandam legem naturalem, ad agendum conformiter naturæ ſuæ rationali, ad vitan-

dum

Digitized by Google

dum peccatum pœnamque ei debitam; imò valent ad accipienda bona tempora lia à Deo: Unde S. Auguſt. Imperii Romani amplitudinem adſcribit actibus juſtitiæ, fortitudinis, & temperantiæ Romanorum civium tanquam eorum mercedem.

185 Ob. 32do. Omnia opera noſtra debent in gloriam Dei fieri, & in nomine JEſu Chriſti ad Deum Patrem referri, juxta Apoſtolum 1. Cor. 10. & 16. Item Coloſſ. 3. Atqui infideles, præſertim ii, qui verum Deum ignorant, nequeunt opera ſua in Dei gloriam referre Ergo &c.

Reſp. 1mo. Hæc eſſe perfectionis conſilia, non verò præcepta. 2do. Dato, quòd ſint præcepta, hæc Chriſtianos ſpectant, non infideles, qui Chriſtum ignorant. 3tio. Diſt. maj. Omnia opera noſtra debent fieri in gloriam Dei, id eſt non debent eſſe contra gloriam Dei, conc. Id eſt, debent fieri ex motivo Gloriæ Dei, ſubdiſt. Implicitè, conc. Explicitè, aut ex motivo charitatis propriè dictæ, neg. maj. Lege, quæ reſpondimus ad Ob. 30mam.

SECTIO II.

186 ### *De Gratia ſufficiente* (*f*)

Nomine Gratiæ ſufficientis ex fide Eccleſiæ Catholicæ intelligimus, *auxilium ſupernaturale præbens voluntati veram & expeditam potentiam ſaltem mediatam agendi bonum ſupernaturale.*

Dari hujuſmodi ſufficientem gratiam negârunt Lutherus, *de ſervo arbitrio.* Et Calvinus *lib.* 2. *Inſtit. cap.* 3. ubi Theologos Pariſienſes ſibi adverſantes vocat Sorbonicos Sophiſtas, Pelagianos, & phreneticos. Iis ſe adjunxit Janſenius, ut conſtat ex dictis ſuprà c. 2. §. 8. num. 16. quam ſequuntur diſcipuli; quamvis enim Gratiæ ſufficientis nomen cum Catholicis retineant, rem tamen hoc nomine ſignificatam rejiciunt, ſcilicet Gratiam, quæ veras completas & expeditas tribuit vires ad præceptum hîc & nunc implendum, quantumvis difficile, & ad reſiſtendum tentationi in iis etiam circumſtantiis, in quibus ad malum vehementer impellit. Janſeniani quippe nomine gratiæ ſufficientis intelligunt, vel ſolam gratiam habitualem, vel parvam gratiam actualem, quæ totum habet effectum, ad quem datur, nempe velleitatem. Sed quàm erroneè hæc ab ipſis dicantur ex ſequentibus patebit.

(g) §. I.

Utrum in ſtatu naturæ lapſæ detur Gratia ſufficiens. 187

Concluſio. In ſtatu naturæ lapſæ & per Chriſtum reparatæ, datur gratia verè ſufficiens.

Prob. 1mo. ex Scripturis. Prov. 1. *Vocavi*, inquit Deus, *& renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id, quod timebatis, advenerit.* Quæ graviſſima objurgatio eſſet iniqua, ſi ii qui objurgantur, non habuiſſent gratiam interiorem verè ſufficientem, ſine qua Deo vocanti obſequi non poterant, & quæ effectu ad quem data eſt caruit ex culpa voluntatis.

Hhhh 2 Iſai.

(*f*) Vid. inf. Exercit. Theol. Exercit. 11. num. 190. & ſeq.
(*g*) Vid. inf. Exercit. Theol. Exercit. 11. §. 1. num. 191. &c.

Digitized by Google

Iſai. 5. Sic Deus Iſraelitis loquitur: *Quid eſt quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectavi, ut faceret uvas & fecit labruſcas?* Tria hîc ſunt annotanda. 1mo. Deum Judæis conceſſiſſe Gratias ſufficientes; *Quid debui ultrà facere vineæ meæ & non feci?* 2do. Judæos cum his gratiis potuiſſe hîc & nunc bonum opus operari, illudque Deus expectabat; *Expectavi ut faceret uvas.* 3tio. Judæos caſſas & irritas reddidiſſe has gratias; *Et fecit labruſcas.*

Matth. 23. Chriſtus ſic loquitur: *Jeruſalem . . . . quoties volui congregare filios tuos, quemadmodùm gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Ergo Judæi habuerunt Gratiam internam verè ſufficientem ad ſe convertendum, quam tamen rejecerunt; alioqui hæc Chriſti exclamatio eſſet vana ac illuſoria, & hæc verba (*quoties volui & noluiſti*) eſſent falſa.

Denique Apocalyp. cap. 3. Dominus ait: *Ecce ſto ad oſtium & pulſo: Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Fruſtra Dominus ad cor illorum pulſaret, atque poſtularet, ut illud ipſi aperirent, qui non poſſent eidem illud aperire, atque adeò Gratiâ ſufficienti, ſeu potentiâ illud aperiendi carerent.

Addi poteſt illud Act. 7. ubi S. Stephanus Judæos ita increpat: *Dura cervice & incircumciſis cordibus & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.* Reſiſtere autem Spiritui ſancto, quid eſt, niſi internis illius motibus reſiſtere? Quis enim reſiſtit ei, qui non movet, aut non ſufficienter movet ad motum hîc & nunc producendum? Deinde hæc reſiſtentia provenit ex duritia cordis: interna ergo eſt & propriè dicta.

Prob. 2do. Ex Conciliis. Arauſicanum II. Can. 250. *Hoc*, inquit, *ſecundùm fidem catholicam credimus, quòd acceptâ per baptiſmum gratiâ omnes baptizati, Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad ſalutem animæ pertinent, poſſint & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere.* Adeſt ergo baptizatis gratia, qua adjuvante poſſint, & verè poſſint concupiſcentiam prementem debellare, & gratiam ſanctificantem cuſtodire: porro plerique è baptizatis huic gratiæ reſiſtunt. Ergo &c.

Senonenſe Pariſiis celebratum, annô 1528. part. 1. in decretis fidei, cap. 15. ſic loquitur: *Neque liberum arbitrium aſſerentes, divinam excludimus propterea gratiam, quod illi* (Lutherani) *falsò toties imponere non verentur. Sed juxta ſacram Scripturam eò extendimus, ut voluntas humana miſericordiæ prævenientis auxiliò ſuffulta, & interiori quodam & occulto ſecretioris inſpirationis afflatu contacta ſe ſe convertat in Deum, Deo appropinquet, & ad veram illam gratiam ſe præparet, qua tandem accepta ſit ad vitam æternam. Neque tamen tanta gratiæ neceſſitas libero præjudicat arbitrio, cùm illa ſemper ſit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non ſtet ad oſtium & pulſet. . . . neque denique tale ſit hujusmodi trahentis Dei auxilium, cui reſiſti non poſſit. Quoties enim Dominus voluit congregare filios Jeruſalem, ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluerunt? Fruſtrà certè Stephanus Judæos duræ cervicis & incircumciſi cordis argueret, qui ſemper Spiritui ſancto reſiſterent. Fruſtrà Paulus Theſſalonicenſes admoneret, Spiritum ne extinguerent, ſi divinis inſpirationibus homines inevitabiliter raperentur.* Iſtis Concilii verbis evidenter mentio fit de gratia actuali & interna voluntatis: agitur enim de gratia quæ volun-

voluntatem tangit *occulto ſecretioris inſpirationis afflatu ;* atque ibi aſſeritur, quòd ei propriô vitiô reſiſtat voluntas, idque iiſdem omninò Scripturæ teſtimoniis evincitur, quæ modò laudavimus.

Concilium Trid. Seſſ. 6. c. 11. *Nemo*, inquit, *temeraria illa, & à Patribus ſub anathemate probibita voce uti* (debet) *Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia. Nam Deus impoſſibilia non jubet ; ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis, &c.* Ergo ex Concilio omnes juſti habent gratiam, per quam verè poſſint ſervare omnia Dei præcepta quando urgent; & tamen non omnes ea ſervant, nam multi juſti peccant mortaliter. Ergo datur Gratia verè ſufficiens ad ſervanda mandata divina, quæ tamen non eſt efficax.

Prob. 3tio. Ex definitionibus Eccleſiæ. Hæc propoſitio Janſenii, *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia : deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant :* ſolemni Eccleſiæ judiciô damnata fuit, & quidem in ſenſu Janſenii, ut hæretica. Ergo contradictoria eſt de fide ; nempe hæc : Nulla Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſunt impoſſibilia ; nec deeſt illis Gratia, qua poſſibilia fiant, in iis ſcilicet circumſtantiis, in quibus verſantur,& tenentur ea ſervare. Ergo juſti omnes habent gratiam verè ſufficientem ad ſervanda omnia præcepta ; & tamen non omnes juſti ſervant omnia præcepta, ſed aliqui ea violant. Ergo datur in aliquibus juſtis Gratia verè ſufficiens ad ſervanda mandata Dei, quæ tamen caret effectu ad quem datur, & quem habere poteſt. Ergo datur in ſtatu naturæ lapſæ Gratia verè ac merè ſufficiens.

Item iſta : *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.* Quæ propoſitio in libro Janſenii hunc habet ſenſum : Gratia omnis hominibus lapſis data habet omnem effectum, propter quem datur à Deo, & quem habere poteſt in iis circumſtantiis, in quibus datur. Ergo eſt de fide, dari aliquam gratiam, quæ ex culpa voluntatis non habet effectum ad quem eſt ſufficiens in iis circumſtantiis, in quibus ei reſiſtitur : ideoque eſt de fide, dari Gratiam verè ac merè ſufficientem.

Prob. 4to. Ex SS. Patribus. Pro omnibus ſit S. Auguſt. (*b*) qui paſſim hanc veritatem tradit vel ſupponit. Ut omiſſis pluribus aliis locis 1mo. lib. 83. Quæſt. q. 68. ubi ait: *Ad illam cœnam nec omnes qui vocati ſunt, venire voluerunt, neque illi, qui venerunt, venire poſſent, niſi vocati. Itaque nec illi ſibi debent tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt. Nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, ſed tantùm ſibi : quoniam ut venirent, vocati erant in libera voluntate. Qui autem vocatus non venit, ſicut non habuit meritum præmii ut vocaretur, ſic inchoat meritum ſupplicii, cùm vocatus venire negligit.* Hîc S. Doctor loquitur de vocatione non ſolùm externa, ſed etiam & maximè de interna : nam loquitur de vocatione, quæ veniendi voluntatem efficit in iis, qui vocati venerunt. Item loquitur de vocatione, qua qui vocati ſunt, ſibi ſolis tribuere debent, quòd non venerunt, quia ut venirent, erat in eorum libera poteſtate. Sed ſine vocatione interna ſeu gratia excitante nemo poteſt venire ad Chriſtum. Ergo ex S. Auguſtino datur aliqua vocatio interna, quacum aliqui venire ad

(*b*) Græcos Patres dimittit Janſenius, exinde ſuo ſyſtemati non ſatis conſulens, cui tot tradit hoſtes, quot præclara fuêre Græcis lumina.

Google

Chriſtum potuerunt in iis circumſtantiis in quibus verſabantur; & tamen non venerunt ex ſola ſua culpa, nam id ſibi ſolis tribuere debent. Atqui vocatio interna, quacum homines poſſunt venire ad Chriſtum per fidem & dilectionem, & tamen quacum non veniunt ex culpa ſua, eſt Gratia excitans verè ſufficiens, & tamen non efficax. Ergo. 2do. lib. de corrept. & grat. cap. 7. *Juſtior enim,* inquit, *videtur excuſatio dicentium, non accepimus audientiam, quàm dicentium, non accepimus perſeverantiam: quoniam poteſt dici, homo, in eo quod audieras & tenueras, in eo perſeverares ſi velles; nullo modo autem dici poteſt: id quod non audieras, crederes ſi velles.* Ergo homo qui non perſeverat in fide & charitate, non habet excuſationem; quia perſeveraſſet, ſi voluiſſet. Ergo qui non perſeverat, potuit perſeverare, ac proindè habuit gratiam verè ſufficientem ad perſeverandum, cui noluit conſentire. 3tio. Epiſt. 153. hæc eloquitur: *Pertinet ergo ad nos, ut boni ſimus, accipere & habere quod dat, qui de ſuo bonus eſt, quo quiſque neglecto, de ſuo malus eſt.* 4to. lib. 1. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 39. *Si* (parvulus) *poſt baptiſmum vixerit, atque ad ætatem capacem præcepti pervenire potuerit, ibi habet* (concupiſcentiam) *cum qua pugnet, eamque adjuvante Deo ſuperet, ſi non in vacuum gratiam ejus ſuſceperit, ſi reprobatus eſſe noluerit.* Ubi clarè ſignificat, adultos peccatores non eſſe reprobatos, niſi quia gratiæ Dei conſentire nolunt.

Prob. 5to. Ratione. 1mo. Deus vult ſincerè ſalvare omnes homines. Ergo dat omnibus media verè ſufficientia ad ſalutem, quibus tamen multi non conſentiunt, cùm multi non ſalventur. 2do. Deus vult, ut omnia ſua præcepta ſerventur ab omnibus. Ergo dat gratias ſufficientes ad ea ſervanda: alioqui vellet rem impoſſibilem, & homines obligaret ad impoſſibile; & tamen ſæpè violantur. Ergo. 3tio. Ad vincendas graviores tentationes, ac proindè ad coërcendos ardentioris concupiſcentiæ hîc & nunc titillantis motus, profectò neceſſaria eſt gratia, hæcque, juſtis præſertim, urgente tentatione ſemper conceditur. Atqui plerique etiam ex juſtis tentationi cedunt. Ergo.

Solvuntur Objectiones. 188

Ob. 1mo. Gratia ſufficiens non reperitur in Scripturis. Ergo non datur.

Reſp. neg. ant. Quamvis nomen gratiæ ſufficientis in Scripturis non reperiatur, at res per illud ſignificata habetur in Scriptura & Traditione, quod ſufficit. Et verò quis neſciat, nova ſubindè nomina ab Eccleſia fuiſſe adhibita ad meliùs exprimendas res fidei jam olim creditas.

Ob. 2do. Iſai. cap. 55. Deus dicit: 189
Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, ſed faciet, quæcunque volui, & proſperabitur in his ad quæ miſi illud. Atqui hîc per *verbum* Gratia interna intelligitur. Ergo omnis Gratia interna eſt efficax, nec ulla datur, quæ ſit merè ſufficiens.

Reſp. neg. min. Hîc enim per *Verbum* intelligitur, non Gratia interna, ſed aliquid aliud à ſola Dei voluntate pendens, nempe promiſſum de fœdere Novi Teſtamenti, de Meſſia, & bonis per eum dandis. Et verò verbum Dei propriè eſt res à Deo revelata. Certè multæ res à Deo hominibus revelatæ, non ideò ab illis implentur: ſic præcepta divina à Deo hominibus declarata non ſemper ſervantur.

Verùm datô etiamnum, quòd hîc per *verbum* intelligatur Gratia interna; profectò

fectò quamvis ſufficiens merè eſſet, non tamen omni effectu careret, nec vacua rediret: nam 1mo. ſaltem hunc habet effectum à Deo intentum, ut manifeſtet divinam benignitatem, miſericordiam, providentiam, ac ſinceram voluntatem ſalvandi omnes & ſingulos homines. 2do. Si non obtinet in homine ei reſiſtente effectum à miſericordia divina intentum redundat in effectum juſtitiæ reſpectu illius. Deus enim, ut docet S. Thomas, virtualiter duplicem habet intentionêm, nempe ut bonum fiat, & ut homo, qui non vult bonum agere, pœnam ſubeat. Unde cùm alterutrum ſemper fiat, verbum Dei ſive exterius ſive interius ad ipſum non redit vacuum.

Denique ſi textus objectus Gratiam internam ſpectaret, intelligeretur reſpectu illorum, ad quos ex voluntate efficaci ſalutis mittitur verbum internum ſeu Gratia: nam revera reſpectu illorum nempe electorum nunquam de facto redit vacuum, ſed ſemper proſperatur.

190 Ob. 3tio. Chriſtus Joan. 6. ait: *Omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* In quæ verba ſic loquitur S. Auguſtinus, lib. de prædeſt. Sanct. c. 8. *Quid eſt, omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me, niſi, nullus eſt, qui audiat à Patre & diſcat, & non veniat ad me? Si enim omnis, qui audivit à Patre & didicit, venit, profectò omnis, qui non venit, non audivit à Patre, nec didicit: nam ſi audiſſet & didiciſſet, veniret.* Et interiùs. *Hæc itaque Gratia, quæ occultè humanis cordibus divina largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur: ideò quippe tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur.*

Reſp. Hoc & ſimilibus Scripturæ teſtimoniis, ut Philipp. 2. *Deus eſt, qui operatur in vobis velle & perficere.* Rom. 9. *Voluntati ejus quis reſiſtit?* Item: *Non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Id unum probatur, nempe dari gratiam efficacem, cui nulla reluctatur voluntas, quod ultrò fatemur: nullatenus autem excluditur gratia ſufficiens, quæ tot aliis Scripturæ textibus aſtruitur.

Ad textum S. Auguſtini Reſp. 1mo. Hæc & alia ipſius teſtimonia, quæ paſſim opponuntur, in ipſos adverſarios militare; ſiquidem exinde ſequeretur nullas dari gratias parvas ſeu debiles internas, quas tamen impensè fovent Janſeniani, ut Catholicis illudant.

Reſp. 2do. In hoc ut & aliis contra Pelagianos & Semipelagianos libris S. Doctor agit præcipuè de gratia efficaci; tùm quia eſt ſpecies perfectiſſima: ſic cùm generatim deſcribitur Orator vel Poëta, exhibetur is, qui in illo genere ſit perfectiſſimus: tùm quia cùm Pelagius diceret, hominem ſolis viribus naturalibus bona ac ſalutaria opera facere, debuit Auguſtinus pro neceſſitate gratiæ pugnans docere, quòd Deus per ſuam gratiam hujusmodi opera faciat, & conſequenter loqui de Gratia, quatenus reipſa bonum operatur, ſeu de Gratia efficaci. Sive quia controverſia contra Hæreticos illos erat præſertim utrùm actus ſalutaris, ſeu aliquo modo conducens ad ſalutem fieret ſine gratia interna præveniente omnem uſum libertatis, & immediatè afficiente voluntatem: gratia autem qua fit actus ſalutaris eſt Gratia efficax. Denique ſæpè loquitur de Gratia efficaci, non ut efficaci, ſed præcisè ut eſt auxilium gratuitum, neceſſarium. Et variis in locis loquitur de Gratia in genere, nempe prout præſcindit ab efficaci & ſufficiente.

Inſt. S. Auguſtinus explicat de Gratia efficaci illud Chriſti, Joan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater traxerit eum.* Ergo ſine Gratia efficaci homo non poteſt facere bonum, idcoque non habet completam potentiam.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Diſt. conſ. Sine Gratia efficaci homo non poteſt facere bonum potentiâ reducendâ ad actum idque ratione connexionis alicujus veritatis cum alia veritate; conc. (*i*). Potentiâ ad actum merè reducibili, neg. conſ.

191 Ob. 4to. S. Auguſtinus, lib. 1. ad Simplic. ait: *Si Deus miſeretur, jam volumus.*

Reſp. Loquitur de miſericordia ſpeciali, qua Deus vocat hominem quomodò ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat.

192 Ob. 5to. Ex S. Auguſtino neceſſe eſt, voluntatem Dei ſemper impleri. Ergo cùm Deus det gratiam ut fiat bonum, illa ſemper habet effectum.

Reſp. diſt. ant. Neceſſe eſt impleri Dei voluntatem abſolutam & efficacē, conc. Dei voluntatem inefficacem & conditionatam licèt ſinceram, neg. ant. Deus non ſemper vult efficaciter, ut agamus bonum, & conſentiamus gratiæ. Hinc S. Auguſtinus duplicem diſtinguit vocationem, unam, quæ eſt ſecundùm propoſitum, id eſt, decretum Dei gratuitum & efficax, & hæc ſemper habet effectum: alteram, quæ non eſt ſecundùm propoſitum, & hæc effectu, ad quem datur, caret, quia voluntas non vult ei conſentire.

193 Ob. 6to. Gratia ſufficiens ex S. Auguſtino eſt auxilium ſine quo fieri non poteſt opus ſalutare. Atqui ex eodem S. Doctore auxilium iſtud fuit auxilium proprium naturæ innocentis; nec datur in ſtatu naturæ lapſæ niſi auxilium quo fit opus ſalutare, per quod intelligit Gratiam irrepudiabilem ſeu efficacem. Ergo.

Reſp. neg. min. Enimverò datur etiam in ſtatu naturæ lapſæ auxilium *ſine quo &c.* ſeu Gratia ſufficiens, quamvis differat ab illo auxilio *ſine quo*, ſeu Gratia ſufficiente, quæ data fuerat Adamo in ſtatu innocentiæ. Vide dicta *c.* 3. *ſ.* 1. *num.* 27. 28. & ſequent (*k*).

Ob. 7mo. Gratia ſufficiens eſt adjutorium poſſibilitatis, non voluntatis & actionis. Sed tale adjutorium eſt Pelagianum. 194

Reſp. Diſt. maj. Gratia ſufficiens eſt adjutorium dans voluntati completum poſſe, ſeu completam potentiam agendi bonum, ſed non faciens ut voluntas reipſa velit & agat, conc. Eſt adjutorium non immediatè movens, excitans & corroborans voluntatem ad agendum bonum ſalutare, neg. maj. Gratia merè ſufficiens non eſt adjutorium poſſibilitatis in ſenſu Pelagii: nam juxta Pelagium, adjutorium poſſibilitatis non dabat poſſe ſimpliciter, ſed ſolùm poſſe faciliùs, & conſiſtebat tantùm in Lege ac Doctrina exteriùs vel etiam interiùs propoſitis. Pelagius enim contendebat, liberum arbitrium per ſe ſolùm valere ad quodlibet opus ſalutare, ideoque non indigere gratiâ ad poſſe ſimpliciter, ſed tantùm ad faciliùs poſſe, & hanc gratiam conſtituebat in Lege & Doctrina, & exemplis Chriſti, quæ ad Doctrinam revocari poſſunt, atque etiam ad ſummum in ſupernaturali illuſtratione mentis. At Gratia ſufficiens, quam cum Catholicis omnibus propugnamus, conſiſtit non ſolùm in ſupernaturali illuſtratione intelle-

(*i*) Gratia efficax actum ipſum afficit. undè ubi actûs veritas, ibi & neceſſariò Gratia efficax &c.

(*k*) Quidam Theologi, prout ibid. dictum, utriusque hujus ſufficientis gratiæ diſcrimen in eo reponunt, quòd in Adamo innocenti fuerit ſupernaturalis illuſtratio mentis duntaxat, in ſtatu naturæ lapſæ verò ſit inſuper pia & indeliberata nec non præveniens motio voluntatis &c. prout in reſponſione ad ob. 6tam hic dicitur.

tellectûs, ſed etiam & potiſſimùm in pia & indeliberata voluntatis motione, & dat poſſe ſimpliciter velle ad agere bonum ſalutare, voluntatem immediatè excitando, elevando, corroborando, & adjuvando, ad illud volendum & agendum.

Inſt. Pelagius docebat poſſe agere eſſe à Deo.

Reſp. Per poſſe agere intelligebat liberum arbitrium ſibi relictum, quod docebat eſſe à Deo creante, vel extrinſecùs tantùm adjuvante, nempe per Legem & Doctrinam.

195 Ob. 8vo Ex Cœleſtino Summo Pontifice Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ, *Lex ſupplicandi ſtatuit legem credendi:* Atqui Eccleſia non orat pro impetranda Gratia ſufficiente, quæ dat nudum poſſe, ſed pro obtinenda efficaci, quæ dat velle & operari. Ergo &c.

Reſp. Diſt. min. Eccleſia non orat pro impetranda gratia merè ſufficiente, & quatenus excludit conſenſum futurum, conc. Quatenùs verè & relativè ſufficiens eſt, & ad bonum volendum ac exequendum neceſſaria, neg. min. Eccleſia generatim poſtulat gratiam, quæ nobis ad ſalutem prodeſſe poteſt; *Gratiam tuam*, inquit, *mentibus noſtris infunde:* aſt nusquam illa modum ſpectat, ſecundùm quem gratia ſuum ſortitur effectum.

196 Ob. 9no. Nutriendæ ſuperbiæ, fovendæ ſocordiæ, ac ſpei chriſtianæ deſtruendæ, nata videtur ſententia gratiæ ſufficientis. Ergo non eſt admittenda.

Reſp. neg. ant. Profectò in ſententia adverſariorum dabatur in ſtatu innocentiæ Gratia ſufficiens, quis autem ſanæ mentis affirmare auſit, gratiam Adamo innocenti conceſſam talem fuiſſe, ut naturâ ſuâ ſuperbiam inſpiraret, ſocordiam foveret, ac ſpem Chriſtianam labefactaret? Et verò Gratia, quæ ſuam homini infirmitatem, & omnimodam à jugi ac continuo divini auxilii influxu dependentiam demonſtrat, quæ hominem inceſſanter admonet, ut novum ſemper à Deo imploret auxilium, tùm ut acceptâ gratiâ benè utatur, tùm ut in ea firmus perſeveret; nedum ſuperbiam & negligentiam foveat, imò potiùs humilitatem inſpirat, ſpem roborat, ſocordiam & negligentiam abigit: porro talis eſt Gratia ſufficiens, quam Orthodoxi omnes Theologi admittunt, &c.

Ob. 10mo. Gratia ſufficiens, quæ 197 nunquam effectum obtinuit, nec usquam obtinebit, videtur quoddam ſingulare monſtrum gratiæ, ſolummodò peccatis faciendis, & majori damnationi accerſendæ ſerviens, quodque dæmon vellet ſemper concedi. Ita Janſenius, lib. 3. de Grat. Chriſti cap. 3. Ergo &c.

Reſp. 1mo. Argumentum iſtud meliori jure contorqueri poſſe contra parvam Janſenii gratiam, quæ ſuum nusquam obtinet effectum, quòd viribus inferior ſit oppoſitâ concupiſcentiâ.

Reſp. 2do. neg. ant. In ſententia Orthodoxorum non ex Dei aut gratiæ vitio, ſed ex culpabili hominis reſiſtentia contingit, quòd Gratia ſufficiens ſuum effectum non aſſequatur; ipſa etenim veram ac expeditam boni hîc & nunc peragendi confert potentiam. Unde meritò Alexander VIII. an. 1690. hanc propoſitionem confixit: *Gratia ſufficiens ſtatui noſtro non tam utilis quàm pernicioſa eſt; ſic ut meritò poſſimus petere, à Gratia ſufficiente Libera nos Domine.*

Ob. 11mo. Nemo poteſt reſiſtere omnipotenti voluntati divinæ: indignum quippe eſſet tantæ majeſtati, ſi reſiſtente homuncione voluntas Dei non adimpleretur. Prætereà, gratia eſt inſtrumentum voluntatis divinæ: quis autem inſtrumento poteſt obſiſtere, quod à ſuprema voluntate movetur? Ergo nulla datur gratia verè ac merè ſufficiens, cui nempe voluntas humana propriè reſiſtat. 198

Reſp. neg. totum argumentum. Namque 1mo. exinde ſequeretur, quod abſurdum eſt, & falſum eſſe fatentur Adverſarii, voluntatem humanam non poſſe reſiſtere, tùm exteriori gratiæ, tùm interiori mentis illuſtrationi, tùm gratiæ parvæ; ſiquidem hujusmodi gratiæ ex voluntate Dei procul dubio defluunt, ſuntque illius inſtrumentum. 2do. Nonnè gratia data Adamo erat ad perſeverandum? nonnè erat inſtrumentum divinæ voluntatis? ei tamen reſtitit Adamus: neque enim diverſa eſt in utroque ſtatu Dei virtus ac potentia. Tandem inſtrumentum omnem ſuam vim deſumit à voluntate motrice: ſi ergo voluntas vult ut enervari poſſit, ſalvo voluntatis jure enervari poteſt, ſicuti & ipſa inſtrumenti virtus. Atqui Deus vult, ut ſua voluntas, non quidem abſoluta & conſequens, ſed antecedens & conditionata ab homine vinci poſſit. Ergo &c.

199 (*l*) §. II.

An juſtis omnibus detur Gratia ſufficiens.

Contenderunt Lutherus & Calvinus, ut ſupra *cap.* 2. *ſ.* 6. *num.* 13. *circa fin.* annotavimus, mandata Dei ſimpliciter & cum gratia maximè efficaci hominibus juſtis eſſe impoſſibilia, ob eam ſcilicet concupiſcentiæ labem, quæ ſanctiſſimis eorum operibus ſemper adhæreſcit.

Ad iſtum errorem propè accedit Janſenius lib. 3. de Grat. Chriſti cap. 13. ibi enim totus eſt, ut oſtendat, juſtis etiam volentibus & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent, vires, aliquandò deeſſe gratiam, imò & ſpiritum orationis, quo poſſibilia fiant Dei præcepta.

Catholici unanimi conſenſu docent, juſtis, urgente præcepto, nunquam deeſſe gratiam verè ſufficientem, qua poſſint præceptum hîc & nunc adimplere, vel ſaltem uberius à Deo auxilium impetrare. Quibuscum ſit

CONCLUSIO. 200

Juſtis omnibus confertur gratia ſufficiens, cùm inſtat præceptum, aut urget tentatio.

Prob. 1mo. ex Scriptura, 1. Cor. 10. *Fidelis Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum.* Hæc ad juſtos pertinere, clarè oſtendunt verba immediatè præcedentia, *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Atqui tentarentur juſti ſupra id, quod poſſunt, niſi urgente tentatione gratiam haberent vincendæ actuali concupiſcentiæ idoneam, vel ſaltem niſi ad id poſſent uberius impetrare auxilium, quod ſupponit Apoſtolus à Deo concedendum, cùm addit: *Faciet etiam cum tentatione proventum*; hoc eſt, ut interpretatur S. Cyprianus, *Faciet cum tentatione facultatem evadendi.*

Prob. 2do. Ex Conciliis. Milevitanum (*m*) cap. 3. ſic ſtatuit, *Placuit, ut quicunque dixerit, Gratiam Dei, in qua juſtificamur per JEſum Chriſtum Dominum noſtrum, ad ſolam remiſſionem peccatorum valere, qua jam commiſſa ſunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur, anathema ſit.* Eadem iisdem verbis repetit Cœleſtinus ad Epiſcopos Galliæ.

Conci-

(*l*) Vid. inf. Exercit. Theol. Exercit. 11. num. 190. & ſeq.
(*m*) Annò 416.

Concilium Arauſicanum II. (*n*) Can. 25. ſic definit: *Secundùm fidem catholicam credimus, quòd acceptâ per baptiſmum gratiâ omnes baptizati, Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint & debeant, ſi fideliter laborare velint, adimplere.* Ergo fide catholica conſtat, juſtis nunquam deeſſe gratiam qua verè poſſint relativè ad circumſtantias in quibus verſantur, Dei præcepta ſervare, ac urgentes tentationes vincere.

Concilium Tridentinum eandem doctrinam confirmat, Seſſ. 6. cap. 11. his verbis: *Nemo temeraria illa, & à Patribus ſub anathemate probibita voce uti* (debet) *Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia; nam Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis, cujus mandata gravia non ſunt, cujus onus ſuave eſt: Deus namque ſuâ gratiâ ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab iis priùs deſeratur.* Quæ verba deprompta ſunt ex S. Auguſtino, lib. de nat. & grat. cap. 43. Tum Can. 18. anathemate percutit, qui dixerit, homini juſtificato mandata eſſe impoſſibilia. Et Seſſ. 24. Can. 9. damnat eos, qui dixerint, matrimonium poſſe licitè contrahi ab iis, qui non ſentiunt, ſe accepiſſe donum caſtitatis, quam voverant: *Cùm*, inquit, *Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos ſupra id, quod poſſumus, tentari.*

Prob. 3tio. Ex definitionibus Eccleſiæ ſeu Summorum Pontificum. Ex Cœleſtino I. Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ ſupra cit. Item ex definitionibus Innocentii X. & Alexandri VII. quibus primam, inter quinque famoſas Janſenii propoſitiones ſuprà cap. 2. §. 8. p. 22. relatas, tanquam hæreticam damnârunt; nempe juſtis omnibus, etiam volentibus & conantibus, non eſſe poſſibilia Dei mandata per gratiam, quæ ſit verè ſufficiens & idonea ad vicendam actualem concupiſcentiam, vel cujus ope poſſit uberius auxilium impetrari; hic enim eſt hujus primæ propoſitionis ſenſus à Janſenio intentus. Ergo de fide eſt, juſtis omnibus, inſtante præcepto, adeſſe gratiam, per quam poſſint immediatè, vel ſaltem mediatè, illud implere, & concupiſcentiam vincere.

Prob. 4to. Ex SS. Patribus. S. Chryſoſtomus Hom. 8. de pœnit. *Nequaquam Dominum incuſes, haud mandat impoſſibilia.* S. Hieronymus in cap. 5. Matth. *Sciendum eſt, Chriſtum impoſſibilia non præcipere.* Impoſſibilia autem mandaret & præciperet, niſi ad ea implenda gratiam ſufficientem daret. Unde S. Leo, Serm. 6. de Paſſione Domini ait: *Juſtè nobis inſtat præceptô, qui præcurrit auxiliô*, id eſt, gratiâ ſufficienti.

S. Auguſtinus, lib. de nat. & grat. cap. 26. Diſcrimen ſtatuens inter medicum, qui ſanat ægrotum, & Deum, qui juſtificat impium, quòd medicus poſtquam ſanavit hominem, eum ſibi dimittat; *Ipſe autem Deus*, addit, *cùm per mediatorem Dei & hominum, hominem JEſum Chriſtum ſpiritualiter ſanat ægrum, vel vivificat mortuum; id eſt, juſtificat impium, & cùm ad perfectam ſanitatem hoc eſt, ad perfectam vitam juſtitiamque perduxerit, non deſerit, niſi deſeratur, ut piè ſemper juſteque vivatur.* Ergo, juxta S. Auguſtinum, juſtis omnibus à Deo conceduntur gratiæ, quibus in juſtitia perſeverare poſſunt.

Quod autem hîc agat de gratia actuali, non verò habituali, ut placet Janſenio; patet tùm ex ſcopo diſputationis, ibi enim diſputat contra Pelagianos, qui gratiæ actualis neceſſitatem nega-

Iiii 2

(*n*) Annó 529.

Digitized by Google

negabant ad obſervanda præcepta: tùm ex allato diſcrimine medicum inter & Deum, quòd medicus ſanatum hominem dimittat, cùm è contrâ Deus ſemel juſtificatos adjuvet, ut in bono perſeverent: tùm ex verbis immediatè ſequentibus, quæ gratiam actualem clarè ſignificant: *Sicut enim*, inquit, *oculus corporis etiam pleniſſimè ſanus, niſi candore lucis adjutus non poteſt cernere; ſic homo etiam perfectiſſimè juſtificatus, niſi æterna luce juſtitiæ divinitùs adjuvetur, rectè non poteſt vivere. Sanat ergo Deus non ſolùm ut deleat, quod peccavimus; ſed ut præſtet etiam nè peccemus.*

In Pſalmum 7. expendens hæc Davidis verba, *Juſtum adjutorium meum à Domino*, de auxilio peccatoribus & juſtis conceſſo hæc habet: *Itaque ibi miſericors auxilium eſt, quia nullum habet meritum peccator, qui adhuc juſtificari deſiderat: hîc autem juſtum auxilium eſt, quia jam juſto tribuitur. Dicat ergo ibi peccator, Infirmus ſum, ſalvum me fac Domine propter miſericordiam tuam: & dicat, hîc Juſtus, Juſtum auxilium meum à Domino.* Ita loquitur S. Auguſtinus, quia Deus ex promiſſione & fidelitate ſua tenetur cuilibet juſto conferre ſufficientia auxilia, ſine quibus ſpiritualem animæ vitam ipſis gratuitò conceſſam conſervare non poſſent.

Prob. 5to. Ratione. Ex ſola hominis culpa & vitio eſt, quòd privetur gratiâ ad agendum neceſſariâ. Atqui nulla omninò ex parte hominis culpa aut cauſa fingi poteſt, cur juſtis Deus deneget gratiam ſufficientem, ſine qua non poſſunt præceptum adimplere. Ergo. Majorem clarè docent SS. Auguſtinus, lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 17. & Thomas. 1.2. q. 111. a. 3. his verbis: *Defectus gratiæ prima cauſa eſt in nobis; ſed collationis gratiæ prima cauſa eſt in Deo, ſecundùm illud Oſee 13. Perditio tua ex te Iſrael, tantummodò in me auxilium tuum.* Minor prob. Vel enim hujus denegationis cauſa aſſignaretur peccatum originale, vel concupiſcentia, vel peccatum aliquod actuale. Atquid nullum horum dici poteſt. 1mo. quidem juſtis gratia non poteſt denegari in pœnam peccati originalis, quod in ipſis per baptiſma perfectiſſimè dimiſſum fuit: *Nihil quippe damnationis eſt in iis, qui ſunt in Chriſto JEſu*, inquit Apoſtolus Rom. 8. & ut habet Synodus Trid. Seſſ. 5. Can. 5. *In renatis nil odit Deus.* 2do. Gratia non poteſt denegari juſtis in pœnam concupiſcentiæ, ob eandem rationem. 3tio. Non poteſt etiam iis ſubſtrahi gratia ſufficiens propter aliquod peccatum actuale præcedens: tùm quia agitur de prima gratia, quæ juſto denegaretur, ac proindè ſi ſupponatur lapſus in aliquod peccatum, de hoc ipſo quæri debet, cur gratiâ privatus fuerit ad illud vitandum neceſſariâ: tùm quia ſummæ Dei erga electos bonitati adverſatur, quòd ipſi ob levem ac venialem culpam omni prorsùs auxiliô ſufficienti deſtituantur. Equidem nonnunquam à Deo in pœnam negligentiæ ſubſtrahitur gratia uberior, qua ſublata juſtus in peccatum labitur; verùm adhuc ſupereſt gratia remota, ſeu orationis, qua poteſt juſtus ad Deum ſupplici pietate ſe ſe convertere, ut multoties tradit S. Auguſtinus.

Solvuntur Objectiones. 201

Ob. 1mo. S. Hilarius in cap. 3. Matth. de Petro dicit: *amariſſimè flevit, recolens trepidationis culpam ſe nec admonitum potuiſſe vitare.*

Reſp. Petrus culpam vitare non potuit ex negligentia & defectu cooperationis, ſed non ex defectu gratiæ ſaltem remotè ſufficientis. Sic Chriſtus Matth. 26. dicit Petro & ſociis Apoſtolis:

lis: *Non potuiſtis una hora vigilare mecum.* Quibus verbis ſignificatur non impotentia antecedens, ſed merus defectus voluntatis ſibi vim inferendi. Unde in his & ſimilibus locis ſignificatur impotentia conſequens, non antecedens liberam determinationem voluntatis.

202 Ob. 2do. Aliqui Patres dicunt Petrum caruiſſe Gratiâ ad confitendum Chriſtum, item alios homines interdum carere Gratiâ ad ſervanda præcepta.

Reſp. Loquuntur vel de gratia efficaci, vel potiùs de gratia proxime ſufficienti, non de gratia remotè ſufficienti, quæ eſt gratia orandi. Nam Patres dicunt ſimpliciter, quòd homo aliquid non poſſit, quando caret gratiâ proximè ſufficienti, ideoque potentiâ proximâ illud agendi, quamvis habeat gratiam remotè ſufficientem, nempe gratiam orandi, per quam obtineri poteſt gratia proximè ſufficiens. Quod conſtat ex S. Auguſtino, lib. de grat. & lib. arb. cap. 16. ubi ait: *Ideò jubet aliqua, quæ non poſſumus, ut noverimus, quid ab eo petere debeamus.* Ergo ex S. Auguſtino, cùm non poſſumus aliqua, quæ à Deo præcipiuntur, habemus tunc ſemper potentiam petendi, ideoque gratiam orandi.

203 Ob. 3tio. S. Chryſoſtomus Hom. 72. in Joan. dicit de Petri lapſu, *quòd non frigiditate, ſed gratiæ defectu contigerit.* Et hom. 31. in Epiſt. ad Heb. dicit, *negationem Petri non tam fuiſſe ex ſocordia, quàm ex eo, quòd Deus eum deſeruiſſet.* Ergo ex S. Chryſoſtomo Petrus caruit gratiâ ſufficiente.

Reſp. Caruit quidem gratiâ efficaci, vel potiùs proximè ſufficiente, non autem remotè ſufficiente. Nam S. Doctor ibidem aſſerit, Petrum habuiſſe Gratiam orationis, quam quia neglexit, privatus gratiâ uberiore, Chriſtum negavit. Et verò eum gratiam orationis habuiſſe, patet ex his Chriſti verbis, Matth. 26. quibus Petrum & alios Apoſtolos monet: *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem:* nam Chriſtus non hortatur ad aliquid impoſſibile.

Ob. 4to. S. Auguſtinus, Serm. 124. de tempore, ait: *Quid eſt homo ſine Gratia Dei, niſi quod fuit Petrus, cùm negaret Chriſtum? . . . . ideo B. Petrum paululùm Dominus ſubdeſeruit, ut in illo totum humanum genus poſſet agnoſcere, nihil ſe ſine Gratia Dei prævalere.* 204

Reſp. 1mo. Hic ſermo à viris eruditis rejicitur inter ſpurios. Reſp. 2do. Hic textus ſignificat tantùm, Petrum caruiſſe Gratiâ proximè ſufficienti, non verò remotè ſufficienti. Unde dicitur *Dominus paululùm ſubdeſeruiſſe Petrum*, non autem ſimpliciter deſeruiſſe.

Ob. 5to. Idem S. Doctor, lib de nat. & grat. cap. 53. ait: *Fideles enim orantes dicunt: & ne nos inferas in tentationem, ſed libera nos à malo. Si adeſt poſſibilitas, ut quid orant?* 205

Reſp. Hìc loquitur de poſſibilitate, quam aſſerebat Pelagius ineſſe libero arbitrio independenter à Gratia interna præveniente, ut patet ex toto contextu, & ex his verbis, quæ paulò pòſt addit: *Quid tantùm de natura poſſibilitate præſumitur?* Unde ibi probat neceſſitatem gratiæ internæ. Et verò eodem lib. c. 34. de peccatis ait: *Ut in noſtra poteſtate fuiſſe, ne acciderent, confitemur; ita ut ſanentur, in illius magis eſt miſericordia, quàm in noſtra poteſtate fateamur.*

Ob. 6to. Idem S. Doctor dicit, hominem, etiamſi velit ſervare mandatum, tamen non poſſe. 206

Reſp. Solùm vult hominem non poſſe ſervare præceptum, etiamſi velit, ſed voluntate duntaxat infirma, ineſſicaci, & ſimplicis complacentiæ. At tunc habet Gratiam orandi, ut habeat plenam

Digitized by Google

&, efficacem voluntatem & proximam potentiam ſervandi præceptum: quam obtinebit, ſi gratiâ orationis utatur. Duplicem quippe S. Doctor diſtinguit voluntatem, aliam parvam ac debilem, ſeu inefficacem, & aliam magnam, robuſtam ſeu efficacem: ſic enim ait, lib. de grat. & lib. arb. c. 17. *Qui ergo vult facere Dei mandatum & non poteſt, jam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam & invalidam: poterit autem, cùm magnam habuerit & robuſtam.*

207 Ob. 7mo. Idem Serm. 106. de diverſis, ait: *Petrus promiſit ſe moriturum pro Chriſto, & non potuit: plus auſus erat, quàm ejus capacitas ſuſtinebat, plus promiſerat, quàm poterat.*

Reſp. Petrus caruit gratiâ ſufficiente ad moriendum pro Chriſto, quando non urgebat præceptum moriendi pro ipſo. Nam non ſemper datur juſtis gratia ſufficiens pro quolibet bono actu, quando non urget præceptum illum faciendi. At cùm urget præceptum aliquod, ſemper habent vel habere poſſunt gratiam verè ſufficientem ad illud obſervandum. Præterea textus objectus intelligi poteſt de potentia proxima, qua caruit Petrus, non de remota, conſiſtente in poteſtate orandi ad obtinendam proximam potentiam moriendi pro Chriſto.

208 Ob. 8vo. Ex eodem ſtultum eſt orare, ut facias, quod in poteſtate habeas. Ergo ſi juſti ſemper habent gratiam ſufficientem ad ſervanda præcepta, non deberent orare.

Reſp. neg. conſ. Quia juſti non ſemper habent gratiam proximè ſufficientem ad ſervanda præcepta, etiam cùm urget eorum obſervatio; ſed ſæpè habent tantùm gratiam remotè ſufficientem, nempe gratiam orandi, qua uti debent, ut gratiam proximè ſufficientem obtineant: qua ſi non utantur, ex culpa ſua carent gratiâ proximè ſufficiente (o). Unde violatio præcepti eis meritò imputatur ad culpam, cùm potuiſſent illud ſervare, nempe orando, deinde gratiæ per orationem comparatæ conſentiendo. Hinc illud Concilii Trid. Seſſ. 6. c. 11. *Deus impoſſibilia non jubet; ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.* Igitur juſti, dum urget præceptum, ſemper habent gratiam vel proximè vel ſaltem remotè ſufficientem ad illud ſervandum. His adde, quòd debeamus à Deo petere non ſolùm gratiam proximè ſufficientem, ſed etiam efficacem, qua de facto mandata ſervemus. Denique S. Auguſtinus ibi intelligit poteſtatem naturalem, ſeu liberum arbitrium; nam loquitur contra Pelagium, qui docebat, hominem ex ſolis naturæ viribus poſſe ſervare omnia præcepta.

Ob. 9no. Deus nulli debet Gratiam. 209
Ergo eam denegare poteſt etiam juſtis.

Reſp. diſt. ant. Deus nulli debet gratiam, ſi eam non promiſerit, conc. Si eam promiſerit, neg. ant. Nam Deus ex hypotheſi, quòd gratiam promiſerit, debet ex debito fidelitatis gratias promiſſas dare. Deus autem, cùm gratiam Sacramentis annexuerit, omnibus ea rectè ſuſcipientibus promiſit gratiam habitualem, & gratias actuales ad illam conſervandum, atque ad finem cujusque

(o) Gratia proximè ſufficiens ad ſervandum præceptum eſt ea, quæ dat proximam ac completam potentiam ſervandi præceptum; eſtque gratia excitans & corroborans immediatè ad illud ſervandum. Gratia verò remotè ſufficiens ad ſervandum præceptum eſt ea, quæ dat proximam potentiam petendi auxilium illud, quod dat proximam potentiam ſervandi præceptum: nempe eſt gratia dans completam ac proximam potentiam orandi, per quam orationem obtinetur auxilium illud dans proximam potentiam ſervandi præceptum. Hinc gratia ſufficiens generatim revocatur ad gratiam actionis, & gratiam orationis.

Digitized by Google

que Sacramenti proprium aſſequendum neceſſarias.

Negari etiam poteſt conſ. Nam etiamſi Deus nulli debeat gratiam; tamen ſibi debet, ut gratias ad ſervanda præcepta à ſe impoſita neceſſarias præbeat. Quia ſibi debet, ut ſapienter agat, non exigendo impoſſibilia à ſua creatura. Porro gratia dicitur & eſt gratuita, quia non debetur naturæ, & datur ſemper ex gratuita Dei voluntate, qui gratuitò eam promiſit.

210 Ob. 10mo. In quæſtione cur ex juſtis unus perſeveret, alter verò non, recurri debet ad inſcrutabilia Dei judicia (*p*). Atqui hoc falſum evadit, ſi juſtis omnibus detur gratia ſufficiens ad perſeverandum, dici enim poterit, id ideò evenire, quia ſcilicet unus conſentit gratiæ, alter non. Ergo &c.

Reſp. neg. min. Nam quamvis ita poſſit reſponderi, tamen ſemper recurrendum eſt ad inſcrutabilia Dei judicia. Ulteriùs enim quærenti cauſam efficientem & primariam cur unus conſentiat gratiæ, & alter non conſentiat, cur unus perſeveret, & alter non perſeveret, reſponderi debet, quia uni datur gratia congrua usque ad finem vitæ, alteri non datur; quia unus ante lapſum rapitur ex hac vita, alter poſt lapſum. Jam verò cur uni detur gratia congrua, non alteri; cur Deus unum rapiat ex hac vita, dùm eſt in ſtatu gratiæ, alterum non rapiat, niſi poſtquam peccatô gratiam amiſit, reſpondere non poſſumus, niſi recurrendo ad inſcrutabilia Dei judicia, exclamando cum Apoſtolo: *O altitudo &c.!*

(*q*) §. III. 211

Utrum fideles peccatores etiam obdurati & excoecati habeant gratiam ſufficientem ad converſionem? (*r*)

Quæſtio hìc non eſt, an auxilium gratiæ omnibus peccatoribus omni tempore & momento detur ad converſionem: certum eſt enim, etſi hujusmodi auxilium nulli deſit pro loco & tempore, non tamen adeſſe omnibus momentis: ſed quæſtio eſt, utrum pro loco & tempore, præſertim cùm urget præceptum, detur fidelibus peccatoribus quibuscumque gratia ſaltem mediatè ſufficiens, tùm ut nova peccata caveant, tùm ut à veteribus reſipiſcant.

Janſenius paſſim libris de Grat. Chriſti, gratiam ſufficientem ſenſu Catholicorum intellectam fidelibus omnibus peccatoribus, ſive obduratis, ſive etiam nondum obduratis adimit; idque cohærenter ad ſua principia. Namque juxta ipſum, ſola relativè (*s*) victix gratiæ delectatio ſufficientes voluntati vires tribuit ad bonum: cùm ergo iſta delectatio peccatoribus non concedatur, neceſſariò ſequitur ipſis gratiam verè ſufficientem non concedi.

Quidam Theologi arbitrantur magnos illos peccatores, qui vulgò juxta Scripturæ phraſim obdurati & excœcati dicuntur, omni prorsùs gratiæ interioris auxiliô deſtitui in pœnam præcedentium facinorum. Communis tamen Theologorum cæterorum fermè omnium ſententia eſt, fidelibus omnibus peccatoribus etiam obduratis & excoecatis pro loco

(*p*) S. Auguſt. lib. de correp. & grat. & lib. de dono perſev. multoties.
(*q*) Vid. Inf. Exercit. Theol. Exercit. 11ma. num. 190. & ſeq.
(*r*) Hûc referri poſſunt ea, quæ ſuprà in Tract. de Deo part. 1. cap. 6. §. 7. num. 211. & ſeq. ſtabilivimus de voluntate Dei ſalvandi omnes homines &c.
(*s*) Id eſt comparatè ad contrariæ concupiſcentiæ delectationem.

Digitized by Google

loco & tempore concedi gratias ſaltem mediatè ſufficientes, tùm ut à novis peccatis abſtineant, tùm ut à veteribus emergere poſſint.

Nos pro noſtra erga controverſas Scholæ diſputationi ab Eccleſia relictas indifferentia hanc quoque Scholaſticis eliquandam ultrò permittimus, ex iis tamen, quæ mox pro fidei dogmate in medium prolaturi ſumus, argumentis, non obſcurè innui videtur, etiam fidelibus peccatoribus induratis non deeſſe ſaltem mediatè ſufficientes gratias ad ſuam converſionem. Sit ergo

212 CONCLUSIO.

Fidelibus peccatoribus datur pro loco & tempore Gratia ſufficiens ad converſionem.

Prob. 1mo. ex S. Scriptura. Ezechiel. 33. *Dicit Dominus, nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius à via ſua & vivat.* Rom. 2. *An divitias bonitatis ejus* (Dei) *& patientiæ & longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ & revelationis juſti judicii Dei.* 2. Petri 3. de Deo dicitur: *Nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* Act. 7. *Dura cervice & incircumciſis cordibus & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.* Certè vanæ forent ac irriſoriæ adhortationes & increpationes illæ, ſi Deus fidelibus peccatoribus non concederet gratiam, qua ſaltem remotè poſſent à peccato per veram pœnitentiam reſurgere.

His accedunt ea teſtimonia, quæ effuſam Dei in omnes homines clementiam ac beneficam voluntatem oſtendunt. 1. ad Tim. 2. *Vult omnes homines* (ergo etiam & peccatores) *ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Ib. cap. 4. *Qui eſt Salvator omnium hominum, maximè fidelium.* 1. Joan. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non ſolùm autem pro noſtris, ſed etiam totius mundi.* Non eſt, quòd hìc immoremur in urgendis his teſtimoniis, de quibus abundè dictum ubi de voluntate Dei erga ſalutem omnium hominum: unum hìc obſervare ſufficiat, Deum dare omnibus, unde poſſint ſalvari, ſi velint.

Prob. 2do. Ex Conciliis Valentino III (*t*). Can. 2. ubi dicitur, *malos non ideò perire, quia boni eſſe non potuerunt, ſed quia boni eſſe noluerunt*; id univerſaliter verum non eſſet, ſi mali non acciperent gratiam, per quam poſſent vitare peccatum.

Senonenſi an. 1528. Decretô 15. ſic habet: *Neque tamen tanta gratiæ neceſſitas libero præjudicat arbitrio, cùm illa ſemper ſit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non ſtet ad oſtium & pulſet.*

Tridentinô, Seſſ. 6. de Juſtif. c. 11. *Deus*, inquit, *impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere, quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis:* quæ cùm generatim pronuntiet Concilium, etiam de peccatoribus ſunt intelligenda.

Prob. 3tio. Ex SS. Patribus, præſertim ex S. Auguſtino pluribus in locis. lib. 3. de lib. arb. cap. 19. *Nulli homini*, inquit, *ablatum eſt ſcire utiliter quærere, quod inutiliter ignoratur, & humiliter confitendam eſſe imbecillitatem, ut quærenti & confitenti ille ſubveniat, qui nec errat, dùm ſubvenit, nec laborat.* Enarratione 2. in Pſal. 58. *Si nobis*, inquit,

(*t*) Annô 855.

inquit, *curari vulnus tuum, admonet ut cureris; & averſum revocat, & refugientem quodammodò ad ſe redire compellit & attrahit. In omnibus implet, quod dictum eſt, Miſericordia ejus præveniet me.*

Prob. 4to. Auctoritate & praxi Eccleſiæ, quæ cùm omnibus adultis nullo excepto præcipiat, ut ſemel quotannis Sacramentum pœnitentiæ ſuſcipiant cum vera contritione, imò & Euchariſtiam, quæ gratiæ ſtatum exigit; ſupponit omnes & ſingulos fideles, adeoque & peccatores quoscunque poſſe ſe convertere ad Deum, ideoque accipere gratiam ſufficientem, ſine qua impoſſibilis eſt converſio.

Prob. 5to. Ratione. 1mo. Deus impoſſibilia non præcipit. *Mandatum, quod ego tibi præcipio, non ſupra te eſt*, inquit Deus Deut. 30. Et Matth. 11. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* &c. Vid. dicta. §. 2. Atqui impoſſibilia præciperet, ſi hominibus, etiam quantumcumque peccatoribus, pro loco & tempore, urgente ſcilicet præcepto, non tribueret gratiam ſufficientem: pleraque enim præcepta ſine gratia omninò ſunt impoſſibilia, etiam quoad ſubſtantiam, nimirùm ea, quæ ſunt ordinis ſupernaturalis; & ea etiam, quæ ex ordine naturali graves habent annexas difficultates ſuperandas. Ergo. 2do. Nemo peccat in eo, quod vitare nullo modo poteſt. Atqui certum eſt peccatores, cùm perverſè agunt contra legem Dei, ita peccare, ut facinora ipſis culpæ deputentur. Ergo non deeſt ipſis gratia ſaltem remota, ſine qua non poſſent eadem præcepta implere. Ita S. Auguſtinus, lib. 3. de lib. arb. cap. 18. & 19. lib. 1. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 53. Item lib. 5. cont. Julian. c. 3. & lib. 1. Oper. imperf. cont. eund. 3tio. Nemo in hac vita debet de ſua ſalute deſperare, alioqui violaret præceptum ſpei, quod omnes viatores ſemper obligat. Atqui Peccator de ea deſperare deberet, ſi ei gratia ſufficiens, ad cavenda peccata & à veteribus reſipiſcendum neceſſaria, denegata eſſet. Ergo.

Quæ hîc objici poſſent, vel ſoluta jam ſunt duobus præcedentibus §§. vel obduratos peccatores ſpectant, quos aliqui Theologi Catholici, prout initiò annotavimus, omni gratiæ interioris auxiliò in pœnam præcedentium peccatorum deſtitui contra communiorem cæterorum ſententiam contendunt; Quibuscum tamen pro noſtra, ut diximus, circa hujusmodi controverſias Scholæ libertati relictas indifferentia, manus haud conſerimus. 213

(u) §. IV. 214

Utrum Infidelibus omnibus detur gratia ſufficiens ad ſalutem (x).

Janſenius, lib. 3. de Grat. Chriſti, cap. 11. Infidelibus omnibus denegari gratiam ſufficientem contendit; atque ex officina Semipelagianorum conquiſitam aſſerit gratiam, quam vulgò putant Theologi in Infideles diffundi. Contra ipſum ſit

CONCLUSIO. 215

Infidelibus omnibus, etiam iis, qui nihil unquam audierunt de rebus fidei, datur pro loco & tempore gratia ſufficiens ad ſalutem.

Prob. 1mo. Ex Scripturis. Sap. 11. *Miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimu-*

(u) Vid. inf. Exercit. Theol. Exercit. 11. num. 190. & ſeq.
(x) Vide etiam ea, quæ in Tract. de Deo loc. ſup. §. præcedenti cit. à nobis dicta ſunt.

Google

diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti... parcis autem omnibus, quoniam tua ſunt, Domine, qui amas animas. Certè ſi Deus miſeretur omnium, ſi parcit omnibus, quia ſunt ejus creaturæ, ſi amat omnes animas; & dat omnibus omnia media ſufficientia ad ſalutem.

1. Tim. 2. *Obſecro igitur primùm omnium, fieri obſecrationes, orationes... pro omnibus hominibus.... Hoc enim bonum eſt & acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, & unus mediator Dei & hominum homo Chriſtus JEſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Ergo ex Apoſtolo Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, quia eſt Deus omnium, & Chriſtus pro omnibus mortuus eſt: ſed & eſt Deus omnium abſolutè, etiam infidelium, & Chriſtus mortuus eſt pro omnibus omninò hominibus etiam infidelibus: nam mortuus eſt pro omnibus, qui inquinati ſunt peccatô originali, ut teſtatur idem Apoſtolus, 2. Cor. cap. 5. Hæc autem voluntas eſt affectus proſecutivus, vi cujus Deus media ad rei intentæ conſecutionem idonea adhibet. Nam ſi hæc voluntas eſſet tantùm ſterilis ac ſimplex complacentia, Apoſtolus non diceret orandum eſſe pro omnibus, quia Deus vult omnes ſalvos fieri; dici enim rectè non poteſt, orandum eſſe pro Dæmonibus, quia Deus habet ſimplicem ac ſterilem complacentiam circa illorum ſalutem ſecundùm ſe præcisè conſideratam.

Huc refer etiam textus ex Scripturis §. præcedenti adductos, ut qui æquè pro Infidelibus pugnent ac pro peccatoribus.

Prob. 2do. ex SS. Patribus. S. Chryſoſtomus Hom. 7. in Joan. *Si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quonam pacto tot homines ſine lumine permanent? Neque enim omnes Chriſtum cognoſcunt. Quomodò ergo illuminat omnem hominem? Illuminat profectò quantùm in ipſo eſt. Si quis autem ſpontè ſua, mentis oculis conniventibus, ad hujus lucis radios aciem dirigere noluerint, non ex luminis natura in tenebris perſtiterunt, ſed malitiâ ſuâ, qui ſpontè tantô ſe donô indignos reddiderunt. Nam gratia in omnes diffuſa eſt.... qui autem ejus munere frui negligunt, hanc ſuam cæcitatem ſibi ipſis imputent.*

Sanctus Ambroſius, in Pſal. 118. Conc. 8. *Myſticus ſol ille juſtitiæ omnibus ortus eſt, omnibus venit, omnibus paſſus eſt, & omnibus reſurrexit.... Si quis autem non credit in Chriſtum, generali beneficiô ipſe ſe fraudat: ut ſi quis, clauſis feneſtris, radios ſolis excludat, non ideo ſol non ortus eſt omnibus, quia calore ejus ipſe ſe fraudavit: ſed quod ſolis eſt, prærogativam ſuam ſervat: quod imprudentis eſt, communis à ſe gratiam lucis excludit.*

S. Auguſtinus, in Pſal. 18. ad hæc verba: *Non eſt qui ſe abſcondat à calore ejus*, ſic habet: *Non permiſit ullum mortalium excuſare ſe de umbra mortis, & ipſam enim penetravit Verbi calor.*

S. Proſper, ſivè auctor librorum de vocat. Gent. lib. 2. c. 5. *Adhibita ſemper eſt univerſis hominibus quædam ſuperna menſura doctrinæ, quæ etſi parcioris occultioriſque gratiæ fuit, ſufficit tamen, ſicut Dominus judicavit, quibusdam ad remedium, omnibus ad teſtimonium.* Eadem imò clariora adhuc habet, cap. 17. 26. & 31.

Prob. 3tio. Auctoritate Summorum Pontificum Alexandri VIII. à quo an. 1690. damnata eſt hæc propoſitio: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omninò accipiunt à JEſu Chriſto influxum: adeoque hinc rectè inferes in illis*

eſſe

Digitized by Google

eſſe voluntatem nudam & inermem ſine omni gratia ſufficiente. Et Clementis XI. qui iſtas pariter proſcripſit Quenelli propoſitiones: 26. *Nullæ dantur gratiæ niſi per fidem.* 27. *Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum.* 29. *Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia.* Ex quibus cenſuris manifeſtè eruitur, gratiam à Deo illis concedi, qui fidem non habent, & in Eccleſiæ ſinu non continentur.

Prob. 4to. Momentis Theologicis. 1mo. Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, prout in Tract. de Deo, loc. ſup. cit. oſtendimus. 2do. Prout etiam ibid. demonſtravimus, Chriſtus dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus. 3tio. Quemadmodum §. præcedenti annotavimus, Deus impoſſibilia non jubet. Nec 4to. quis peccat in eo, quod vitare non poteſt. 5to. Infidelibus meritò imputatur in culpam, quandò mandata Dei cum advertentia transgrediuntur. Ex duobus primis, voluntate Dei ſcilicet, & morte Chriſti pro ſalute omnium, manifeſtè ſequitur in omnes homines etiam infideles derivari aliquod gratiæ interioris auxilium, ſine quo, ne quidem remotè, tùm ad agnitionem veritatis, tùm ad ſalutem pervenire poſſent. Idem clarè colligitur ex tribus poſterioribus momentis: Gratia enim neceſſaria eſt, ut mandata impleri poſſint, eorumque transgreſſio in culpam juſtè ac meritò imputari poſſit. Ita per ſe conſtat, & diſertè tradunt SS. Auguſtin. & Proſper locis mox laudatis.

216 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. Act. 14. & 17. dicitur *Deus dimiſiſſe in præteritis generationibus omnes gentes ingredi vias ſuas, & deſpexiſſe illa tempora.* Ergo caruère gratia ſufficiente &c.

Reſp. neg. conſ. Senſus textûs Act. 14. & 17. eſt, quòd Deus ante Chriſti adventum permiſerit longè plura crimina, & perditionem longè plurium hominum, atque multò pauciora ac minora auxilia Gratiæ ſuppeditarît: item quòd Gentilibus non dederit legem ſcriptam, nec ad eos miſerit Prophetas, qui eos viam ſalutis docerent; imò quòd nullam gratiam efficacem nec proximè ſufficientem præbuerit Gentilibus idololatris, ſaltem regulariter & ordinariè. Quamvis tamen tunc iis non denegaverit auxilium remotè ſufficiens ad ſalutem, quo ſcilicet poterant non ponere obicem fidei, non peccando graviter contra legem naturalem. Et verò Apoſtolus, c. 17. aſſerit gentes illis ignorantiæ temporibus potuiſſe Deum quærere & invenire: quod ſanè non potuerunt ſine gratia ſufficienti. Quare Deus ante Chriſti adventum Gentiles non dimiſit ſeu deſeruit abſolutè, ſed comparatè ad Judæos, & Chriſtianos. Ita docet auctor librorum de vocat. Gent. l. 2. c. 4. & c. 25.

217 Ob. 2do. Illud ad Epheſ. c. 2. *Eratis illo in tempore ſine Chriſto, alienati à converſatione Iſrael, & hoſpites teſtamentorum, promiſſionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo.* Ergo Epheſii ante converſionem ſuam carebant omni gratia ſufficiente. Ergo &c.

Reſp. neg. conſ. Nam infideles illi rectè dicuntur ſine Deo, ſine Chriſto, & ſine ſpe promiſſionis fuiſſe, quia neque legem ſcriptam, neque promiſſionem receperant, ut Judæi, & Chriſtum ejusque myſteria ignorabant, & ſic carebant gratiis ad ſalutem proximè ſufficientibus. Ad indè non ſequitur eos caruiſſe gratiis ad ſalutem, ſcilicet remotè ſufficientibus, quarum ope Deum ut auctorem naturæ cognoſcere, & legem naturalem ſervare potuerunt: quam ſi ſervaſſent, accepiſſent Gratias ulteriores proximè ſufficientes.

218 Ob. 3tio. Act. 16. Paulus prohibitus fuit à Spiritu ſancto, ne Evangelium in Aſia prædicaret. Ergo.

Digitized by Google

Reſp. neg. conſ. Quia ex antecedente ſequitur tantùm Aſianos ante prædicationem Pauli caruiſſe Gratiâ proximè ſufficienti ad amplectendam fidem Chriſtianam, at nihilominùs habuerunt pro loco & tempore gratiam remotè ſufficientem, quam ſecuta eſt proximè ſufficiens, cùm videlicet poſtmodùm in Aſia prædicavit, multoſque ad fidem convertit, ubi non prohibitus fuit unquam prædicare, ſed tantùm ne ibi prædicaret, niſi poſtquàm in Macedonia Chriſtum prædicaſſet.

219 Ob. 4to. Conc. Trid. Seſſ. 6. cap. 3. ait: *Verùm etſi ille* (Chriſtus) *pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, ſed ii duntaxat, quibus meritum paſſionis ejus communicatur.* Atqui ſi omnes acciperent Gratias ſufficientes, omnibus communicaretur meritum paſſionis Chriſti: nam nulla gratia datur hominibus niſi ex meritis paſſionis Chriſti. Ergo.

Reſp. Diſt. min. Atqui &c. omnibus communicaretur meritum paſſionis Chriſti remotè & imperfectè, conc. completè & perfectè, neg. min. Concilium Tridentinum hîc per beneficium mortis Chriſti intelligit, non quodlibet beneficium ſeu auxilium datum ex meritis mortis Chriſti ſed ſolùm beneficium mortis Chriſti completum in hac vita per juſtificationem, ſeu ipſam actualem redemptionem, quæ fit in hac vita per liberationem à peccato, & per Gratiam ſanctificantem, uno verbo intelligit beneficium juſtificationis, ut conſtat ex toto illo capite, ubi agitur de iis, qui per Chriſtum juſtificantur, ut fert titulus, & ex ſcopo illius, & ex ratione quam affert Concilium: *Nam*, inquit, *niſi in Chriſto renaſcerentur, nunquam juſtificarentur; cùm ea renaſcentia per meritum paſſionis ejus gratiâ, qua juſti fiunt, illis tribuatur.* At præter hoc beneficium completum in hac vita, dantur ex meritis Chriſti alia beneficia ſalutis remota & imperfecta, nempe auxilia gratiæ, quibus poteſt non poni impedimentum aliis auxiliis Gratiæ proximè diſponentibus ad juſtificationem & ſalutem.

Ob. 5to. Ex eodem Concilio fides in Chriſtum eſt humanæ ſalutis initium, & radix omnis juſtificationis. Ergo ſine illa nulla poteſt haberi gratia ſufficiens ad ſalutem, ne quidem remota. 220

Reſp. neg. conſ. Ideo fides dicitur humanæ ſalutis initium, quia duntaxat eſt prima diſpoſitio proxima ad juſtificationem, & ad cæteras impellit ac requiritur, non verò quia eſt prima gratia, eam quippe præcedit Gratia ſufficiens, quæ fides inchoata dici poteſt.

Ob. 6to. S. Auguſtinus variis locis negare videtur, gratiam ſufficientem dari infidelibus. 1mo. in Pſal. 136. de iis ait: *Quando illos videmus, & tam ſteriles eos invenimus, ut difficile nobis appareat in eis aliquid, unde duci poſſint ad fidem rectam, vel ad bona opera, vel ad ſpem futuri ſæculi.* Et infrà addit, quòd nullum fructum faciant, quòd non ſapiant, &c. 2do. lib. de grat. & lib. arb. c. 13. dicit, quòd gratia non omnibus detur. *Gratia verò*, ait, *Chriſti per fidem JEſu eorum tantummodò eſt, quorum eſt ipſa fides.* 3tio Ep. 217. ad Vitalem de gratia Dei ait: *Scimus non omnibus hominibus dari.* 4to. Serm. 26. edit. novæ ait: *Communis eſt omnibus natura, non gratia.* Ergo &c. 221

Reſp. neg. ant. Ad 1mum S. Auguſtini textum Reſp. S. Doctor tantùm dicit, *ut difficile nobis appareat*, quod non eſt aſſerentis, infideles carere omni Gratia, quacum ad fidem pervenire poſſint. Quod autem infrà addit, probat ſolùm infideles illos, de quibus loquitur, carere Gratiâ efficaci. Et verò lib. de Spiritu & litt. c. 33. dicit, *Infideles experturos eſſe in ſuppliciis poteſtatem ejus, cujus in donis miſericordiam contempſerunt.* Ergo ex S. Auguſtino infideles Dei dona ad ſalutem miſericorditer acceperunt.

Ad 2dum. Ibi loquitur de gratia efficaci, quacum obtinetur iuſtificatio, ut patet ex contextu. Quod etiam verum eſt de gratia proximè ſufficiente ad ſalutem. Ad 3tium. Loquitur hîc de Gratia habituali ut patet ex antecedentibus, & ex his verbis ſequentibus: *Et quibus datur non ſolùm ſecundùm merita operum non dari, ſed nec ſecundùm merita voluntatis eorum, quibus datur, quod maximè apparet in parvulis.* Ubi manifeſtè loquitur de gratia quæ datur etiam parvulis. At parvuli non ſunt capaces Gratiæ actualis, ſed ſolùm habitualis. Ad 4tum. Ibi etiam loquitur de Gratia habituali ſeu ſanctificante; & hoc quoque verum eſt de Gratia actuali tùm efficaci, tùm proximè ſufficiente.

Inſt. S. Auguſtinus aſſerit Gratiam efficacem non omnibus dari, ut appareat, eam nemini deberi, ſed eſſe donum merè gratuitum. Ergo etiam ſenſit, Gratiam ſufficientem non dari omnibus, ut appareat nulli deberi, & quibus datur, gratuitò dari

Reſp. neg. conſ. Nam per hoc non affert omnem & ſolam rationem ſufficientem, cur gratia efficax non omnibus detur, nec dicit, quòd, ut Gratia appareat eſſe donum gratuitum, requiratur, ut non detur omnibus. Gratiam quippe efficacem nulli debitam eſſe, apparet etiam ſufficienter ex eo, quòd detur indignis, ut ipſemet docet, lib. de dono perſev. c. 12. ubi ait: *Dando quibusdam quod non merentur, pr fectò gratuitam, & per hoc veram ſuam Gratiam eſſe voluit.* Ergo ex S. Auguſtino, ut gratia efficax appareat eſſe donum merè gratuitum, neceſſe non eſt, ut non detur omnibus. Idem dicendum de Gratia ſufficiente.

222 Ob. 7mo. S. Proſper, in Reſp. 4. ad Capitula Gallorum, aſſerit, non omnes vocari ad fidem, nec proinde ad ſalutem. Ergo.

Reſp. neg. ant. Solùm vult non omnes vocari vocatione proximè ſufficiente, nec omnibus Evangelium annuntiari. Item docet Deum non velle æqualiter ſalutem omnium hominum, nec omnibus dare æqualem gratiarum menſuram. Sed non negat omnibus dari gratiam ſaltem remotè ſufficientem, imò id docet in eodem Opere, aſſerendo Deum curare ſalutem omnium hominum, & neminem carere fide niſi ſuâ culpâ.

Ob. 8vo. Error fuit Semipelagianorum admittere gratiam quamdam generalem omnibus oblatam, prout eorum doctrinam exponit S. Proſper in ſua ad S. Auguſtinum Epiſtola. Ergo. 223

Reſp. neg. ant. Error Semipelaglanorum non fuit in eo, quòd ſenſerint Gratiam ſufficientem omnibus offerri; ſed in eo, quòd vellent ipſam fidem generaliter omnibus ex parte Dei offerri, ut illam, quicumque vellet, conſequeretur ex ſolis naturæ viribus; quos proinde explodit S. Proſper.

Ob. 9no. Si Gratia ſufficiens daretur omnibus, eſſet communis omnibus. Ergo non eſſet gratia. 224

Reſp. neg. conſ. Nam, ut id, quod commune eſt omnibus, ſit gratia, ſufficit, quòd non ſit debitum, & non detur omnibus nſi gratis & ex mera miſericordia, aut liberalitate, ut patet in gratia data omnibus Angelis in ſuæ creationis inſtanti. Gratia autem ſufficiens nemini debetur, & omnibus gratis atque ex mera miſericordia datur: Idque ſufficienter apparet, cùm detur indignis, omnes enim homines ob peccatum originale indigni ſunt omni beneficiò divinò.

Ob. 10mo. Infideles, qui nihil unquam audiverunt de Chriſto, nullam accipiunt gratiam ad fidem, nec proinde ad ſalutem aſſequendam. Ergo. 225

Reſp. neg. ant. Infideles omnes namque ex meritis Chriſti accipiunt gratias remotè ſufficientes ad fidem & ſalutem conſequendam, quibus ſi cooperarentur

Digitized by Google

acciperent alias proximè ſufficientes. Nam infideles omnes ex meritis Chriſti accipiunt auxilia gratiæ, quibuscum poſſunt non ponere impedimentum vocationi ad fidem: quod ſi non apponerent, ſervando legem naturalem quantùm poſſunt, profectò vocarentur, & inſtruerentur, vel per homines Deo ita diſponente ſine miraculo, vel miniſteriô Angelorum, vel per illuſtrationem internam à Deo immediatè impreſſam. Quod non eſſet miraculum, ſed effectus providentiæ ſupernaturalis. Deus enim paratus eſt ad vocandos & illuſtrandos omnes lumine fidei.

Inſt. 1mo. *Fides*, juxta Apoſtolum Rom. 10. *eſt ex ſolo auditu.* Ergo infideles, qui nihil unquam audierunt de Chriſto, ad eam non poſſunt venire, adeoque non habent ad id gratiam ſufficientem.

Reſp. Diſt. ant. Secundùm legem Dei ordinariam fides eſt ex auditu, conc. ſecundùm legem Dei extraordinariam, neg. ant. Senſus ergo Apoſtolici textûs eſt, quòd ſecundùm legem Dei ordinariam non habeatur fides ſine auditu, & ſine homine prædicante: non autem, quòd nunquam aliter haberi poſſit, ut notat S. Auguſtinus, lib. de dono perſev. c. 19. ubi dicit: ***Pauciſſimis eſſe donatum, ut nullo ſibi homine prædicante, per ipſum Deum, vel per Angelos cælorum doctrinam ſalutis accipiant.*** Prætereà ſi Deus neminem niſi per hominem inſtruere decreviſſet, aliquem efficaciter excitaret ad tradendam ſalutis doctrinam infidelibus, ſi vocationi fidei impedimentum non apponerent.

Inſt. 2do. S. Auguſtinus variis in locis ait, fidem eſſe primam gratiam, ut, præter ea, quæ ſuprà ex ipſo attulimus, patet ex Ep. ad Vitalem, ubi ait initium fidei eſſe initium bonæ voluntatis. Et Tract. 3. in Joan. ait: ***Hanc accepit primam gratiam*** nempe fidem & remiſſionem peccatorum. Ergo &c.

Reſp. neg. ant. Solùm dicit S. Auguſtinus, quòd fides ſit prima, ex qua impetrantur cætera, quæ ad juſtificationem proximè diſponunt, & quibus opera vitæ æternæ meritoria fiunt; ut lib. de prædeſt Sanct. c. 7. Fides autem eſt initium ſalutis proximum & radix juſtificationis, quia primum locum tenet inter bonos illos actus, qui proximè diſponunt ad juſtificationem, & ad illos impellit. Et verò multi Infideles vocati ſunt ad fidem, qui tamen non crediderunt, *& qui*, ut ait S. Auguſtinus, ***experturi ſunt poteſtatem ejus in ſuppliciis, cujus in donis miſericordiam contempſerunt.***

In citata Ep. ad Vitalem ſolùm vult contra Pelagianos, vel potiùs contra Semipelagianos, initium fidei proficiſci à pia voluntate credendi, quæ ſit donum Dei & effectus gratiæ. Et Tract. 3. in Joan. Fidem gratiam primam vocat non abſolutè, ſed comparatè ad gloriam. Nempe ibi comparat fidem cum gloria; utramque dicit gratiam eſſe, ſed primam ſine noſtris meritis dari, poſteriorem verò, nimirùm gloriam quamvis partam meritis, eſſe etiam gratiâ, quatenus acquiritur per fidem priùs gratìs acceptam & per alia bona opera ex gratia gratis data profecta.

Ob. 11mo. Si Infideles habent Gratias ſufficientes ac ſervandam legem naturalem, poſſunt in illo ſtatu amare Deum ſuper omnia propter ſe. Falſum conſeq. alioqui poſſent juſtificari & ſalvari ſine fide in Chriſtum. Ergo & id unde hoc ſequitur. 226

Reſp. neg. ſeq. maj. Quia infideles non habent gratias proximè ſufficientes ad obſervandum primum & maximum de charitate mandatum. Infideles igitur, quamdiu ſunt in ſtatu infidelitatis, habent quidem gratias ſufficientes ad cognoſcendum Deum per creaturas, ad illum adorandum, & rogandum media ſalutis, & ad ſervanda alia præcepta legis naturalis, præter charitatis Dei mandatum. At non habent in illo ſtatu gratias proximè ſufficientes ad amandum Deum ſuper omnia propter ſe, quia Deus decrevit, neminem excitare & adjuvare ad actum chari-

Digitized by Google

charitatis perfectæ, niſi poſt elicitam fidem explicitam myſteriorum Trinitatis & Incarnationis. Ad hoc tamen habent gratias remote ſufficientes, quatenùs habent gratias ſufficientes ad alia præcepta in hoc ſtatu ſervanda: quæ ſi ſervarent, miſericorditer vocarentur & excitarentur ad fidem, quam ſi elicerent, poſteà excitarentur à Deo ad actus Spei & Charitatis eliciendos.

227 Ob. 12mo. Explicari non poteſt in quo præcisè conſiſtat gratia ſufficiens Infidelibus conceſſa. Ergo non datur.

Reſp. 1mo. neg. conſ. *Nunquid negandum eſt, quod eſt apertum,* inquit S. Auguſtinus alibi citatus, *quia latet, quod eſt occultum?* Certè plurima ſunt etiam in naturalibus, quorum quò evidentior eſt exiſtentia, eò abſtruſior eſt eſſentia &c.

Reſp. 2do. neg. ant. Et dicimus auxilium illud gratiæ ſufficientis conſiſtere in ſupernaturali illuſtratione mentis, & motione voluntatis, quibus infideles illuſtrantur, excitantur, & adjuvantur ad ſervandam legem naturalem. Hæc autem illuſtratio, præter honeſtatem virtutis & turpitudinem vitii, proponit illis Deum rerum omnium conditorem, optimum, ſapientiſſimum, potentiſſimum, ac ſupremum Dominum, rectorem atque proviſorem creaturarum omnium, præſertim rationalium, ultorem ſcelerum ſeu actionum naturæ rationali diſſentanearum, & remuneratorem bonorum operum, colendum. Quæ omnia quidem cognoſcunt per effectus creatos, ſed mediante illuſtratione ſupernaturali.

Inſt. Ex his ſequitur, infidelitatem negativam, qua ſcilicet laborant ii, qui nil unquam audierunt de Chriſto, eſſe voluntariam ſaltem indirectè, nempe in voluntaria violatione legis naturalis; ideoque eſſe peccatum illis imputabile. Falſum conſeq. Ergo.

Reſp. neg. ſeq. maj. Quia, ut aliquid ſit voluntarium, quamvis indirectè tantùm & in alio, non ſufficit, quòd ſequatur ex illo; ſed inſuper requiritur, ut cognoſcatur vel cognoſci poſſit ſequi ex illo: alioqui enim non eſt voluntarium ut connexum cum illo, ſed ut ſequens ex illo: nam quod nullatenus cognoſcitur, nec cognoſci poteſt, nullatenus eſt voluntarium. Atqui Infideles, qui nil unquam de rebus fidei audierunt, non cognoſcunt, nec cognoſcere poſſunt carentiam fidei Chriſtianæ ſequi ex violatione legis naturalis; ſed invincibiliter ignorant ſe ſuis peccatis infidelitati cauſam dare. Ergo infidelitas, ſeu carentia fidei nullatenùs eſt illis voluntaria, ne indirectè quidem, proindeque illis imputari non poteſt ad culpam perſonalem.

Ob. 13tio. Saltem Deus nulla ſalutis 228 media dat parvulis Infidelium ſine Baptiſmo morientibus. Ergo.

Reſp. neg. ant. Nam Chriſtus pro illis omnibus mortuus eſt, & Baptiſmum inſtituit ex voluntate ſincera licèt inefficaci, ut omnibus applicaretur; & eorum parentibus, vel iis, ad quos cura illorum pertinet, dat media ſufficientia ſaltem remotè ad Baptiſmum his parvulis procurandum: quibus ſi uterentur, parvuli illi baptizarentur, & ſic ſalvarentur.

Inſt. 1mo. Parvuli Infidelium ante adultam ætatem ſine Baptiſmo morientes, nulla ſalutis media accipiunt. Ergo.

Reſp. diſt. ant. Non accipiunt immediatè, quia non poſſunt illa media per ſe ipſos adhibere, cùm rationis uſu careant, conc. Non accipiunt mediatè in parentibus, vel aliis, ad quos cura illorum pertinet, neg. ant. *Non irreligiosè arbitror*, inquit Auctor librorum de vocat. Gent. lib. 2. c. 23. *credi . . . . quòd iſti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper univerſis eſt impenſa nationibus, qua utique ſi benè uterentur eorum parentes, etiam ipſi per eoſdem juvarentur, &c.* Itaque infantes, qui ſine Baptiſmo moriuntur, pereunt quidem propter peccatum originale,

nale, eoquòd iis Baptiſmus non applicetur. Sed Baptiſmus iis non confertur propter infidelitatem, vel negligentiam, aut malitiam parentum, vel eorum, ad quos illorum cura pertinet, quibus Deus ex meritis Chriſti dedit auxilia ſufficientia ad vitandam illam infidelitatem, vel negligentiam, vel malitiam, ut parvulis illis Baptiſmum procurarent.

Inſt. 2do. Parentes infideles ignorant vim ac neceſſitatem Baptiſmi. Ergo non poſſunt illum procurare ſuis liberis.

Reſp. Quamvis Infideles illi non poſſint in ſtatu ignorantiæ procurare Baptiſmum ſuis liberis; tamen acceperunt à Deo auxilia ſufficientia, ut non ſolùm ſuæ, ſed etiam liberorum ſaluti providerent. Deus enim intuitu non ſolùm ſalutis propriæ parentum, ſed etiam ſuorum liberorum, quam ſincerè, licèt ineſficaciter vult, dedit illis auxilia ſufficientia ad obſervandam legem naturalem, quam ſi ſervarent, acciperent gratias proximè ſufficientes ad fidem conſequendam, & ad Baptiſmum ſuſcipiendum. Deinde Chriſtiani effecti excitarentur proximè ad Baptiſmum ſuis liberis procurandum. Quæ media ſeu auxilia ulteriora ſunt illis præparata; ſed non dantur, quia illis impedimentum culpabiliter apponunt ſuis peccatis.

Inſt. 3tio. Multi infantes in utero materno moriuntur, aut nati è vita excedunt, antequam baptizari poſſint, quantumcunque conantibus & feſtinantibus parentibus, vel aliis ad illos baptizandos. Ergo.

Reſp. neg. conſ. Media ſufficientia ad applicandum illis parvulis Baptiſmum collata ſunt ſuo tempore parentibus, vel aliis, qui ſi iſtis mediis rectè uſi fuiſſent, hi parvuli ante mortem baptizati fuiſſent. Nam Chriſtus mortuus eſt pro ſalute omnium infantium nullo excepto: ideoque Deus vult ſincerè illorum ſalutem, & conſequenter iis ex meritis Chriſti ſuppeditavit media ſufficientia ad ſalutem: *Ibi* (in peccato originali) *ſunt & parvuli, quia & pro ipſis Chriſtus mortuus eſt: qui propterea pro omnibus mortuus eſt, quia omnes mortui ſunt*, inquit S. Auguſtinus, lib. 2. Oper. imperf. n. 175.

Inſt. 4to. Illi infantes ex mala ſua conſtitutione in utero materno moriuntur, vel nati ſtatim decedunt ſine Baptiſmo, quamvis parentes faciant quod poſſunt, ut iis Baptiſmum procurent. Ergo.

Reſp. Impotentia illa procurandi parvulis iſtis Baptiſmi oritur ex aliqua culpa eam antecedente: ad quam culpam vitandam Deus dedit media ſufficientia ex intentione, ut Baptiſmus parvulis illis applicaretur. Sic ex intemperantia, vel alia culpa, aut negligentia parentum vel avorum, aut aliorum hominum peccatô, putà percuſſione matris, infantes in utero materno moriuntur, aut tam infirmi naſcuntur, ut ſtatim nati excedant. Quare parentes tùm, cùm faciunt, quod in ſe eſt, ad procurandum ſuis liberis Baptiſmum non accipiunt quidem gratias ſufficientes ad applicandum iis Baptiſmum, ſed anteà acceperunt Gratias ad illam impotentiam & ejus cauſam avertendam ſufficientes.

Inſt. 5to. S. Auguſtinus carentiam Baptiſmi illorum parvulorum non adſcribit culpæ parentum. Ergo.

Reſp. S. Doctor ſolùm vult, culpam parentum non eſſe cauſam, cur Deus non habeat voluntatem efficacem Baptiſmi & ſalutis illorum parvulorum; quia non obſtante tali culpa, poteſt velle efficaciter illos baptizari, & ſi efficaciter vellet, re vera baptizarentur.

Porro etiam reſponderi poteſt (y), media aliqua, licèt nobis occulta ad applicandum infantibus iſtis Baptiſmum eſſe præpa-

(y) Vid. in Tract. de Deo. part. 1. cap. 6. §. 7.

Digitized by Google

præparata ex meritis Chriſti; ſed non fuiſſe reipſa collata ex defectu cauſarum ſecundarum, quarum ordinem Deus invertere non tenetur, nec defectus impedire. Neque enim Deus miraculum facere tenetur, etiam ex hypotheſi voluntatis ſinceræ, ſed inefficacis & conditionatæ, ut baptiſmus eis conferatur: nempe voluntas divina generalis ſalvandi omnes omninò homines in executione pendet à generalibus Providentiæ legibus.

229. Ob. 1410. Judæi nullas habuerunt Gratias ſufficientes ad ſalutem. Ergo multò minùs habent Infideles.

Reſp. neg. ant. Nam Judæis Gratia ſufficiens ad Legem implendam & ſalutem conſequendam dabatur ex meritis Chriſti venturi abſolutè prævisis, ut conſtat ex Iſai. c. 5. *Quid eſt, quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci? An quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruſcas.* Et Matth. 23. *Jeruſalem quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti. &c. &c.*

Inſt. Lex nova dicitur & eſt lex Gratiæ. Ergo Judæis nulla dabatur Gratia.

Reſp. Neg. conſ. Nam Lex nova dicitur & eſt Lex gratiæ, non quòd nulla daretur Gratia in veteri Lege, in qua conſtat multos fuiſſe Sanctos; ſed quia Lex nova per ſe & ratione ſuî dat gratiam, nempe per ſua Sacramenta Gratiam conferentia ex opere operato; & quia in Lege nova propter exhibita merita Chriſti ejus auctoris longè uberiores & potentiores nunc conferuntur Gratiæ: cùm è contrà Lex vetus per ſe & ratione ſuî nullam gratiam conferret, nec Judæi juſtificarentur per legem, aut ex virtute legis, ſed ex fide in Chriſtum Mediatorem venturum tanquam diſpoſitione ad juſtitiam miſericorditer conſequendam. Vide dicta Tom. 1. Theologiæ noſtræ Tract. 3. de Eccleſia. cap. 1. §. 2. concluſ. 2.

SECTIO III. 230

De Gratia efficaci.

Gratia efficax, prout c. 1. hujus Tractatus annotavimus, eſt ea, quacum voluntas poteſt operari & infallibiliter operatura eſt, ſi detur. Sive eſt ea, quæ eſt infallibiliter connexa cum effectu ad quem datur, adeoque quæ non ſolùm poteſt exprimere voluntatis conſenſum, ſed & illum ſemper certò & infallibiliter exprimit & obtinet. Hanc exiſtere fide conſtat, omnesque ſive Heterodoxi ſive Catholici fatentur; eamque manifeſtè evincunt innumera penè tùm Scripturæ tùm Traditionis teſtimonia. Ezechiel. 36. v. 26. & 27. ſic ait Deus: *Auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis.* Philipp. 2. *Deus eſt, qui operatur in vobis velle & perficere.* Et S. Auguſtinus, lib. de prædeſt. SS. cap. 8. ubi ſic habet: *Hæc gratia à nullo duro corde reſpuitur: ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur.* Quæ verba de una gratia efficaci intelligi poſſunt.

Et verò ſupremum Ens, ſupremam habet & omnipotentiſſimam humanorum cordium, quò voluerit inclinandorum poteſtatem: ea autem ſic inflectit & inclinat ope gratiæ efficacis. Ergo &c.

Quamvis igitur omnes Gratiæ efficacis exiſtentiam ultrò admittant, tamen circa illius eſſentiam, ſeu in quo ipſa conſiſtat, tùm Heterodoxos inter & Catholicos, tùm inter hos ipſos magnæ vigent controverſiæ; quas duobus duntaxat §§. expendere animus eſt; atque in primo Acatholicorum opiniones referemus ac refellemus. In ſecundo Catholicorum ſententias recenſebimus.

Digitized by Google

231 §. I.

Referuntur ac refelluntur Acatholicorum opiniones circa eſſentiam Gratiæ efficacis.

(a) Lutherus in aſſertione articuli 36. ſcribit liberum arbitrium eſſe figmentum in rebus & titulum ſine re; quia nulli eſt in manu quidquam cogitare boni vel mali; ſed omnia neceſſitate abſoluta evenire, quemadmodùm docuit Wiclefus in Concilio Conſtantienſi damnatus. *In cæteris,* inquit, *de Papatu, de Conciliis & Indulgentiis, aliiſque nefariis magis ferenda eſt levitas necnon ſtultitia Papæ, & ſuorum; ſed in hoc articulo de ſervitute arbitrii, qui omnium optimus eſt, & rerum omnium ſumma, dolendum ac flendum eſt miſeros ſic inſanire.* Temperavit tamen poſtmodùm ſuam ſententiam in libro de Viſitatione Saxonica, ubi reſtringit, quod priùs docuerat, ad actiones, quæ ſpectant vitam æternam; ſic enim ſcribit: *Multi de libero arbitrio indiſcretè loquuntur; idcircò hanc brevem informationem adſcripſimus. Homo habet ex propria virtute liberi arbitrii ad faciendum, vel omittendũ opera externa per legem; quapropter poteſt ſæcularem probitatem, & bona opera facere ex propria virtute... quòd autem hæc libertas non ſe extendat ad actiones ſupernaturales, declarat liber, cui titulus eſt,* Operationes in Pſalmos. *Error eſt, quòd liberum arbitrium habet aliquam activitatem in bonas actiones, quando de interno opere loquimur.*

Kemnitius in examine Concilii Trid. ad Seſſ. 6. ait, dandam eſſe veniam Luthero, nec ibi aliud ſignificare voluiſſe ſcribendo voluntatem ſe paſſivè habere, quàm non liberè concurrere; quid in libro de ſervitute arbitrii ſolam libertatem indifferentiæ excludit, ubi ſic habet: *Nec erat in manu Judæ aliter facere, aut voluntatem mutare, licèt fecerit id volendo non coactus.*

Calvinus poſteriorem Lutheri ſententiam amplexus eſt; ſic enim ſcribit in Antidoto ad Can. 5. Seſſ. 6. Concilii Tridentini: *De verbo ne moveas rixam; ſed quia per liberum arbitrium intelligunt Epiſcopi Tridentini eligendi facultatem in utramque partem liberam & ſolutam: titulum ſine re eſſe qui affirmant, Chriſtum habent auctorem.* Et lib. 2. Inſtit. c. 2. *Voluntatem gratia movet, non qualiter multis ſæculis traditum eſt & creditum, ut noſtræ poſteà ſit electionis motioni obtemperare aut refragari.* Atque juxta hanc Calvini doctrinam ſcribit ejus diſcipulus Joannes Scarpius lib. 2. c. 2. de miſero hominis ſtatu: *Status primæ controverſiæ eſt: an ad liberum arbitrium conſtituendum requiratur libertas à neceſſitate, an verò ſufficiat illa, quæ eſt à coactione; Papiſtæ negant, nos affirmamus.*

Janſenius horum Hæreſiarcharum opinionem amplexus eſt, prout conſtat ex iis, quæ de ipſo retulimus ſuprà cap. 2. §. 8. Contendit enim hominem in ſtatu naturæ lapſæ ſemper neceſſitari ad bonum per delectationem indeliberatam Gratiæ intenſiorem delectatione ſeu motu concupiſcentiæ, & ad malam per delectationem indeliberatam concupiſcentiæ intenſiorem delectatione ſeu motu gratiæ. Unde à Luthero & Calvino nonniſi vocibus diſſidet, & nullatenus quoad rem. Nam ideò Lutherus & Calvinus negant ſub gratia efficaci remanere liberum arbitrium, quia per illud intelligunt indifferentiam activam, ſeu immunitatem ab omni neceſſitate phyſica, intrinſeca, antecedente; Janſenius verò aſſerit quidem ſub gratia remanere liberum arbitrium, ſed per illud intelligit ſolam libertatem à coactione; nam lib. 7. de Gratia Chriſti, c. 3. poſt-

(a) Vid. ſup. cap. 2. §. 6. pag. 17. & ſeq.

Digitized by Google

poſtquam docuit illud nobis liberum eſſe libertate arbitrii, quod eſt in noſtra poteſtate, & illud eſſe in noſtra poteſtate, quod fit, cùm volumus, etiamſi neceſſariò velimus, ſic concludit: *Quæ ſi vera ſunt, ſicut juxta ſanctiſſimi Doctoris principium veriſſima ſunt, non poterit ampliùs dubitari; quia eum ſentire, & conſtanter docere diximus, libertati arbitrii ſolam neceſſitatem coactionis, ſeu quæ, etſi nolumus, efficit id quod poteſt, eſſe contrariam, omnemque actum voluntarium ſeu ſpontaneum hoc ipſo eſſe liberum. Hoc enim ipſum, quod voluntatem ſponte velle ſeu conſentire facit, hoc eam, ut vidimus etiam liberam facit libertate arbitrii, quam ſuprà expreſſit.*

Præterea cùm Janſenius, prout ſuprà initio ſect. 2dæ. num. 186. jam tetigimus, nullam admittat gratiam merè ſufficientem in ſenſu Catholicorum, ſed velit omnem gratiam naturæ lapſæ eſſe efficacem, quatenùs habet omnem effectum, quem habere poteſt in iis circumſtantiis, in quibus datur, & ad quem datur à Deo: ideò duplicem diſtinguit gratiam efficacem, nempe perfectam ſeu magnam, & imperfectam ſeu parvam. Perfecta, juxta ipſum, eſt ea, quæ à Deo datur ad velle perfectum, id eſt, ad velle efficaciter bonum, & illud agere. Imperfecta eſt ea, quæ datur à Deo ad velle imperfectum, id eſt ad quaſdam velleitates cum advertentia rationis eliciendas, quibus voluntas nec vult efficaciter bonum, nec illud agit, nec velle efficaciter poteſt. Utraque voluntatem neceſſitat ad actum, ad quem datur, & ſemper habet totum effectum, ad quem datur. Perfecta eſt intenſior delectatione terrena ſeù motu concupiſcentiæ; & dicitur delectatio victrix, quia terrenam concupiſcentiæ delectationem intenſione ſuperat, & facit voluntatem velle efficaciter bonum, & illud agere. Imperfecta verò eſt minùs intenſa, quàm delectatio concupiſcentiæ, nec dat poſſe agere bonum, ſed tantùm habere aliquam velleitatem & complacentiam inefficacem boni. Ita ipſe lib. 2. de Grat. Chriſti, cap. 27. (a) Contra hos ſit

CONCLUSIO. I. 232

Gratia efficax nullam voluntati neceſſitatem imprimit.

(a) Igitur iſta ſunt præcipua Janſeniani de gratia efficaci ſyſtematis principia. 1mum. Voluntas humana per peccatum primi parentis liberum amiſit arbitrium, id eſt, vim ſe ſe pro nutu ſuo flectendi ad oppoſita. Ita ipſe imprimis lib. 2 de grat. Chriſti cap. 3. & 12. 2dum. Locò liberi arbitrii duplex ſucceſſit delectatio, terrena ſcilicet, quæ ad malum, & cœleſtis, quæ ad bonum impellit. 3tium Delectationes agunt per gradus invicem; ita ut ſuperior ſemper vincat minorem. 4tum. Voluntas non ſolùm ſemper, ſed & neceſſariò ſequitur majoris delectationis impulſum. 5tum. Neceſſitas illa non eſt abſoluta, ſed relativa; id eſt, in præſentibus circumſtantiis, ſeu dominante ad unum delectatione, voluntas non poteſt hic & nunc aliter agere, licèt abſolutè & in aliis circumſtantiis, ſi nimirum aut iſta ad unum delectatio minueretur, aut altera ad aliud augeretur delectatio

Unde in illo Syſtemate, voluntas ſe habet inſtar bilancis, delectationes verò inſtar ponderum: etenim vis utriusque delectationis tota relativa eſt, & quaſi ex mechanica lege voluntatem movet ac rapit, ſive ad bonum, ſivè ad malum: ſi major fuerit vis gratiæ, quàm concupiſcentiæ, neceſſum erit benè voluntatem operari; è contrà malè, ſi viribus prævaluerit concupiſentia: ſicque juxta Janſenium, non voluntas delectationibus, ut in Syſtemate Catholicorum, ſed delectationes voluntati dominantur, ipſæque de obtinendo voluntatis conſenſu in ſe invicem decertant, eumque ob graduum ſeu virium præpollentiam neceſſariò eliciunt ac conſequuntur, idque abſque ulla voluntatis deliberatione, adeoque ſunt indeliberatæ.

Prob. 1mo. ex Scripturis. Eccli. c. 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui, adjecit mandata & præcepta ſua: ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te... appoſuit tibi ignem & aquam, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Hæc verò falſa eſſent, ſi gratia voluntati neceſſitatem aliquam imponeret, prout patet.

Ib. c. 31. *Potuit transgredi & non eſt trangreſſus, facere mala & non fecit, ideò ſtabilita ſunt bona illius in Domino.* Declarat hìc auctor ſacer, eum laude ac mercede dignum eſſe, qui per Dei gratiam ita à malis abſtinuit, ut poſſet ab iis non abſtinere: ſupponit ergo ſtare ſub gratia activam voluntatis indifferentiam, nec proindè ullam voluntati neceſſitatem imponi.

1. Cor. 15. *Gratia ejus in me vacua non fuit, ſed abundantiùs illis omnibus laboravi; non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Liberam voluntatis cooperationem apertè indicant poſteriora hæc verba, *ſed gratia Dei mecum*: namque longè aliter loquitur Apoſtolus de indeliberatis concupiſcentiæ motibus, quos impedire non poterat; de iis enim ſic habet, Rom. 7. *Jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.*

Huc etiam pertinent & alia teſtimonia, quæ pariter oſtendunt voluntatem unà cum gratia ſe ipſam movere, ſe ipſam flectere, ſe ipſam determinare ad bonum. Pſal. 118. *Inclina cor meum ad faciendas juſtificationes tuas.* 1. ad Tim. 4. *Exerce te ipſum ad pietatem.* Apocal. 3. *Si quis aperuerit mihi januam intrabo ad illum.* Sanè aperire & inclinare cor, & alia hujusmodi apertè omninò indigitant propriam ac liberam determinationem.

Prob. 2do. ex Conciliis, præſertim ex Concilio Trid. Seſſ. 6. Can. 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti.... neque poſſe diſſentire, ſi velit, ſed velut inanime quoddam nihil omninò agere, mereque paſſivè ſe habere, anathema ſit.* Ex his Concilii verbis Gratia efficax talis eſt, ut homo poſſit eam abjicere ſeu repudiare, poſſit ei diſſentire ſi velit, adeoque ut voluntati nullam neceſſitatem imponat, & ſub illa ſtare poſſit activa voluntatis indifferentia.

Tridentino Concilio præiverat Synodus Senonenſis (*b*), quæ expreſſè docet & luculenter probat decreto 15. *non eſſe tale trahentis Dei auxilium, cui reſiſti non poſſit.*

Prob. 3tio. ex S. Auguſtino pluribus in locis, imprimis lib. de Spiritu & litt. c. 34. *Nemo habet in poteſtate, quod ei veniat in mentem; ſed conſentire vel diſſentire propriæ voluntatis eſt:* Et quibusdam interjectis, *Profectò*, inquit, *& ipſum bonum velle Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia ejus prævenit nos; conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt.* Similia habet lib. de prædeſt. SS. c. 5. Ergo juxta S. Auguſtinum voluntas ſic prævenitur & movetur à gratia, ut conſentire vel non conſentire, in humanæ libertatis arbitrio poſitum ſit: id autem dici non poſſet, ſi gratia benè agendi neceſſitatem etiam ſimplicem induceret.

Prob. 4to. duplici ratione Theologica. 1ma. Fide conſtat, bona juſtorum opera, quæ per Dei gratiam fiunt, verè eſſe meritoria; ita diſertè definivit Concilium Trid. Seſſ. 6. Can. 32. Atqui non minùs certum eſt ex fide catholica ad merendum requiri immunitatem à neceſſitate, & activam ad utrumlibet indifferentiam; prout alibi jam expoſuimus & ſuô locô adhuc magis exponemus. Ergo &c.

2da. Difficilis ſemper viſa eſt gratiæ & liberi arbitrii concordia, ut fatetur ipſe

Digitized by Google

ipſe S. Auguſtinus lib. de Gratia Chriſti, c. 47. & alibi paſſim hanc quæſtionem difficillimam appellat, à paucis intelligibilem, quem pauci penetrare valent; & candidè fatetur, ſe in ea enodanda vehementer anguſtiari. Atqui non ea fuiſſet Auguſtino componendæ libertatis cum gratia difficultas, ſi perſuaſum habuiſſet eò duntaxat liberum arbitrium deſtrui, quod voluntati violentiam & coactionem infert, ita ut quæ voluntariè etiamſi neceſſariò fiant, liberè tamen fieri cenſeantur: nihil enim faciliùs intelligitur, quàm quòd ſpontaneum & voluntarium ſtare poſſit cum gratia maximè efficaci & invincibili, ſicut in amore beatifico & productione Spiritus ſancti ſtat cum neceſſitate omnium maxima. Ergo.

233 CONCLUSIO II.

Vis & efficacia gratiæ non eſt repetenda ex delectatione ſuperiori ſeu per gradus relativè victrici. Eſt ſpecialiter contra Janſenium ejusque ſectatores.

Prob. 1mo. ex iis tùm Scripturæ, tùm Conciliorum, tùm S. Auguſtini teſtimoniis, tùm denique ex rationibus Theologicis conclusione præcedenti adductis, quibus oſtendimus, Gratiam efficacem nullam neceſſitatem voluntati imprimere; nam fatentibus Janſeniſtis ipſis hujusmodi gratiæ efficacia voluntati neceſſitatem imprimit, atque neceſſariò ac ineluctabiliter ad actum determinat.

Prob. 2do. ex iis, quæ ſuprà c. 2. §. 8. adverſùs damnatas ab Eccleſia quinque Janſenii propoſitiones diſſeruimus, quibus conſtat, Janſenii de gratia Syſtema inimicum eſſe libertati; eique nexu intimo conjunctum eſſe errorem memoratarum Janſenii propoſitionum.

Prob. 3tio. Ex S. Auguſtino, lib. 8. Confeſſ. c. 8. ubi ſic de ſe ipſo loquitur: ***Non faciebam, quod incomparabili affectu mihi magis placebat.*** Hoc uno brevi teſtimonio res tota conficitur; indè enim planè evertitur fundamentale novi Janſeniſtarum Syſtematis principium, quòd nempe voluntas ſemper neceſſariò ſequatur majorem delectationem indeliberatam. Nam S. Auguſtinus laudato textu procul dubio loquitur de delectatione indeliberata, certiſſimum enim eſt, & omnes fatentur, voluntatem ſemper ſequi majorem delectationem deliberatam. Atqui diſertiſſimè teſtatur S. Doctor, ſe non feciſſe quod ſibi multò magis placebat. Ergo &c.

Confirmatur ex iis locis, in quibus S. Auguſtinus libertati tribuit indifferentem poteſtatem ſe flectendi ad quam voluerit delectationem, eamque ſua electione ſuperiorem ac prædominantem efficiendi: *Inter omnia, quæ delectant*, inquit Serm. 159. aliàs 17. de verb. Apoſt. c. 2. *plùs te delectet ipſa juſtitia; non ut alia non delectent, ſed plùs ipſa delectet. . . . juſtitia ſic delectet, ut vincat etiam licitas delectationes; & ei delectationi, qua licitè delectaris, præpone juſtitiam.* Manifeſtè hîc ſupponit, eſſe penès voluntatem, ut in hoc vel illo Objecto magis vel minùs delectetur. Atqui hoc verum non eſſet, ſi à majori delectatione indeliberata invincibiliter raperetur; Ergo hanc invincibilem determinationem non admiſit S. Auguſtinus. Rursùs illud idem clariſſimè ſignificat c. 4. & 5. ubi poſtquam exhibuit inteſtinam utriusque delectationis pugnam in homine juſto, ſic pergit: *Decertant in te duæ delectationes, modò interrogo te quid præponas. . . . præponito delectationi carnis delectationem mentis.*

Tandem lib. de correp. & grat. in quo famoſa exponitur diſtinctio adjutorii *quo* & *ſine quo*, qua Janſenius exiſtimat clavem contineri, qua aditus aperitur in omnes Auguſtinianæ doctrinæ circa gratiam receſſus, S. Auguſtinus nusquam aſſerit, adjutorium *quo* eſſe illam indeliberatam delectationem ſuperiorem ac

victricem, de qua toties Janſenius; imò potiùs aliud paſſim aſſignat bonarum actionum principium à delectatione prorsùs diſtinctum, timorem ſcilicet, pudorem, dolorem, &c. Sic c. 5. 6. & 12. citati lib. de corrept. & grat. & lib. 1. ad Simpl. c. 19. ait, *miris & ineffabilibus, diverſis & innumerabilibus modis Deum homines ad ſe vocare, & trahere.* Ex his omnibus clariſſimè demonſtratur apud S. Auguſtinum delectationem indeliberatam non eſſe unicum pondus & principium, quo voluntas ad agendum movetur, ac determinatur.

Prob. 4to. Ex infirmitate fundamentorum, quibus innititur præfatum utriusque delectationis ſyſtema. Tria potiſſimum ſunt ex Janſenio undecim primis capitibus libri 4. de Gratia. 1mum. Voluntatem non poſſe moveri ſine prævia delectatione indeliberata. 2dum. Non eſſe niſi duos amores, carnalem ſcilicet, qui eſt vitioſa cupiditas; & cœleſtem, qui eſt laudabilis ac propriè dicta charitas. 3tium. In conflictu duarum delectationum, quæ gradibus ſuperior eſt, alteram neceſſariò vincere. Atqui tria hæc principia falſa ſunt, abſurda & erronea.

1mo. Falſum eſt, voluntatem non poſſe moveri abſque prævia delectatione indeliberata; nam hæc neceſſitas vel proveniret à natura volitionis, quæ elici non poteſt niſi prævia tali delectatione; vel ex infirmitate voluntatis lapſæ: Si primum, ergo Adamus indiguit ad peccandum delectatione carnali indeliberata. Atqui peccavit. Ergo expertus eſt malos, pravos, deordinatos concupiſcentiæ motus, quod conſtanti SS. Patrum, præſertim Auguſtini lib. de corrept. & grat. c. 11. doctrinæ adverſatur. Si ſecundum, infirma quidem eſt voluntas; ſed nondum penitùs extincta libertas; unde qua virtute potuit Adamus qualibet bona opera elicere abſque tali delectatione præeunte, poterit & homo nunc quædam ſaltem facilia producere opera, non pulſantibus his indeliberatis delectationis motibus. Sanè remanet in nobis integra ad peccandum libertas quæ fuerat in Adamo: ſi ergo Adamus ſine motu carnali præveniente peccare potuit, cur non & nos?

2do. Non eſſe niſi duos amores, carnalem unum & vitioſum, cœleſtem alterum & charitativum, nedum falſum eſt, ſed & apertè erroneum, ex quo neceſſariò ſequeretur, actus fidei, ſpei, timoris, &c. abſque motivo charitatis, vitioſos eſſe; nullam proindè eſſe fidem, virtutem Theologicam in peccatoribus, atque unicam eſſe virtutem, charitatem ſcilicet. Verùm de his uberiùs diximus, tùm ubi de natura gratiæ actualis, tùm ubi de actionibus Infidelium. Prætereà tali principiô præſupponitur omnem voluntatis actum eſſe formaliter amorem, quod perindè falſum eſt & abſurdum: averſio enim actualis mali imminentis, ejusque fuga, non eſt certè actus amoris, ut patet: nec motivum quo movetur voluntas ad hanc averſionem, eſt ipſa delectatio, ſed timor. Ergo. Hinc S. Thomas, 2. 2. q. 17. a. 8. docet quidem omnem motum appetitivum oriri ex amore; at negat ipſum ſemper eſſe formaliter amorem.

3tio. Quod additur, in pugna duarum delectationum, quæ gradibus ſuperior eſt alteram neceſſariò vincere, funditùs evertit liberum arbitrium, ipſiſſimumque eſt Janſenii Syſtema, ex quo velut ex fonte quinque famoſæ Propoſitiones evidenter deducuntur, prout videre eſt ex iis quæ ſuprà c. 2. §. 8. diſſeruimus.

Prob. 5to. ex eo, quòd delectationis ſuperioris Syſtema obnoxium ſit iiſdem incommodis, quæ Janſeniani ſuis adverſariis opponunt.

1mo. namque, nihil eſt, à quo Janſeniani magis abhorreant, quàm ab uſu ſcien-

Digitized by Google

ſcientiæ mediæ, qua Deus priùs dirigatur, quàm aliquid abſolutè futurum decernat. Atqui in ſyſtemate delectationis ſuperioris Deus debet ſimiliter dirigi per aliquam ſcientiam mediam, qua nimirùm exploret, quot futuri ſint in homine gradus concupiſcentiæ, ut poſſit dando plures gradus gratiæ, conſenſum voluntatis certò obtinere. Ergo.

2. Janſenius ejusque diſcipuli ea maximè ratione Moliniſtas exagitant, eosque velut Semipelagianos traducunt, quòd in eorum ſententia gratia non ſit ex ſe ipſa, ſeu propria & intrinſeca virtute victrix & efficax. Atqui illud ipſum meritò contorquetur in Syſtema delectationis ſuperioris; ſiquidem in eo ſyſtemate efficacia gratiæ non tam ex interna ipſius virtute pendet, quàm ex minori oppoſitæ cupiditatis reſiſtentia; ſi enim hæc major fortè fuerit, gratia victrix non erit, ſed victa; nec proindè usquam ipſa cordis duritiem tollit, ſed eam non eſſe præſupponit; quod adeò verum eſt, ut eadem entitas gratiæ, quæ in uno minùs reſiſtente eſt victrix; in alio per majorem concupiſcentiam obdurato vincatur. Ergo.

3tio. Id etiam Janſeniſtæ exprobant Moliniſtis, quòd in eorum principiis nulla ſit difficultas ad explicandum eum modum, quo gratia domat voluntatem, qui tamen Auguſtino ſemper viſus eſt ad exponendum perdifficilis, occultus, ac planè ineffabilis. Atqui pariter in Syſtemate Janſeniano modus explicandi gratiam efficacem, planus eſt facilis & apertus: nullus enim eſt, qui non facile intelligat, inter duos ſecundùm proportionem virium ſuarum colluctantes eum vincere, qui plures habet virium gradus, ſicut inter duo pondera in bilance poſita, quod majus eſt, ad ſe neceſſariò pertrahit minus. Ergo.

Prob. denique 6to. ex novitate dicti Syſtematis. Namque ante Janſenium inauditum erat, totam vim gratiæ repeti à graduali delectationis ſuperioritate: inde eſt, quòd ipſe nequidem tentaverit ſententiam ſuam aliundè adſtruere, quàm quibusdam teſtimoniis S. Auguſtini malè intellectis, ita ut omnes alios Eccleſiæ Doctores, præter Auguſtinum, velut in myſterio gratiæ cæcutientes traducere non vereatur, ut videre eſt in libro Prooemiali c. 13. ubi loquitur de Patribus S. Auguſtinô anterioribus. Et c. 29. & 30. ubi ſermonem habet dè Scholaſticis Doctoribus, ſuamque, id eſt, ut putat, Auguſtini doctrinam, ipſis planè ignotam fuiſſe diſertè pronuntiat.

Solvuntur Objectiones. 234

Ob. 1mo. contra 1mam. Concluſionem. Variæ loquendi rationes, quibus utitur S. Auguſtinus ad exprimendam gratiam efficacem, apertè ſignificant eam per ſe neceſſariò & invincibiliter voluntatem determinare; ſcilicet libris de Grat. Chriſti, de grat. & lib. arb. de corrept. & grat. &c. paſſim dicitur, Deum *in nobis operari ipſum velle* (*b*): *bonos à malis diſcernere: volentes de nolentibus facere*: Gratia dicitur *victrix*, & *præbens vires efficaciſſimas voluntati: à nullo duro corde reſpui: indeclinabiliter atque inſuperabiliter operari*: per eam denique Deus dicitur habere, *cordium, quò voluerit, inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem* (*c*). Atqui iſta omnia conciliari nullatenus poſſunt cum libera & expedita facultate conſentiendi vel non con-

(*b*) Juxta illud Philipp. 2. *Deus eſt qui operatur in nobis & velle & perficere* Et Ezech. 36. *Faciam ut in præceptis meis ambuletis.*

(*c*) Juxta Scripturam paſſim, præcipuè illud Prov. 21. v. 1. *Cor Regis in manu Domini: quocunque voluerit inclinabit illud.*

Digitized by Google

conſentiendi. Ergo Gratia voluntati neceſſitatem aliquam imprimit.

Reſpondent nonnulli, his & ſimilibus loquendi modis nihil aliud ſignificari, quàm generatim nobis in præſenti ſtatu neceſſariam eſſe gratiam, quæ, utpotè præveniens, gratuita, ac neceſſaria, quoties bonum operamur, prima eſt ac præcipua boni operis cauſa.

Reſpondent alii, his variis locutionibus id unum evinci, nimirum dari gratiam efficacem, qua Deus certò & infallibiliter conſenſum voluntatis elicit, undecumque tandem oriatur illius efficacia: ſed nullo modo probari à gratia veram benè agendi neceſſitatem induci; quamvis enim Deus agat in voluntate efficaciter, tamen velle & nolle, eſt in libertatis poteſtate, ut multoties tradit S. Auguſtinus.

Reſpondent cæteri, dictis loquendi modis indicari gratiam, quæ ab intrinſeco ſit infallibiliter efficax, ſivè phyſicè determinando, ut volunt Thomiſtæ, ſive moraliter tantùm, ut contendunt nonnulli alii: aſt in utroque Syſtemate ſervatur ſemper relativa & activè indifferens poteſtas ſeſe determinandi ad utrumlibet. Singulæ ex his reſponſionibus perindè ſolvunt Janſenianorum objectionem.

235 Ob. 2do. SS. Patres, præſertim S. Auguſtinus comparant gratiam cum opere creationis, cum Incarnatione Verbi, & aliis miraculis ab ipſo patratis. Atqui omnes iſtæ comparationes indigitant gratiam neceſſariò & invincibiliter determinantem. Ergo.

Reſp. neg. min. SS. Patres utuntur his comparationibus ad declarandam auxilii divini gratuitatem, non autem ad exponendum ejus operandi modum. Undè meritò damnatæ ſunt plures Queſnelli propoſitiones, nempe à vigeſima prima ad vigeſimam quintam, eò præcisè quòd prædictas comparationes adaptent operationi gratiæ. Et quidem 1mo. quoad creationem, S. Auguſtinus, lib. de grat. & lib. arb. c. 8. poſtquam retulit verba S. Pauli Epheſ. 2. *Creati in Chriſto JEſu in operibus bonis &c.* nihil aliud inde concludit, quàm quòd gratiam nulla præcedant bona pietatis opera. Quòd autem illa comparatio non fiat quoad operandi modum, neque excludat propriam hominis determinationem, expreſsè declarat S. Auguſtinus, Serm. 15. de Verb. Apoſt. c. 11. his verbis: *Qui fecit te ſine te, non te juſtificat ſine te.* 2do. Exemplum Incarnationis ad ſolam gratuitatem probandam aſſumi evidenter demonſtrat vel hoc unum S. Auguſtini teſtimonium, lib. 1. Oper. imperf. c. 138. *Neque enim audebis dicere, præcedentibus operum meritis, filium Dei factum ab initio ſeu à Virginis utero. Qua ergo gratia homo ille ab initio factus eſt bonus, eâdem gratiâ homines, qui ſunt membra ejus ex malis boni fiunt.* 3tio. Comparatio cum operibus miraculoſis, quibus Chriſtus morbos ſanàvit & mortuos ſuſcitavit, ſimiliter inſtituitur tantùm quoad gratuitum principium & mirabilem terminum; eòquòd ſcilicet gratia ſanet animam & à morte peccati liberet, idque neceſſariò exigat Deum operantem perindè ac miracula Chriſti; ſed ita tamen, ut in operibus ex gratia factis ſemper requiratur indifferens voluntatis conſenſus, qui in aliis operibus non requiritur. Ita totidem fermè verbis gratiæ Doctor, Enarrat. in Pſalmum 102.

Ob. 3tio. Gratia nihil aliud eſt, quàm omnipotens Dei voluntas & operatio, quam nemo impedire poſt aut retardare. Ergo ſub ipſius motione voluntas non ſervat indifferentiam. 236

Reſp. neg. ant. cujus falſitas patet ex dictis ſuprà hoc capite (*d*), ubi de natu-

(*d*) Sect. 2. §. 1. præſertim in reſp. ad ob. 4. pag. 98.

natura gratiæ actualis; hæcque rursùs doctrina damnata fuit in Queſnello propoſ. 10. 11. 12. 19. 20. Nec ſolùm data eſt cenſura, eò quòd his propoſitionibus indefinitis exprimatur gratia quælibet, adeoque nulla ampliùs ſit merè ſufficiens: verùm etiam quia gratia efficax deſcribitur, ut neceſſariò & invincibiliter determinans abſque poteſtate reſiſtendi, eaque confunditur cum omnipotenti Dei voluntate, quam nemo poteſt impedire.

237 Ob. 4to. Ex S. Auguſtino paſſim, Homo per peccatum amiſit libertatem. Ergo.

Reſp. Diſt. ant. Amiſit libertatem à peccato & miſeria, conc. libertatem à neceſſitate, neg. ant. Ita S. Bernardus lib. de grat. & lib. arb.

Inſt. 1mo. Atqui homo per peccatum amiſit libertatem à neceſſitate, *Multum erras*, inquit S. Auguſtinus ad Julianum lib. 1. Operis imperfecti num. 105. *qui vel neceſſitatem nullam putas eſſe peccandi . . . . cùm peccatis de ignorantiæ, vel affectionum neceſſitate venientibus. . . . plenum ſit genus humanum.* Et lib. 8. Confeſſ. *Dum conſuetudini non reſiſtitur, fit neceſſitas.* Ergo.

Reſp. Diſt. ant. Amiſit libertatem à neceſſitate morali, quam S. Thomas vocat coactionem inſufficientem, conc. à neceſſitate abſoluta & phyſica, neg. ant. *Dicendum*, inquit S. Thomas quæſt. 6. de malo, *quòd conſuetudo facit neceſſitatem, non ſimpliciter; nam ex deliberatione quantumcunque conſuetus poteſt contra conſuetudinem agere.* Porro neceſſitas moralis liberum arbitrium non perimit, nec indifferentiam omninò tollit, nec proinde excuſat à peccato, prout tradunt Theologi. Quòd autem S. Auguſtinus de iſta neceſſitate morali, qua magna difficultas intelligitur, ſit intelligendus patet ex iis quæ ſcribit tùm lib. de Spir. & litt. c. 31. ubi ſic ait: *Cùm poteſtas datur, non neceſſitas utique imponitur.* Et c. 34. *Agit Deus, ut velimus & credamus. . . . Sed conſentire vel diſſentire propriæ voluntatis eſt.* Tùm lib. 2. contra Fauſtum c. 5. *Sub fato ſtellarum nullius hominis geneſim ponimus, ut liberum arbitrium voluntatis, quo vel benè vel malè vivitur, propter Dei judicium ab omni neceſſitatis vinculo vindicemus.* Tùm lib. 5. de Civ. cap. 9. ubi docet, fruſtrà objurgationes, vituperationes, exhortationes adhiberi, neque ullâ juſtitiâ bonis præmia, & malis ſupplicia eſſe conſtituta, ſi Dei præſcientia neceſſitatem imponat.

Inſt. 2do. Atqui neceſſitas abſoluta non officit libertati, ex S. Auguſtino; ſic enim ſcribit lib. 5. de Civ. cap. 10. *Si . . . illa definitur eſſe neceſſitas ſecundùm quam dicimus neceſſe eſſe, ut ita ſit aliquid, vel ita fiat; neſcio cur eam timeamus, ne nobis auferat libertatem voluntatis; neque enim vitam Dei & præſcientiam ejus ſub neceſſitate ponimus, ſi dicamus, neceſſe eſſe Deum ſemper vivere, & cuncta præſcire.* Unde S. Thomas, q. 10. de potentia part. 2. ad. 5. *Dicendum*, inquit, *quòd naturalis neceſſitas, ſecundùm quòd voluntas aliquid ex neceſſitate velle dicitur, ut felicitatem, libertati voluntatis non repugnat, ut Auguſtinus docet in lib. 5. de civ.* Ergo.

Reſp. Diſt. ant. Neceſſitas phyſica & abſoluta non officit libertati naturæ, conc. libertati arbitrii, ſubdiſt. neceſſitas conſequens & hypothetica, conc. antecedens. neg. ant. Duplex eſt libertas, alia naturæ, qua natura ſeu voluntas naturali inſtinctu, ut loquitur S. Thomas, ſine impedimento tendit in ſuum finem, & ultimam perfectionem, quemadmodùm dicimus, aquam liberè fluere, ſi contra proprium pondus non retineatur. Alia arbitrii, qua voluntas unum præ alio eligit. Hanc libertatis diſtinctionem S. Thomas expreſſis verbis tradit 1. p. q. 19. a. 10. *Dicendum*, inquit, *quòd liberum arbitrium, habemus,*

reſpectu eorum, quæ non neceſſariò volumus, vel naturali inſtinctu, non enim ad liberum arbitrium pertinet, quòd volumus eſſe felices, ſed ad naturalem inſtinctum. Cùm igitur Deus ex neceſſitate ſuam bonitatem velit, alia verò non ex neceſſitate, reſpectu illorum, quæ non ex neceſſitate vult, liberum arbitrium habet.

Contra libertatem naturæ abſolutè pugnat neceſſitas moriendi, ex S. Auguſtino, locô in objectione citatô; quia ſic eſt contra naturæ inclinationem, ut vitare mortem nullatenùs ſit in noſtra poteſtate, ſed ex eodem S. Doctore voluntas benè vel malè agendi nunquam ſub hac neceſſitate conſtituta eſt. *Si*, inquit, *neceſſitas noſtra illa dicenda eſt, quæ non eſt in noſtra poteſtate . . . ſicut eſt neceſſitas mortis, manifeſtum eſt, voluntates noſtras, quibus rectè vel perperam vivitur, ſub tali neceſſitate non eſſe; multa enim facimus, quæ ſi nollemus, non utique faceremus.*

Motus quoque concupiſcentiæ & tentationes libertati naturæ repugnant, quatenus ſunt impedimenta quædam conſequendi ſuum ultimum finem, in quo eſt felicitas & ſumma ejus perfectio. Hinc Beati, ſecundùm S. Doctorem, Deum amant liberè, licèt neceſſariò, ſed libertate naturæ duntaxat, quia toto naturæ pondere in Deum feruntur, nulla concupiſcentiæ titillatio ejus impetum cohibet, aut retardat. Non modò igitur naturæ libertati non nocet iſta neceſſitas, quin illam perficit. Cùm autem in Deo ſumma ſit neceſſitas vivendi, bonitatem ſuam amandi, concipitur quoque maxima divinæ ejus naturæ libertas.

Duplicem iterum S. Auguſtinus diſtinguit neceſſitatem, alia eſt antecedens, quæ cauſaliter ita antecedit conſenſum voluntatis, ut abſolutè diſſentire non poſſit, qualem Manichæi fingebant eſſe influxum ſiderum; quem errorem S. Doctor ſuprà dicebat ſe rejicere tanquam noxium libertati, *ut liberum arbitrium voluntatis*, inquit, *ab omni neceſſitatis vinculo vindicemus*. Alia eſt hypothetica & conſequens, cujus duo exempla profert locô in objectione citatô. Primum petit ex præſcientia Dei, quam dicit eſſe liberam, quamvis neceſſariam; ex hypotheſi enim, quòd Deus decreverit aliquid futurum, illud conſequenter neceſſariò præſcit, quod non impedit, quin & decretum & præſcientia ſint actus abſolutè liberi; quia Deus abſolutè potuit non decernere, ac proinde non præſcire. Alterum exemplum repetit ex actuali voluntatis determinatione, qua poſita neceſſariò ſequitur actus, v. g. ex hypotheſi, quòd Petrus currat, conſequenter Petrus currit neceſſariò, & nihilominùs liberè libertate abſoluta; quia abſolutè potuit non currere. En verba S. Doctoris: *Quocirca nullo modo cogimur, aut retentâ præſcientiâ Dei tollere voluntatis arbitrium, aut retentô voluntatis arbitriô, Deum (quod nefas eſt) negare præſcium futurorum; ſed utrumque amplectimur, utrumque fideliter & veraciter confitemur... Neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum præſcivit: imò ideò non dubitatur ipſum peccare, cùm peccat, quia ille, cujus præſcientia falli non poteſt, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, ſed ipſum peccaturum eſſe præſcivit. Quòd ſi nolit, utique non peccat; ſed ſi peccare noluerit, etiam ille hoc præſcivit.* Ubi præſcientia Dei in mente S. Auguſtini ſupponit peccati futuritionem, ac proindè neceſſitas, quæ oritur ex præſcientia, non tollit libertatem indifferentiæ, utpotè quæ ſit conſequens. Idipſum confirmat alio exemplo, nempe hominis, qui agit ex libera determinatione. Sic enim pergit: *Cùm dicimus, neceſſe eſt, ut, cùm volumus, liberò volimus arbitriò, & verum procul dubio dicimus, & non ideò ipſum liberum arbitrium neceſſitati ſubjicimus.*

Ob. 5to. In mente S. Auguſtini, actio humana tùm eſt perfectè libera, cùm eſt 238

maxi-

maximè voluntaria; ſic enim ſcribit lib. de correpſ. & grat. cap. 8. *Quando rogavit Chriſtus pro Petro, ne deficeret fides ejus; quid aliud rogavit, niſi ut haberet in fide liberrimam, invictiſſimam, perſeverantiſſimamque voluntatem?* Ubi voluntas liberrima non eſt voluntas indifferens, ſed ardentiſſimè voluntaria; abſurdum quippe eſt dicere, Chriſtum rogaſſe, ut Petrus in fide haberet voluntatem maximè indifferentem. Ergo.

Reſp. Diſt. ant. In mente S. Auguſtini, actio maximè voluntaria eſt liberrima libertate inadæquatè ſumpta, conc. adæquatè ſumpta, neg. ant. Itaque cùm arbitrii libertas duo eſſentialiter includat, ſcilicet voluntarium & indifferentiam activam, ſeu vim ſe determinandi, S. Auguſtin. tractans de gratia, libertatem ſæpiſſimè ſumit inadæquatè pro voluntario. Et ratio eſt, quia activa voluntatis indifferentia infallibiliter determinatur per id, quod ampliùs delectat, & eſt pleniùs voluntarium. Undè cùm S. Doctor iſte contra Pelagianos totus eſſet in aſſerenda neceſſitate gratiæ, quæ ex nolentibus nos faciat volentes, voluntatemque liberet à ſervitute carnis & peccati; mirum non eſt, quòd S. Doctor viſus ſit primò Pelagianis, deindè Lutheranis & Calviniſtis, ac demùm Janſenio, liberum arbitrium in voluntario duntaxat reponere, & retractare, quæ ad vindicandas à fatali neceſſitate voluntares humanas priùs ſcripſerat contra Manichæos. Nam ut ipſe ſcribit, lib. de Grat. Chriſt. c. 47. *Ubi de arbitrio voluntatis, & Dei gratia diſputatur; ita eſt ad diſcernendum difficile, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur: quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.*

Ob. 6to. Gratia, utpotè humanæ naturæ perfectiva non deſtruit, nec minuit ejus perfectiones naturales, quale eſt liberum arbitrium. Atqui gratia quo major eſt aut minor, magìs aut minùs minuit indifferentiam, quin & illam deſtruit, cùm conſummata fuerit. Ergo indifferentia non pertinet ad rationem liberi arbitrii. 239

Reſp. Diſt. min. Gratia minuit indifferentiam contrarietatis, quæ eſt ad benè & malè agendum, conc. Contradictionis tam ſpecificationis quàm exercitii, neg. min. Libertas contrarietatis, qua quis poteſt bonum & malum velle v. g. mentiri, alium finem ultimum, quàm Deum, ſibi proponere, media neceſſaria ad Deum conſequendum negligere, non eſt hominis perfectio, ſed defectus, quem gratia eò magis minuit, quò ampliùs creſcit, & prorsùs tollit in patria cœleſti, ubi perfecta & conſummata beatos efficit impeccabiles; ſed eſſentia libertatis arbitrii in iis non conſiſtit. Nam ex S. Thoma liberum arbitrium ſpectat ſolummodò electionem mediorum, quæ cum fine ultimo non habent neceſſariam connexionem, ita ut abſque peccato & ullo defectu unum præ alio eligi poſſit, & hæc libertas indifferentiæ pertinet ad perfectionem creaturæ intellectualis, quæ ut eſt ad imaginem Dei, non agitur more creaturarum mente deſtitutarum, ſed eſt domina ſuorum actuum, & de iis ita liberè diſponit, ut poſſit illos non ponere, quemadmodùm Deus potuit mundum non creare, Incarnationis myſterium non implere, & multa beneficia creaturis non conferre, cùm horum omiſſio non pugnet contra ejus ſapientiam, bonitatem & juſtitiam. Hæc autem indifferentiæ ſeu contradictionis libertas, qua ſcilicet quis poteſt aliquid velle ſeu facere, & non velle ſeu non facere ſimpliciter (*e*), duplex eſt, *ſpecificationis*, ſcili-

(*e*) Hoc quoad opus bonum intelligendum eſt, ſi præceptum non ſit: ſi enim præciperetur, omiſſio illius eſſet mala, ac proinde bonum illud non poſſet omitti ſine libertate contrarietatis.

ſcilicet, qua quis eſt indifferens ad hoc ſpecie bonum vel ad aliud, quando neutrum præcipitur, v. g. ad ſequendum hoc vel illud conſilium; & *exercitii*, qua nempè voluntas poteſt excercere hunc vel illum actum, licèt ſit determinata ad unum etiam numerô objectum; quod demonſtratur exemplô S. Apolloniæ, quæ referente S. Dionyſio Alexandrino Ep. ad Fabium apud Euſebium lib. 6. Hiſt. c. 41. ſpontè & proprio motu inſiliit in rogum accenſum, ad quem cremanda ducebatur: motus ille tùm voluntatis, tùm corporis, fuit liber, &, judiciò ſancti viri, laude dignus, liber, inquam, non libertate ſpecificationis; quia hæc ſupplicii ſpecies erat determinata, & ab electione S. Martyris minimè pendens: ſed libertate exercitii, quatenùs intrepida Virgo diſpoſuit de ſuo actu, potuitque illum non ponere. Gratia autem Chriſti ejusmodi libertatem indifferentiæ nedum minuit, quin eam perficit, quatenùs voluntatem liberat à neceſſitate morali ſerviendi carnis vitiis & concupiſcentiis, juxta illud Joan. 8. v. 36. *Si ergo vos filius liberaverit, verè liberi eritis.*

240 Ob. 7mo. Chriſtus meruit implendo præcepta Patris (*f*). Atqui neceſſariò implevit, alioquin peccaſſet, quod erat impoſſibile. Ergo & nos bona opera, quæ per gratiam efficacem operamur, & quibus meremur, neceſſariò adimplemus.

Reſp. Diſt. min. Neceſſariò implevit neceſſitate ſpecificationis, conc. Neceſſitate exercitii, neg. min. Etſi Chriſtus liber non fuerit libertate contrarietatis, etenim malum ullatenùs operari non potuit; liber tamen fuit libertate contradictionis, non quidem ſpecificationis, quando opus bonum ipſi fuit imperatum; tùm enim omiſſio illius fuiſſet mala, ac proinde bonum illud non potuiſſet omittere ſine libertate contrarietatis ab ipſo prorſus eliminanda: ſed libertate exercitii, utpotè qua eas etiam, quæ ipſi præceptæ fuiſſe ſupponi poſſunt, actiones exercuit, & adimplevit, prout patet ex hiſtoria paſſionis: enimverò ſpontè ex urbe ad locum proceſſit, ubi faciliùs à militibus comprehenderetur; *ut cognoſcat mundus*, inquit Joan. 14. *quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio, ſurgite, eamus hinc.* Et ſciens Judam cum cohorte appropinquare, exiit eis obviam: *Proceſſit*, ait S. Joan. c. 18. *& dixit eis: Quem quæritis?* Denique ex poteſtate & libertate emiſit ſpiritum, ut vel eo probaverit, quod dixerat Joan. 10. *Nemo tollit eam* (animam) *à me, ſed ego pono eam à me ipſo.*

Ob. 8vo. contra 2dam. Concluſionem. 241
S. Auguſtinus variis in lociis, ut lib. 2. de Geneſi contra Manichæos, c. 14. lib. 22. contra Fauſtum, c. 28. Serm. 155. aliàs 6. de verbis Apoſt. Serm. 159. aliàs 17. c. 3. lib. 1. ad Simplicianum q. 2. Tract. 26. in Joan. Et lib. de Grat. Chriſti. c. 13. affirmat ſine delectatione voluntatem nullatenus moveri poſſe. Ergo &c.

Reſp. 1mo. Hæc omnia ferè S. Auguſtini teſtimonia intelligi debere de delectatione deliberata. Quòd ſi intelligerentur etiam de indeliberata, nullo modo efficerent, quod adverſarii intendunt, nempe tali delectatione voluntatem neceſſariò ad conſentiendum pertrahi: his quippè locis hortatur S. Doctor ad frænandam illicitam delectationem, atque agnoſcit, voluntatem ei aliquando reſiſtere. *Aliquando*, inquit cit. c. 14. lib. 2. de Geneſ. contra Manichæos, *ratio viriliter etiam commota n cupiditatem refrænat atque compeſcit.*

Reſp. 2do. Hæc & ſimilia ejusdem S. Doctoris teſtimonia non ſtrictè ſed moraliter eſſe exponenda de eo, quod ordinariè fit; ita ut ſenſus ſit, voluntatem nonniſi prævio delectationis ſenſu & motu ut pluri-

(*f*) Vid. in Tract. de Incarn. c. 6. §. 4.

Digitized by Google

plurimùm moveri, licèt interdum contingat, ipſam aliis motivis determinari. Reſponſionem hanc amplecti tenentur adverſarii, niſi velint Auguſtinum ſibi ipſi manifeſtè contradicere; citatô enim lib. 1. ad Simpl. docet Deum *ad ſe trahere homines variis & ineffabilibus modis, per timorem, dolorem, &c.*

Reſp. 3tio. S. Auguſtin. per illud *quod delectat*, non ſemper intelligere illud ſolum, quod ſuave & delectabile eſt; ſed illud omne, quod invitat, quod trahit, quod prævenit voluntatem; idque oppoſitè ad errorem Pelagianorum, quem ſemper debellat. *Nonne ſatis apparet*, inquit lib. 2. de peccat. merit. c. 10. *etiam illa peccata juſtè imputari, quæ non delectationis illecebrâ committuntur, ſed causâ devitandæ moleſtiæ alicujus, aut doloris, aut mortis.* Id ipſum fatetur Janſenius, ſic enim lib. 6. de Grat. Chriſti c. 5. loquitur: *Ipſum quoque voluntatis apicem ad ſe ſive in malo, ſive in bono, blandiendo, aut* NB. *aliter afficiendo trahunt aut retrahunt.*

242 Ob. 9no. Gratia efficax jugiter delectatio victrix appellatur à S. Auguſtino lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ. c. 19. lib. 2. ad Bonifacium c. 9. Ergo &c.

Reſp. diſt. ant. appellatur delectatio victrix, relativè ſeu per gradus, neg. abſolutè, ſubdiſt. aliquando aut etiam ſæpiùs, conc. ſemper, neg. ant. Dici etiam meritò poteſt, pleraque ex his teſtimoniis intelligenda eſſe de delectatione deliberata, id eſt, de illa complacentia libera, qua inhæremus objecto, quæque voluntatis electionem & ultimum intellectûs judicium antecedit: hanc autem liberam complacentiam ſemper elicit gratia efficax; ſicque effectivè & cauſaliter rectè dici poteſt delectatio.

243 Ob. 10mo. celebre S. Auguſtini effatum, Expoſit. in c. 5. Ep. ad Galat. *Quod ampliùs nos delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt.* Ergo &c.

Reſp. diſt. ant. & exponimus textum S. Auguſtini: Quod ampliùs nos delectat *delectatione deliberata*, ſecundùm id operemur neceſſe eſt, *neceſſitate* ſcilicet *conſequente*, conc. Quod ampliùs delectat *delectatione indeliberata*, neceſſariò amplectendum eſt *neceſſitate antecedente*, neg. ant. Hunc eſſe ſenſum S. Doctoris patet ex contextu: *Non enim*, ait, *quod ampliùs nos delectat, ſecundùm boc* Velimus *neceſſe eſt*; ſed Operemur *neceſſe eſt.* Et paulò pòſt: *Secundùm boc vivimus, ſecundùm boc operamur.* Undè ſic arguimus: Delectatio de qua ibi agitur, eſt ea, ex qua immediatè ſequitur actio externa: Atqui talis delectatio non eſt alia quàm delectatio deliberata, ſeu libera voluntatis complacentia. Ratio enim immediata, cur homo v. g. caſtè vivat, hæc eſt, quòd per gratiam libera voluntatis electione, magìs in caſtitate ſibi complaceat quàm in peccato. Ergo &c. Prætereà hunc locum exponendũ eſſe de delectatione deliberata clariſſimè conſtat ex aliis quampluribus ejuſdem S. Doctoris teſtimoniis inter probationes Concluſionis 2dæ. ſup. num. 233. adductis, præſertim verò ex illo lib. 8. Confeſſ. c. 8. *Non faciebam quod incomparabili affectu mibi magis placebat;* quod de delectatione indeliberata intelligendum eſſe ex ſe ſe patet, & ibidem probavimus. Denique ita hìc ſentire S. Auguſtinum deducitur ex eo, quòd cùm Commentarium ſuum ſcriberet in Epiſt. ad Galat. tùm verſaretur in errore Semipelagianorum, in quo permanſit uſque ad Epiſcopatum ſuum (*g*), ut ipſe teſtatur, lib. de prædeſt. SS. c. 3. quomodò ergo potuit duos errores contradictoriè oppoſitos tenere, nempe & nimium concedere libero arbitrio, & ſimul illud negare & tollere?

 Ob-

(*g*) Epiſcopatum iniit an. 397. mortuô nempe Valeriô anteceſſore ſuo cujus adjutor an. 396. jam electus fuerat.

Digitized by Google

244 Ob. 11mo. S. Auguſtinus lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ. c. 17. ait: *Nolunt homines facere, quod juſtum eſt, ſive quia latet an juſtum ſit, ſive quia non delectat: tantò enim quidquam vehementiùs volumus, quantò certiùs quàm bonum ſit novimus, eoque delectamur ardentiùs.* Ergo &c.

Reſp. neg. conſ. Loquitur hîc S. Doctor etiam de delectatione deliberata; ut conſtat 1mo. quia delectatio de qua ibi agitur eſt effectus gratiæ, ut apertè declarant verba immediatè ſequentia: *Ut autem innoteſcat, quod latebat, & ſuave fiat, quod non delectabat, gratiæ Dei eſt, quæ adjuvat hominum voluntates, qua ut non adjuventur, in ipſis itidem cauſa eſt, non in Deo.* Atqui talis delectatio profectò eſt deliberata. Ergo &c. 2do. *Tantò magis*, inquit ibidem, *delectat opus bonum, quantò magis diligitur Deus ſummum & incommutabile bonum. Ut autem diligatur Deus, charitas ejus diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Sed delectatio, quæ eſt ab amore Dei, & charitate diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, ſanè eſt delectatio deliberata. Ergo &c. 3tio. Dilectio & delectatio juſtitiæ ſunt quid unum & idem. Sed dilectio juſtitiæ eſt deliberata. Ergo. Major certa eſt in principiis S. Auguſtini, præſertim ex mox citata expoſitione in Ep. ad Galat. Minor conſtat ex c. 18. laudati lib. de pec. mer. & remiſſ. *Aut enim juſtitiam diligimus, & bona eſt* (voluntas;) *& ſi magis diligimus, magis bona; ſi minùs, minùs bona eſt &c.* Ergo &c.

Inſt. Data à nobis hujus S. Auguſtini textus expoſitio identicum reddit illius ſenſum: nempe unumquemque tantò vehementiùs quidquam velle, quantò ardentiùs idipſum vult & intendit. Atqui hoc foret abſurdum. Ergo textus ille intelligi non poteſt de delectatione deliberata.

Reſp. neg. maj. Hoc enim unum vult S. Auguſtinus, ſcilicet, quò vehementiùs complacemus in objecto propoſito, eò ardentiùs nos illud eligere ac proſequi; ita ut gradus dilectionis ac complacentiæ liberæ in Objecto menſura ſit & regula ardoris & impetus, cum quo voluntas Objectum illud eligit ac proſequitur: hic autem ſenſus nedum identicus eſt & inſulſus, verùm Doctrinam principiis S. Auguſtini omninò conſonam exprimit.

Ob. 12mo. Omnes actus voluntatis 245 ſunt formaliter & eſſentialiter amores; enimverò voluntatem velle, non eſt aliud niſi amare. Atqui amor ſemper includit ſuavitatem ac delectationem. Ergo.

Reſp. neg. maj. Odium namque & timor procul dubio ſunt actus voluntatis. Atqui inſulsè omninò diceretur, motus illos, qui directè opponuntur amori, totidem eſſe formaliter & eſſentialiter amores.

Inſt. Licèt omnes actus voluntatis non eſſent formaliter amores, omnes tamen ſunt ab amore tanquam à cauſa & principio; omne quippè odium fundatur in amore. Ergo &c.

Reſp. Diſt. ant. Omnes actus voluntatis ſunt ab amore deliberato ſeu conſequente liberam voluntatis electionem & determinationem, conc. Omnes actus ſeu motus indeliberati ſunt ab amore, quaſi amor unicum ſit pondus, quo voluntas impulſu prævio & indeliberato determinatur ad agendum, neg. ant. Verum equidem eſt, omnem voluntatis motum deliberatum eſſe ab amore, aut ad ipſum tendere; quo ſenſu, quidquid homo facit, ex delectatione facere dicitur, quia illud facit, quia vult & ipſi placet; & quidquid placet, quodammodò delectat, licèt aliundè durum & grave ipſi fuerit: at falſum prorsùs eſt, omnes indeliberatos motus ſic eſſe ab amore, ut amor delectans unicum ſit omnium noſtrarum actionum principium; amor enim ex S. Auguſtino, lib. 14. de Civ. c. 7. aliquando delectationis, aliquando verò timoris vel triſtitiæ

tiæ ſenſum adjunctum habet: *Amor*, inquit, *inhians habere, quod amatur, cupiditas eſt; id autem habens, eoque fruens, lætitia eſt: fugiens, quod ei adverſatur, timor eſt; idque ſi acciderit ſentiens, triſtitia eſt.* Et verò aliud quàm delectationis principium bonarum actionum paſſim inculcat, lib. 2. de pec. mer. & rem. c. 10. Enarrat. in Pſal. 79. & locis antea citatis.

246 §. II.

De variis circa gratiæ efficacis naturam Catholicorum Theologorum Syſtematibus.

Exploſis §. præcedenti Lutheri, Calvini & Janſenii eorumque aſſeclarum circa gratiæ efficaciam erroneis opinionibus, ſupereſt, ut, priusquam hunc noſtrum de Gratia Chriſti Tractatum concludamus, varias, quæ in Scholis circumferuntur, Theologorum noſtrorum circa gratiæ efficaciam opiniones & Syſtemata referamus; quod ſingulis titulis exequimur.

247 *Syſtema Thomiſtarum.*

Duplex potiſſimùm gratia diſtinguitur à Thomiſtis. Alia dicitur excitans & ſufficiens: alia efficax & adjuvans. Gratia excitans ſeu ſufficiens eſt ea, quæ voluntatem excitat, eique vires verè ac relativè ſufficientes ſubminiſtrat, ut velle & operari poſſit, quamvis illa potentia nusquam ad actum reducatur, niſi aliud accedat ex parte Dei efficax ac phyſicè præmovens auxilium. Gratia verò efficax ſeu adjuvans, juxta ipſos, eſt ea, quæ liberum voluntatis conſenſum naturâ duntaxat antecedit, illiusque cauſa eſt, voluntatem ad actum phyſicè applicando. Gratiam hanc phyſicè præmoventem dicunt ad agendum neceſſariam in quolibet ſtatu, *titulô dependentiæ*; in præſenti verò naturæ lapſæ ſtatu, inſuper & *titulô infirmitatis.*

Dicitur autem gratia phyſicè præmovens in præſenti ſtatu ad agendum neceſſaria *titulô infirmitatis*: non quòd ipſa abſente nullæ ſint in voluntate vires operi exequendo verè ac relativè proportionatæ: omnes enim ad unum Thomiſtæ contendunt gratiam præmoventem ſeu efficacem ſe tenere ex parte actûs ſecundi duntaxat.... ſufficienti auxiliô completiſſimam eſſe potentiam in ratione potentiæ, antequam auxilium efficax conferatur, & per ſolum ſufficiens compleri omninò potentiam, ita ut nihil omninò deſit, quod ad potentiam in ratione potentiæ pertineat. Gratia ergo phyſicè præmovens ab ipſis dicitur neceſſaria *titulô infirmitatis;* quia nempe etſi ſanetur voluntas ope gratiæ ſufficientis, nihilominùs tamen propter carnis infirmitatem, perpetuamque ejus cum ſpiritu pugnam, ſummam patitur ad bonum ſupernaturale difficultatem, quam perfectè quidem poteſt vincere, ſed nusquam vincit nec erumpit in actum, niſi acceſſerit auxilium efficax: adeò ut etſi neceſſarium non foret auxilium illud titulô dependentiæ, adhuc tamen foret neceſſarium propter dictam infirmitatem.

Eadem fermè ratione gratia efficaciter & phyſicè præmovens ab ipſis appellatur auxilium Chriſti medicinale: non quidem *ſimpliciter* & *abſolutè*, quaſi ipſa ſola ſit, quæ ſufficientes ad agendum vires conferat; ſed dicitur auxilium medicinale *ſpeciale*, quatenus vires confert efficaciſſimas, ſeu vires junctas cum actu, ſeu, quod idem eſt, potentiam movet, applicat & reducit ad actum. Undè juxta ipſos duplex eſt auxilium Chriſti medicinale, alterum merè ſufficiens, alterum ſpeciale & efficax: prius perfectè complet potentiam in actu primo, poſterius potentiam complet & perficit in actu ſecundo, ſeu poſſe ipſum conjungit cum operatione.

Quænam autem ſit gratiæ illius à ſe efficacis ac phyſicè præmoventis natura, diſſentiunt inter ſe. Longè tamen communior inter ipſos ſententia docet, gratiæ à ſe efficacis auxilium eſſe virtuoſam Dei motionem, ſeu motum à Deo humanæ voluntati impreſſum, quo ad actum eliciendum

Digitized by Google

dum applicatur: motus autem ille à Deo voluntati impreſſus, inquiunt, vim quamdam ſingularem habet, & eſt divinæ virtutis & omnipotentiæ eum imprimentis participatio, quo fit ut humanam voluntatem movendo elevet & perficiat, ut ſupernaturaliter, liberè, & qualiter voluerit Deus, operetur.

Hic explicandi modus reipſa non diſtat ab eo, quo nonnulli Thomiſtæ aſſerunt, gratiam præmoventem eſſe actionem Dei, per quam creatura ad actum ſecundum redigitur; vel, ut alii loquuntur, eſt ipſamet cauſæ ſecundæ actio prout à Deo applicante procedit.

Thomiſtæ totius ſui Syſtematis fundamentum præcipuè repetunt ex rationibus cauſæ primæ & primi motoris: Deus ut cauſa prima debet influere in omnes actiones creaturarum, nec ſinit illius conditio ac dignitas, ut determinationem à cauſa ſecunda, à creatura ſua, expectet; reſtat ergo, ut prima cauſa ſecundam determinet, ac applicet ad agendum. Primus etiam motor, ne detur proceſſus in infinitum, debet, cùm ſit ſemper in motu, mobilibus facultatibus ac potentiis motum tribuere; quidquid enim non eſt in motu, indiget ab alio moveri. His non obſtantibus illæſam tamen remanere hominis libertatem tuentur, quod pluribus probant argumentis, ex quibus duo tantùm brevitatis gratiâ recenſemus (*b*).

1mum. petitur ex idea Entis ſupremi & omnipotentis. Cauſa omnipotentiſſima attingit non tantùm ſubſtantiam ſed & modum actûs, ſeu effectum operatur, quem vult & eo modo, quo vult. Atqui abſoluta Dei voluntas eſt cauſa omnipotentiſſima, efficaciſſima, & perfectiſſima; vult autem, ut creaturæ rationales, quas præmovet, agant liberè, id eſt, ſervatâ ad oppoſitum potentiâ. Ergo &c. Ac proindè ipſa præmotione, non quidem in ſe præcisè & quoad ſolam entitatem ſpectata, ſed prout eſt participatio divinæ virtutis & inſtrumentum voluntatis omnipotentiſſimæ, certò fit, ut creatura præmota ita agat, ut ſervet potentiam ad oppoſitum: undè tantùm abeſt, quominùs præmotio phyſica noceat libertati, quin potiùs eam ſervat & ſtatuit atque confirmat. Ratiocinium iſtud colligunt ex S. Thoma variis in locis, præſertim 1. p. q. 19. a. 8. ad 2. & 1. 2. q. 10. a. 4. & quodlib. 11. a. 3.

Secundum colligitur ex ipſa gratiæ ſufficientis natura, variiſque ejus officiis. Scilicet gratia ſufficiens Thomiſtica 1mo. completiſſimam in actu primo ad opus bonum confert potentiam. 2do Homo tali auxiliô inſtructus benè operaretur ſi vellet. 3tio. Ideò non operatur, quia non vult operari, illiuſque culpa eſt, quòd nolit. 4to. In gratia ſufficiente offertur efficax, quam Deus paratus eſt dare, quamque certiſſimè daturus eſſet, niſi voluntas impedimentum apponeret. 5to. Denique homini gratia ſufficiente inſtructo ideò duntaxat denegatur efficax, quia impedimentum objicit illius receptioni, quod poſſet non objicere. Hæc omnia ultrò fatentur Thomiſtæ, eaque variis S. Thomæ teſtimoniis confirmant; ex 2. diſt. 28. q. 1. a. 4. lib. 3 contra Gentes, c. 159. Quæſt. 3. de malo, a. 1.

His & aliis, quæ prætermittimus, poſitis, inferunt Thomiſtæ, hominem auxiliis ſufficientibus adjutum eſſe liberrimum, meritoque ipſi imputari, quòd non agat. Deus enim paratus uberiora gratiæ auxilia conferre, primò per gratiam excitantem movet voluntatem: voluntas autem in primo illo inſtanti plenam habet potentiam ab omni vinculo & fortiori illecebra ſolutam: ſic ergo ad hanc vel illam actionem libera & indifferens, vim electivam habet vel motioni obtemperandi, atque ita gratiam adjuvantem ſeu efficacem obtinendi; vel motioni gratiæ reſiſtendi, atque ita gratiam efficacem in ſufficiente obla-

(*b*) Vide quæ in Metaphyſices noſtræ parte 2. c. 1. §. 6. de præmotione phyſica diſſeruimus.

Digitized by Google

oblatam rejiciendi, & ipſi obices ponendi. Ita gratiam phyſicè præmoventem cum libertate hominis, ipſiusque inexcuſabilitate conciliant Thomiſtæ.

Cæterùm obſervant, nihil omninò nocere ſuo Syſtemati, quòd in eo non ita facilè concipi poſſit divinæ motionis cum libertate concordia: ardua ſiquidem ab omnibus Eccleſiæ Doctoribus ſemper exiſtimata fuit hæc gratiæ cum humana libertate conciliatio. Quin & ipſe perſpicaciſſimus gratiæ Doctor Auguſtin. ſe hac difficultate plurimùm premi disertè teſtatur, lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ. c. 18. his verbis: *Ipſa etiam ratio quemlibet noſtrum quærentem vehementer anguſtat, nè ſic defendamus gratiam ut liberum arbitrium auferre videamur: rursùs nè liberum ſic aſſeramus arbitrium, ut ſuperba impietate ingrati Dei gratiæ judicemur.* Quod idem alibi ſæpiſſimè repetit, præſertim c. 47. libri de Grat. Chriſti.

248 Porro quàm longè iſtud Thomiſtarum gratiæ Syſtema à Janſeniano diſtet, vel ex dictis abunde patet. Ipſemet Janſenius pluribus in locis, præſertim lib. 8. de Gratia Chriſti c. 2. *varia diſcrimina profert inter adjutorium Dei medicinale, & prædeterminationem phyſicam, prout à defenſoribus ipſius* (Thomiſtis) *defenditur.* Hic eſt Capitis titulus; quo ſemel poſito, pergit, & octo recenſet atque aſſignat diſcrimina: unde concludit, defenſores præmotionis phyſicæ, ſeu gratiæ per ſe efficacis Thomiſtarum (*i*), ſe magis *Ariſtotelicos*, quàm *Auguſtinianos* demonſtrare: *Nam*, inquit, *prædeterminatio ſic aſſerta . . . univerſam ejus* (S. Auguſtini) *doctrinam inexplicabili confuſione perturbat.* Id ipſum celebriores Janſenii diſcipuli, ut Arnaldus, Saint-Amour, Auctor generalis Hiſtoriæ Janſeniſmi, candidè fatentur.

Et ſanè 1mo. Gratia phyſicè præmovens Thomiſtarum ſe tenet ex parte actûs ſecundi duntaxat, at contrà gratia efficax Janſenii ex parte actûs primi & potentiæ. 2do. Thomiſtæ admittunt gratiam ſufficientem potentiam ad actum, non verò ipſum actum tribuentem; minimè verò Janſeniani; parvaque gratia illa, quam ſufficientis gratiæ locò ſubſtituere videtur Janſenius, ſemper producit deliberatos quosdam actus imperfectos, velleitates ſcilicet, infirma deſideria &c. adeoque actum ſemper elicit. Denique, ut cætera taceamus, quæ apud Tournelium (*k*) videri poſſunt, 3tio. Syſtema Janſenii circa gratiam repetitis cenſuris à Summis Pontificibus & ab Eccleſia proſcriptus fuit; non verò Syſtema Thomiſticum, longa enim eſt ætas, ex qua ſpectante Eccleſia publicè propugnatur; Summique Pontifices ſedulò prohibuêre, ne ulla ipſi nota inureretur.

Syſtema Auguſtinianorum. 249

Nomine Auguſtinianorum intelliguntur ii, qui gratiam, non quidem relativè & per gradus, ſed abſolutè & *ex natura ſua* moraliter efficacem propugnant. Hi autem, ut mentem ſuam exponant,

1mo. Diſtinguunt inter opera naturalia, & ſupernaturalia: item inter ſtatû naturæ innocentis, & naturæ lapſæ. 2do. Volunt liberas quaslibet creaturas in quovis ſtatu ad ſingulas actiones naturales actuali Dei concurſu indigere. 3tio. Concurſum hunc non eſſe prævium ac phyſicè determinantem, ſed ſimultaneum, indifferentem, per ſe flexibilem & voluntatis arbitrio relictum; ita ut hîc & nunc Deus concurrat, quia voluntas ſeſe determinat ad agendum, & non è contrà. 4to. Quoad opera ſupernaturalia creaturas easdem in quolibet ſtatu indigere

(*i*) Dei præmotionem, quam Thomiſtæ ad quascumque actiones neceſſariam volunt, ubi agitur de operibus naturalibus, appellant præmotionem phyſicam; quoad opera verò ſupernaturalia, eam gratiæ per ſe efficacis nomine inſigniunt.

(*k*) De gratia part. hiſtoricâ, Diſput. 8. art. 3. §. 3.

Digitized by Google

ſpeciali quodam ac ſupernaturali actualis gratiæ adjutorio. 5to. Hujuſmodi gratiam in ſtatu naturæ innocentis non fuiſſe *ex ſe ſe* vel *ex natura ſua* efficacem, ſicuti nunc eſt, ſed verſatilem. 6to. Nulla proindè tunc fuiſſe decreta abſoluta, efficacia & antecedentia liberum voluntatis creatæ conſenſum, nullam prædeſtinationem ad gloriam ante prævisa merita, nullam reprobationem niſi ex prævisis actualibus peccatis. 7mo. Gratiam ex ſe ſe efficacem ad ſingula præſentis ſtatus opera ſupernaturalia exigunt. 8vo. Hujus gratiæ neceſſitatem ex ſola humanæ voluntatis infirmitate repetunt; nullo autem pacto ex naturæ creatæ à Deo pendentis ſubordinatione ac ſubjectione. 9no. Ejuſdem gratiæ naturam ut plurimùm ſitam eſſe contendunt in ſuavitate & delectatione, non quidem per gradus, ſed ſimpliciter & abſolutè victrici; per quam Deus libertimè, ſed certò & infallibiliter ad bonum inflectit. Dixi, *ut plurimùm*, non enim negant hujus Syſtematis defenſores, aliis modis Deum in voluntatem agere: ultrò fatentur cum S. Auguſtino, lib. 1. ad Simplic. *miris & ineffabilibus modis Deum homines ad ſe vocare & trahere.* Efficax gratia illa phyſicè quidem afficit & prævenit voluntatem, ſed moraliter duntaxat illius conſenſum operatur, quem Deus unàcum homine per gratiam adjuvantem ſeu cooperantem producit. 10mo. Præter hanc gratiam efficacem, aliam admittendam eſſe agnoſcunt, quæ appellatur gratia ſufficiens, quæ dat voluntati ſatis virium, ut verè poſſit mediatè vel immediatè opera pietatis exercere, quæque tamen nusquam ſuum conſequitur effectum, niſi acceſſerit uberius gratiæ efficacis auxilium. Utraque hæc gratia, ſufficiens ſcilicet, & efficax, juxta Auguſtinianos, eſt auxilium Chriſti medicinale: hæc quidem, ſpeciale & præcipuum, de quo ſæpiſſimè loquitur S. Auguſtinus, quodque confert voluntati *vires efficaciſſimas;* altera verò, auxilium medicinale merè ſufficiens, de quo etiam frequenter idem S. Doctor; quodque relativam ac completiſſimam in ratione potentiæ tribuit ad opus bonum poteſtatem. 11mo. Quando Deus efficaciter aliquem vocare decernit, tunc auxilium per ſe efficax tribuit; cæteris autem pro loco & tempore ſufficientem gratiam largitur, qua poſſint implere præcepta, vel certè uberius auxilium impetrare, per quod illa impleant. 12mo. In illo Syſtemate admittenda ſunt decreta abſoluta & ex ſe efficacia quoad opera ſupernaturalia præſentis ſtatûs. 13tio. Præſcientia hujuſmodi operũ fundatur in dictis decretis ex ſe efficacibus. 14to. Prædeſtinatio eſt omninò gratuita. 15to. Reprobatio poſitiva fit propter actualia cujuslibet peccata; negativa verò ex ſola peccati originalis prævisione.

Plerique præfatum Syſtema emollire tentarunt, indè dicti molliores Auguſtiniani. Diſtinguunt illi inter opera facilia & difficilia: Gratiam *à ſe* efficacem non requirunt niſi pro operibus difficilibus; pro operibus verò facilibus, oratione præſertim, gratiam verſatilem ita proximè & immediatè ſufficere contendunt, ut ſuum quandoque ſortiatur effectum absque uberiori auxilio præveniente.

Manifeſtum eſt omninò ac exploratum, in eo Syſtemate facilè ſolvi graviores difficultates ex inexcuſabilitate hominis, necnon ex concordia libertatis cum gratia repetitas: ſcilicet ubi agendum occurrit opus difficile, ſemper adeſt homini præſertim juſto gratia verè ac relativè ſufficiens, cum qua poteſt orare ut oportet; ſicque à Deo impetrare gratiam *ex ſe* efficacem ad opus iſtud peragendum neceſſariam. Ex quibus omnibus patet etiam, Syſtema iſtud à Janſeniano plurimùm differre. Huc enim redeunt omnia fermè Janſenianum Syſtema inter & Thomiſticum priùs aſſignata diſcrimina. Tria hìc paucis indicamus.

Pri-

Digitized by Google

250 Primum, omninò negatur ab his Catholicis delectationis ſimpliciter victricis defenſoribus palmare illud Janſenii principium: vires ſcilicet electivas per peccatum primi parentis penitùs eſſe amiſſas, illiſque ſucceſſiſſe duplicem delectationem, ex qua voluntas omnes vires ſuas mutuatur: aſſerunt nempe vim electivam, ſive ad bonum, ſive ad malum expeditam, non repeti à graduali delectationum intenſione; ſed reſpectu mali naturaliter completam eſſe & perfectam, ad bonum autem ſupernaturale perfici & compleri gratiæ ſufficientis virtute omninò independente à gradibus delectationum: quare juxta illud Syſtema, ex eo, quòd ad aliquod Objectum proſequendum voluntas vel nulla, vel minùs intenſa delectatione moveatur, non ſequitur, ſicuti in Syſtemate Janſeniano, quòd inferiorem habeat vim electivam circa illud Objectum.

Secundum, Gratiam efficacem in delectatione non relativè, ſed abſolutè duntaxat victrici reponunt, cui ab humana voluntate verè reſiſti poteſt, ſicut & præmotioni phyſicæ.

Tertium, præter gratiam efficacem alia ab ipſis admittitur, ſcilicet ſufficiens, quæ veram confert potentiam & relativam ad quamlibet concupiſcentiam hîc & nunc urgentem vincendam.

251 *Syſtema Molinæ.*

Molina in *Concordia*, & in ſuis ad primam S. Thomæ partem diſſertationibus, omnem gratiam *per ſe* & *ab intrinſeco* efficacem, tanquam libertati prorsùs inimicam explodit, aſſeritque, in quolibet ſtatu, omnem gratiam actualem, prout à Deo venit, hoc unum voluntati præciſè tribuere, nimirùm ut verè & expeditè hîc & nunc operari poſſit, eâque hominem ad arbitrii ſui libitum abſque ullo uberiori ac prævenienti auxilio uti vel non uti, ita quòd ſi eâ uti velit, eam efficacem reddat; inefficacem verò, ſi eâ uti abnuat. Ita ipſe in Concordia q. 14. a. 13. Diſput. 40.

Undè in eo Syſtemate 1mo. Gratia ſufficiens & efficax naturâ & entitate à ſe invicem non diſtinguuntur: gratia efficax nihil ex parte ſui includit, quòd alia pariter, quæ inefficax eſt & merè ſufficiens, non includat; ſed eadem omninò, modò efficax eſt, modò inefficax, prout voluntas ei conſentit vel reſiſtit: imò minus auxilium, minor gratia quandoque eſt efficax, majus verò & intenſius auxilium, inefficax. 2do. Gratiæ divinæ efficacia ex humanæ voluntatis conſenſu & arbitrio pendet, ita ut ad nutum & beneplacitum hominis volentis ei conſentire, vel ei conſentire nolentis efficax reddatur vel inefficax: neque ideò libera hominis voluntas bonum velit, quia gratiâ efficaciter impellitur ac certò determinatur, ut *hîc & nunc* velit; ſed è contrà ideò gratia efficax ſit, quia voluntas ſuô arbitriô vult id, ad quod gratia excitat, ipſamque ad influendum *hîc & nunc* determinat. Ita ipſe loc. cit.

Gratiam autem ex humanæ voluntatis conſenſu reddi efficacem, non ita vult intelligi Molina, quaſi conſenſus vim aliquam gratiæ tribuat, illamque reddat efficacem in actu primo; omnem enim gratiæ vim & energiam à ſolo Deo auctore proficiſci ultrò fatetur: ſed hoc unum duntaxat intendit, conſenſum illum, ut *hîc & nunc*, & *certò* ſit, à ſola voluntate tanquam à cauſa gratiam determinante pendere; huncque conſenſum eſſe conditionem, qua poſitâ gratia redditur efficax in actu ſecundo, ſeu cum effectu conjuncta: eo ferè modo, quo Sacramenta ſigna ſunt ex ſe practica & in actu primo efficacia gratiæ; attamen ex ſuſcipientium diſpoſitionibus, tanquam à conditione, quam non inferunt, ſed ſupponunt, omninò pendet, ut ſint in actu ſecundo efficacia, gratiamque re ipſa producant. Ita colligitur ex Molina locis cit. præſertim q. 23. art. 4. & 5. Diſput. Membrô 6.

3tio. Quod ex prioribus conſequitur, gratia actu aliis in eodem Syſtemate generatim & propriè non dividitur in ſufficientem & efficacem, cùm ſufficiens non diſtinguatur ab efficaci, ſed ipſiſſima ſit, quæ, ex humanæ voluntatis beneplacito redditur efficax: verùm loco dictæ diviſionis gratia ſufficiens dividi poteſt ac debet in efficacem ex eventu ſeu ex effectu, & inefficacem.

Cùm verò docet Molina, penes voluntatem eſſe *abſque novo ex parte Dei auxilio* gratiam ſufficientem reddere efficacem, id non debet intelligi de auxilio *qualicunque*, ſed de *uberiori* duntaxat ac *prævio*. Duplex quippè in Syſtemate Molinæ intervenit Dei actio ſeu phyſicus influxus, quando voluntas gratiæ conſentit. Primus eſt ipſamet gratia præveniens, ſeu motus indeliberati piæ cogitationis in mente ac piæ motionis in voluntate, quibus moraliter invitatur & allicitur ad conſenſum: ſecundus eſt concurſus ſupernaturalis, quo Deus efficienter agit cum voluntate, ipſumque conſenſum phyſicè producit. Ita ipſe cit. q. 14. a. 13. diſput. 40. Undè infert, Deum eſſe cauſam primam & præcipuam cujuſcumque actionis ſupernaturalis, quia ad eam duplici modò influit. 1mo. per gratiam prævenientem, quæ vires voluntati tribuit. 2do. per gratiam cooperantem, ſeu concurſum, qui adjuvat ad actum perficiendum. Influxus porro ille ſeu concurſus merè ſimultaneus eſt. In quo differt à Thomiſtis: hi enim præter moralem excitationem, ſeu influxum gratiæ excitantis, prout ſuprà retulimus, requirunt inſuper Dei motionem phyſicam naturâ & cauſalitate priorem, ac prædeterminantem phyſicè voluntatem ad conſenſum: Molina è contrà arbitratur, phyſicam illam Dei actionem naturâ & cauſalitate priorem non eſſe, ſed ſimultaneam cum actione voluntatis.

Porro in hoc Molinæ Syſtemate rectè ſtare ac ſalvari videtur voluntas Dei ſalvandi omnes homines: Deus enim omnibus largitur ſufficientiſſima ad ſalutem operandam auxilia. Nullo quoque negotio conciliatur libertas cum gratia & decretis divinis: tùm quia voluntas creata gratiam determinat, ut hîc & nunc influat in opus, & non vice verſa; tùm quia decreta in dicto Syſtemate liberam voluntatis determinationem nec præcedunt, nec inferunt, ſed præſcitam ſupponunt. Denique in hoc Syſtemate propugnari poteſt, prædeſtinationem ad gloriam fieri ante vel poſt præviſa merita; Deus enim nihil abſolutè decernit circa liberas voluntatis actiones, niſi priùs exploraverit, quam in partem voluntas in his vel illis circumſtantiis, ſub hac vel illa gratia, ſe ſe determinatura ſit (*l*): hoc autem ſemel ſuppoſitô, parum refert utrum efficaciter Deus intendat priùs gloriam quàm gratiam; aut gratiam priùs quàm gloriam; aut unico & ſimpliciſſimo actu velit ſimul gloriam & ſeriem mediorum, quæ ad illam conducunt. Attamen in eo non omninò tollitur à myſterio prædeſtinationis difficultas: cur enim Deus talem in his vel illis circumſtantiis conſtituat; cur illi det vel deneget ea gratiæ auxilia, quibus videt eum conſenſurum & perſeveraturum, pendet à ſola ipſius voluntate, & ad inſcrutabilia ejus judicia recurrendum.

Cæterùm quàm longè diverſum ſit istud Molinæ Syſtema ab errore Semipelagianorum vel ex dictis patet; Semipelagiani enim ad initium fidei & ſalutis deſiderium omnem gratiæ interioris prævenientis neceſſitatem conſtantiſſimè negârunt, contrà quàm tamen velit Molina, ut 252

(*l*) Per ſcientiam ſcilicet mediam. Vide dicta in Tract. de Deo part. 1. cap. 5. §. 3. num. 178. & ſeq.

Digitized by Google

ut cætera taceamus (*m*) ; unde eorum ferri non debet temeritas, qui ſpretô publicô ac ſolemni Sedis Apoſtolicæ judiciô, non verentur Semipelagianiſmi notam ei inurere.

253 *Syſtema Congruiſtarum.*

Suarez, Vaſquez, & alii Syſtema Molinæ circa gratiam paulò aliter adornârunt: aſſeruêre ſcilicet, gratiam tunc efficacem eſſe, quando voluntati congrua eſt; hinc *Congruiſtæ* vulgò nuncupati.

Eſt autem duplex diſtinguenda congruitas, intrinſeca ſcilicet, & extrinſeca. Intrinſeca eſt ea, quæ deſumitur ex mira & interna gratiæ vi ac energia antecedenter ad prævisum per ſcientiam conditionatorum voluntatis conſenſum: gratia hoc ſenſu congrua, ipſiſſima eſt gratia *ex ſe* & ab *intrinſeco* efficax.

Extrinſeca verò congruitas poſita eſt in accommodatione, convenientia & attemperatione gratiæ cum hominis ingenio, natura, affectibus, variiſque locorum ac temporum circumſtantiis, prout iſta omnia ſubjacent ſcientiæ mediæ: ſeu in eo conſiſtit, quòd gratia hominis genio & diſpoſitionibus ſit attemperata, quòdque Deus eo locô, eo tempore, iiſque in circumſtantiis eam largiatur, in quibus per Scientiam mediam prævidet, humanam voluntatem ei conſenſuram. In hac extrinſeca congruitate gratiæ efficaciam reponunt.

In hoc Syſtemate 1mo. eadem omninò eſt natura & entitas gratiæ tùm efficacis tùm ſufficientis, quæ ſola congruitate differunt; licèt enim Deus omnibus largiatur auxilia ad beatitudinem & ſalutem conſequendam ſufficientia, tamen quia per Scientiam mediam noſcit quid eorum unusquisque in ſingulis circumſtantiis ſit acturus, ſi hæc aut illa gratia ipſi conferatur, poſitâ hac conditionatorum ſcientiâ, quosdam pro ſuo beneplacito & peculiari in eos affectu ſeligit decretô abſolutô & efficaci, iisdemque ſic electis, non item aliis, deſtinat eam gratiarum congruarum ſeriem, cùm qua certiſſimè ſunt in bono perſeveraturi, & ſalutem conſecuturi; gratia efficax igitur apud ipſos ſola congruitate differt à ſufficienti: efficax tamen ſufficiente ſemper major eſt in ratione doni & beneficii, eoquòd illa, non iſta, opportunis in circumſtantiis conferatur; eodem ferè modo, quo gladius datus alicui tempore pacis & tempore belli, realiter idē gladius eſt; attamen in ratione doni & beneficii, melior & utilior cenſetur tempore belli conceſſus, quàm tempore pacis. 2do. In eodem Syſtemate gratia ſufficiens completam & perfectam confert benè agendi potentiam, non dat tamen operari, utpotè non congrua: hujus autem inefficaciæ cauſa nec in Deum refundenda eſt, qui gratiam eo animo concedit, ut operetur; nec in ipſam gratiam, quæ voluntati vires debellandæ hîc & nunc prementi concupiſcentiæ idoneas ſubminiſtrat; ſed humanæ voluntati unicè tribuenda eſt, quæ cum illa ſufficiente gratia bonum velle & operari poteſt, nec vult. 3tio. Congruiſtæ cum Molina conſentiunt in eo, quod caput eſt, nempe gratiam efficacem naturâ & virtute non diſtingui à ſufficiente, omnemque gratiam *ex ſe & ab intrinſeco* efficacem, ut libertati planè inimicam, omninò explodendam eſſe: aſt ab illo diſcrepant, quòd gratiæ efficaciam in quadam congruitate, quæ voluntatis humanæ conſenſum eliciat, ſenſu anteà expoſito, conſtituant; Molina è contrà hanc gratiæ efficaciam à ſolo conſenſu, aut èventu & effectu repetat.

(*m*) Vide ſup. cap. 2. §. 3. num. 7. & ſeq. Item in Tract. de Deo, part. 1. cap. 5. de Scientia Dei §. 2. in reſponſ. ad ob. 15.

Digitized by Google

Præterea Congruiſtæ omnes, ſpecialem, efficacem, abſolutum & antecedentem Dei erga electos affectum agnoſcunt. An autem affectus ille primò ſit ad gloriam, poſteà ad certam gratiarum congruarum ſeriem & merita; an è contrà primò ſit ad gratias congruas & bona opera, deinde ad gloriam, ſcinduntur in varias opiniones. Nonnulli exiſtimant primò ferri ad gloriam, ſicque prædeſtinationem eſſe ante prævisa merita; alii aliter opinantur.

254 *Syſtema Thomaſſini.*

Thomaſſinus, Dogmat. Theol. Tom. 3. Tract. 4. cap. 18. Gratiæ efficaciam reponit in aggregatione plurimorum auxiliorum, quibus tùm foris tùm intùs divina gratia voluntatem hominis ita aggreditur ac quaſi obſidet, ut ab ea conſenſum certiſſimè obtineat, ait itaque, ineluctabilem vim gratiæ victricis conſiſtere in multitudine, varietate, conſonantia & conſpiratione plurium auxiliorum, interiorum exteriorumque, quorum ſingula ſeorſim fruſtrari poſſunt, quin & fruſtrantur quandoque per libertatis humanæ contumacem diſſenſum; at univerſa obſtinatiſſimos quoſque fatigant tandem, & multitudine, conſpiratione, indefeſſa oppugnatione ſua ad aſſenſum tandem pertrahunt. His porro omnibus auxiliis hominum voluntates moraliter duntaxat, non phyſicè, prædeterminari ac inſuperabiliter immutari, & invictiſſimè inflecti, quòcumque Deus voluerit: hæcque moralis prædeterminatio, inquit, peræquè invicta eſt & infallibilis, ac ſi phyſica eſſet.

Addit his gratiæ auxiliis poſſe reſiſti, ſingulis tamen, non univerſis: idque duobus illuſtrat exemplis. 1mum. Poteſt peccator ſingula declinare crimina, non omnia: 2dum. Poteſt juſtus ſingula declinare peccata venialia, non omnia. Ita poteſt voluntas ſingulis reluctari gratiæ motionibus, non univerſis.

Tandem concludit ad explicandam vim & efficaciam gratiæ recurrendum non eſſe ad exploratricem conditionatorum ſcientiam; atque ad id deſiderari ſapientiam duntaxat & infinitam poteſtatem Dei, cui obvia & ad manum ſunt innumerabilia adminicula, quibus, quò voluerit, hominum voluntates ducere, & unde voluerit retrahere poteſt. Hac ratione exiſtimat, ſe mediam quaſi viam aperuiſſe inter ſcientiæ mediæ & præmotionis phyſicæ extremas ſententias; hocque pactò declinaſſe incommoda, quæ in Thomiſtarum & Moliniſtarum opinionibus occurrunt, & urgeri ſolent.

Syſtema Turnelii. 255

Turnelius ita Congruiſtarum & Auguſtinianorum Syſtemata inter ſe ſe adaptare & connectere videtur, ut tamen magis ad horum ſententiam prr pendeat, imò illam amplecti videatur; tuetur enim admittendam eſſe gratiam *per ſe* & *ab intrinſeco* efficacem, contrà quàm ſentiant Congruiſtæ. Igitur

1mo. Obſervat, gratiam dici poſſe efficacem duobus modis: nimirùm in actu primo, antecedenter ad conſenſum voluntatis; & in actu ſecundo, conſequenter ſcilicet ad illum conſenſum. Gratia efficax in actu primo eſt vis ipſa gratiæ, quatenus poteſt *certò* & *infallibiliter* exprimere voluntatis conſenſum. Gratia efficax in actu ſecundo, eſt vis eadem ſeu motio gratiæ juncta cum actu. Hanc nonnulli Theologi gratiam efficientem appellare malunt, quàm efficacem, inquit ipſe.

2do. Certiſſimum eſſe dari in præſenti ſtatu gratiam efficacem, per quam ſcilicet voluntas certò & invictè ad bonum determinatur.

3tio. In præſentiarum potiſſimùm quæſtionem eſſe, undenam gratiæ illius efficacis, quam omnes admittendam eſſe docent, repetenda ſit vis & energia; ſeu unde-

Digitized by Google

undenam oriatur certitudo & infallibilitas connexionis gratiæ efficacis cum ſuo effectu. An ex præſcientia divina, ut volunt Moliniſtæ & Congruiſtæ: an ex Dei voluntate & omnipotentia, ut contendunt Thomiſtæ. His poſitis

Concludit 1mo. Efficaciâ gratiæ formaliter & præcisè conſiſtere in ſpeciali quadam aptatione, ſeu congruitate, convenientia, & contemperatione gratiæ cum voluntate illius, cui datur. 2do. Congruitatem illam ſeu contemperationem, per quam gratia redditur formaliter efficax, repeti debere ex omnipotentia divina, & ex ipſa, ratione ac virtute gratiæ ipſi intrinſeca. 3tio. Illam virtutem intrinſecam, quæ reddit gratiam per ſe congruam & efficacem, *ut plurimùm* conſiſtere in quadam ſuavitate & dulcedine, ſeu delectatione ex ſe ſe & abſolutè victrici. 4to. Nec tamen illam Gratiæ congruitatem & efficaciam unicè & adæquatè repetendam eſſe ex interna ſuavitate ac victrici ejus delectatione; ſed quandoque per delectationem, quandoque per timorem, ſpem, mirisque aliis ac innumerabilibus modis Deum homines ad ſe efficaciter vocare ac trahere (*n*). 5to. Denique, proinde eſſe admittendam gratiam *per ſe* & *ab intrinſeco* efficacem.

Omnia hæc gratiæ Syſtemata orthodoxa ſunt: in illis enim omnibus ſtatuitur, gratiam eſſe abſolutè neceſſariam ad quælibet etiam faciliora pietatis opera, eamque eſſe plenè gratuitam, & ſtare cum libero voluntatis arbitrio, quæ tria Catholicum dogma exprimunt, uti ſæpius docet S. Auguſtinus præſertim lib. de corrept. & grat. c. 1. & lib. de dono perſev. c. 2. Unde nemini privato licet unquam ex dictis opinionibus, quas Eccleſia tolerat nec improbat, aliquâ cenſuræ notâ perſtringere: ex earum quippe numero ſunt, in quibus, ut ait idem S. Doctor, *ſalva fide, qua Chriſtiani ſumus, ab invicem diſſentire licet*; & ut loquitur Tertullianus, *in his quæſtionibus & refellere ſine pertinacia, & ſine iracundia refelli paratus eſſe debet quilibet pacis ac moderationis ſtudioſus.*

Quòd ſi verò quis à nobis ſcire velit, 256
quid nos in tanta ſententiarum & opinionum circa arduam hanc & planè difficilem de gratiæ efficacis natura & eſſentia quæſtionem varietate ſentiamus; ingenuè fatemur, nos illorum ſententiæ adhærere, qui, cùm videant adductas opiniones vel non ſatis dignè ex parte Dei; vel minùs tutè ex parte libertatis humanæ; vel nimis arctè nec ſatis adæquatè ex parte ipſius gratiæ, ejusdem efficaciam exponere, adeoque quamlibet ex mox enumeratis opinionibus graviſſimis intricatam eſſe difficultatibus; aliundè verò intelligant, modum agendi gratiæ unum eſſe ex imperviis Religionis Chriſtianæ myſteriis; eas omnes ultrò dimittunt, ſatius eſſe arbitrati, ſi dicatur, vim & efficaciam gratiæ miris & ineffabilibus modis in nobis operari, qui ſatis explicari & exprimi non poſſunt. Igitur candidè hîc noſtram hac de re ignorantiam profitemur, nihilque aliud ſcire nos reputantes, niſi, quòd mens humana per gratias ſufficientes ſive externas, ut ſunt prædicatio verbi divini, piorum virorum adhortationes & exempla, &c. ſive internas, ut ſunt divinæ inſpirationes, illuſtrationes, impulſiones, motiones, &c. ita diſponatur & præparetur, ut ſuperveniente adhuc alia gratia, quæ efficax nuncupatur, ſimul cum ea, id eſt eodem momento, ita tamen, ut hæc gratia dignitate & naturâ humanæ men-

(*n*) Eccli. 1. v. 27. *Timor Domini expellit peccatum.* Jerem. 32. v. 40. *Timorem meum dabo in cor eorum, ut à me non recedant.* Matth. 10. v 28. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potiùs timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* Et Philipp. 2. v. 12. *Cum metu & tremore ſalutem veſtram operamini.*

Digitized by Google

mentis operationem præcedat, ultrò & infallibiliter ſed, pro ingenita ſibi libertate, liberè bonum operetur & amplectatur, adeoque non ipſa ſola, ſed, prout loquitur Apoſtolus (*o*), *gratia Dei ſecum.* Verbo, totam vim & efficaciam gratiæ reponimus in virtute quadam ſupernaturali nobis prorsùs incognita, quæ ex omnipotentiſſima Dei voluntate habet, ut liberè quidem voluntatem, ſed invictè & infallibiliter ad bonum moveat, ac determinet. Ita colligimus ex S. Auguſtino, lib. de Grat. Chriſt. cap. 24. ubi, *Legant*, inquit, *& intelligant, intueantur atque fateantur; non lege aut doctrina forinſecùs, ſed internâ & occultâ, mirabili & ineffabili poteſtate operari Deum, in cordibus hominum, bonas voluntates.* Et lib. de corrept. & grat. c. 5. *Quamvis non negetur, Deum poſſe, quem velit, etiam nullo homine concipiente, corrigere, & ad dolorem ſalubrem pœnitentiæ occultiſſima & potentiſſima medicinæ ſuæ poteſtate perducere.* Ibid. *Quare iſti ſic, illi aliter atque aliter, diverſis & innumerabilibus modis vocentur, ut reformentur, abſit, ut dicamus, judicium luti eſſe debere, ſed figuli.* Item lib. de prædeſt. SS. cap. 20. *Deus in nobis mirabili modô & ineffabili operatur velle.* Denique, ut multa alia prætermittamus, In Pſal. 87. *Nimis*, ait, *occulta Dei gratia eſt, qua hominum mentes quodammodò reviviſcunt, ut poſſint à quibuslibet ejus miniſtris præcepta ſanitatis audire.*

Et ſanè mirum profectò videri debet, quòd, cùm hactenus nemo comprehendere valuerit, qua ratione mens humana, quæ merus ſpiritus eſt, nullamque ex ſua natura ad corpus relationem aut connexionem dicit aut habet, tamen non modò ei intimè conjuncta ſit, ſed ita in illud agat, atque imperium ſuum exerceat, ut ex ſola ſua & unica cogitatione illud infallibiliter moveat: tamen reperire ſit Theologos, qui modum & rationem, qua Deus per ſuam gratiam in nos agit, noſque movet, expiſcari & explorare audeant; imò ſe ſcire ultrà venditent. Cùm tamen iſtud longè altioris indaginis ſit, & mentis humanæ intelligentiam longè magis ſuperet, quàm illud.

Atque hæc de Gratia Chriſti dicta ſufficiant; in quibus, ſi quid nobis incautis minùs ſanum & rectum excidiſſe deprehendatur, pro non dicto ac revocato habemus.

(*o*) 1. Cor. 15. v. 10.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Finis Tomi ſecundi.

Digitized by Google

ERRATA

Tomi ſecundi Theologiæ Univerſalis.

In Tractatu I.

Pag.	Col.	Lin.	
22.	1.	26.	eſſet *lege* eſſent
23.	1.	15.	eſſet *lege* eſt.
25.	1.	21.	Deus *lege* Deum
28.	2.	34.	qui *lege* quin
29.	2.	26.	unde *lege* Inde
45.	2.	32.	portionati *lege* proportionati
62.	2.	29.	debeut *lege* debere
63.	2.	34	æterno *lege* æterna
77.	2.	14.	illlus *lege* illius
85.	1.	44.	exiſtenten *lege* exiſtentem
91.	2.	15.	huit *lege* habuit
97.	2.	14.	*poſt* omnes *lege* an
100.	1.	42.	filiò *lege* filiò
105.	2.	37.	ſaltem *lege* ſalutem
111.	2.	35.	v. 9. *lege* v. g.
112.	1.	17.	antecedens *lege* antecedentem
Ibid.	Ibid.	21.	antecedentem *lege* antecedens
Ibid.	2.	10.	dundaxat *lege* duntaxat
Ibid.	Ibid.	37.	imiraculum *lege* miraculum
117.	in not.		decedentium *lege* decedentes
120.	1.	37.	potentiam *lege* porentiorem
127.	2.	13.	æternæ *lege* externæ
159.	1.	2.	reliter *lege* realiter
161.	2.	39.	ratione *lege* rationi
167.	1.	28.	regiono *lege* regione
170.	2.	11.	ſimplicitur *lege* ſimpliciter
172.	1.	10.	eſti *lege* etſi
174.	2.	15.	contingentur *lege* contingenter
175.	1.	40.	propoſitio *lege* præpoſitio
179.	2.	21.	Senenſum *lege* Senenſem
182.	1.	24.	Conſtantino *lege* Conſtantio
209.	2.	25.	& *lege* eſt
216.	2.	37.	dubicè *lege* dubiè
217.	2.	13.	nua *lege* una
232.	1.	15.	E *lege* Et
Ibid.	Ibid.	40.	ima *lege* una.

In Tractatu II.

Pag.	Col.	Lin.	
4.	2.	18.	*poſt* Theologia *adde* illum
21.	1.	34.	poſſit *lege* poſſet
25.	2.	10.	videant *lege* vident
35.	2.	7.	qouque *lege* quoque

In Tractatu III.

Pag.	Col.	Lin.	
8.	1.	37.	Incarnatioga *lege* Incarnationis
Ibid.	Ibid.	38.	ſini dem *lege* ſiquidem
15.	1.	35.	home *lege* homo
18.	1.	28.	v. 9. *lege* v. g.
24.	2.	32.	Reipucicæ *lege* Reipublicæ
28.	2.	8.	dedierit *lege* dederit
30.	1.	31.	adoptari *lege* adaptari
Ibid.	Ibid.	33.	adoptari *lege* adaptari
46.	1.	25.	crui *lege* cruci
49.	2.	4.	cenſ. *lege* conſ.
55.	2.	14.	Hieropolis *lege* Hierapolis
65.	1.	32.	dignias *lege* dignitas
71.	1.	7.	cariarius *lege* coriarius
78.	1.	36.	proprè *lege* propriè
Ibid.	2.	30.	peccari *lege* peccati
119.	2.	21.	*poſt* juris *lege* poteſt
138.	1.	5.	poſſnnt *lege* poſſunt
164.	2.	ult.	*poſt* humanæ *adde* effectus

In Appendice ad Tractatum III.

Pag.	Col.	Lin.	
207.	2.	14.	auto *lege* audito
214.	1.	35.	Tirginis *lege* Virginis

In Tractatu IV.

Pag.	Col.	Lin.	
8.	2.	33.	v. 9. *lege* v. g.
9.	2.	8.	Cheſiphontem *lege* Cteſiphontē.
18.	1.	3.	Deo *lege* Dei
20.	1.	10.	hoc *lege* hos
21.	2.	24.	1551. *lege* 1651.
23.	1.	37.	propoſitio- *lege* propoſitionis
31.	2.	28.	veritatam *lege* veritatem
34.	2.	12.	pro *lege* quo
36.	1.	14.	bonorum *lege* bonum
45.	1.	14.	non *lege* nos
50.	2.	5.	*poſt* Dei *adde* quibus
58.	2.	27.	quia *lege* qui
67.	1.	21.	operationeem *lege* operationem
78.	1.	20.	bonam *lege* bonum
89.	1.	5.	revenlari *lege* revelanti
91.	in not.	6.	landabili *lege* laudabili
93	2	3.	quam *lege* quem
102.	2.	29.	ſubſtrahitur *lege* ſubtrahitur
105.	2.	24.	victix *lege* victrix
106.	2.	ult.	nobis *lege* nolis
135.	1.	9.	tune *lege* tunc

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

5-2

Digitized by Google